UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

urn:nbn:de:hbz:466:1-45790

Visual Library

Th. 2627.
J. VIII. 82

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

℞ balsam ℔ anisat. ʒi detz ad xv

1627

VEN. VIRI

THOMÆ MALLEOLI

A KEMPIS,

CANONICI

REGVLARIS

ORDINIS D. AVGVSTINI.

OPERA OMNIA:

Ad autographa eiusdem emendata, aucta, & in tres Tomos distributa:

Opera ac studio R. P. HENRICI SOMMALII *è Societate* IESV.

Testatur ipse author ex his opusculis nonnulla se anno Domini 1441. scripsisse, quædam verò alia, anno 1456.

EDITIO QVARTA.

Collegii Soc. Jesu Paderborn 1695
Cyriaco Webero ad Warburg
Pro Fori inscriptio.
Bibl. Theod. Paderb.

DVACI,
Ex Officina typographica BALTAZARIS BELLERI,
Anno Domini, M. DC. XXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REV. ADMODVM

IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO

LEONARDO BETTENIO,

APVD S. TRVDONEM

ANTISTITI DIGNISSIMO,

Henricus Sommalius S. P. D.

PVlchrè D. Gregorius Nazianzenus: ea plurimùm, inquit, rectè succedunt, quæ natura duce aggredimur: ac contrà, ea quæ inuita natura suscipiuntur, spem frustrari solent. Patiar igitur, quemque in corrigendis libris liberum esse, pro suæ in authorem voluntatis propensione ac studio. Cæterùm me tantus cepit amor *Thomæ Malleoli à Kempis*, viri sanè religiosissimi, iam inde ab incunabulis in-

Epistola 63. ad Eudoxium Rhetorē.

fantiæ, non ætatis, sed religionis ingressæ, (anni autem sunt propemodum quinquaginta) vt etiam mirer, cum ætate iam senescente, eum in me nec consenuisse nec minimum elanguisse. Quo verò in eum essem animo, publico argumento anno superiore testatus sum, cùm de Christo imitando libellum, à me ad autographi integritatem reuocatum, in lucem emisi.

2. Cùm autem intelligam ea in re operam haud frustra me posuisse, planè consultum fore, imò nec priùs mihi esse conquiescendum existimaui, quàm vniuersos eius libellos, quoad à me fieri posset, pari fide atque diligentia correxissem, posteris vt spero placituros, profuturos autem quàm plurimis. Hæc dum animo versarem, nactus sum, Deo Opt. Max. conatui nostro fauente, apud Viros optimos, D. Martini religiosos Louanij, cùm bibliothecam eorum lustrarem, duos huius authoris Tomos, & quidem propria eius manu conscriptos, iuxta syngrapham & testificationem plurium Patrum eiusdem

eiusdem ordinis. Ea res ita mihi opportunè accidit, vt Pharos clariſſima lucens nautis, in cæcis procellarum noctiſque tenebris ſolet.

3. Spero autem, & ſi non omnia: ſaltem plurima, quæve maioris eſſent momenti, ad autographa me emendaſſe. In tertium Tomum vitas quorundam reieci, quæ à me nulla ratione, defectu autographi, caſtigari potuerunt. Diuino interim Numini gratias & dico & habeo longè maximas, quòd voto noſtro tam opportunè fauerit. Videor mihi hîc non incommodè vſurpare poſſe, quòd Iacob olim parenti ſuo Iſaac dixit: cum enim ex filio percunctaretur pater, Quomodo tam citò (nempe ex venatione) cibum inuenire potuiſti, fili mi? Reſpondit Iacob: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi, quod volebam. Porrò hæc editio, propemodum tertia ex parte, antecedentes ſuperat. Etenim duo autographa hiſce diebus aliunde accepi, in quibus nonnulla reperi, quæ hactenus typis non fuerunt euulgata. Illa autem,

tanquam totius corporis membra, annexui reliquis. Quo verò meliori ordine vniuersos libellos distribuerem, eos in tres Tomos partitus sum. Primus quidem tum conciones tum meditationes authoris complectitur: Secundus verò, opuscula illius & varia & plurima: Tertius demum vitas quorundam: ac epistolas nonnullas ad diuersos missas continet.

4. Errores autem plurimos corrigendo comperi, tum in vulgatis editionibus, tum etiam in scriptis exemplaribus, magnam autem in plerisque varietatem. Quos inde ortos esse duco, quòd notarij siue scriptores neque characteres neque lectionem genuinam legendo sunt assequuti. Siquidem author tot ipse notis compendiisque scribendo vtitur, vt paucæ dictiones queant reperiri ab huiusmodi notis liberæ. Dei beneficio atque frequenti huius authoris lectione id demum sum consequutus, vt inoffenso pede, vniuersa in eo decurrere potuerim.

5. Con-

5. Confido equidem, noſtram operam V. Pti. tum etiam alijs, ſub nominis veſtri auſpicijs, non ingratam fore: hinc etenim habebunt concionatores, vnde ſpiritualia hauriant, quæ ſuis auditoribus proponant. Hinc cuiuſcumque Ordinis religioſi, & qui vitam ſpiritualem aut ſectantur, aut obire deſiderant, documenta ſument, quibus iuuare ſe in via Dei incœpta poterunt, & ad perfectionem conatus pios prouehere. Si quis ſit in orbe libellus, qui conſolari mœrentem, iuuare conantem, docere in vita ſpirituali tyronem aut iam aliquò vſque prouectum poſsit, huius Thomæ viri ſanctiſsimi opuſculis (mea quidem ſententia) id defero, quem puto hoc in officij genere excellere plurimùm. Expertus ipſe loquor.

6. Sed epiſtola finem à me demum expoſcit. At citra laudes tanti viri, tantiſque Antiſtitis, cui hoc opus vniuerſum inſcribo? Maximè cùm trahamur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque gloria ducatur. Noui & equidem noui, Reue-

rende Præsul, quæ & quanta sit in te, cùm Religioso tum Abbate modestia, & quam parui humanas laudes æstimes. Parco itaque, ac meipsum (alioqui in laudes tuas effusior futurus) cohibeo. Verum & hoc ipsum, laudari nolle, in magna laude pono. Testantur deinde ampliſſimi istius cœnobij viri religiosi, testatur insignis vitę monasticæ disciplina, quantum & qualem domi habeant Archimandritam. Vale itaque mi Reuerende Pater in annos plurimos: cui equidem sincerè atque ex animo ampliſſimum gratiæ diuinæ munus in pręsenti, gloriæ verò felicisſimæ in futuro cumulum, etiam atque etiam peropto. Boni autem opellam nostram, propensamque animi nostri erga te voluntatem consule.

Gandaui, anno 1600.
die 25. Martij.

HEN-

HENRICVS SOMMALIVS

PIO LECTORI S. P.

1. IN *castigando toto opere Thomæ à Kempis, viri tum docti tum religiosi, planè mihi usu venit, quod Plinius de quibusdam pictoribus statuariisque refert. Veteres namque pingendi fingendique artifices nobilissimi, suis operibus tametsi absolutissimis (quæ proinde omnis posteritas demirata est) titulo appenso, hunc in modum inscribebant:* Apelles faciebat, *vel* Polycletus, *non autem Fecit. Qua in re, sua opera quidem esse aliquo modo, non autem omni ex parte perfecta, indicare voluerunt. Si quid tamen in ijs desiderari posset, se emendaturos, modò per vitam liceret. Etenim vnicus est ac solus: ecquis ille? Deus Opt. Max. qui sic vniuersa opera sua complet, vt nec ab homine, nec ab Angelo quidem, quicquam ad perfectionem addi possit. Hoc ipsum Moyses, vir ille Deo familiarissimus, indicare videtur, quando fabricæ huius vniuersi hanc tabellam appendit,* Creauit, fecit. Plinius in præfatione Natur. historiæ. Gen. 1.

2. *Equidem dedi operam, vt ad autographa, ferè omnia Thomæ à Kempis opera, iam pri-*

mum à me tertia ex parte aucta, & verò castigata exirent in vulgus. Cęterùm, dum singula denuo ad autographa reuocaui, atque etiam expendi, nonnulla ad integritatem deesse comperi. Dicam itaque cum Apelle, (neque enim verebor) dicam cũ Polycleto liberè, Faciebam. Gaudeo verò, imò gratias Deo longè maximas habeo, quòd mihi ante mortem, tum valetudinem, tum etiam tantillum otij concesserit, vt ea oportunè supplerem, quæ in prima editione defuerunt. Quantum verò operæ quantósque labores impenderim, solus nouit quem cupio in cęlis habere mercedem locupletissimam.

3. Ego itaque a vrsam imitatus (quæ catulos suos informes, frequenter lambendo expolire atque efformare consueuit:) quin etiam b struthionem (quæ non incubando, sed fixis oculis oua diu multumque intuendo, pullos excludit;) tam sæpe autographa vidi, legi, reuolui, & cum priori editione tam sedulò contuli: adeò vt sperem me ad eam perfectionem omnino castigationem adduxisse, vt meritò animo conquiescere debeam. Vale in Christo, mi Lector Candide, & fruere nostro labore incolumis.

a D. Amb. l. 6. Hexamer. c. 4. Et Plinius l. 10 Nat. hist. ca. 36. Itẽ Virg. lib. 2. Georg.

b Cælius Rhodig. l. 20. Antiquarum lectionũ, c. 3. Item Osorius in concione de D. Matth. Apost. & Euang.

Quæ

Quæ in toto opere Thomæ Malleoli à Kempis continentur.

TOMO PRIMO.

1. *Sermones ad nouitios triginta.*
2. *Sermones ad Fratres nouem.*
3. *Sermones sex & triginta, editioni primæ additi.*

TOMO SECVNDO.

Opuscula varia authoris in duas partes distributa. Prima parte maiora opuscula, parte verò secunda minora continentur.

PARTE IGITVR PRIMA.

1. *De imitatione Christi lib. 4.*
2. *Soliloquium animæ.*
3. *Hortulus Rosarum.*
4. *Vallis Liliorum.*
5. *De tribus tabernaculis.*
6. *De disciplina claustralium.*
7. *De fideli dispensatore.*
8. *Hospitale pauperum.*
9. *Dialogus Nouitiorum.*
10. *Spiritualia exercitia Religiosorum duplicia.*
11. *Doctrina iuuenum.*
12. *De vera cordis compunctione.*
13. *De solitudine & silentio.*

PARTE VERO SECVNDA.

1. *De recognitione propriæ fragilitatis.*
2. *Epitaphium seu Enchiridium Monachorum.*
3. *Manuale paruulorum.*
4. *De eleuatione mentis, ad inquirendum summum bonum.*
5. *Alphabetum paruum Monachi, in schola Christi.*
6. *Consolatio pauperum & infirmorum.*
7. *Orationes plurimæ admodum pię atque deuotæ.*
8. *De mortificatione suiipsius.*
9. *De Humilitate.*
10. *De Vita bona & pacifica.*
11. *Vita boni Monachi.*
12. *Hymni & Cantica spiritualia valde pia.*

TOMO TERTIO.

1. *Vita B. Lideuuigis Virginis, quæ admirandæ patientiæ exemplum extitit.*

2. *M. Ge-*

2. M. Gerardi Magni & Domini Florentij vitæ, qui fuerunt parentes & authores Religiosorum, qui vulgò Fratres nuncupantur.
3. Vitæ discipulorum vtriusque, scilicet M. Gerardi & D. Florentij.
1. Domini Ioannis Gronde.
2. Domini Ioannis Brincherink.
3. D. Luberti Berneri.
4. D. Henrici Brune.
5. D. Gerardi Suphanensis.
6. D. Amelij Burensis.
7. D. Iacobi de Viana.
8. Ioannis Cacabi, vulgò Ketel, coci pientissimi.
9. Arnoldi Schoonhoue.
4. Sex epistolæ vtiles ac religiosæ plurimùm.

Quæ huic editioni accesserunt.

TOMO PRIMO.

1. Vita Thomę Malleoli à Kempis, per R. P. Franciscum Tolensem, religiosum eiusdem ordinis & domus, cuius ipse author fuit.
2. Aliquot de Passione Domini orationes pientissimæ: Habentur autem post sermones de Passione Domini, ante Dominicam Palmarum.

TOMO SECVNDO.

1. Orationes & variæ & plurimæ authoris, nimirum ab octaua vsque ad finem, quæ in opusculo septimo breui habentur.
2. Hymni & Cantica spiritualia diuersa, scilicet ab octauo vsque ad finem opusculi vltimi breuis.

DE

DE VITA ET OPERIBVS THOMÆ A KEMPIS.

Ioannes Trithemius Abbas Spanheimensis, de scriptoribus ecclesiasticis.

THOMAS de Kempis natione Teutonicus, ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, montis diuæ martyris & virginis Agnetis prope Svvollam in diœcesi Traiectensi, vir in scripturis diuinis studiosus & eruditus, vita & conuersatione deuotus, & B. Mariæ semper virginis amator præcipuus: scripsit pro instructione simplicium fratrum non spernenda opuscula, de quibus feruntur subiecta.

De contemptu mundi.	*Lib. 4. Qui sequitur me, non*
Sermones ad Nouitios.	*Lib. 3. Ecce quàm bonum.*
Sermones ad Fratres.	*Lib. 1. Qui non renuntiauerit.*
Dialogus Nouitiorum.	*Lib. 1. Rogo te Pater chariſſime.*
De vita ſolitaria.	*Lib. 1. Chariſſime cùm eſſes.*
De tribus tabernaculis.	*Lib. 1. Eſt ſcriptum in Prophetis.*
De vera compunctione.	*Lib. 1. Flete mecum omnes.*
Hortulus Roſarum.	*Lib. 1. Cum ſancto ſanctus eris.*
Vallis liliorum.	*Lib. 1. Ego flos campi.*
Alphabetum Monachi.	*Lib. 1. Vias tuas Domine.*
Conſolatio pauperum.	*Lib. 1. Conſolamini, conſolamini.*
Epitaphium Monachi.	*Lib 1. Via iuſtorum recta.*
Qualis debeat eſſe Monachus.	*Lib. 1. Audi religioſe.*
Manuale paruulorum.	*Lib. 1. Sinite paruulos venire.*
Doctrinale Iuuenum.	*Lib. 1. Fili à iuuentute tua.*
De contemptu mundi alius.	*Lib. 1. Dominus regit me.*
Epiſtolarum ad diuerſos.	*Lib. 1. Chariſſime frater.*

Et quædam alia. Clariuit autem temporibus Ruperti Bauari Regis Romanorum, & Gregorij Papæ 12. Anno Domini 1410.

APPRO-

APPROBATIO.

VNIVERSVM opus Thomæ à Kempis, à mendis quamplurimis repurgatum, & ad autographa illius, opera R. P. Henrici Sommalij, restitutum; ob latentem quandam sermonis vim ac energiam, ad imbuendos pietate hominum animos, dignissimum censeo, quod sæpius recudatur, Louanij, Anno Domini 1600. nono Maij.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apostolicus atque Archiducalis librorum Censor.

DE

DE VITA ATQVE SANCTIMONIA THOMÆ A KEMPIS.

Ex epistola R. P. Georgij Pirc Kamer, Prioris domus Carthusianorum Nurembergæ, missa ad M. Petrum Danhausser, scripta verò anno Domini 1494. 17. Kal. Martias.

1. NVLLA prorsus salubrior tibi est medela, mi Petre, quæ te in diuinam mentem S. Trinitatis prouocare poterit, quàm si libros Venerabilis Thomæ de Kempis legeris. Leges autem eosdem cum voluptate, si curaueris, vt tua authoritate æneo opificio imprimantur. Inualuit superioribus diebus apud me, quòd ederes architypos triumphantis Romę, pro nominis ęternitate clarissimi ciuis Sebaldi Schreyers. Res quidem est magna, docta, dignaque tanto viro, tam magnifico ac fortissimo in omni genere virtutis. Sed nihil sanctius, nihil honestius, nihil denique religiosius, pro Republica Christiana condere poteris, quàm curare, vt hęc opera & libri Thomæ à Kempis, viri sanctimonia ac castitate præcipui, in vulgus exeant: quę multum satis Christianorum religioni accommodare poterunt, hactenus derelicta, velut ignis absconditus in venis silicum.

2. Fuit reuera Thomas de Kempis professus monachus fratrum ordinis Canonicorum Regularium, vir sanctitate & doctrina eximius: parentibus mediocris fortunæ, matre humili genere, patre verò opifice, qui hisce libellis Plutonem furiasque infernales

fernales sæpenumero fugauit. Neque temere facis, si ea à tenebrarum sordibus in splendidam lectionum lucem reuocas: quæ aut ingenia prompta expeditaque ad salutis æternæ cupidinem, vtiliumque artium contemplationem, celeri faciliq́ue compendio ducunt: aut homines deuotos religiososque à turpi certè agrestiq́ue rerum imperitia vindicant.

3. Quantum verò ædificatura sunt ea opera, in omnibus religionis Christianæ viris maximis doctissimisq́ue, nec dici nec scribi potest. Nec paruipendas hæc, humanissime Petre, propterea quod vulgari ac simplici stylo sunt condita. Deus enim ipse Opt. Maximus hanc suorum Apostolorum voluit esse naturam, vt lenocinio verborum & orationis ornatu carerent; quòd simplex & nuda veritas esset luculentior, cùm sacra Theologia satis per se ornata sit; ideoq́ue ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur. Mendacium verò specie placet aliena, quia per se corruptum vanescit ac defluit, nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit ac politum.

4. Verùm Venerabilis Pater Thomas de Kempis, non eloquentiæ, sed veritatis fiducia, hæc opera condenda aggressus est: & oratione, quæ de tenui fonte emanat, lumine tamen suo clara & illustris apparet. Qua de re, à quouis docto, hæc eadem diui Thomæ à Kempis opuscula haud negligenda sunt, doctissime Petre. Hanc apud maiores nostros potissimam lego causam, sacram scripturam contemni, quòd communi & simplici sermone transeat. Sunt enim, qui nihil legere vel audire, nisi expolitum & disertum volunt: nec quicquam hærere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono mulceat.

5. Hoc accidit D. Cypriano, qui erat ingenio facili, copioso, suaui, & (quæ sermonis maxima est virtue) aperto: vt à quodam homine satis diserto, vna immutata litera, Capriahus vocaretur, quasi elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset. Hæc scribo ad te, doctissime Petre; vt tibi ipsi persuadeas, aliam (nempe æternam) post hanc vitam futuram: vt velis operam dare libris diuinis, & illis animum tuum recreare, voluptatemque illinc petere. Facies autem ea, si studiosior imprimendo opera Thomæ à Kempis fueris: curaueriſque, vt iusto emendatoq́ue charactere imprimantur. Vale Nuremberga.

VITA REVERENDI

P. THOMÆ MALLEOLI A KEMPIS,

PER IODOCVM BADIVM ASCENSIVM SCRIPTA.

Capita XII. in vitam Thomæ à Kempis.

DE *nominis boni bono præsagio,* Cap. I.
De nomine authoris, & eius etymo ac interpretamento. II.
De quatuor egregijs (vnde Plato Dijs grat as egit) donis, & de totidem in Molleolum collatis eulogijs. III.
De magnitudine beneficij, quod inter Christianos pios natus & educatus est. IV.
De paupertatis excellentia & eius amore, à Thoma nostro ex parentibus imbibito. V.
De modestiæ & humilitatis laude. VI.
De patientiæ laude. VII.
De Geraydo Magno, coinstitutore clericorum Regularium, qui Fratres dicuntur. VIII.
De eorundem regula & incrementis. IX.
De Thomæ ad eos accessu, & perspecta in eos religione. X.
De exhortatione Thomæ, ad religionem canonicam D. Augustini, per Florentium. XI.
De eius professione, & reliqua vita. XII.

CAPVT I.

De nominis boni bono præsagio.

Eccl. 41. 1. SCitum quidem est, & à multis laudatum, Sapientis illud præceptum: *Curam habe de nomine bono* Verùm idipsum, non tam de nomine cuiusque proprio, quàm de fama & præconio est intelligendum: quemadmodum & illud Poetæ:

Virg. eclog. 5. & lib. 1. Æneid.

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Et illud alterum eiusdem:

Dum

Dum nos aliquod nominq; decusq;
Gessimus.

Virg. lib. 2. Aeneid.

Quod nominis etymon, & quam bonæ famæ fragrantiam, suauissimus Thomas Malleolus ita assequutus est: vt ob vitæ sanctitatem & famæ celebritatem, Diuorum catalogo, à grauissimo Carthusiani ordinis Patre, in superiore epistola sit adscriptus; multisque operum suorum exhortationibus sodales suos, vt idem assequi adnitantur, admonuit. Neque abs re: quandoquidem, quod præclarè D. Augustinus docuit, vt sua cuiusque vita bona est ipsi ad salutem necessaria; ita optima cuiusque fama proximo: vsque adeò, vt durus & inhumanus inter primos sit censendus, qui ad proximi institutionem nomen bonum neglexerit.

Georgio Pirc Kamer

Augustin. serm 52 ad Fratres in eremo.

2. Verùm de nomine, vt ad præsens facit etymon, etiam scita est magni illius Platonis sententia: Nominis celebritatem & præclaræ indolis præsagium non parum ad humanam conducere felicitatem. Siquidem quod vulgato canitur versiculo:

Plato.

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

3. Proinde rerum omnium certissimus præcognitor & iustissimus arbiter Deus, protoplastis Adamo & Euæ, plurimisque deinceps ab eis ortis, nomina (Præsertim Hebraica) rebus ipsis conuenientissima indidit: vsque adeò, vt si eorum interpretamentum ignores, neque prophetias multas, velut Psalmos; neque cæteras intelligas scripturas. Quin etiam, vt futuræ rei indicet mysterium, placitum est ei, vt qui priùs hebraicè Iacob, id est, supplantator, è re vocatus erat: posteriùs Israel, id est, Deum videns, nominetur. Et in Euangelico mysterio, eadem de causa vocatus est Petrus, qui priùs Simeon aut Simon. Quam nominis mutationem, plerique Pontificum Romanorum, Petrique successorum insequuti, id nominis assumpserunt, quod genio suo & præceptę virtuti congruere putarint quàm maximè. Vnde sint Bonifacij, Clementes, Calisti, Innocentes, Pij, Sisti, Iulij, Leones, & id genus alij.

Gen 27. *Gen. 32.* *Matt. 3.* Platina in vitis Pontificum.

4. Adde, quòd matri suæ glorioßissimę, nomen ipsius officio appositissimum, MARIAM, præimponendum mandauit. Et præcursori vtriusque parentis mirifico testimonio Ioanni ab Gabriele Archangelo est inditum: abs quo eodem, & ipsius Seruatoris vocatum est nomen IESVS, priusquam conciperetur in vtero. Cuius rationem apud Matthęum adnectens, inquit: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis*

Luc. 1. *Ibid.* *Lucæ 1 & 2*

5. Magna igitur apud Prouidentiam est nominum ratio, vsque adeò, vt quoniam diuinam ignoramus substantiam, in secundo decalogi præcepto cautum sit: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Et in oratione dominica, statim in capi-

Matt. 6. te, tanquam primum petendum: *Sanctificetur nomen tuum*, Quod & diua Virgo ab eodem Spiritu sancto, (cuius superuentu grauida erat) edocta, cùm magna & incõparabilia sibi à Domino facta meminisset, pro ijs quas summas reponere potuit

Luca 1. gratias, *Et sanctum*, inquit, *nomen eius.*

6. Magnum item est in nomine futuræ rei præsagium, vsque adeò, vt in quibusdam vehementer dubites, vtrum ante rem, an post rem, & propter euẽtum rei, talia illis nomina fuerint imposita. Vt in duobus Hippolytis: qui (vt nomen indicat) ab equis in diuersa distracti & dissoluti sunt, sub magna quidem vtriusque constantiæ & fidei gloria, sed dissimili causa inæqualiq́ue felicitate. Nam Theseï ille filius Phędræ nouercæ, à qua ad stuprum incestuosum interpellatus erat, illecebris non minore visus est restitisse constantia & continentia, quàm Ioseph⁹ ille Israelita dominæ sue in Ægypto. Quocirca, vt (si historia non est) saltem fabulę ferunt, stulta patris credulitate, & iniqua atque improuida aui exorabilitate, nomini suo consonum tandem pertulit supplicium: quale post multa sæcula, fortissimus Christi martyr alter Hippolytus, ob fidei & Christianæ persuasionis præconium. Vtrique tamen, grauissimi authores tradunt, ante fata illa, tale fuisse nomen impositum.

De vtroq; Hippolyto. Illust. Baronius in martyrol. die 13 Augusti.

Gen. 19.

Petrus de Natal l. 6. cap. 135. 7. Christophorum, itidem Christi martyrem constantissimũ, quis non potiùs post rem, quã ante rei exitum, sic opinetur vocitatum: cùm non sit vero simile, ethnico, & à re Christiana penitus abhorrenti, tale nomen inditum, ab illis præsertim, quibus Christus penitus abhorrenti, tale nomen inditũ, ab illis præsertim, quibus Christus penitus iam tũ erat ignotus? Quin etiam Longino, pro Lonchino, aiunt Hastario illi nomen fuisse, qui in cruce Domini latus hasta aperuit: cũ ab hasta seu (vt Hispani dicunt) ancea, quæ græcis λόγχη dicitur, nomen illud videatur deductum. Veruntamen in confesso est nomina quàm plurimis imposita, quæ rebus ab ipsis gerendis certissima præ se ferrent præsagia; qualia sunt in hoc opere explicanda Gerardi Magni, Florentij, Ioannis Cacabi & aliorum.

Ioan. 19 Martyrol. Rom. die 15. Mart.

CAPVT II.

De nomine authoris, & eius etymo ac interpretamento.

1 SED quorsum, inquies, omnia ista? Nempe, vt legentium (si qui lecturi sunt) animos, rerum varietate nonnihil reficiã: vtque non illotis (quod aiunt) pedibus ad authoris nomina interpretanda ingrediar. Dictus est enim, mirabili prouidentia, opegum sequenti scriptorũ, *Thomas Malleolus à Campis* seu *Campensis*:

sensit: quæ nomina, eiusdem professioni & vitæ institutis, conueniunt aptissimè.

2. Nam secundùm Græcam originem, *Thomas* interpretatur sectus seu diuisus: secundùm Hebraicam, Thomas abyssus: & quod Græcis dicitur geminus, didymus. Sectus autẽ & penitus diuisus, à generis fuit vnguiculis, à cõsortio humani generis hostiũ, mundi, carnis & dæmonum. Abyssus autem, diuinæ contemplationis scrutinio: & Geminus, integerrima Dei & proximi charitate. Sectus præterea fuit, & geminus: quia secundùm interiorem hominem totus adhæsit Deo, vnus factus cum illo: secundum exteriorem autem proximo, illius scribendo, prædicando, operando, inseruiens commodis. Sectus à mundo, quia verè dicere potuit, a *Mihi mũdus crucifixus, & ego mundo.* b *Viuere autem Christus est, & mori lucrum.* Sectus à carne, quia (vt eius ex scriptis patet, c in carne præter carnẽ vixit d cùm eius conuersatio esset in cælis, e desiderium habẽtis dissolui, & esse cum Christo. Atq. ita, cùm cogeretur corpore adhuc versari in terris, mente versatus est in cœlis. Sectus præterea ab omni dæmoniorum commercio: vt quę signo crucis, & inuocatione sãctissimorum Iesu & Mariæ nominum, sæpius exegisset, & sanctissima vita, & optima exhortatione, & vitæ exemplo, à toto cœnobio quasi exulare compulisset.

a *Gal 6.*
b *Phil.1.*
c *2. Cor. 12.*
d *Phil 1.*
e *Ibidem.*

3. *Malleolus* autem (quod Teutonica & vernacula illi & mihi lingua *Hemerkin* dicitur) idcirco iusto præsagio est cognominatus, quòd sanctissima conuersatione, venerabili comitate, mellifluo alloquio, dulcissimo respõso piẽ. issimis scriptis, opportunis exhortationibus; omnẽ mũdi festũ & malignitatem, omnes carnis illecebras & petulãtias, omnes diaboli versutias & illusiones, sic contudit, fregit, & contriuit, vt si omnes eius sanctæ vitę sequaces, & dictis ac scriptis audiẽtes essemus, planè de illis maximis humani nominis hostibus triumpharemus: & ita eos obtunderemus, vt eis nulla esset reliqua in nos insurgendi confidentia. Quin etiam hęreticos omnes ita Malleolus hic solida sapientia, nihil ambiguum aut Catholicæ fidei suspectum asserens, à scriptis suis Malleoli sono repulit, vt ad eius scripta ne aspicere quidem audeant, vt qui nullam in eis malè sentiendi ansam arripere valeant. Cæterũ, quia iuxta illud apostolicum: *Templũ Dei sanctum est, quod estis vos:* ipse verè dici potest templum Domini, & quasi Salomonis, immo Salomon ipse. (Nam & sapiens & pacificus fuit, & sine querela vixit.) Potest de eo dici, quod tertij Regũ sexto de Salomonis tẽplo scriptũ est: *Et malleus, & securis, & omne ferramentũ, non sunt audita in domo Domini, cũ ædificaretur.* Vt quasi per antiphrasim

1. Cor. 3.

3. Reg. 6.

dicatur Tomas, veluti Tomos, id est sectio. Vnde & securis & malleolus, cùm nulla in eo fuerit sectio, id est, nullum schisma, nulla à fraterna charitate diuisio, nullum q; ab hoc Malleolo murmur, & nulla querela, in toto eius conuictu, fuerit audita.

4. Porrò Campi, quos in diœcesi Traiectensi habuit patriam, à capacitate sunt dicti: vnde & Capua Italica sine m. litera. Neque tamen absrè Campi dicti, quòd amplè capiant. Sed quid Thoma hoc capacius, in cuius pectore, vt in sanctiore quodam ærario, omnes virtutes omnesque sacræ literæ & artes bonæ (ad mensuram tamen) sunt reconditæ? Vsque adeò, vt quicquid eloqui vellet, è sacris litteris illic reconditis depromeret: sicque ad eas alluderet: vt earum nouitius lector ab ipso primùm excogitatas, putaret. Hactenus de nomine.

CAPVT III.

De quatuor egregijs (vnde Plato dijs gratias egit) donis: & de totidem in Malleolum vltro collatis eulogijs.

Cicero li. 2. de natura Deorũ.

1. PLatonem illum prudentissimum, quem (vt Cicero atrestatur) Philosophorum Deum quidã nuncupare non sunt veriti; Dijs gratias non vulgares egisse aiunt, quòd homo natus est, non bellua: mas, non femina: Græcus, non barbarus: Philosophus, non amusus nec indoctus. De quorum similibus, beatissimus Thomas noster, Deo Opt. Max. gratias agere potuit, & non semel egit: sed (vt mox dicam) etiam de maioribus eidem in Domino gloriari licuit.

Cap. 18. seu vltimo.

2. Neque enim id solum Deo acceptum ferebat, aut gratias agebat, quòd homo esset, sed quòd omnino esset, dicens in Hortulo Rosarum ad semetipsum: Lauda Creatorem, qui te fecit hominem & non bestiam. Qui si muscam te fecisset, adhuc laudandus esset, & tibi bene fecisset. Non enim potest leo gloriari de fortitudine sua supra muscam & culicem: quia si leo potest altiùs clamare, non tamen potest tam altè volare. Significans vnicuique animanti quippiam in quo excellat esse datum, homini autem supra omnia.

Matt. 22.

3. Neque de hoc magnificè in animo suo triumphauit, quòd mas esset, non femina: sciens in futuro seculo (vbi neque nubent, ait Dominus, neque nubentur) nullum inter marem & feminam beatitudinis fore discrimen, multasque feminas innumeris maribus præferendas. Vnde (vt recitat in sermonibus ad a Nouitios) iussus est sodalium quidam, de mysterijs Eucharistiæ hæsitans, credere, quæ Agnes, Cæcilia, & Barbara credidissent. Quam femina-

parte 3. Nouitius Noui

minarum gloriam, diua Iulitta *b* apud Basilium magnum non tacuit. Non parui tamen beneficij loco deputauit, quòd dignioris & firmioris sexus honorem circa sua merita fortitus erat.

exemplo 4. inter miracula S. Agnetis, post sermonem octauum.

4. Sed neque impatientius tulit, quòd non Græcos, sed Teuto esset natus. Sciens nullum verè Christianum, & Christianis institutis ornatum, vbicumque terrarum natus sit, etiam si veruecum in patria, iusta ratione barbarum vocari. Eamq; regionem, in qua nasci contigit, supra cæteras florere eximia in Christum pietate, & mirificè monasticæ religionis amore.

b Hom. 5. in S. Iulittã martyrem.

5. Neque denum magni æstimauit Philosophicum fastum, aut secularem eruditionem: sciens sine illis, modò charitatem & pietatem colat, quemlibet supremam assequi posse beatitudinem, multosque à sincera pietate per literas immodicas auersos. Verùm quatuor eulogiis atque benedictionibus, iam grandior effectus, mirificè in Domino gauisus est. Primò, quòd inter Christianos natus; & Christianis sacris à primordio vitæ initiatus est. Deinde, quòd Christianis ortus parentibus, & iis piis ac modicis. Tum, quòd pueritiam atque adolescentiam suam ab optimis viris & pientissimis contigerat institui. Ac demum, quòd monasticam vitam inter religiosissimos viros ageret. De quibus singulis lubet altiùs, ad bonorum exhortationem, repetere.

CAPVT IV.

De magnitudine beneficij Dei, quòd inter Christianos pios natus & conuersatus est.

1. GRandior itaque factus, summi beneficij loco à D. Aurelio Augustino doctus censuit, quòd recens natus, Christiano baptismate esset renatus: & in Christiana pietate, religione, fide, & persuasione, è teneris vnguiculis, cùm à parentibus optimis, tùm à sacerdotibus tenellæ ætatis præceptoribus institutus. Id siquidem à bono rerum æstimatore pluris est faciendum, quam secluſa fide obtinuisse aut Crœsi opes, aut Alexandri monarchiã, aut Salomonis sapientiam & gloriam.

2. Nouit enim quàm plurimos bona indole præditos, beneque in moribus institutos, propter ea perditos, quòd Christiani non essent. Nam quis (vt cæteros taceam) armauit indulgentissimæ Barbaræ patrem in filiam, nisi mala persuasio de idolis, à maioribus cultis? Quis Traianum, Decium, atq; alios principes Romanos, quos alioqui dicunt fuisse non malos, in sanctissimos, Christi martyres sæuire fecit? Nimirum eadem pessima de diis suis persuasio, per quam occidendo sanctos, & vita dignissimos, arbitrabantur sese obsequium præstare Deo. Infelix profectò pater, & infelices principes, sic à via veritatis aberrantes: vt quibus

Ioan. 16.

iustitiæ lumen non illuxit, & Sol intelligentiæ non est ortus. Scriptum enim est: Nisi credideritis, non intelligetis. Felix contrà Thomas noster, qui ab initio vitæ Christi sacris est illustratus, & præcipuis virtutibus ornatus, & qui ab adolescentia sua portauit iugum Domini.

3. At nunc, si ad mores seculi nostri respicere vacet, videamur plerique omnes solo nomine Christiani: quin etiam in id peccare, quòd sanctissimum Christi nomen sic assumimus in vanum. *Exodi 20.* Vbi enim est nunc veritas, Christiano digna? Vbi fides? Vbi iustitia? Vbi charitas illa maiorum nostrorum gemina? Vbi sanctæ vitæ splendor? Vbi vestium simplicitas? Vbi vigiliæ? Vbi ieiunia? Perierunt hæc, (nisi in religiosis domibus) omnia. Et in eorum locum, successerunt teterrima vitiorum monstra, præsertim hac tempestate, suborta hæresi etiam in Sacramenta Christi blasphema; vsque adeò, vt quod Christus Iudæis interminabatur, iam *Matt. 21.* ingruentibus Turcis verendum sit nobis, vt malos malè perdat, & vineam suam locet aliis agricolis, (Christianis tamen, sed melioribus) qui reddant ei fructum temporibus suis. Verùm quia optimi viri sanctissimam vitam, non satyram scribendam recepi, non addam verbum amplius.

CAPVT V.

De paupertatis excellentia & eius amore, à Thoma nostro è parentibus imbibito.

1. SEcundò, ingentis beneficij duxit loco, quòd parentibus piis & iis modicis natus esset. Sicut enim, authore Augustino, Ecclesia Stephani protomartyris precibus conuersionem debet Pauli: & authore Ambrosio, D. Monicæ pientissimæ matris lachrymis, Augustini: Non enim fieri (inquit) potuit, vt tantarum *S Aug. ser. de S Stephan.* lachrymarum filius periret. Ita Thomas debet parentibus, & nos Thomæ, tot paupertatis, modestiæ, seu humiliationis, & patientiæ præconia: quæ cùm sæpe alibi, tum in opere de tribus tabernaculis habentur maxima.

Georg. Pirc Kamer.

2. Natus enim est patre opifice, quotidiano labore victum ægrè queritante Campis, vrbe insigni in Traiectensi diœcesi, siue, quod alij sentiunt, in agro Campano: matre autem, (vt Carthusianus pater scriptum reliquit) humili genere; quod ego interpretor, fortuna tenui. Nam vt ipse in vita Florentij de se attestatur, receptus est patrocinio Florentij in domum matronæ sanctæ, deindè in domum pauperum clericorum: & vtrobique eleemosynis educatus. Pientissimæ autem matris exhortationibus, sanctioris doctrinæ, & per eam religionis imbibit amorem. Paterna autem vita, ad omnem laborem indurata, omni paupertate,

te, modestia, & tolerantia decorata, has tres præcipuè induit virtutes: ferè enim sit, vt filij parentum insequantur mores.

3. Quocirca eas in tribus collocauit tabernaculis: Et in primo quidem paupertatem non abs re, quoniam Dominus ipse noster, omnium rerum cognitor perspicacissimus & censor æquissimus, primos beatitudinis assequutores definiuit, qui pauperes essent spiritu. Et in omnibus paradoxis & consilijs suis nihil tantopere commendauit, quanto paupertatem & rerum omnium abdicationem: præuidens nimirum, per opum incrementa, & paupertatis contemptum, veram religionem & omnis honestatis amorem labefactatum iri. Quam rem ne dæmones quidem tacuerunt, vaticinantes & Lacædemonicæ & Romanę gentis imperia per diuitiarum luxum ad interitum ventura.

4. Verùm, vt non omnium erat olim adire Corinthum, ita nec omnium est agnoscere paupertatis donum. Quippe, vt Lucanus cecinit:

Nondum intellecta deorum
Munera.

Horatius l. 1. epist ad Scæuam, quæ proxima est antepenultimę.

Omnes enim, vt Comicus ait, ad rem sumus auidiores. Ideoque, vt ad prouinciam penitus terribilem, & factu difficillimam, sed planè diuinam Maronianus Euander hospitem suum Æneam hisce inuitat verbis:

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Virg. l. 8. Aeneid.

Quæ verba acerrimo vir iudicio, quamplurimi æstimat Seneca, non minoris à quouis Christiano æstimanda. Sunt enim paradoxo illi dominico consona: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Perfectum enim sic esse, est se fingere & efformare, vt sit dignus Deo. Alioqui dicat Dominus: Qui non reliquerit omnia propter me, non est me dignus. Vnde & Angeli ad pastores: *Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Quod signum? Nisi diuinitatis, sub panniculis latentis. Nam & viuens & moriens non habuit, quo caput inclinaret.

Matt. 19.

Luca 2.

Luca 9.

CAPVT VI.

De modestia, ac humilitatis laude.

1. TAntum ergo abfuit, vt hunc paupertatis buccinatorē modicorum parentum, aut toleratæ per adolescentiam totam inopiæ puduerit vel pœnituerit: vt se pauperrimum non semel prædicarit, & paupertatis ac modestiæ amorem omnibus, quam maximo posset studio, induxerit: multum in hoc instituto à vanissimo illorum fastu discrepans, qui parentes & affines tenues

agnoscere

agnoscere recusantes. Si quem vel millesimo ramo, dignitate aut diuitijs præditum, cognatum vel affinem habeant, illum semper in ore versant: similes (vt in apologis est) magni cuiusdam Pontificis mulo, phaleris & stragulis superbo: qui ab equis sæpe rogatus, quisnam illi pater fuisset, Nescio, inquit: at auus maternus, regius erat cursarius, illius cretus semine, cui D. Georgius, cùm draconem sterneret, insidebat.

2. At non ita Thomas, paupertatem suam & parentum modicitatem vt rem gloria dignam prædicans, & sese per hoc humiliians, insequutus (vt opinor) modestiam & candorem D. Petri Apostolorum principis. Cui cùm Paulus in faciem restitisset, idque ad corroborandam fidei libertatem scriptis commendasset, adijciens in epistola ad Galatas, quia reprehensibilis erat: ipse non solùm non inuidit ei aut scriptis eius, verùm etiam vtero commendauit in epistola posteriore, sic scribens: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit: sicut & in omnibus epistolis, loquens in ijs, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant.*

Galat. 2.

2. Pet. 3.

3. Neque id in hoc Thoma magnopere mirandum, vt qui norit eam virtutem in Christiana pietate planè heroicam censeri: cùm eam ethnici ne nomine quidem tenus receperint, interpretantes eam abiectionem, ac citra decorum extenuationem: quomodo (licèt rarius) in sacris quoque literis nonnunquam accipitur. Iudæi verò eius efficaciam non ignorauerunt quidem, scientes Dominum in orationem humilium respicere, & humiles saluos facere. Vnde legimus humiliationem Estheris, Iudithis, Regisque Niniuitarum, & omnis populi.

Psal. 101.
Psal. 33.

4. Verùm Christiani in ea excelluerunt, sequuti certissimum ductorem Christum, ita dicitantem: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quam humilitatem, ad nostri eruditionem, multis comprobauit argumentis. Primò, quia, cùm esset splendor paternæ gloriæ, tamen formam serui etiam (vt Thomas dicit) malè accipiens, de virgine sanctissima quidem, sed de plusculis peccatoribus orta, nasci dignatus est. Et perrarò, & coram paucis, nisi adiuratus, se filium Dei, frequentissimè autem filium hominis prædicauit: idque numero vnitatis, vel quòd solam virginem agnosceret in terris parentem: vel quòd vnius hominis, videlicet Adami, & ita totius generis humani, cuius seruandi ergò venerat, sese profiteretur filium. Scimus enim totum, id est genus ipsum, vnitatis significari numero, vt pluralitatis partes: vt indicant terra & terræ, mare & maria. Secundò quòd cùm esset Dominus dominantium & regum rex omnium, sic conuersatus est inter modicos ministros, vt qui ministraret, etiam traditoris sui, mini-

Matt. 11.
Heb. 1.
Phil. 2.

Matt. 26.
Matt. 12. & 24.
Marc. 14.
Luc. 59. & alibi.

Apoc. 19.

Ioan. 13.

minimè incogniti, pedes lauare dignatus. Tertiò, quòd gloriam suam nusquam quæsiuit, quamuis Euangelista de eo scripserit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, plenam gratiæ & veritatis.* Sed quid per singula curram, cùm tota eius vita sit modestiæ & humiliationis norma? *Ioan. 8.* *Ioan. 1.*

5. Quin etiam sanctissima & ab omni labe purissima mater eius, qua citra Deum nec maius, nec sanctius quicquam excogitari potest, humilitatis efficaciam agnoscens. *Quia*, inquit, *respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Humilitati nimirum acceptum ferens, quòd cæli & terræ Dominum in virginali gestaret vtero: non virginali castitati, non integerrimæ charitati, non incomparabili spei ac fidei, non denique aliarum virtutum omnium consummationi. Ideoque mox paulo in cantico eodem, *Deposuit* (inquit) *potentes de sede, & exaltauit humiles.* *Luc. 1.* *Ibid.*

6. Præterea Baptista, præco & index Domini Ioannes, quo inter natos mulierum non surrexerat maior, ingentis humiliationis præ se ferentia, verissima tamen confessione, (cùm facilè populo persuadere potuisset se esse Christum) confessus est, & non negauit: confessus est, quia sum ego Christus. Immo inquit: *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens, soluere corrigiam calceamentorum eius.* Et ideo venienti ad se, vt baptizaretur, Domino ait: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* *Matt. 11* *Ioan. 1.* *Marci 1.* *Lucæ 3.* *Matt. 3.*

7. Alter quoque Ioannes, (peculiari quodã amore à Domino dilectus, eumque mutuo amore sic prosequutus, vt totus charitatis igne inardesceret) in euangelio cùm de dilecti diuinitate magnificè vbique loqueretur, Deumque de Deo, & apud Deũ, & lumen de lumine illuminans omnem hominem, prædicaret: de se id modò expressit, quòd ab eo dilectus esset; nõ sui laudãdi, sed grati in dilectum animi significandi gratia. Quocirca minùs recipiam eos, qui ipsum de se dixisse illud aiunt: *Fuit homo missus à Deo cui nomen Ioannes*: cùm de Baptista manifestè dictũ sit, vt de quo prophetia extabat: *Ego vox clamantis in deserto*, &c. In epistolis autem, quamuis præcipuam de dilectione Dei & proximi nauaret operam, tamen sui humiliandi non immemor, *Si dixerimus*, inquit, *quòd peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nihil enim efficacius est ad pij animi humiliationem, quam se peccatorem fateri. *Ioan. 1.* *Ibid.* *Ibid.* *1. Ioan. 1.*

8. At Paulus ipse, (vas electionis, in tertium vsque cœlum raptus, vbi arcana vidit, quæ non licet homini effari, cui magnitudo reuelationum facta est: qui Euangelium, quod prædicauit, non accepit neque didicit ab homine sed per reuelationem Iesu Chri- *Act. 9.* *2. Cor. 12.* *Ibid.*

Gal. 1. Gal. 2. 1 Tim. 2. Rom. 1. Rom 7. Ibidem. Phil 3. 1. Cor. 15. Ibidem. 1. Tim. 1. Ibidem.

Christi: Cui Iacobus, Cephas & Ioannes, columnæ Ecclesiæ, dexteras dederunt societatis.) Doctor inquam ille incomparabilis gentium, quæ non emisit humiliandi sui testimonia? Paulus inquit seruus Iesu Christi, carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Nouissimo autem omnium tanquam abortiuo, visus est mihi Dominus. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persequutus sum ecclesiam Dei. Et rursum: Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: qui prius blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus. Sed ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem illorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Sed ad quid reliqua perscribam, cùm omnia omnium apostolorum & facta & dicta & scripta aut humilitatis sint testimonia, aut ad humiliationem exhortatoria? Nec abs re: cùm Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam.

Iacobi 4.

CAPVT VII.

De patientiæ laude.

1. IN eodem parentum venerandi Thomæ tugurio, humilique casa, tertij quoque tabernaculi præsidem, familiarem sibi fecit patientiam; quæ sanctæ perseuerantiæ parens est, cui vni laborum omnium reponitur merces & corona. Parum enim fuerit bene incepisse, nisi ad finem vsque perduxeris. Atqui à teneris vnguiculis & primis incunabulis, in re tenui duriter educatus, viderit patrem assiduo labore & in sudore vultus sui panem manducantem: matrem in educatione liberorum sedulam, ad custodiam rei domesticæ attentam, in opere alacrem, in victu sobriam, in potu abstemiam, in verbis parcam, in factis pudicam, vix possit sentire, ne dicam reiicere, laborum aut parsimoniæ duritiam. Quocirca Malleolus in paternis laribus, ad omnem patientiam & inopiæ tolerantiam institutus, facilè cùm esset Dauentriæ, eleemosynis ad literarum studia nutriendus, omnes labores omnemque inopiam pertulit. Qui etiam laborum suorum mercede, se geniumq; re suum fraudans, precium scripturæ ad pedes præfecti pauperum in communem alimoniam apposuit.

Matt. 10.

2. Deinde, cùm sexennium totum ad religionis regularis specimen impenderet, quam non exhibebat patientiam? Adde, quum religionem illam professus, tam esset in choro assiduus, tam in cohortandis sodalibus strenuus, tam in suscipiendis & consolandis peregrinis & hospitibus comis & benignus, tam denique in con-

contemplandis diuinis feruens; quanta putas tolerantia, quantaque præditus fuerit patientia, qui tot horas nocturnæ quieti, & permissæ interdiu ab opere vacationi suffurari potuerit; vt tot ad bonorum eruditionem & exhortationem libellos, quot hîc videbimus, conscriberet, emendaret, emitteret? Quorum singuli, si eorum ad sacras literas conformitatem aut allusionem, & sanctorum Patrum & Ecclesiæ doctorum placita, & eorum consensionem respexeris, videantur totam hominis vitam sibi vendicasse. E re igitur, quam tam vtilem cognouit, tantopere in libellis suis extulit patientiam. Virtus nam vidua est, quam non patientia firmat. Vnde & Dominus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* Et Poeta: *Superanda omnis fortuna ferendo est.* Quam rem felicissimè assequuti sunt omnes fidei Christianæ martyres, effecti patiendo victores, & præcipui voti compotes. Felicia igitur beati huius Thomæ incunabula, in quibus concepit tot tantarumque virtutum seminaria. Luca 21.

CAPVT VIII.

De Gerardo Magno constitutore clericorum regularium, seu Fratrum D. Hieronymi ac Gregorij; sub quibus Thomas Malleolus, bonas & sanctas literas & religionem didicit.

1. TErtiò, non minoris existimauit felicitatis, sed ingentis vltroque à Deo in se collati beneficij, quòd ab optimis præceptoribus sanctissimè viuentibus, & optimè tam verbis quàm vitæ exemplo docentibus, pueritiam atque adolescentiam suam contigit institui. De quibus primùm lubet paucis disserere, quomodo & à quo instituti sint, & quæ eorum sint instituta. Deinde, quomodo hic Thomas ad eos sese appulerit, & ab eis ad religionem animatus sit.

2. Primùm itaque, quia videor operæ pretium facturus, aut certè beneuolentiæ meæ obtemperaturus, si paucis perscripsero sodalitium aut sanctam congregationem clericorum regularium, (quos peculiari nunc Fratres vocant nomine) eorumque institutores & instituta: vt partim ex Thomæ Malleoli monumentis collegi, partimque aut puer ipse vidi, aut ex optimis præceptoribus meis accepi Gandaui insigni Flandriæ oppido, in domo Fratrum D. Hieronymi, id modò lubens (tametsi parergon) aggredior. Anno igitur salutis humanæ millesimo trecentesimo & quadragesimo natus est Dauentriæ (quæ vrbs clarissima est, in territorio & diœcesi Traiectensi) puer scitus, patre eiusdem vrbis ciue illustri & opulento, è familia Magnorum, qui vernacula sua

Groote

Groote dicuntur: quem Christianis expiationibus initiatum, & lustrali baptismate purgatum, Gerardum curauit nuncupādum. Et tranſactis primis infantiæ annis, literulis erudiendum bonis viris tradidit: & vbi iam quindecimum (ac accepi) ætatis ageret annum, Parisios misit; vbi cum insigni laude, bonarum artium adeptus est insignia, annum iam agens decimum octauum. Deinde aliquantisper illic cum Theologis conuersatus, cùm esset acri ingenio & indefatigabili studio præditus, supra modum profecit.

3. Qua fama audita, pater lætus ipsum domum reuocauit, vbi doctrinæ & eruditionis acceptæ omnibus mirificum dedit specimen, disputādo, percunctando, interpretando & docendo, ita vt omnibus esset stupori. Nec cōtentus ea gloria, adiit Coloniā Agrippinam vrbem insignem, & bonarum artium Academiam illustrem, splēdidis vestibus (vt qui in amplo patrimonio natus & educatus fuerat) amictus: & illic, modò cùm doctis viris congressus, modò publicè profitens ac prælegens, magnum nominis sui accepit incrementum.

4. Accidit autem, vt cùm illic esset, spectaculis publicis intentus, veniret ad eum quidam missus ab anachoreta per reuelationem edocto, qui auriculam eius vellens, oraculum hoc instillauit:

Non tibi, Magne, diu spectacula vana placebunt:
Namque vocare alio.

Quæ verba, non minus quàm Sibyllæ folia veridica, licèt ipse tunc parui faceret, mox tamen verissima comperit. Nam paulo post venerabilis quidam Pater, & primus patrum Carthusianorum Monichusen (id est monachorum domus) insignis in Geldria, qui cum ipso Gerardo in literariis gymnasiis conuersatus fuerat, eiusque ingenium & indolem & doctrinam norat, grauiter ferens virum tam doctum, & bono horoscopo bonisque parentibus natum, mundi vanitatibus irretiri. Admonuit sodales, vt secum pro conuersione & resipiscentia cuiusdam amici sui orarent. Et paulo pòst, pro domus illius negotiis curandis Traiectum, vbi Gerardum suum tunc agere audierat, se recipiens, peractis illis Gerardum conuenit, & sanctis cohortationibus & admonitionibus, quas Malleolus noster graphicè describit, à mundi pompis, carnis illecebris, & diaboli laqueis, ad sanctioris vitæ amorem attraxit. Neque eum diu occuluit: nam paucis ex illo elapsis diebus, vestium luxum omnem reiecit, capillos in coronam rasit, indumentum piceum seu griseum & oblongum super cilicium asperrimum induit: & pro mitra magistrali capitium nigrum,

grum, redimiculo à tergo ad cincturam demisso, illique alligato accepit. Et insuper, quoties egrediendum erat, pallium in talos vsque dimissum, sed viliori lanitio contextum, assumpsit. Quam vitæ mutationem, ij qui nesciebant esse dexteræ excelsi, & qui cuiuscuius esset, imitari nolebant, naso suspendentes acuto irridebant, dictitantes hominem insania vexari. Ipse verò patientissimè ferebat, gaudens quòd dignus esset, pro imitatione seruorum Christi, contumeliam pati. *Psal. 76.* *Act. 5.*

5. Vt autem instructior esset ad vitam regularem ducendam & alijs prædicandam, monasticos viros vitę sanctimonia claros, & claustrali disciplina ad amussim institutos, sæpe visit ac consuluit, & plusculos dies Carthusiam Monasticæ domus in Geldria incoluit. Venerabilem quoque virũ & sanctitatis fama illustrem. Ioannem Rusebrocum, Vallisviridis Canonicorum diui Augustini adhuc pauperum bonorum temporalium, sed cælestium prædiuitum, primarium, iuxta Bruxellas oppidum Brabantiæ perurbanum inuisit. In quo doctrinæ exuberantiam opinione maiorem & sancti Spiritus charismata mirifica agnouit. A quo & eruditior, & ad sanctiorem vitam ducendam & prædicandam aliis animatior effectus, Dauentriam rediit: vbi & religiosorum & sacerdotum bonorum & doctorum consilio ad prædicationem diuini verbi est accinctus, acerbissimus fœneratorum, adulterorum, sacerdotum concubinariorum, & plurium beneficiorum inutilium possessorum reprehensor. Iuuentutis autem vtriusque sexus prudentissimus, ad castam vitam, mundani luxus & diabolicæ perfidiæ contemptum, exhortator; per Traiectensem ferè diœcesim, etiam in Hollandia, verbum dominicum seminans.

6. Ædes autem paternas, atque omnes patrimonij sui satis opulenti facultates, ad castè ac sanctè secum viuere volentium exposuit sustentationem. Vnde effectum est, vt breui magna vis sanctarum virginum ad ipsum conueniret: quibus addicta peculiari domo, operis feminini, nendi, texendi, & similibus actibus, vitam sobriam tutari iussit: donec in lege dominica, & monastica vita institutę, quæ vellent (volebant autem plurimæ) vestalem profiterentur vitam. Maior tamen bonorum puerorum ac pauperum clericorum vndique ad eum conuolauit numerus: quibus sanctorum librorum scribendi statis horis (hoc est studio litterarum non necessarijs) prouinciam assignauit: mercedem iustam singulis quidem reponens: sed non semel totam, vt sæpius venientes, sæpius sanctas ad religionem exhortationes vna cum pecuniola acciperent; & ne semel acceptam prodigaliter absumerent.

7. Hoc

7. Hoc itaque prædicandi, orandi, docendi, exhortandi, sanctissimè & austerissimè viuendi, & mundi, ac quicquam eius esset, contemnendi studio in eo perspecto, adhæserunt illi cõplures viri docti: inter quos præcipuus, & inter primos venerabilis futurus, Pater Florentius Leiderdamus, in confinio Hollandię, ad sextum à Traiecto lapidem, claris & splendidis natalibus ortus, & liberalium artium in Pragensi apud Bohemos gymnasio tunc claro, & nondum hæresi (quæ adhuc cristam erigit) infecto, professor cum insigni laude effectus, in collegio D. Petri apud Traiectum canonicatum adeptus; omni pompa & opum splendore dimisso, sanctissimi Gerardi sodalitium inijt: à quo tandem omni ex parte probatus, quanquam inuitus ad sacerdotium est prouectus: & ecclesiæ S. Lebuini Daventriensis vicarius constitutus, toti clero omnique populo præluxit eo vsque, vt à Magno ipso, iam iamque naturæ legibus & fatis concessuro, totius sodalitij pœdonomus ac moderator sit electus.

8. Obijt autem Magnus, plenior sanctitatis quã dierum, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo quarto: ætatis suę quadragesimo quarto, cum ingenti sanctæ vitæ præconio, quod nec chronicarij celebres reliquerunt tacitum. Sed priusquã ad superos transiret, ad religiosas domos extruendas opes animosque adiecerat. Verùm quod ipse præuentus morte non potuit, per successores effectum est, à quibus extructæ sunt domus duæ Canonicorum sub regula D. Augustini militantium, nunc valde illustres, altera in VVindeshem, altera in diuæ Agnetis monte iuxta Svvollas, vt latissimè scripsit Malleolus.

CAPVT IX.

De clericorum regularium, & qui vulgò Fratres dicuntur, institutis & incrementis.

POst transitum itaque Gerardi Magni, successor eius Florentius, fragilitatis humanæ neque ignarus neque immemor; vt sancta & salubris illa institutio non statim intercideret, ex sodalium præsertim seniorum consilio, quã à Magno didicerat formam viuendi omnibus suis sequacibus citra votum seruandam præscripsit. Statuitque, vt quam proximè possent, ad apostolorum & primę Christi ecclesiæ vitam accederent: ita vt in tota congregatione esset cor vnum, & nullus quicquã sibi duceret aut diceret proprium. Nullus extra domũ sacerdotia ambiret, nec vbiuis gentium, aut beneficia ecclesiastica, aut officia mundana, lucri gratia. Domi autem, qui digni inuenirentur, ad sacer-

sacerdotia sancta non nummosa promouerentur. Omnes autem castè & in paupertate viuerent, in eo habitu, quem Magnus instituerat.

2. Nullus ostiatim mendicaret: & ne ad id paupertate cogerentur, cauit ne quisquam otio indulgeret: sed omnes, vbi docti essent, sacros libros scriberent, aut pueros docerent. Deum ipsi, & omnes quos erudirent, summa pietate venerarentur & colerent. Proximum iusta charitate diligerent, & eleemosynis indigentem iuxta facultatem fouerent. Ipsi autem inter se fraterna charitate conuiuerent. Primario seu patri suo, in omnibus licitis & honestis, sine magna inquisitione audientes essent; vt qui summum in charitate & obedientia meritum reponerent. Omnia præterea lucra, siue ex communi siue ex priuato labore obuenientia, iuxta apostolicum institutum, ad primarij ponerent pedes, nihil (si qua fortè occasione sodalitium relinquerent) secum asportaturi.

3. Qua forma ab eis suscepta mirum in modum excreuerunt: ita vt colonias, & quasi apum sanctarum examina, ad totam ferè Germaniam emitterent: sursum in Frisiam, Westphaliam, & subsequentes paulatim prouincias: deorsum in Geldriam, Hollandiam, Brabantiam; Flandriam, & hisce diebus Cameracum vsque: vbi opera & accuratione eximiæ doctrinæ & laudatæ vitæ Parisiensis scholæ Theologi, magistri Ioannis Standonci, honorabilem inceperunt Academiam; missuri (si vero ducor augurio) propediem pro omnem Galliam strenuos vineę dominicæ colonos. Quod non esset magnopere mirandum ijs, qui eorum mores ac instituta, & quę ex eis Christiana religio sumpserit incrementa norint. Cuius rei Malleolus noster, in proximo capite, amplissimum perhibebit testimonium. Nam ex huiusmodi clericorum regularium ac Fratrum congregatione in diuersis locis constituti sunt: alij sanctarum monialium, alij pauperum religiosorum nondum sacerdotes habentium Patres, & confessionum auditores, sacramentorumque administratores.

4. Ex discipulis autem & eorum auditoribus referta & sustentata sunt omnia verę religionis cœnobia, vt Thomas prædicat, Carthusiensium, Cistertiensium, Benedictinorum, & præcipuè Canonicorum D. Augustini: quos quasi bis canonem seruantes, iterato vocabulo, Regulares vocant. Nostra autem tempestate, vt ipse vidi, quam plurimiè domo Gandauensi ingressi sunt cœnobia Minoritarum, regulam sancti Francisci obseruantium, & Prædicatorum, & Carmelitarum, qui duo illic antiquas & meritò laudatas habent congregationes. Nam à pueritia mea vidi eos in ordinis sui obseruatione & sanctitatis splendore suauissimum ad populi ædificationem odorem Christo offerentes. Sed

 audia-

audiamus Malleolum, ita de se capite primo ac de discipulis Florentij disserentem.

CAPVT X.

De Thomæ Malleoli ad dictos fratres appulsu, & apud eos ædificatione.

1. CVm igitur studij causa in annis adolescētiæ Dauentriam peruenissem, quæsiui iter pergendi ad regulares in Wyndesem. Ibique inuentis Fratribus canonicis regularibus cum germano meo, hortatu illius inductus sum adire summæ reuerentiæ virum, M. Florentium, Dauentriensis ecclesiæ vicarium sacerdotemq; deuotum: cuius fama dulcissima ad partes superiores iam ascenderat, & in amorem sui mentem meam traxerat: quem frequens turba scholarium, in diuinis rebus agentem, commendare solebat. Visu enim & auditu iustus erat, atque omnium oculis gratiosus: vtpote verus Dei cultor, & sanctæ matris ecclesiæ deuotissimus venerator.

2. Venientem ergo ad præsentiam Patris reuerendi, mox pietate motus, aliquantisper me secum in domo tenuit, & ad scholas instituit, datis insuper libris, quibus me egere putauit. Demum hospitium, cum quadam honesta & deuota matrona, gratis impetrauit; quæ mihi & alijs multis clericis sæpius bene fecit. Adiunctus itaque tam deuoto viro & fratribus eius, quotidie deuotam eorum conuersationem attendi & inspexi: & gauisus sum ac delectatus in bonis moribus eorum, & in verbis gratiæ, quæ de ore humilium procedebant. Quia nunquam prius tales homines tam deuotos & feruentes in charitate Dei & proximi, me vidisse memini: qui inter seculares viuentes, de seculari vita nihil habebant, nihilque de terrenis negotijs curare videbantur. Nam domi quietè manentes, libris scribendis operam solicitè dabant: sacris lectionibus & deuotis meditationibus frequenter insistentes, ad iaculatas orationes laboris tempore pro solamine recurrebant. Manè etiam dictis matutinis horis ecclesiam visitabant; & inter Missarum celebrationem, primitias oris sui & cordis suspiria Deo libantes, puras manus & oculos mentis, corpore prostrati, leuabant ad cælum; precibus & lamentis, Deum sibi per hostiam salutarem reconciliari quærentes.

3. Huius eximiæ congregationis primus institutor & spiritualis Rector extitit Dominus ac M. Florentius, virtutibus ornatus, & diuina sapientia in agnitione Christi refertus: sacræ apostolicæ vitæ, cum suis presbyteris & clericis, formam humiliter imitando. Isti ergo, cor vnum & animam vnam in Deo habentes, singuli quæ sua erant in commune conferebant; & simplicem victum ac vestitum accipientes, de crastino cogitare vitabant. Sponte nam-

hamque se Deo dicantes, omnes rectori suo aut eius vicario obedire satagebant: & sanctam obedientiam pro summa regula tenentes, totis viribus se ipsos vincere, & passionibus resistere, ac motus propriæ voluntatis frangere nitebantur: rogantes insuper feruenter, vt pro defectibus & negligentijs suis seriosè corriperentur. Idcirco gratia magna & vera deuotio erat in eis, & multos ædificabant verbis & exemplis: atque patienter derisiones secularium ferentes, plures etiam ad seculi contemptum perducebant. Et qui antea illos despexerant, vitam eorum sine honore tanquam stultitiam existimantes, postea ad Deum conuersi, & deuotionis gratiam experti, veros Dei seruos & amicos, palàm illos conscientia perurgente, fatebantur.

4. Multi ergo viri ac mulieres, mundana felicitate contempta, conuersi sunt ad Dominum: & consilijs dilecti patris domini Florentij innitentes, præcepta dominica seruare, & misericordiæ opera Christiana deuotione in pauperes exercere studuerunt. Adiuuabant autem eum omnes fratres sui, verbum vitæ retinentes; qui tanquam luminaria cæli in medio turbarum lucebant mundo senescenti. Quidam etiam sacerdotes, scientia diuinæ legis illustrati, strenuè in ecclesia prædicabant: quorum ex prædicatione fideles populi, in actibus pijs exercendis & sermonibus sacris audiendis, salubriter sunt instructi. Hæc ille.

5. Et in vita Arnoldi, quæ habetur capite decimo quarto, dicit sic: Eodem tempore, adiuuante D. Florentio & consulente, domũ illam (scilicet pauperum studentium) inhabitare cœpi: & ferè per annum in congregatione illa cum Arnoldo permansi, simul vna camerula vnoque lecto ambo contenti. Ibi quippe didici scribere & sacram scripturam legere, & quę ad mores spectant, deuotosque tractatus audire. Ad seculi quoque contemptum fortiùs animabat, maximè dulci conuersatione fratrum, & pia admonitione Arnoldi, quotidie adiutus & instructus. Quicquid tunc scribendo lucrari potui, in sumptus communes tradidi: & quod mihi defuit, larga pietas dilecti domini mei Florentij pro me persoluit, & paternè in omnibus subuenit. Hæc & his similia in pluribus locis Thomas noster: quæ vt ab eo scripta sunt, ideo sic reposui, vt ipsius testimonio probem, quod assumpsi; summi beneficij loco deputasse, quòd inter sanctos contigisset versari, & à talibus institui. Nunc paucis absoluamus reliqua.

CAPVT XI.

De animatione Thomæ nostri ad religionem Canonicam Diui Augustini.

1. VOdam igitur die festo, peractis iã ritè diuinis, cùm Florentius alumnum suum Malleolum solito alacriorem adnotasset, vocatum ad se in cubiculum sic affarri instituit: Thoma fili in Domino charissime, tempus appetit, quo constituendum est tibi genus vitæ, qui & qualis & in quo genere esse velis. Iam enim ad Pythagoricæ literæ biuium accedis. Vides, quot in mundo sint ęrumnæ, quot laquei, quot pericula & mala difficulter euitabilia. Et si fortè quippiam in eo dulce aut delectabile visum, quod dulce est, quàm citissimè præterit: at quæ id ipsum sequitur pœnitentia, æternum manet. Sæpe item & nobis & fratribus nostris admonentibus audiuisti, de omni cogitato, dicto, & facto, seueriss imo & infallibili iudici Christo rationem esse reddẽdam. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gesit, siue bonum, siue malum.

2. Statutum itaque est omnibus mori, & nescimus quando. Tot enim nobis fata impendent, vt verè dictum sit:

Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.

Horat. l. 4. Carmin. Ode 7.

Nam, vt cecinit alter:

Quis scit, an adijciant hodiernæ crastinæ vitæ
Tempora dij superi?

At vbi ceciderit, caue speres amplius salutarem tibi dari pœnitentiam. Iurauit enim Angelus per viuentem in seculorum secula, quòd tempus non erit amplius. Iuxta quod scriptum est: Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quemcumque locum ceciderit, illic erit. Neque id difficile creditu, quando nec è cælo deinceps vllius erit detrusio, nec ab inferno redemptio: & necesse est, vt tandem ad alterutrum, semper ibidem permansuri, traducamur. Vę autem, & æternum væ ijs, qui ad infernum: Quia qui minimis (cùm nulla sint parua) illic vrgebitur tormentis, grauiora geret, quàm si ipse vnus à mundi constitutione vsque ad eiusdem consummationem omnes omnium viuentium cruciatus tulerit.

3. Quamobrem clementissimus animarum nostrarum redemptor & zelator optimus: Quid, inquit, prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ patiatur detrimentum? Aut

quam

quam dabit homo commutationem pro anima sua? Ideoque sæpe nos monuit, vt semper vigilemus, quia non scimus diem neque horam. Quod ex abundantia miserationum suarum effecit, ne si horam sciremus, tardaremus ad eum conuerti. Conuertamur ergo ad eum, dum tempus habemus, ex corde nostro: & beati, qui à teneris annis. Bonum enim est viro, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, & illi de se holocaustum fecerit, totumq; incenderit caput cum cauda: ne florem ætatis mundo, carni, & dæmonijs impartitus, inualidã caudam Deo excipiat.

4. Est autem, vt sæpe accepisti, via duplex ad salutem ducens: actiua altera, quæ est Christum per bona opera demerentium: altera contemplatiuorum, ad Christi pedes cum Maria sedentium, quorum & Deo acceptior, & ipsis vtilior est prouincia. Siquidem Domino definiente, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vtramuis autem delegeris, tutiùs & rectiùs eam in claustro quàm in mundo gesseris. Totus enim mundus in maligno positus est, plenus (vt Antonio visus est) laqueorum, & diuitiarum spinis obsitus: Vsque adeò, vt facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem cælos ingredi. Neque credas claustrales otio languere: magnum enim opus est, assiduò Deum orare & laudare, frequenter ieiunare, corpus in seruitutem redigere, vigilare, somnum interrumpere, & suis horis se etiam operibus manuum exercere: propterea ne putes eos actiuæ vitæ mercede fraudari. Sunt enim veluti infirmi ad sarcinas relicti, qui si pro certantibus & strenuè agentibus orauerint, æqua erit pars ascendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident: quæ lex à Dauide magno constituta, in æternam diem seruabitur.

5. Audiens itaque sis Domino dicenti: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* Neque dicas: Nihil Pater, quod vendam, habeo. Nam teipsum habes, corpus habes, voluntatem habes; hæc offer Domino, & regni cælorum mercedem reponet: quamquam ipsius sunt omnia, nec vno tantum nomine. Nam si, vt verissimè mellifluus inquit Bernardus, ipsi debemus nos & nostra omnia creationis nomine: quid redemptionis tam copiosæ, vt ne gutta quidem in eo maneret sanguinis? Quid amoris in nos tam immensi, vt animã suam pro inimicis per mortem crucis poneret? Quid liberalitatis tantæ, vt pro suis & sibi debitis ægrè repositis, hic centuplum restituat, & vitam nihilominus æternam conferat? Neque dubito, quin beneuolo, grato & memor sis, in tam optimè de nobis meritum animo: sæpe enim perspexi in te pietatis indicia.

6. Sed forsan scisciteberis, quam potissimùm commendem religiosorum formulam, sunt enim plurimæ, & omnes bonę. Sed ijs, qui à nobis sunt instituti, ea videtur optima, quam optimus Pater noster Gerardus Magnus, in ea sępe conuersatus, nobis moriens reliquit commendatissimam, Canonicorum videlicet, sub canone diui patris Augustini viuentium: quorum, vt nosti, duo nuper ereximus collegia. Ad hæc optimus adolescens Thomas vix raris vocibus hiscere tandem potuit: Quod multis votis plusculos iam dies optaui pater, etiam sperandi ansam præbes. Quandoquidem enim in Windeshem germanum habeo, vtinam faxit charitas tua, vt in monte D. Agnetis, locum inter condiscipulos charissimos inueniam. Tentabo, inquit: & postridie dedit illi ad cœnobij primarium literas.

CAPVT XII.

De ingressu Thomæ in domum religiosam, & de reliqua vita eius in eadem.

1. Acceptis itaque literis, optimus adolescens ad dictum cœnobiũ aduolauit, more apostolico ad primam vocationẽ Dominum sequutus, ne fortè illud audiret: Vocaui, & renuisti. Aut illud: Vocabis tu me in orationibus, sed non exaudiam te, quia renuisti vocem meam audire. Quasi sibi dictum putaret à Poeta: *Tolle moras, nocuit semper differre paratis*. Aut à Propheta: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Quod quia Iudæi fecerunt, & Christum non receperunt, nouit quam pessimè cum eis actum.

Lucanus lib. 2.

2. Primarius autem lectis literis, ingenti gaudio est intus quidem affectus, quia & puerum nouit, & sciuit neminem à Florentio commendari temere; vultu tamen seueriore, ad bonum pueri ad pedes prostrati, Periculum, inquit, faciam in literis, moribus, valetudine tua, an onera nostra nobiscum perferre valeas: dataque manu, ad reliquos nouitios produxit. At quamuis in omnibus morigerum, & ad religionem aptissimum comperit: illius tamen professionem sexennium totum distulit, siue quòd tunc cauebant quemquam adhuc rerum imperitum ad ignotarum rerum vota astringere: siue quòd è re adolescentis existimabat, ipsum prius per omnia probare.

3. Admissus ergo ad tantum ordinem, agnouit quartum illud (quod suprà tetigimus) Dei in se beneficium, de quo in Soliloquij fine, tractans illud apostolicum: Vide vocationem vestram, &c. sic meminit: In me hæc considero, qui contemptibilis & inutilis

huic

huic mundo, tua sancta vocatione ereptus sum de ipsius naufragio; & ad seruiendum tibi etiam tuo merui sociari collegio. At ne retrorsum iterum abirem, voto me sponte astrinxi. Quod vtique non meis meritis, sed tuæ deputo prouidentiæ, de quo te magnificè laudo, &c.

4. In sodalitium igitur sanctissimum admissus, omnes repleuit religionis numeros; sic comis, sic affabilis omnibus, vt omnium suffragio suppræfacturæ seu supprioratui, licèt renitens, præficeretur. Verùm, quia propensum ad eleemosynas viderunt, procuratorem rerum communium constituerunt, quam prouinciam diligenter quidem obiuit. Sed quia à meditationibus sanctis, & à componendis optimis libris, quos in manibus habemus, auocabatur, supprioratui restitutus est. Sæpe autem dum colloquendi & familiarius cum sodalibus conuersandi commeatum habebat, persensit intus se alloquentem Dominum; atque honestissimè petita discedendi venia, Abeundum (inquit) mihi fatres est; nam est, qui cum in cella colloquendum est. Quam rem illi ex sanctitatis eius opinione agnoscentes, faciles annuerunt. Quin etiam signa quędam, quæ tacito nomine ad incerti preces facta recitat, ipsius precibus ostensa creduntur: vt illud de fugatione dæmonis, per inuocationem sanctissimorum nominum IESV & MARIAE: de libri perditi in cella receptione, atque alia plusscula.

5. Vixit autem in sanctissima religione, à prima admissione vsque ad diem transitus, annos vnum & septuaginta: atque ita (vt colligere licèt) grandi ætate præditus. Nam dicit se in adolescentia Dauentriam venisse, & septennium sub Florentio stetisse. Quocirca si duodecim annorum Dauentriam est appulsus, nouem decim est in cœnobium admissus, & vigesimo quinto professus. Atque ita nonagenarius ad superos migrauit anno salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo primo. Quem calculum Spanhemensis non recipit, qui anno millesimo quadringentesimo & decimo floruisse dicit. Migrauit itaque plenus dierum & sanctitatis: cuius sanctissimę vitę & optimæ doctrinę, misericordiarum Pater nos ita faciat imitatores, vt simus & præmiorum consortes, Amen.

Ex libro, qui Speculum exemplorum vulgò dicitur.

Distinctione decima, §. 7.

1. IN monasterio regularium, prope Swollas, vulgari nomine Mons S. Agnetis nominato, erat quidam monachus, dictus Thomas à Kempis: quem nedum sanctissima vita religiosorum, verùm etiam deuotissima scripta reddiderunt famosum.

2. Is cùm iuuenis esset, & Dauentriæ scholas frequentaret, deuoti viri M. Florentij (qui congregationi, quæ illic est, nomen imposuit) regimini se subiecit: atque eam deuotionem, quam in proiectiori ætate copiosè abundeque scribens effudit, puer imbibit. Habuit enim deuotus puer, inter cætera pię deuotionis suę exercitia, etiam illam consuetudinem, vt dietim capta hora certas orationes atque suffragia de B. V. MARIA, quasi diurnam pensionem, exolueret: nam diligebat eam, & vehementi amore sibi iungebatur. Verùm quia instabilis & mutabunda est puerilis deuotio, cœpit & in eo laxioribus velis pia hæc consuetudo nauigare.

3. Pedetentim igitur solitas orationes atque suffragia, primò ad vnum diem, dehinc ad duos aut tres, demùm ad quatuor, tandem ad integram septimanam neglexit; & quod dolendum est, postremò vniuersa postposuit. Quod dum ageret, visum est sibi in visione nocturna, quasi staret in atrio prædicti M. Florentij: vbi, dum vnà cum alijs scholaribus, qui illuc confluebant ad audiendum diuinum verbum, auidas aures, ad ea quæ dicebantur, inclinaret; conspexit in nubibus cæli desuper venientem Dominam mundi; quæ dum facie decora & fulgenti habitu ad prædictum atrium descendisset, circuiuit fratres, qui illic verbum Dei audientibus loquebantur: Et nunc hunc aut illum amorosissimè complexata, gratias videbatur eis refundere, quòd tam pijs admonitionibus satagere viderentur, ne precium sanguinis dulcissimi filij sui in illis iuuenibus deperiret.

4. At adolescens hæc intuens, & videns virginem in mulieribus benedictam ruere in amplexus fratrum dictorum: ardens & æstuans, liquescens & sperans stabat, & in ipsam amorosum lumen firmius detorquens, inter semetipsum dicebat: Paululum expectabo: & cùm felix Virgo charitatis insignia cæteris sufficienter ostenderit, tunc etiam & mihi, qui eam etsi non digno, saltem possibili amore prosequutus sum, habebit amplexum charitatis

tatis offerre. Sed heu, quia sæpe in contrarium vadunt spes firmæ mortalium, iuuenis iste oſculum sperabat, dulce pignus amoris, sed verbum asperæ increpationis accepit. Siquidem Virgo beata, posteaquam singulos, qui pijs admonitionibus florentem confluentium scholarium ætatem ad meliora prouehebant, dulcibus amplexibus demulsisset: venit tandem ad prædictum adolescentem, & seuerioribus luminibus eum aspiciens. Frustra, inquit, amplexum petis sancti amoris, hostis acerbe; qui exosa amicitiæ negligentia malo cõsule fretus, debitam atque solitam mihi pensionem flammãtium precum non soluis. Siquidem, vbi nunc sunt consuetæ preces tuę? Quo solitæ orationes auolarũnt? Vbi mixta suspirijs pia suffragia? Nónne refriguit in te charitas, torpuit amor, deuotio quondam habita vacillauit? Et nunc tu, quasi nihil peccatum sit, stas; & audaci fronte amplexum manes, qui argui magis meruisti. Et indignabunda vultum auertens, abi (inquit) abi à me: quia amplexibus meis indignus censeberis, qui tam facilem precem amatæ soluere neglexisti. Atque sic iustis increpationibus laceratum relinquens, cælis refusa disparuit.

5. Cęterùm iuuenis post visionem euigilans discutit conscientiam, inuenit culpam, proponit emendam. Et, ne de cætero Virginis beatæ frustraretur amplexibus, neglecta dimissaque suffragia ita legenda rearripuit, vt vsque in finem vitæ suæ nullo ea die auserit postergare. O felix reprehensio, quæ correxit errorem: quæ amoris fœdera paululum dirupta resarcijt, quæ negligentiæ næuum excusit!

Ibidem, distinctione decima, § 8.

6. CVm quadam vice prædictum fratrem Thomam dæmon vellet deterrere, nocte in teterrima horrendaq; forma apparuit: quem cùm frater Thomas lecto appropinquare vidisset, intremuit primùm ad larualem intuitum; & quid contra tam horrendi hostis insidias auxilij sumeret, ignorauit. Tandem diuino spiritu instigatus, angelicam cœpit salutationem tremula voce (nam vehementer extimuit) quàm meliùs potuit personare. Sed diabolus, quasi nihil ad hanc salutationem motus, magis magisque trepido cœpit promixare: quousque monachus in salutatione prædicta eousque peruenisset, vt Dominus noster IESVS Christus amen acclamaret. Quod terrificum nomen vbi dæmon audiuit, quasi horrendo quodam tonitruo pauefactus, vultum vertit, & quàm citissimè potuit clamantis vocem aufugit. Videns igitur frater Thomas, ad tanti nominis virtutem dæmonem stare non posse, audaciùs caput pauidum erexit: & repetitis viribus benedictum nomen Iesus Christus post fugientem hostem inclama-

clamauit: & quo ipse clamabat fortiùs, eo vehementiùs teter spiritus fugiebat. Quod vbi cognouit religiosius vir, gratias agens Domino Deo, dixit apud se, Si hoc sanctissimo nomine tam facilè possum aduersæ potestatis vires infringere, de cætero nolo, vt hactenus feci, vel dæmonum machinamenta timere; vel sub eorum, quamuis horrendis minis, fide vacillante trepidare.

DE VITA THOMÆ MALLEOLI A KEMPIS,

FRANCISCO TOLENSI CANONICO REGVLARI AVTHORE.

Loquitur de Imitatione Christi.

OPERAE precium facturum me existimaui, si illa, quę de huius libelli parente, viro pietate & morum puritate maximo, partim ex priscorum monumentis, partim ex relictis & definita habeo, ad cunctorum notionem proferam. Dandum hoc pietati, qua ab omnibus maximi fit, versaturque in manibus piè eruditorum plurimis: tum etiam huius domus (cui etiam is vita incolumi prę-

In monte S. Agnetis prope Svvollam.

fuit) charitati, quæ illi & popularem me & fratrem effecit. Neq; enim mihi fore integrum putabam, sine scelere & conscientiæ labe silentio suppressa prę terire, vel quæ ad nominis eius sanè perillustris, & laudatissimorum scriptorum: vel ad huius decantatæ quondam domus ampliorem commendationem factura videbam. Spes etiam est nonnullos exstimulandos ijs ad pietatem, rerumque mundanarum contemptionem.

2. Natus est vir integerrimus Thomas noster à Kempis (quod esse Menapiorum ignobile oppidulum dicitur) parentibus obscuris quidem si mundi fastum geniumque cum deprauatis spectes opinionibus: sed honestis, & pietate vitæque probitate apud

Deum

Deum haud dubiè magnis: ipse sua virtute maior & illustrior longè futurus. Natus est autem anno virginei partus trecentesimo octogesimo post millesimum: Romani Imperii gubernacula moderante Wenceslao Cæsare, qui Carolo laudato patri iners & illaudatus successit filius. Quòd modicos sit sortitus parentes, minoris haud debet haberi. Neque enim ille aut nobilis aut magnus protinus censetur, vt fuerit claro loco parentibus ortus.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto; ait ille: Ouidius l. 13. Metamorph.

Et Seneca teste, auctore cum primis graui: A magnis ortum esse haud magni ducendum: scilicet magnum esse, reuera magnum & arduum censeri.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus. Iuuenalis. Satyra 8.

Hac quisquis emergit, acceptumque sanguinis & familiæ decus clariùs illustrat: aut etiam splendore vitæ perstringit & obscurat, ille suo clarus merito & nobilis habendus. Pulchrè à quodam dictum:

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

3. Puer, vt primùm per ætatem licuit, Dauentriã (quæ est Transisulanæ regionis metropolis, vbi tum aliquanto hac tempestate vberiùs florebant optimarum artium studia) missus est, colendi elimandique ingenij ergò. Quantos ibi pauculis annis fecerit in studijs progessus, argumento sunt tot ab ipso conscripta religionis vndique satis laudata volumina. Stylus licèt simplex minimè bracteatus sit, tamen dilucidus & apertus est: vt nusquam rerum verborumque inopia hæreat, nusquam molestè perplexeque loquatur. Quæ animo parturiebat, sentiebat, probabat, sermonis pauperie haud vsquam coactus fuit supprimere, scilicet liquidè clareque sua exprimit omnia sensa.

4. Dauentriæ agens, dum totus in hoc incumbit, vt parentum adeò non eludat, scilicet certiore fruge vincat expectationem, bonæ indolis magnæque spei adolescens: paulatim irrepsit in illustrium pietate & probitate virorum familiaritatem: qui eo tempore ob religionem, vitæ innocentiam, ac morum synceritatem, ab omnibus suspiciebantur, ferebantur in cælum concordi omnium voce amplissima dignitate dignissimi. Hi inter alios erant, D. Gerardus, ob præclaras animi dotes dictus Magnus, aliquot cænobiorum constructor, collapsæque religionis & disciplinæ restaurator. Hoc præceptore dignus, aut etiam maior discipubus D. Florentius, id temporis Dauentracensis Ecclesiæ Vicarius: qui sua pietate & industria, huic nostræ Montanæ domui satis

tis laudis & gloriæ, sibi verò memoriam peperêre sempiternam. Vt duo perillustria luminaria, illi ea tempestate diu noctuque lucebant, populumque ad vitę resipiscentiam seriò adhortabantur. Vterque rara eruditione & facundia, in habendis è sublimi templi loco concionibus exercitatissimus: quorum vitam Thomas, pòst duobus voluminibus prosequutus, æternitati consecrauit: hoc illorum pijs manibus, & in se haud fictæ beneuolentię tribuens. Horum lectio magnos aculeos ac stimulos lectorum mentibus creat: vt longè ad religionem & colendam pietatem accedant inflammatiores.

Tomo 3. habentur.

5. His ille Heroibus sedulò adhæsit, vitam, mores, colloquutiones, acta imbibens, cordi insculpsit: & ad normam vitæ rectè instituendæ transferens, postea in opera conuertit. Horum cura & opibus subleuatus, commodiùs in artium bonarum studijs perstitit: hoc nocte dieque conatus, vt Ægypti velut exoticis diuitijs collocupletatus, illas magna fruge postea in diuini templi ornatum conuerteret, hoc pacto dum literis addiscendis summam nauat industriam, duos illos Mœcenates suscipere cessat numquam: scilicet exempla vitæ quàm proximè tum æmulari, monitis salutaribus acquiescere, auctoritati parêre, obsequi iussis studebat, verbaque satagebat in exemplum trahere. Iam tum vilescere illi vniuersitas hæc rerum caducarum, opes, delitiæ, voluptates, illecebræ, seculi ludibria cœpêre. Nihil ille pendere omnia illa, quæ miseri mortales tantopere demirantur, exoscultantur, amplexantur; & pro his adipiscendis, tanto studio, tot laboribus, vitæ discriminibus, terra marique inuigilant. Nullo ille iam delectari impensiùs, nisi vno fonte omnium bonorum Deo.

6. Hæc ille commoda ex virorum illorum quotidiano congressu & familiaritate metebat. Vt vel hinc liqueat, quantum cõferat ad vitam bene beateque agendam conuersatio virorum. Quàm sit fructuosum inuenili ætati, præstantium virtute hominum semper adhærere lateri. Qualia ad pietatem subsidia adscisamus, dum cum integris & pijs assiduè viuimus. Sic enim Sapiens: *Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timore Dei.* Corrumpunt enim bonos mores colloquutiones malæ: cùm fieri nequit, vt qui tangit picem, non inquinetur illa. Hinc aptè Ambrosius Tullium imitatus: Plurimum prodest vnicuique bonis adiungi. Adolescentibus etiam vtile, vt claros & sapientes viros sequantur. Quoniam qui congreditur sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Ad institutionem itaque bonis iungi plurimum profuit, & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescen-

Eccli. 37. 1. *Cor.* 15.

Eccle. 12. Amb li. 2. offic. c. 20.

tes

tes eorum se imitatores esse, quibus adhæserint. Et ea conualescit plerumque opinio, quòd ab his acceperint viuendi similitudinem, cum quibus hauserint conuersandi cupiditatem. Inde tantus IESVS Naue, quòd eum non solùm erudiuit ad scientiam legis Moysis copula, verùm etiam sanctificauit ad gratiam. Vnde factum etiam, vt qui fuerat socius conuersationis, fieret successor potestatis.

7. Hac ratione, dum probè institutum, probiùs etiam & integriùs decurrit vitam, factum est, vt D. Florentij (qui nostrum Thomam filij loco habebat, iuuenisque animum & desiderium ad cœlestia flagrantissimum perspectum tenebat) opera & attestatione, accuratissimè & amicissimè commendaretur eius germano Fratri, qui tum temporis præerat monasterio recentiùs condito, cui nomen Mons diuæ Agnetis, quod habebat D. Augustini ordinis Canonicos, quos vocant Regulares. Est autem hoc non procul à Suuolla nobili nunc ciuitate situm: sed aliquanto vt editiore sic longè saluberrimo & amœnissimo loco, quam ipsa ciuitas. Exstructum est autem in dorso non ignobilis fluuij Vechete, qui maximam delicatissimorum piscium copiam singulis penè diebus suppeditat Montanæ domus ciuibus: non hac dumtaxat commoditate opportuniùs illis perquam vtilis. Domus ea tempestate obscura, paucissimis nota, raro colebatur ciue ferè, vt sunt rerum omnium exordia humilia. Non refugit tanti viri vel authoritatem vel consilium sequi iuuenis Thomas: qui vbi in montem diuæ Agneti sacrum venit, susceptus est, vel in gratiam D. Florentij obuiis (quod dicitur) vlnis, habitusque humanissimè. Vt vidit, beneque perspexit, extemplo probauit locum velut à præpotente Deo paratum: in quem tutissimum & tranquillissimum portum vitæ & fortunæ, omnia præsidia & ornamenta conferret. Ingressus tum erat annum vigesimum.

8. Non tamen, quod plerique solent, è vestigio præcipitauit se in hoc vitæ genus, ignarus quid ferre velint nolintque lacerti. Est enim examussim considerandum, diuque perpendendum, de quo semel tantùm est statuendum. Quinque igitur annos tyro & Religionis candidatus exegit, sexto sacrum habitum induit, sequenti professionem fecit, sacroque voto emisso, se illi vitæ generi addictum obstrinxit. In quo magna cum laude & gloria, suæque domus immenso commodo, perstitit annos sexaginta-quinque, donec Deo euocante illum è corporis testaceo hospitio, spiritum cælo reddidit, nominis relicta in terris memoria: anno ætatis suæ nonagesimo secundo, partæ verò per Christum salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, octauo Calendas Augusti.

9. Ca-

9. Calamo autem persequi velle exactè, & ad posteritatem transmittere omnem vitæ cursum, qua in Deum pietate, in fratres flagrauerit charitate & beneuolentia: qua animi submissione & sedulitate suis seruierit: quibus operis concessum vitæ tempus decurrerit, adeò non esset nostrarum virium, vt fuerit potius hominis otio suo intemperanter abutentis. Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset, pluraque cum linguis pluribus ora forent: non tamen idcirco complecterer omnia verbis, materia vires exuperante meas. Consultius puto prudenti illa præterire silentio, & hanc spartam alij colendam tradere: quàm imbecillitate virium & ingenij pauperie, res per se laudatissimas deterere & obscurare. Quid, quòd nulli, qui cum Thoma ætatem agitauerunt, curæ fuit, eius vitam præclaram sanè & diuinam memoriæ prodere: vt hac ratione habere possimus, quæ proferamus certà? Nam è medio laudum materiem sumere, vel à Rhetoribus mutuari, non est nobis visum necessum. Hoc certi & explorati habemus, semel illum Oeconomiam administrasse ætate adhuc florente, bis Suppriorem egisse. Nec hoc nobis dubium, statura illum corporis fuisse infra mediocritatem, forma verò conuenienti, colore in vultu viuido, sed fusco, acie oculorum perspicacissima, vt numquam vel capulo proximus sit vsus conspicillo. Otio, vti rei pestilentissimæ omniumque malorum fonti, nunquam indulsit. Temporis illum summam habuisse rationem, vt rei pretiosissimæ reique irrecuperabilis, tot ab illo elaborata partim, partim in communem vsum sua manu conscripta volumina arguunt. Multum enim scriptione pollebat. Supersunt adhuc vniuersa Biblia, in quatuor tomos dispertita: præterea ingens liber: quo Sacerdotes in sacris vtimur; tum aliquot Diui Bernardi opuscula, præcellenti arte & magna industria à Thoma conscripta.

10. Cæterùm, quia nonnulli Gersonico nomini nimium addicti, quatuor de Imitando Christo libros Ioanni Gersoni vindicare conati sunt, summam nostro Thomæ iniuriam facientes. Supersunt etiam nunc hi ipsi libri auctoris manu scripti, qui satis arguunt à Gersone numquam lectos, multo minùs profectos. Erat autem illi familiare, concubia nocte à matutinis laudibus componere & libros scribere, se geniumque defraudans, læsa etiam corporis valetudine, quo de omnibus pietatem colentibus optimè mereretur. Eius sermo omnis de Deo & sacra Scriptura. Rogatus ex tempore in quorundam commodum, nunquam abnuit declamitare. Quod tamen non fecit, nisi aliquo ad meditandum capto tempore, aut degustato paululum somno. Complures sæpenumero ex vrbibus locisque remotiori-

motioribus, quos fama exciuerat, eius audiendi cupidi huc confluxere.

11. In oratorio & Ecclesiasticis muneribus dictu difficile, quàm diuinè præsentique omnia animo obierit. Dum psalleret, vultu semper in cælum sublato, sacro enthusiasmo afflatus, dulcedine nimirum psalmorum incredibili captus & extra se raptus, aduertebatur: Sic vt nunquam calcibus non terræ hæreret infixus, scilicet summis dumtaxat pedum digitis solum contingens, reliquo corpore in cælum subuolare, vbi animo & desiderio agebat, meditaretur. In psallendo, erecto corpore consistebat perpetuò; nunquam sedili, vel brachio, vel tergo innitens. Ingredientium oratorium nocte dieque primus, egredientium semper postremus. Diuinus cultus & Ecclesiasticum decus incredibiliter cordi & studio illi erat. Adeò vt semel cuidam dicenti, videri sibi felicem Thomam, nec admiratione dignum magnopere, tanta vocis alacritate, animi promptitudine & pietate, quòd Psalmos decantaret: vt cui psalmi Dauidici salmones (genus est piscium delicatissimum) saperent, incunctanter responderet, ita est, (vt ais) Deo gratiæ, Psalmi mihi salmones: qui tamen non rarò in nauseam & mortem, quoties ignauos rei præsenti non intentos, & voci parcentes conspicio, conuertuntur. Hoc in illo demirabantur, quòd præter diuina, fluxa omnia velut ad se nihil pertinentia adeò despiceret, vt illorum appellationes vsumque addiscere grauaretur. In corona grauium virorum, si ipso præsente forensia aut mundana agitarentur, velut mutus ac elinguis sedebat: nec respondebat, ne rogatus quidem, nisi insigni alicuius rei commoditate illectus; quasi ignarus rerum, de quibus commentabantur, omnium. Porrò si de Deo rebusque cœlestibus haberetur sermo, mox postulatus sententiam, velut limpidissimus fons, perpetuis verborum riuulis scaturiens loquebatur, aut potius profluebat.

Id est, inspiratione diuina.

12. Habebat pro more certis in septimana diebus se flagro affligere, cantillando Hymnum illum: Stetit IESVS. Ostenditur adhuc eius effigies, sed admodum deformata pæneque obliterata, cum hoc insigni symbolo, IN OMNIBVS REQVIEM QVAESIVI, SED NON INVENI, NISI IN HOEXKINS ENDE BOEXKINS. Hoc est, in abditis recessibus & libellulis. Et hæc ferè sunt, quæ veterum scriptis eruta, explorata & certa de Thoma habemus. Testantur illi, qui hæc paucula chartis mandarunt, eius tolerantiam in rebus aduersis lætè ferendis, patientiam in hominum vitijs non solùm æqualiter tolerandis, sed & benignè

benignè excusandis. In omni vita sobrietatem, pudicitiam, verecundiam, studium, & sedulitatem: in prouehendis fratrum & communis domus commodis: in diuinis rebus & procurandis illis, quæ honestati & decoro templi nonnihil ornatus & splendoris adiungerent: assiduitatem in precibus, flagrantiam & frequentem lachrymarum profusionem, calamo persequi velle, tam esse arduum, quàm est, quod comprehendi numero non potest, numerare velle.

13. Quę cùm ita se habeant, quales nobis viri huius vita ad pietatem aculeos creare, & ad imitationem hortamenta afferre debeat meritò, quis non aduertit. Quapropter in hanc curam incumbendum gnauiter, vt his vestigijs insistentes, illum proximè æmulari contendamus: verba, actiones, mores, virtutes, in exemplum assumamus. Carne prius brutisque affectibus maceratione corporis edomitis, & spiritui subiectis, ad cælestia toti anhelemus. Illic & vota & desideria figamus, quæ æterna sunt quærentes, sapiamus. Aliàs, si nec Dei verbo nec piorum hominum dictis & factis commouemur ad resipiscentiam, inflammamur ad imitationem; haud dubiè in extremo die remissius erit Sodomæ & Gomorrhæ populo, Tyrijs & Sidonijs, quàm nobis. Si apud illos patratæ fuissent virtutes: si ipsis nota & credita fuissent, quę sunt nobis persuasissima, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, inspiret nobis se & nostræ professione dignam mentem, vt quod reliquum erit temporis, ad suum honorem ampliandum, & nostram ipsorum salutem prouehendam absumamus: quò tandem eius gratia & pietate subuehamur in cælum: illic perpetuò laudes & hymnos, cum reliquis omnibus cęlitibus, illi dicturi.

FINIS.

Istud postremum breuiter ipse Thomas attigit tacito nomine, parte 3. sermonum ad Nouit. sermone secundo, exemplo penultimo.

Author, qui distinctionem decimam Speculi exemplorum composuit, (tacito ex humilitate nomine) de iis quæ huic distinctioni inseruit, hunc in modum in principio præfatus est: Incipit decima & vltima distinctio Speculi exemplorum, in qua habentur exempla, quæ aut verissima relatione didici, aut libris Teutonicis scripta inueni, vel ipse facta cognoui.

VENE-

VEN. VIRI

THOMÆ MALLEOLI

A KEMPIS,

CANONICI

REGVLARIS

ORDINIS D. AVGVSTINI.

Tomus Primus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROLOGVS
IN SERMONES
AD NOVITIOS
REGVLARES.

Dilectis in Christo fratribus, Innocentio, Simpliciano, ac cæteris Crucifixi discipulis, sacræ Religionis disciplinam diligentibus: Frater peregrinus, in valle lachrymarum degens, orationum vestrarum iuuamina humiliter petens:

Pax Christi in cordibus vestris abundet, & patientia multiplex vobis & mihi in cruce Christi cõdonetur.

SERMONES, *quos per modum dulcis collationis, pro Nouitijs nostris, diuersis quidem temporibus, in vnum collegi, vobis in charitate communicare pium censui, iustúmque existimaui. Quamuis igitur incultus sit sermo, & materia non ardua: tamen simplicibus placere cupiens, quod Dominus inspirauit & dedit, libenter pijs & deuotis offero ad legendum. Quod si fortè indiscretus sermo quempiam offenderit, peto, vt venia concedatur exiguo, atque in melius reformetur, quod absurdum foris sonare videtur. Et quia exempla sæpe plus mouent audientes quàm sola verba, idcirco more B. Gregorij instructus, in pleriſque locis post finem sermonis, pro maiori assertione exẽpla quædam (sicut memoriæ occurrebant) breuiter annotaui. Gratanter Fratres accipite, quæ vobis sicut dilectis amicis offero. Oretis, vt sint omnia ad honorem Dei & multorum profectum.*

Sciendum est quòd iste liber continet triginta sermones, & habet tres partes.

Pars prima continet IX. sermones, ad designandam IX. ordines Angelorum.

Secunda pars autem continet X. sermones, ad designandum Decalogum legis, secundùm numerum X. præceptorum.

Tertia pars verò continet XI. sermones, ad designandum statum Religiosorum, in renunciatione seculi, & baiulatione crucis, secundùm consilium nostri Saluatoris dicentis: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

SERMONES PARTIS PRIMÆ.

DE concordia Fratrum, & melodia diuinæ laudis. Sermo 1.
De laude bonæ congregationis. 2
De verbis & consilijs seniorum humiliter audiendis. 3
De bonis colloquijs inuicem habendis. 4
De patientia conseruanda inter desides & peruersos. 5
De vigilijs nocturnis, contra impugnationem soporis. 6
De custodia oris, & diligentia operis, cum obedientia superioris. 7
De vana gloria cauenda: & quòd soli Deo laus est exhibenda. 8
De periculo multorum malorum, ex multiloquio verborum. 9

SERMONES PARTIS SECVNDÆ.

DE multis tribulationibus iustorum, pro regno cœlorum. Sermo 1.
De quotidiano martyrio & bello in statu Religionis. 2
De sapientia Confessorum, & continentia Religiosorum. 3
De cauta custodia cordis, & gratia interna deuotionis. 4
De constantia & perseuerantia in statu Religionis. 5
De cauta custodia iuuenum contra multas tentationes. 6
De stricto Dei iudicio, vbi accusabunt nos omnes creaturæ. 7
De vana gloria vitanda, & humili obedientia sectanda. 8
De spirituali militia contra vitia. 9
De varijs bellis & periculis huius vitæ. 10

SERMONES PARTIS TERTIÆ.

DE Cruce quotidie tollenda, in Religione assumpta. Sermo 1.
De veneratione & commemoratione beatæ Mariæ Virginis. 2
De laude dulcissimi nominis IESV, & dulcissimæ matris eius Mariæ. 3
De deuoto seruitio beatæ Virginis, & recordatione nominis eius. 4
De dolore & consolatione beatæ Mariæ Virginis. 5
De excellentia meritorum, & priuilegijs B. Mariæ Virginis. 6
De tribus speciosis vestibus beatissimæ Agnetis virginis. 7
De aurea corona in capite sanctissimæ Agnetis virginis. 8
De dedicatione Ecclesiæ. De quinque luminaribus templi. 9
De ornamentis & moribus ministrorum in templo Dei. 10
De quatuor conditionibus, ad ædificationem & decorem domus Dei pertinentibus. 11

PRIMA

PRIMA PARS SERMONVM AD NOVITIOS.

SERMO PRIMVS.

De concordia Fratrum, & melodia diuinæ laudis.

1. ECCE *quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Dauid sanctus, & verè Propheta magnus coram Domino, repletus Spiritu sancto, multos edidit Psalmos; quosdam pro auxilij postulatione, in tribulatione; quosdam pro gratiarum actione, de hostium liberatione: sed rarò vel nusquam tam bonam & iucundam edidit symphoniam, sicut in hoc breui cantico graduum declarauit, dicens: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Omnes enim bonum naturaliter appetunt, & iucunditatem; malum verò & tristitiam refugiunt, tanquam hominis infelicitatem. Igitur de fraterna charitate & vnanimitate loqui gestiens, tacitis aliis bonis præsentibus, specialiter deuotioni fratrũ congaudebat; sumptoque psalterio iucundo cum cithara, in domo Domini præcinebat, dicens: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Verè fratres, nulla maior exstat iucunditas in monasterio religiosorum, & congregatione fratrum ac sororum; quàm vnanimitas animorum, & concordia morum, cum obseruantia regulæ & statutorum, secundùm decreta prælatorum, & monita seniorum. Sed hanc sanctam ac Deo placitam fratrum concordiã diabolus omnium bonorum inimicus, oppugnare & infringere non desistit: variis modis die ac nocte insidias parans, ad decipiendum animas desides & vagas: Et nunc quidẽ apertè, per locutiones vanas conturbat; nunc occultè per suggestiones turpes tentat & inquietat; quatenus nouum Christi militem à sancto proposito reuocet, aut antiquum discipulum in desidiam trahat, aut debilem in murmurationem trudat, aut passionatum in pertinacia stringat. Sed contra hos dolos & terrores Satanæ, certat ac triumphat vnanimis conuentus fratrum multorum; qui nocturnis vigiliis incubant, diurnis laboribus insudant, sacris lectionibus intendunt; deuotis precibus & psalmorum melodiis insisten-

Psal. 132.

Ibidem.

Ibidem.

Diabolũ viri pij quomodo exerceant & fugent.

insistendo, Deo iubilant; & quasi cælestibus tubis pariter insonando, diabolum persequuntur. Vehemẽter enim eum affligunt, cùm ieiunant; verberant, cùm disciplinam recipiunt; calcant, cùm veniam petunt; premunt, cùm se humiliant: terrent, cùm Iesum inuocant: torquent, cùm Mariam nominant; fugant, cùm cruce se signant: vrunt, cùm crucifixum adorant: vincunt, cùm obediunt; arctant, cùm in solitudine manent: ligant, cùm strictè silentium seruant.

2. Verè, hæc est sancta congregatio fratrum, quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob: spernentium mundum, diligentium Christum, abnegantium se & omnia propter Deum; certantium cõtra diabolum & exercitum eius, donec recedat, nec tam cito in castra Dei redire præsumat. Perpendite ergo charissimi, quàm bonum & iucundum est, habitare fratres in vnum: qui in vna domo congregati, vnius regulæ professione colligati, sub vno prælato bene ordinati, pariter surgunt ad vigilias, pariter conueniunt ad horas Canonicas, pariter incipiunt cantare & legere, pariter nituntur diuinum officium honorificè consummare. O quam gratum & commendabile collegium, ad laudandum Deum præcipuè dedicatum: vbi sunt tot tubæ resonantes, quot voces in choro alacriter cãtantes. Sed hæc audientes, quid dicunt
Exod. 14. dæmones, religiosos persequentes? *Fugiamus* (inquiunt) *Israelem*, hanc sanctam & deuotam congregationem, *Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Isti enim sunt veri Israelitæ, qui de Ægypto & secularis vitæ tenebris egressi, propter Christum parentes & amicos reliquerunt: & nunc habitu sanctæ religionis induti, Deo perpetuò se vouerunt, & contra nos militare fortiter cœperunt, ad confusionem vtique nostram, & suam gloriam augmentandam. Constanter ergo (fratres) state armati precibus, contra aduersarios salutis vestræ: nullius impetum formidãtes, sed in Domino confidentes, gratias agite de beneficiis vobis collatis, præ multis in seculo errantibus. Non pigeat omni nocte surgere, ad vigilias nocturnales: sed facto signo, abijcite torporem ab oculis, euagationem à cordibus, dissolutionem à moribus.

3. Eia charissimi, attendite præsentiã Christi, angelorũ custodiam, reuerentiam Sacramenti, & reliquias Sanctorum: in quorum conspectu statis & psallitis, licèt oculis corporalibus eos nõ videatis. Cauete diligenter à vanis phantasiis & immundis spiritibus, ne inueniant locum intrandi & latendi in vobis. Citò auertite faciem vestram à mercatu diaboli: signate corda vestra signo sanctæ crucis: recurrite ad passionem Christi: erubescite alia cogitare, quàm verba Dei, quę legitis & cantatis. Incipite modò cælibem vitam ducere cum angelis: pacem & concordiam tenete

cum

cum omnibus : nulli scandali occasionem detis, verbis vel actibus offensiuis. In Christi charitate supportate imperfectiones infirmorum, non tamen consentiatis vitiis aut querelis eorum. Orate frequenter pro tribulatis & tentatis: timete ne vobis similia cõtingant, aut peiora incurratis. Omnibus autem exemplum veræ humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, taciturnitatis, & obedientiæ exhibete; vt perennem à Deo mercedem, cum sanctis eius & electis, in cælo recipiatis. Si enim minimum gaudium cognoscęretis, ad omnia, quæ Deo placent, conuolaretis : & ad chorum, vbi diuina & cælestia die ac nocte tractantur, festinaretis. Cùm ergo tædium cordis sentitis ex onere laboris, recolite æterna præmia promissa vobis in cælis. Vnde beatus Paulus, qui plus omnibus laborauit, pigros excitando, debiles confortando, inter labores ad mentem cælestia reuocabat, dicens: *Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nunquam poterit Dei seruus vinci certamine, nec grauari temporali labore, qui æterna bona vel mala semper gerit in mente. Qui ergo desiderat habere cor purum & quietum, excludat à se omne terrenum commodum & humanum solatium. Citò namque perditur celeste desiderium in silentio acquisitum, nisi fuerit cum omni diligentia ab extraneis rumoribus custoditum.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

4. Cœnobium monachorum est sicut salsum mare, quod corpora mortua non potest in se retinere, sed statim ad littus putrida proijcit : sana verò & viuida nutrit, atque ad incrementum producens, nitida intuentibus reddit. Scitote ergo, quòd homo carnalis, sub vili panno latens, diu se fingere non potest: sed aut in se per teporem deficit, & à feruore arescit : aut citò recedit, aut recedere cogitat; aut cum murmure manens, fœtorem de se perversæ actionis ostendit. Et, quia leuis est corde & dissolutus ore, alios sæpe deridet: quia superbus & iracundus, contentiones inter pacificos mouet, & simplices accusat. Et quoniam radicem humilitatis non habet, & spinas carnalitatis euellere negligit: idcirco dulces flores castitatis, cum fructibus obedientiæ & charitatis, gignere non valet. In congregatione deuotorum, probantur corda multorum tanquam aurum in fornace ardenti : vtrum desideria eorum ex Deo sint, an ex carne cõcepta. Qui enim proprium commodum quærunt, & communes labores & obseruantias ordinis, negligenter prętereunt, hi parum in spiritu proficiunt: sed ad exteriora declinãtes, sæpe ad pristina vitia labuntur. Quomodo poterit aliquis diu in disciplina & deuotione perseuerare; qui contra tentationes & passiones viriliter non pugnat? Quapropter, dum parua latent vitia, tempestiuè adhibenda sunt

Cœnobiũ mari simile.

Prou. 1. Sap. 3.

Luæ 8. remedia: ne vrticæ crescentes, bona semina premant. Dicit namque Saluator, de quibusdam fictis & tepidis fratribus, in quibus non est feruor spiritualis, sed tantùm exterior apparet habitus humilis, cum affectu honoris; *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Et verè, *qui non ædificat domum suam supra firmam petram*, id est, vitam suam super Christum & veram humilitatem: *flante vento* elationis, *cadet* à statu deuotionis ad exteriores occupationes, & *in varias tentationes diaboli.* A quibus malis nos benignè custodiat Iesus Christus filius Dei: qui verbo & exemplo suo docuit nos humiliter conuersari: & pacem cum fratribus, sine fictione & dissolutione, semper retinere. Amē.

Matth. 15. Matth. 7.

SERMO II.

De laude bonæ congregationis.

Prou. 18. 1. FRater, *qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Dilecti fratres, notate verba ista, à Salomone sapiēter & proficuè dicta: & tenete perseuerāter loca vestra, in societate bona. Sustinete inuicem, cum omni humilitate & mansuetudine portando onera vestra, propter multa pericula euadenda, & maxima præmia animæ vestræ à Deo promerenda. Congregatio quippe bonorum est *quasi turris fortitudinis à facie inimici.* Ibi namque homo securiùs viuit, vbi à pluribus iuuatur: & si interdum ab aliquo tribulatur, ab alio rursus cōsolatur. Qui bonæ voluntatis est, & Deum quærit: inter Deum quærentes ampliùs proficiet, & firmiùs stabit. Ibi homo magis in virtute probatur & exercetur. Ibi, frequenter de negligentia arguitur. Ibi, ad perfectiora verbo & exemplo trahitur. Ibi, suam imperfectionem considerare & lugere compellitur. Ibi, alterius feruore excitatur, alterius humilitate docetur: istius obedientia mouetur, illius patientia ædificatur. Ibi, verecundatur esse vilior; ibi, confunditur inueniri tardior. Ibi inuenit, quos timet: ibi habet, quos diligit: & sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, eius fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum. Ibi vnus, alterius est custodia; & alius alium probat in patientia. Ibi homo portat, & portatur; ibi multa audit, & videt, vnde doceatur. Ibi regulà & sacra institutio, in bono conseruant; ibi confessio & disciplina, excessus emendant. Ibi boni commendantur, vt meliores fiant: ibi negligentes arguuntur, vt reseruescant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundùm suum libitum agere. Ibi cogitur spiritui seruire, & carnis desideriis resistere. Ibi diuersa sunt officia, & multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habēt, & ad opus suum quisque ex obedientia vadit.

Psal. 60.

2. Ibi

2. Ibi nulli otiari conceditur, sed vnicuique mensura operis iniungitur. Ibi infirmus à fortiore sustẽtatur: ibi sanus infirmum visitans, Christo seruire lætatur. Ibi vno deficiente, alius locum eius supplet; ibi sana membra pro debilibus solicitãtur. Ibi actiuus, pro vacante laborat; ibi Deo vacans, pro laborante exorat. Ibi vno legente, multi ædificantur. Ibi singuli hebdomadas suas explentes, se inuicem liberant, ne fatigentur. Ibi homo habet multos pro se orantes, & in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios inuenit, quot socios habet, qui sibi in necessitatibus assistunt. Ibi feliciter obdormit in Domino. Ibi multorum intercessionibus citiùs liberatur de purgatorio. Ibi post mortem hæredes Dei seruos, sui vtique interdum memores relinquit; quorum pia studia, sua erit in cælo lætitia. Ibi labor suus, & bona conuersatio, obliuionem non accipiet; sed multis posteris ad exemplum proficiet. Ibi sequentes pro prædecessoribus suis orare tenentur, & Dominum pro benefactorum beneficiis laudare. Ibi quicquid boni agitur, ad omnium ibidem quiescentium participationem prouenire creditur. Ibi, qui adhuc viuunt, pro defunctis fratribus soliciti sunt, vt à pœnis soluantur: & qui iam cum Christo regnant, pro peregrinantibus supplicant, vt in bono perseuerent: & qui adhuc supersunt, ad fratres suos venire desiderant. Ibi singulare bonum fit commune, ibi temporale transit in æternum. Ibi temporaliter conuenientes, æternaliter erunt congaudentes. 2. Machar.

3. Magnum igitur & iucundum bonum, habitatio multorum deuotorum in vnum. Qui in sancta cõgregatione vsque in finem perseuerauerit, etiam si imperfectus fuerit, propter multorum orationes & merita perfectorum, ad beatum finem Deo propitio perueniet. Qui autem bonam congregationem deserit, quasi extra portum stabilitatis & salutis diuertens, marinis procellis se exponit. Qui enim de medio congregationis se separat, incertum est, vbi adhuc perseuerabit. Finis citò declarabit, vtrùm ex Deo an ex passione recesserit. Maneas ergo in medio sanctæ congregationis, & manebit tecum Dominus. Ipse enim ait: *Ego in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat.* Et ad discipulos inquit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Si bonus es, mane, & ædifica alios. Si peccator es, & infirmus, mane, vt ædificeris ab aliis. Quocunque autem perrexeris, scito, quoniam diabolus tibi aduersabitur, & sequetur te tua passio, etiam si solus fueris & inclusus. Sæpe namque ex verbis leuibus, & habitu curioso exteriùs, cognoscitur status mentis, quid vanitatis geritur intus. Luca 22. Ibidem.

Exemplum duorum fratrum.

VEnerunt aliquando duo fratres ad domum cuiusdam nobilis viri & terreni principis, pro aliqua causa monasticæ vtilitatis. Intuens ergo eos diligenter princeps honestus, considerauit habitum & mores vtrorumque extrinsecus. Illis autem recedentibus, dixit vir sagax domicellæ suę in secreto, nulli tamen palam derogando: Videbatur mihi, quòd vnus istorum, aut nouiter illuc venit, aut citò inde recedere velit. Ad quem domina admirãs ait: Vnde hoc scitis? Respondit: Ex dissimili veste & gestu, in verbis & moribus, coniecturo differentiam conuersationis. Post breue igitur tempus, res latens apparuit foris.

Vestis, gestus, & sermo arguunt hominem.

Aliud Exemplum notabile.

QVidam deuotus grauiter à diabolo tentatus, exiuit de congregatione fratrum, ad captãda solatia mundi in ludicris vanis. relicto igitur humili cœtu clericorum, sociauit se frequenter contuberniis laicorum. Quadam verò die exiens portam ciuitatis, cœpit cum sodalibus suis pro pecuniis ludere, diuque ludens perdidit pecunię taxam: & quod peius est bonæ conscientiæ famam. Finito tandem pyramidis ludulo, coactus est soluere debita sine dilationis termino. Recusat itaque trusatoribus trusam reddere, repugnat fortiter, nititur effugere, sponte nihil soluere contendit. Commoti ergo lusores, & conglobati pariter aduersus debitorem perfidum, tanquam canes rabidi contra lupum clamant, trahunt, verberant manibus, maledicunt verbis; Redde trusator, quod debes. Sed, cùm non acquiesceret exactoribus suis, irati nimis reddiderunt ei multa dura verba, pro denariis paucis. Demum resumpto spiritu, à quibusdam in oppidum est reductus. Mandauit ergo deuotis fratribus patriotis suis obsecrans precibus multis, vt eum visitarent grauatum languoribus, recitans coram eis historiam suæ miseræ passionis. Versa enim erat cithara mundanæ ludificationis in luctum acerrimæ afflictionis. Quibus auditis, visitant ægrotum beneuoli fratres, compatiendo animæ afflictæ. Increpant tamen seriosè erroneum pro admisso scelere, dicentes; digna eum recepisse verba, iuxta illa euangelica Domini verba: *Exi citò in vias & sepes, & compelle intrare.* Si enim, inquiunt, in congregatione mansisses, tot plagas non recepisses. Tunc multum ingemiscens, fatebatur stultè se egisse, & peccasse. Idcirco (inquit) si conualuero, fauente Domino, me emendare propono. Multi autem ex fratribus hæc infortunia audientes, timore correpti sunt; & constantiores effecti, in melius profecerunt, iuxta illud Salomonis: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Bonum est ergo in domo cum fratribus

Exitus ex cœnobio quàm plenus periculis.

Luca 14.

Prou. 19.

tribus manere, & à societate seculari abstinere; & sine consilio Prælati nil attentare: nec exitum per licentiam extorquere, fraude vel prece. Nam sæpe pœnitet in fine, quod malè acquiritur propria voluntate. Qui vult proficere, & in congregatione perseuerare: debet apertus esse Prælato suo in confessione, fidelis in opere, verax in sermone. Debet inter fratres esse verecundus, humilis, tacitus, quietus, pius, morigeratus, patiens, gratus, & obsequiosus. Ista faciunt Deo charum, hominibus amabilem, & nulli onerosum.

Aliud Exemplum de quodam clerico sæpe euagante.

CLericus quidam in congregatione fratrum studij causa habitabat, qui pro recreatione quærenda, sæpe ad amicos diuertit, sæpe etiam loca & domos religiosorum visitauit. Dixerunt ergo ei fratres, & constudentes socij eius, timentes ipsi periculum ex frequenti discursu imminere: Si vis in bono statu perseuerare, noli extra domum tam sæpe vagari: caue amicos visitare, & familiaritates feminarum. Cùm ergo sæpius & seriosè à multis admonitus esset, & prauam consuetudinem non resecaret: tandem tentatione crescente, sanctam societatem reliquit, & ad amicos rediens vxore accepta totus secularis & vagus effectus est.

SERMO III.

De verbis & consilijs seniorum humiliter audiendis.

INterroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Dilecti fratres audite libenter salutaria monita seniorum vestrorum: & nolite esse prudentes apud vosmetipsos, ne incidatis in laqueum diaboli, & scandalum animæ vestræ acquiratis. Nolite altiora quærere, nec curiosè aliorum facta perscrutari, sed quid velit Deus, & quid promisistis seruare, omni tempore cogitetis. Dixit quidam deuotus religiosus: Qui de omnibus alienis tacet, de omnibus pacem habet. O pretiosum verbum, vtile, semper animo retinendum! Quanto enim quis latius foris extenditur, tanto intus minoratur. Nemo ergo alios inspiciendo, se negligat, sed ante omnia curam sui gerens, de reliquis taceat, quæ ad eius commissionem non spectant. Idcirco, quilibet internus esse cupiens, cum Psalmista dicat: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* Quicunque voluerit in spiritu proficere, det se sæpius ad orationem, & silentij secretum: caueat multas quæstiones & fabulationes longas texere, sed potius cum sancto Dauid deuotè oret: *Dominè ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.* Si quæritis, quę sit voluntas Dei,

Deut. 32.

Isaiæ 5.

Psal. 118.

Psal. 142.

Dei, respondet beatus Paulus planè & lucidè omnibus nobis: 1. Thes. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Quæ est sanctificatio ista, nisi abstinere à malo, & exercere se quotidie in bono? Si ignoratis, quid Deo magis placeat, & quid vtilius agere debeatis: ite incunctanter, & interrogate diligenter à Prælato vestro, aut à senioribus magis expertis: ne contingat vos in proprio sensu abundare, & errare. Quæ est causa, quòd tam multi à prima deuotione tepescunt, & tam parum in veris virtutibus proficiunt? Quia, proh dolor! à sancto proposito paupertatis & simplicitatis, quod à senioribus acceperunt & didicerunt, paulatim recedunt: & potiùs proprias inclinationes sequuntur, & nouas conuenientias fingunt: simplicia & humilia abhorrent, familiaritates hominum quærunt, scientiam suam ostendere appetunt, & super seniores etiam doctos se arbitrantur. Et vtinam nouitiorum humilia exercitia iterum apprehenderent, & paruam admonitionem gratanter acciperent.

2. Fratres, nemo erubescat à senioribus erudiri: nemo spernat à minoribus ædificationis verbum audire: quia hoc est humilitatis commendabile signum, hoc spiritualis profectus est valde bonum præsagium, iuxta illud Salomonis prouerbium: Prou. 1. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Qui vult sapiens esse, & doctus reputari, antequam audiat & discat, diu stultus inter sapientes remanebit. Prouerbium veridicum est: Qui non vult audire magistrum, vt bonus discipulus: hic cum dyscolis verberabitur, vt asinus rudis. Cõsiderate iam conseqùenter, ex scripturis vtriusque Testamenti, sanctos Patres & doctores, Prophetas & Apostolicos viros, scientia & virtutibus præclaros: quàm soliciti fuerunt, tam in vita quã in morte, instruere filios & subditos suos: Quàm multa secreta Dei prædixerunt eis, de futuris & cælestibus bonis, sub diuersis figuris & parabolis: quatenus omnes adiutores suos beneuolos redderent ad obseruantiam legis, & cupidos facerent ad omnia diuina promissa, tam præsentia quàm futura percipienda. Moyses enim doctor & legislator præcipuus, sic ait: Moyses. Deut. 6. *Audi Israël præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, neque auferetis ex eo: & docebis ea filios tuos ac nepotes tuos.* Et rursum in alio loco: Ibidem. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos: scribesq; ea in limine & in ostijs domus tuæ.* Ecce quàm sancta mandata, ac religiosa exercitia diuinæ doctri-

doctrinæ, proposita sunt nobis per Moysem, etiam cunctis fidelibus dignè imitanda.

3. Post Moysem sanctum surrexit Iosue in loco eius, fidelis minister, electus ex millibus. cui dixit Dominus: *Sicut fui cum Moyse, ita ero & tecum. Confortare, & esto robustus valde; & custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus: nec declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistrã.* Et quia Moyses posuit super eum manum suam, meruit benedictionem diuinam; & repletus est spiritu sapientiæ, quæ maximè necessaria est, pro bono regimine in ciuitate & multitudine: & obedierunt ei filij Israël sicut Moysi, iuxta præceptum Domini. Hæc audiens quilibet frater nouitius vel professus, debet trahere vtile exemplum ad seipsum, obediendo humiliter Prælato suo, aut seniori fratri propter Deũ: vt mereatur habere benedictionem cælestem, propter humilitatem suam & obedientiam promptam. Nam humilis obedientia specialem meretur à Deo gratiam, & defenditur à multis diaboli laqueis, & excusabitur in iudicio de malis sibi obiectis & offensis. Idcirco rogo vos iuniores, audite humiliter seniores, qui habent longam experientiam in multis: qui diu portauerunt in ordine pondus diei & æstus, sæpè corpore fatigati, sæpè mente afflicti. Quos Deus fortiter probauit in camino paupertatis, tanquam aurum in fornace ignis: & post longã inediam & angustiã cordis, consolatus est eos sæpius gaudio Spiritus sancti, & dulcedine Sacramenti; sicut olim in deserto filios Israël pauit manna cælesti. Legitur in primo libro Regum, quod Samuel charus Deo & hominibus, cùm adhuc esset puerulus, à sancta matre sua Anna Deo oblatus est, & Heli sacerdoti ad erudiendum, commendatus: quatenus eius in magisterio, à pueritia assuesceret Deo in tabernaculo altaris humiliter seruire: & secundùm legem Dei, bonis moribus ad altiora & sacratiora capienda paulatim proficeret. Quod & factũ est, Deo feliciter annuente. Qui in omnibus agendis & consulendis, sacerdoti suo tanquam vicario Dei, studuit inconctanter obedire; vt nec ad dormiendum quidem, sine eius licentia, ire præsumeret. Nam trina vice à Domino in nocte vocatus, statim de lectulo surrexit. Et quia diuinam reuelationem adhuc ignorabat, ad notam sibi sacerdotis præsentiam promptulus cucurrit, & vocem quã audiuit, iudicio Prælati sui exposuit: plus credens industriæ senioris ac consilio sacerdotis, quam suæ innocentiæ: qui de facili poterat in secretis Dei decipi, aut inaniter eleuari. O qualis erit hic puer in futuro, qui tam obsequiosus & obediens fuit seniori in vitæ primordio? Certè crescẽte ætate, concreuit & altioris reuelationis gratia: vt post mortẽ sacerdotis sui, iudex fieret totius populi; & ex iussione Domini reges vngeret, &

Iosue. *Iosue 1.*

1. Reg. 1. Samuel obediẽtiæ typus.

1. Reg. 7. ret, & virtute orationis potentiam inimicorum debellaret. *Cognouerunt enim omnes à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini.* Qui sæpius conuocans populum, & Dei beneficia quamplurima memorans, redarguit eos de stulta idolorum cultura: & de magna ingratitudine eorum, post tanta beneficia data. Et quia Deum sæpius offenderant, ideo grauissimè ab hostibus castigari meruerunt. Deinde, ad sacræ legis obseruantiam
1. Reg. 7. solicitè reuocat omnes errantes, & ait: *Auferte deos alienos, & præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli, & liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.*

Dauid. 4. Dauid quoque rex potens & sanctus, à Samuele oleo sancto in principem populi vnctus, cùm pluribus annis Israeliticum regnum strenuè gubernasset, ante mortem suam, vocauit ad se Sa-
3. Reg. 2. lomonem filium, præcepitque ei, dicens: *Ego ingrediar viam vniuersæ terræ, confortare & esto vir fortis: & obserua vt custodias mandata Domini Dei tui: vt ambules in vijs eius, & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.* Rursus in Psalmo, quodam Spiritu sancto afflatus, populum sibi commissum erudiens, & ad diuinum cultum exhortans,
Psal. 77. orat, & dicit: *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Quanta mandauit patribus nostris, notâ facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera?* Filij qui nascentur & exurgent, narrabunt filiis suis; vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Domini, & mandata eius exquirant. Ecce, quàm deuota admonitio glorioſi regis, ad custodiam sacratissimæ legis.

Salomon. 5. Salomon quoque sapientissimus regum, paterna vestigia sequens, inter multas prouerbiorum sententias, iuuenes instruens
Prou. 4. sic ait: *Audite filij disciplinam patris, & attendite vt sciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues. Posside sapientiam, posside prudentiam: ne dimittas eam, & seruabit te.* Ecce quàm vtilem doctrinam tradit Sapiens iuuenibus, & præcipuè vobis nouitiis scholam Dei ingressis; quatenus Deo fauente, in virtutibus vsque in senectam proficiatis.

Matathias 6. Legitur etiam in libro primo Machabæorum de Matathia
1. Mach. 2. viro clarissimo, & æmulatore legis constantissimo; quia zelo Dei inflãmatus, & diuino auxilio atque humano potenter accinctus, impios ac desertores paternæ legis de finibus suis expulit: & neglecta patrum priorum statuta, ad sanctam Deo placentem obseruantiam, decenter pro viribus reformauit. Qui nihil aliud,

in cunctis

in cunctis bellicosis actibus suis prætendit, nisi vt honor Dei & cultus in sacris legibus firmissimè starent; & populus desolatus, Deo seruiendo, felici pace gauderet: atque summa exultatione, Deum omnipotentem cordibus sinceris coleret, ac vocibus iucundis iugiter collaudaret. Hic tandem, post multa inclyta bonorum operum gesta moriturus, & paterna charitate de futuris solicitus: ne bonum pio conamine incæptum per desidiam deperiret, conuocatis ad se filiis & amicis, zelum Dei habentibus, confortauit corda eorum sermonibus optimis, cum multis sanctorum præcedentium exemplis; & ad perseuerantiam boni status iam incepti singulos strenuè exhortans & deprecans, ait: *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis: & date animas vestras pro testamento patrum Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.*

7. Saluator quoque noster Dominus Iesus Christus, peracto per passionem & crucem suam redemptionis nostræ mysterio, post beatam resurrectionem suam apparens frequenter discipulis suis, inter multa sacrata verba, quibus eos sapienter & expressè instruxit, hæc finaliter & salubriter intulit: *Euntes* (ait) *in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: & docete omnes gentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* O felix & meritoria obedientia, quæ nil aliud cogitat, quàm beneplacitum & voluntatem Patris cælestis desideranter implere! O quàm sancta anima, quæ nititur se resignare, & totam vitam suam moribus Christi conformare! Verè optimum exemplum bene viuendi reliquit omnibus nobis Iesus Christus: Ipse magister omnium, ipse liber & regula religiosorum, ipse commentum monachorum, ipse textus & glossa decretorum. Ipse forma vitæ clericorum, doctrina laicorum, lucerna fidelium, lætitia iustorum, gloria Angelorum, finis & consummatio omnium desideriorum sanctorum. Saluator. *Marc. 16.*

8. Legitur etiam in Actibus Apostolorum, de beatissimo Paulo Apostolo: quòd in initio conuersionis suæ, vox cælestis dixit ad eum: *Surge, & ingredere ciuitatem: & ibi tibi dicetur, quid te oporteat facere.* Qui statim surrexit, & voci Dei obediuit: factusq; est sanctus & magnus prædicator in orbe terrarum, qui prius fuerat persecutor Ecclesiarum. Hic perfectæ abrenunciationis exemplum ostendit omnibus religiosis: præcipuè tamen obedientiæ formam reliquit nouiter conuersis, vt omni hora cum Paulo dicant: *Domine, quid me vis facere?* Et sicut tunc de subita conuersione eius stupebant omnes, qui eum nouerant: ita & nunc mirantur & gaudent de eius doctrina cuncti mundi sapientes, vbicunque Christus fuerit nominatus. Idcirco diuina charitate accensus, omnes ad amorem Christi hortabatur, dicens: *Imitatores mei* Paulus. *Act. 9.* *Ibidem.* *Phil. 3.*

res mei estote charissimi, sicut & ego Christi. De quo in Actibus Apostolorum scribitur, quòd cum Barnaba ad prædicandũ gentibus verbum Dei missus fuit, & plures ad fidem Christi conuer-

Act. 15. tit. Post aliquot autem dies dixit iterum ad Barnabam Paulus: *Reuertentes, visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant:* vtrum proficiant

Ibidem. an deficiant in bonis inceptis. Et iterum: *Paulus verò*, elect o Syla pro socio ad prædicandum idoneo, *perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens seruare & custodire præcepta Apostolorum & seniorum.*

9. Ecce fratres, iam multa bona audistis: quàm soliciti fuerunt sancti viri temporibus suis, docere filios suos & subditos, vt ambularẽt in sacris Dei præceptis; quàm sanctæ conuersationis exẽpla etiam reliquerunt posteris suis, quæ ipsi priùs à patribus & senioribus frequenter audierunt & didicerunt. Sic ergo & vos charissimi, tanquam nouellæ oliuarum plantati in domo Domini, state in obedientia & disciplina claustrali: tenete traditiones seniorum, & statuta generalis Capituli, per definitores ordinata diuina inspiratione pro salute vestra. Gratanter accipite monita Prælatorum vestrorum, & patienter sustinete correptiones eorum: quia melius est, quòd ipsi vos modò corrigant, quàm diabolus grauiùs in futuro vos puniat & deludat. Si enim nunc propter Christum humiliter consiliis seniorum acquiescitis, & propriam sapientiã relinquitis: tunc magnam pacem habebitis, & per gratiam Christi, æternam beatitudinem recipietis: Amen.

SERMO IV.

De bonis colloquijs inuicem habendis.

Matth. 18. 1. *VBi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, dicit Dominus: Attendite (dilecti fratres) præsentiam Christi in omni loco, vbicunque conuenitis, siue ad orandum, siue ad laborãdum: ne alius alium impediat, aut verbo vel signo leuitatis offendat. Si ergo data licentia loqui interdum vobis licet, sit sermo de Deo & deuotis materiis ex scripturis sanctis: quæ vos ædificent in virtutibus & consolentur in aduersis. Sic fecerunt olim sancti Patres in Ægypto, quando cõuenerant pariter pro consiliis & remediis in tentationibus superãdis. De seculi verò rumoribus, & variis hominum statibus, loqui caueatis, nec aliquem secularem temere iudicetis, quoniam Deus iudicabit omnes iniqua agentes. Nulla igitur cura vobis sit de temporalibus rebus cogitare, nec inde fabulari: sed tantùm de spirituali profectu in virtutibus, & de remediis vitiorum vestrorum. Committatis omnia exteriora & negotia domus, Deo

regen-

regenda, & Prælatis vestris disponenda, qui rationem reddent in iudicio de sibi commissis. Vos estote pacati & grati, de ministerio quotidiano vobis exhibito, contenti stipendiis vestris in victu & vestitu moderato: non curiosa, non superflua, non recentia, non molliora quærētes: sed sicut boni simplices filij Dei, sine querela & disceptatione inter fratres conuersantes, indignos vos omnibus his beneficiis ex humilitate reputetis. Ferueat mens vestra in cælestis regni desideriis: & in deuotis exercitiis, alius alium præire conetur; & prēter Christum, & hunc crucifixum, nil scire nec cogitare libeat. Quatenus omnia secularia & carnalia, ex amore & condolore crucifixi, in nauseam vertantur; & pœnitentiæ labor breuis & facilis vobis appareat: & disciplina regularis vitæ in dulcedinem, & bonæ conscientiæ iucunditatem, per singulos dies conuertatur. Tunc enim Christus, vobis orantibus & colloquentibus, inter vos commorabitur: docens vos terrena despicere, & amare cælestia, & contra diabolicas tentationes fortiter certare, ac passiones carnis refrenare.

2. Quare enim venistis de seculo, nisi vt tota spes vestra esset in Deo, & cor sursum in cælo? Quia ergo elegistis renunciare seculo, & seruire Christo in monasterio, fugite homines seculares, relinquite amicos carnales: quia possunt vos in deuotione vestra impedire, & ad nociua desideria fabulando trahere, nec aliquem fructum animæ vestræ conferre. Quanto rariùs & breuiùs loquimini hominibus, tanto securius est pro custodia cordis & oris. Est multum pro honore vestro & fama ordinis, si pro reuerentia hospitum, in præsentia eorum verecundi & taciturni appareatis: plus enim ædificabitis bonis moribus, quàm curialitate sermonis. Ex vno indisciplinato verbo arguunt vos leuitatis & imprudentiæ; & sub habitu religionis coniecturant vulpem latēre, & ouem se fingi.

3. Pauci igitur sint sermones vestri, vtiles & circumspecti: quia verbum otiosum non erit impunitum apud Deum. Pro hoc cauendo, silentium est amandum & seruandum: & à sanctis Patribus, antiquis & modernis prælatis nostris, in religione salubriter institutum. In nullo denique statu & ordine stabit pax & disciplina, si non adsit censura silentij, quietis amica: quæ est deuotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga. In silentio discatis, qualiter & cui loqui debeatis. Ex vanis verbis fit animus vagus & lubricus; vix valens ad interiora sua redire, post longos gemitus & fletus. Ex diuinis verò colloquiis nascitur amor Dei, ædificatio proximi, odium mundi, desiderium regni cælestis, dolor de peccatis, feruor charitatis, refrenatio cupiditatis, & renouatio totius interioris hominis, in speculo sanctissimæ

vitæ noſtri Saluatoris. Ipſe enim adeſſe dignatur de ſe loquentibus, *prope eſt omnibus ſe inuocantibus.* Excitat verbo ſancto torpentes, confortat debiles, adiuuat fortiter dimicantes, coronat vincentes. Terret per ſupplicia, hortatur per exempla bona, conſolatur per dona promiſſa, lætificat temporali gratia gratis data, beatificat æterna cæli gloria manifeſtata, atteſtante Pſalmiſta: *Satiabor* (inquit) *cùm apparuerit gloria tua.* Tam pius & miſericors eſt Ieſus, tam dulcis & mitis eſt Chriſtus: vt ſi quis ei locum in corde præparauerit, abſque dubio lumen gratiæ ſuæ libenter illi oſtendet, & cum eo cœnabit. Si ſolus eſt, & legit aut orat, Ieſus vult eſſe ſecundus. Si duo ſimul legunt aut cantant, Ieſus vult eſſe tertius. Nec vacua erit petitio iſtorum, in nomine Ieſu congregatorum, qui bona fide humiliter & deuotè ſupplicant: ſi tamen in omni re, quam petunt & deſiderant, eius beneplacitum quærunt, & ſuæ propriæ voluntati renuntiant, illud gratiſsimum Chriſti verbum dicentes: *Pater, non mea voluntas, ſed tua* ſemper *fiat.* Amen.

Pſal. 144.

Pſal. 16.

Luæ 22.

SERMO V.

De patientia conſeruanda inter deſides & peruerſos.

Eſaiæ 35. 1. *Dicite puſillanimes, confortamini, & nolite timere.* Dilecti fratres non turbemini, ſi interdum contingunt aliqua in religioſis defectuoſa, quæ vobis diſplicent: aut ſi aliqui recedunt à congregatione bonorum: vel ſi tepidi conuerſantur cum eis propter tentationes diaboli, quas quotidie in Dei ſeruitio patiuntur. Nam hæc triſtia humanæ fragilitatis tentamenta, etiam contigerunt ante tempora noſtra: ſicut de multis ſanctis & religioſis viris legitur, qui iam in toto orbe à multis honorantur. Nos quidem fragiles ſumus & ad malum procliues: ideo neceſſarium eſt, noſtros prauos mores per ſtatuta arctari: & quaſi indomitos pullos ad ſtipitem ſanctæ crucis, pro nomine Ieſu ligari: ne ſecundùm propria deſideria viuendo, declinemus à via recta ſanctorum, qui per anguſtam portam intrauerunt regnum cælorum. Oremus ergo pro inuicem, vt Deus adiuuet nos & confortet in omni tribulatione & tentatione noſtra, & cuſtodiat ab infeſtatione & deceptione inimici: qui vbique circuit, quærens quem deuoret; & quali arte aliquem de medio congregationis trahat ad ſeculum, & de ſeculo ad infernum. Ibi nulla eſt redemptio, ſed ſempiternus horror inhabitat: Ibi animæ quærunt mortem, & non inueniunt: Ibi cruciantur die ac nocte, in igne & ſulphure: quia hic modicam agere pœnitentiam

Velut indomiti pulli, neceſſe habemus alligari ſtipiti crucis.

Matth. 7.

tiam noluerunt, & tempus suum tam vanè & infructuosè expenderunt.

2. Fratres, non quæramus quietem & commodum carnis, sicut seculares, sed laborem & dolorem pro peccatis. Resistamus vitiis sæpe ieiunando, orando, legendo, meditando. Certè non habebimus pacem & quietem super terram, vbicunque fuerimus, vel etiam quocunque perrexerimus pro solatio habendo, vel pro tædio releuando, aut pro laboris onere diminuendo: nisi conuertamus nos ad Christum per orationem & contritionem peccatorum, cum firmo proposito agendi semper pœnitentiam: vt possimus per hunc leuem laborem & breuem dolorem, æterni ignis euadere pœnam. Pax nostra & quies bonæ vitæ est in multa patientia, secundùm vitam Christi & exempla Sanctorum: non in longa fuga, per loca arida; nec in nauicula, per flumina transmarina. Ionas Propheta fugere voluit à facie Domini, nauim ascendit, sed nihil ei profuit. Tradidit se sopori, quietem quæsiuit, sed non inuenit. Latére se credidit, sed Deus absconditum prodidit, tempestatem mouit, & mare turbauit. Tunc dormientem nautæ excitant, increpant, & in aquam proiiciunt; qui mox à pisce deglutitus, quasi fugitiuus & inobediens, in ventre ceti pro culpa incarceratur. Clamauit ergo in arcto carcere clausus, orauitque Dominum, vt liberaretur de tantis periculis maris & angustia piscis. Tandem verò omni humano auxilio destitutus, cognouit in afflictione sua, quia manus Dei effugere impossibile est: & diuinis obedire præceptis, tutissima animæ salus. Non ergo fugiamus labores & angustias pro salute nostra in religione subortas, de quibus antea nesciebamus: sed stemus firmiter, certemus viriliter, obediamus festinanter, oremus frequenter, laboremus diligenter, taceamus libenter. Sustineamus nos propter Christum patienter, sicut omnes Sancti fecerunt; qui grauiora perpessi, nunc gaudent in cælis, & dicunt: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium sempiternum.* Inter multa pericula versamur: & qui tentant nos & vexant, non dormiunt nec quiescunt: sed quærunt nos decipere, & à bono incepto impedire.

Pax & quies non in fuga, sed in patientia. *Ionæ 1.*

Psal. 65.

3. Non tamen desperemus, nec orare & clamare ad Christum cessemus: etiamsi tepidi & aridi sæpius fuerimus, & præ angustia cordis ignoremus, quid agere debeamus: quia fortè probat nos Deus in paucis, si verè eum diligimus, non verbis tantùm, sed factis & plagis. Igitur surgentibus ventis duris, non retrocedamus: sed manus ad remos ponamus, arma spiritualia arripiamus, animum tristem erigamus, de nouo incipiamus: &

multo fortiùs quàm fecimus, contra carnem, contra mundum, & contra diabolum certare ſtudeamus. Quanto enim durior pugna, tanto glorioſior corona: & quanto frequentior vexatio tribulantis, tanto laudabilior virtus patientis. Multum impedit puſillanimitas cordis, citò amittere confidentiam in aduerſis, negligere ſanctum propoſitum, reuoluere ſeculi ſtatum, imaginari amicorum præſentiam, ſociorum penſare iucunditatem: quæ omnia ſunt vanitatis & fatuitatis, ſicut finis repentinus, omnis delectationis & honoris oſtendit.

4. Vita noſtra, fratres, & religio pro Deo aſſumpta, in quotidiano certamine conſiſtit; ſcilicet contra vitia certare, quæ omni loco & tempore, in choro, in dormitorio, in ſilentio, in labore nos perſequuntur & tentant, vtinam non vincant. Ideo non mirum, ſi interdum labimur, & vulneramur; ſi leuiter offendimus, & offendimur, in verbis, in factis propriis vel alienis. Homines ſumus, non angeli; mortales ſumus & fragiles peccatores, exules ſumus & peregrini, non ciues cæli: inſtabiles & proni ad vitia, nondum perfecti in gratia, nec beati in gloria. Iſta conſideratio humiliare nos debet, non eleuare in ſuperbiam mentis: ſed per propriam fragilitatem, inducere ad ſpem diuinæ miſericordiæ & pietatis, ſine qua nihil boni incipere valemus nec perficere, Domino atteſtante, qui ait: *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. Propria namque fragilitas, nos maximè premit: ſed diuina inſpiratio ac cęleſtis viſitatio, deficientes iterum erigit, & ad bene operandum confortat, atque ad ſuſtinendum quæcunque improuiſa ſuper nos veniunt, benignè pro vtilitate ſalutis noſtræ ordinat, & iuſto occultoque iudicio omnia diſpenſat. Ipſi enim cura eſt de omnibus nobis, ab initio vitæ vſque ad finem mortis. Qui enim fecit nos, non derelinquet nos, ſi eum non relinquamus: ſed *faciet cum tentatione prouentum*, 1. Cor. 10. vt poſsimus reſiſtere, & moleſtias eius ſuſtinere. Dicamus ergo cum ſancto in Pſalmo, quando impugnamur ab inimico maligno: *Adiuua me Domine Deus, ne derelinquas me.* Pſal. 26. Et iterum, cum tota mentis fiducia, clamemus ad Chriſtum in cælis: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Pſal. 24.

5. Pax vera & perfecta requies eſt in cęlo, non in terra: quia hic omnia ſunt in motu, & timore, & frequenti preſſura. Igitur fortis patientia nobis ſummè neceſſaria eſt in hac fragili vita, quæ non eſt niſi quotidiana luctatio contra vitia. Siue enim homo fuerit in domo propria ſiue aliena, ſiue inter notos aut familiares amicos; citò ſibi obuiabit, quod diſplicet, aut perturbat animæ quietem, nullibi tutam. Ponat ergo quilibet ſe ad patientiam, ſicut melius poteſt; & patienter portet, quæcunque Deus permiſe-

permiserit, & sic ampliorem pacem habebit. Si ab aliquo læsus & vituperatus fuerit, vincat superbiam suam, & discat pati contumeliam, & inueniet apud Deum gratiam magnam, & gloriam æternam. Doleat se peccasse, & minus patienter contemptum sui tolerasse, & de omnibus offensis humiliter veniam petat, & Deus libenter omnia ipsi dimittet.

6. Dilecti fratres non desperetis, nec mala malis adijciatis: sed statim quando cõscientia vos accusat, ad confessionis remedium festinetis. Solus Deus est, in quem peccatum non cadit. Nam *in angelis suis reperit prauitatem*, & magna pars eorum de cælo cecidit per superbiam: quia de donis sibi collatis non dederunt Deo gloriam. Primus homo in paradiso tentatus est & deceptus, & propter inobedientiæ culpam, de loco voluptatis eiectus fuit in huius mundi miseriam. Quid ergo mirum, si frater aliquis fragilis, à diabolo & carne grauiter tentatus, vel à multis pro culpa sua increpatus, quandoque erret & peccet, aut impatiens fiat: quando homo bene conditus in paradiso cecidit, vbi tot commoda & nulla incommoda habuit? Multi boni & iusti viri fuerunt in veteri lege sæpius tentati & vexati à malis hominibus: sed patienter malos sustinuerunt, vt meliores per aduersa fierent. Quandoque verò per voluntatem Dei malis restiterunt, & iustam vindictam impiis reddiderunt, ne boni oppressi in tribulatione nimia deficerent. *Iob 4.*

7. Quidam etiam, subita tentatione fracti, ceciderunt: alij longa ægritudine quassati, humiliati sunt in iniquitatibus suis; & quos diuitiæ & honores extulerunt, dolores & confusiones ad fragilitatis suæ cognitionem reduxerunt. Multi quoq; post grauem lapsum, citò pœnitendo fortiores surrexerunt: & in sancta conuersatione vitam laudabiliter consummarunt. Temporibus Christi & Apostolorum eius, fuerunt boni malis permixti, in ciuitate, in itinere, in domo, in deserto. Aliqui Christo crediderunt, & opera eius laudauerunt: quidam ipsi contradixerunt, & de eo murmurauerunt. Quidam etiam mystica verba eius malè intelligentes, ipsum deriserunt, & quia vitia eorum iustè reprehendebat, vera & sancta miracula eius inuidiosè denigrauerunt. Etiam Christo prędicante & præsente, contigit inter discipulos aliqua indignatio & disceptatio, quis eorum esset maior & primus, in prælatione & regimine nascentis Ecclesiæ: quam ex diuersis locis & populis, & præcipuè de pauperibus & simplicibus congregauit. Quos pius & humilis magister, verbo suo & exemplo, ad pacis concordiam per humilitatis viam benigna correptione reuocauit, dicens: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et iterum: *Qui vult* Mali nunquam non bonis admixti. *Matth. 18. Matth. 20.*

vult primus esse, erit omnium vestrûm seruus.

8. Ecce charissimi, per ista humilitatis & patientiæ exempla, quæ sunt omnium virtutum fundamenta, potest simplex & obediens frater, sine multis argumentis & astutis verbis, ad regnum cælorum secura conscientia peruenire, & æternos euadere cruciatus inferni; patienter sustinendo quælibet contraria à peruersis iniustè sibi illata. Apparet itaque ex prædictis quòd in omnibus locis & temporibus sanctorum, fuerunt boni & mali, fideles & increduli, deuoti & dissoluti, beneuoli & peruersi, spirituales & carnales: & boni, per suam patientiam, profecerunt quotidie in melius; & mali, tanquam fumus, euanuerunt in malitiis & desideriis suis. Deus autem omnium rerum conditor & inspector seculorum, à principio vsque ad finem, sic nouit moderari causas singulorum; vt bonis omnia cooperentur in bonum, & malis omnia proueniant ad pœnam æternam. A quibus malis, nunc & in æuum, custodiat nos pius & misericors Dominus, iudex iustus & patiens redditor, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

Rom. 8.

SERMO VI.

De *vigilijs nocturnis, contra impugnationem soporis.*

Marci 14. 1. *SImon dormis? Non potuisti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Vox ista, dilecti fratres, vox est cælestis Regis, & Saluatoris nostri Iesu Christi; qui hortatur milites suos ad vigilandum in castris, contra tentationes diaboli, aduersarij generis humani. Quod ergo Dominus vigilanter ad beatum Petrum & ad reliquos discipulos loquitur, hoc etiam indubitanter omnibus nobis dicit. Igitur custode media nocte veniente & excitante, mox ad sonum cymbali euigilemus; & ad ingressum chori, deuotis precibus nos præparemus, ac cælesti Sponso ardentibus faculis occurramus. Studeamus charissimi viriliter abiicere pigritiam corporis & somnolentiam ab oculis nostris. Extollamus manus in cælum, ad laudandum creatorem nostrum, vocibus lætis & mentibus puris: ne fortè prævaleat contra nos callidissimus hostis, & derideat quosdam oscitantes, quosdam parum cantantes, quosdam vocibus discrepantes. Pessimus aliquorum vsus est, (& vtinam non multorum, quod dicere pudet) qui in dormitorio seu in lecto diu phantasiando vigilant: & in Ecclesia, & in choro, præ tædio deuotionis dormitant. Hi sibi & aliis frequenter nocent, nec Christo strenuè militant, neque pro benefactoribus & tribulatis fideliter orant.

In vigilãtes in lecto, & oscitantes in choro.

orant. Valde enim grauiter Deum offendunt, pigrè surgendo, tardè sæpiùs veniendo, tepidè psallendo, verba corrumpendo, crebriùs oscitando, vagè circumspiciendo, malè aduertendo, negligenter inclinando, de longitudine psalmorum attædiando, & ad finem festinando. Gaudent ad sonum refectorij, horrent signum Capituli: properant ad fabulas, tarde intrant ad cellam, languent ad opera, feruent ad fercula bene parata. Omnia ista sunt signa paruæ deuotionis, magnæ ingratitudinis, & vehementis confusionis.

2. Heu, non est timor Dei ante oculos istorum, non amor Dei in corde, non laus eius in ore: sed fraus in voce, & tepor in actione. Vbi est Deus, vbi Angeli, vbi Sancti Dei omnes? Vbi Prælatus, vbi custos, vbi cãtor, vbi lector, vbi suscitator? Omnia euanescunt ante oculos dormitantis. *Euigilate iusti, & nolite peccare*, ait Apostolus. *Vigilate & orate*, ait Dominus, *ne tentet vos Satanas*, præ inopia spiritus pigritantes. *Ipse* etenim *circuit* die ac nocte, *quærens quem deuoret*; qualiter decipiat simplicem, deuotum distrahat, & quietum perturbet. Lætatur valde, si aliquis non cantat aut malè legit: si clausis oculis dormitat; si vagis oculis circumspicit, & seipsum negligit. Adest citò, vt versum ex ore torpẽtis rapiat, & in sacculum suum verborum fragmina iactet. O frater aselle, de genere dormitantium, & numero fatuarum virginum, quarum lampades in nocte extinctæ leguntur; si Deum non times, nec Angelos reuereris, nec fratres tuos scandalizare erubescis: quare diabolum tibi insidiantem non metuis, qui omnia verba neglecta & imperfecta in charta sua cautè describit? Sicut enim Angeli sancti deuotas Deo preces offerũt, & feruenter cantantes diligunt & commendant; sic Satanas cum suis æmulis insidiatur orantibus, vt distrahat & impediat concorditer psallentes; & habeat non pauca contra eos, de quibus eos accuset & torqueat. Sed quia tam immanem raptorem, tam astutum circuitorem, tam strictum exactorem, tam durum accusatorem, & seuerum tortorem non attendis nec formidas, nec futura mala & infernalia tormenta rarò aut parum perpendis; ideo torpescis & dormitas, & tanquam mortuus in sepulchro iaces & taces. Non est labor tam grauis, nec dolor tam acerbus, quin leuior fiet, comparatione ignis infernalis. Heu, quid facies in mortis articulo, diabolo occurrente, cum vultu teterrimo & hiatu furioso? Vbi tunc amici fideles? Vbi epulæ splendidæ, & omnes mundi honores? Vis hæc terribilia euadere, & dæmones non timere? Surge, vigila, ora, canta, lege, labora. Ad iniurias tace, læsiones sustine, despectiones dilige, honores sperne, peccantibus indulge.

1. Cor. 15. Matth. 26. 1. Pet. 5.

3. Non recedant ab oculis tuis luctus damnatorum, ingens clamor dæmoniorum, grauissimus discessus à præsentia Dei, & iucunda societate sanctorum. Times plerumque, videns incendium fornacis ardentis, expauescis fulgura & tonitrua, horrescis tempestates & frigora valida, & vix audes dormire & manere in cella. Ex quo audisti & legisti, multos extinctos subito casu & languore, cur non metuis similia tibi posse accidere? Scito, grauiora post mortem cruciamina imminere. Pone in mente tua, quę naturaliter horribilia videntur: scilicet, ollam succensam pice plenam, sulphure fœtentem. Attende leones fremẽtes, canes mordentes, serpentes sæuientes, busones corrodentes, dracones glutientes; & vinces citiùs turpissima vitia, ad cor tuum maculandum per diabolum tibi immissa: fugabisque longius à te torporem mentis, somnolentiam corporis, & desiderium vanissimæ laudis. Dico tibi, quòd longæ vigiliæ, longę lectiones, horæ diurnæ, silentium, labor & ieiunium, breue faciunt purgatorium, & magnum inducunt gaudium, post trium vel quatuor horarum spatium. Mirum est, quòd tam faciliter tædium sentis in choro cantando, legendo; & non attædiaris diutius fabulando, aut rumores seculi audiendo. Intellige istud esse diabolicum factum, qui nititur omni modo diuinum impedire seruitium, & retrahere te ab Ecclesia & à conuentu psallentium, vt habeat socium in inferno perpetuò comburendum. Tunc clamabunt & vlulabunt, prę nimio calore & dolore, qui modò Deum non laudant corde & ore, cum ingenti feruore. Si te delectat cum amico colloqui, pro qualicunque solatio capessendo, quanto magis festinare debes & anhelare ad diuina audienda; vt loquaris cum Deo, in hymnis & canticis, omnibus aliis curis & imaginationibus prætermisis? Sed quia sępe plus mouent facta quàm verba, adiicienda sunt in fine sermonis exempla aliqua, instructionis gratia. Imitare bona, quæ placent: caue mala, quæ offendunt.

Exemplum.

4. FRater quidam infra matutinas parum cœpit dormitare. Quod attendens frater proximè illi assistens, silenter auribus eius, hoc verbum tantùm ingessit, Infernus. Quo audito, ille subitò perterritus & expergefactus, omnem torporem à se abiecit. Cogita ergo piger de Inferno, & non dormitabis in choro lassus præ tædio.

Exemplum aliud.

5. ALius quoque frater parũ cantans, cùm vocẽ eius astans non audiret, obiecit ei, quod tunc tẽporis in matutinis cantaba-
Marci 14. tur: *Simon dormis?* At ille cõmotus ex verbis istis, deprehendit se notatũ in sopore; & expauit admonentem, præ stupore & pudore.

Exem-

Exemplum aliud.

6. FVit quidam frater in ordine Regularium, Deo deuotus & bene literatus, artificialis cantor, & diuinæ laudationis amator studiosus. Hic quadam vice loquebatur cum alio fratre socialiter de dulcedine diuini cantus, & de solemni officio, quod fit in Ecclesia in præcipuis festis. Dixit ergo ei pro ædificatione, pusillanimitatem eius confortando, vt alacriter cantaret in choro. Frater, Deo laus, ego nunquam habui tedium in diuino officio, quantumcunque longum esset. Nam in festo palmarum, quamuis diuinum officium satis prolixum videtur, præ cæteris diebus: tamen non sum attædiatus de longitudine cantus: sed ita paratum me sensi ad cantandum, quod si aliquis iterum ab initio totum incipere voluisset, libenter cum eo incepissem & cantassem. Hoc audito, ædificatus est frater prædictus, & ad cantandum alacrior effectus. Bene huic seniori credendum fuit, quia semper cum primis ad chorum venit: rarò exiit, exiens pro necessitate, citò rediit, præsens fideliter pro posse iuuit, & oculos in diuersa non defixit.

Exemplum aliud.

7. ALius eiusdem ordinis frater, zelo Dei accensus, contra somnolentiam fortiter certabat, & hanc sibi violentiam inferebat. Grauatus namque somno in choro, capillos capitis sui manu traxit, barbam duriter fricuit, nasum stilo pupugit, oculos saliua detriuit, & sub mento acutum lignum quandoque posuit, vt somni torporem fugaret. Cumque motus carnis sentiret, flammas incendij infernalis cogitabat; & digitorum vnguibus cutem corporis sui acriter sulcauit: & rubras cicatrices tam diu carni prurienti infixit, donec motus illicitus ex diabolo incitatus penitus cessaret.

SERMO VII.

De custodia oris & diligentia operis, cum obedientia superioris.

1. BOnus homo, de bono thesauro, profert bonum. Dilecti fratres, semper aliquid boni de Deo & sacra Scriptura habeatis in cordibus vestris reconditum; atque in opere exteriori replicate dulcia verba Christi, quę confortent vos in grauamine laboris vestri. Ruminetis sedulò deuotos psalmos & hymnos sub silentio oris vestri: ne diabolus inueniat vos intus vagos & otiosos, circa aliorum facta inutiliter occupatos; quia cor instabile, & à bonis cogitationibus vacuum, nidus est diaboli. Ponderate verba vestra, antequam loquamini: ne quid insipidum proferatis, quod audientem offendat, & dixisse pœniteat, quia discretionis *Matth. 12.*

limitem non seruastis. Si nonscitis sapienter loqui, studeatis tamen humiliter & verecundè tacere, iuxta illud Salomonis:

Prou. 17. *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur.* Tempus ad bene operandum datum est, non ad otiandum, neque ad fabulandum, neque ad iocandum. Nullum ergo tempus absque fructu boni operis transire permittatis; quòd si habetis licentiam loquendi, non ali-

Matth. 12. quid inutile proferendi. Sicut enim de omni verbo ocioso reddituri estis rationem coram Deo in iudicio; ita etiam de omni tempore & momento, malè & negligenter expenso. Secundum diuersa autem tempora vel festa, per diem & noctem assumenda sunt exercitia temporibus apta, & feruentiùs accendenda proposita bona. Attamen propter bonum obedientię, & fraternæ charitatis obsequium, omnia priuata sunt abneganda, nec aliquod deuotionale singulare factũ, sanctæ obedientiæ & com-

Luca 2. muni vtilitati præferendum. Sic Christus reliquit templum & doctores legis, & obediuit matri & Ioseph, sicut bonus filius subditus parentibus suis, ad exemplum omnibus religiosis. Qui in hoc bene se exercet, & quotidie certat, & seipsum vincere laborat, altissimè coronabitur, quia legitimè certauit. Omnia enim opera bona, ex simplici obedientia propter Deum facta, Deo sunt gratissima, & maxima remuneratione digna, in cælo perpetuò coronanda. Abnegatio namque propriæ voluntatis, cum vera humilitate cordis, subdita Prælato & consilio sui superioris, omnia temporalia lucra & vtilitatis augmenta superat, & præfulget laude æterna. Sicut enim nil ditius bona voluntate, nec quietius spontanea subiectione; sic nihil deterius propria voluntate, cum inflatione superbiæ. Hinc de laude obedientiæ Salo-

Prou. 21. mon ait: *Vir obediens loquitur victorias.*

2. Magnum certamen est, seipsum vincere; glorioſus triumphus, ceruicem superbiæ flectere, proprium videre relinquere, propriam sapientiam deponere, & in nullo se velle ostentare. Omnis, qui propter Deum sponte obedit, opus fortissimi militis facit: quia cõtra seipsum certat, & diuini timoris gladio propriæ voluntatis motus enecat. Ideoque cum martyribus coronam perennis gloriæ accipiet; quia viriliter certauit & vicit. Quicũque ergo superiori, aut etiam inferiori humiliter obedit, & sensum suum alterius sensui libenter subiicit; iste nil perdit, sed cedens alteri amplius lucratur. Omnis, qui se sic vincit & humiliat, caput superbi Luciferi conculcat; qui contraria humilitati suadet, ne homo alteri cedat, sed ad argumenta callida se vertat. Cur hoc? Ne tacendo foris vilescat, & quasi fatuus aut inscius appareat; quia se defendere nescit, aut superari permittit. Heu superbia, quàm cæca & fatua semper, quàm longè deuias à regno Dei,

&

& præcipitanter curris ad portas inferni? O quanta bona & laudabilia dicta sunt de te humilitas sancta, semper obedire parata! Tibi enim apertæ sunt ianuæ cæli, ad videndã glorioſam faciem Ieſu Chriſti. Non ergo graue alicui ſit, nec indignum videatur propter Deum obedire homini, in licitis & honeſtis: quando Chriſtus factus eſt obediens, vſque ad ignominiam crucis.

3. Reuera fratres, ſi quis obedierit, aut ſeruierit fratri propter Deum, hic exhibet Deo maximum in ſua ſubiectione honorem; & habebit in fine Chriſtum ſui laboris præmium, ac ſanctæ ſeruitutis remuneratorẽ ita dicentem: *Quod uni de his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Sine obedientia namque & fraterna charitate, aut parua aut nulla ſunt opera noſtra. Cum humili verò obedientia, placent Deo etiam vilia & parua obſequia, fratribus impenſa. Verus & perfectus obediens, non tardat vocatus, non ſe excuſat occupatus, aut fatigatus. Timet enim Dei incurrere offenſam, ſi non ſequitur iubentis vocem, ſecundùm ſuam poſsibilitatem. Siue ergo obediens orat vel laborat, ſiue legit aut ſcribit, ſiue tacet aut loquitur, ſiue vigilat aut quieſcit, ſiue comedit aut ieiunat; omnia ipſi in bonum, ex merito ſanctæ obedientiæ computantur. Nam in omnibus actibus ſuis, faciendis vel dimittendis, æquè bene meretur, ſi ſeipſum plenè intus reſignat; ſi in his beneplacitum & honorem Dei, veraciter quærit & intendit. Et tanto amplius proficit, & Deo gratiùs placet: quanto citiùs & alacriùs implet, quod voluntas ſuperioris facere dictat. Et ſi meliùs ſciret, & clariùs ſibi mandatum innoteſceret, omni nutatione remota, promptiſsimum ſe ad obediendum Deo & vicario eius exhiberet. Idcirco verus obediens ſemper in gaudio eſt, & magnam fiduciam in Deo habet, cuius voluntatem perficere omni tempore cupit: (à quo præmium ſine fine recipere, cum electis, non dubitat) corde & ore decantans: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Pſal. 56. Et iterum: *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.* Pſal. 118.

SERMO VIII.

De vana gloria cauenda, & quòd ſoli Deo laus eſt exhibenda.

1. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Matth. 5. Dilecti fratres, quando aliquid boni facitis, nolite extolli, nolite vanè gloriari: ſed humilietis cor veſtrum coram Deo, ne propter vanam gloriam & propriam complacentiam perdatis cæleſtem gloriam, & mercedem æternam. Omnis actio bona Deo aſſcribenda eſt, non veſtræ induſtriæ nec potentiæ. Studeatis ſoli

soli Deo velle placere, & proximo bonum exemplum dare, in obseruantia regularis disciplinæ: ne diabolus inueniat, vnde vos grauiter accuset, & improperet, quia similes estis sepulchris foris
Matth. 23. dealbatis. Quid prodest vana laus hominum, quando intus arguit mala conscientia peccatorum? Superbus & ambitiosus, gloriæ temporalis, laborem sine fructu habet: & nisi citò pœnituerit, & se profundè humiliauerit, maioris pœnæ cumulum aggregabit.
1. Cor. 13. Extra charitatem Dei & proximi, nulla prosunt opera ab hominibus laudata: sed sunt sicut vasa vacua, oleum non habentia: &
Matth. 25. sicut lucernæ in tenebris non lucentes. Profectò namque fatuæ sunt virgines, qui pro aliquo bono opere vel sermone quærunt hominum laudes. Prudentes verò sunt, qui in timore stant, & paruum bonum quod agunt, in vera humilitate custodiunt: totum etiam quod sciunt & intelligunt, & ad effectum producunt, aut facere in melius proponunt, hoc summo Deo omnium bonorum largitori veraciter attribuunt. Alioquin fures sunt & latrones: fures, quia gloriam & honorem Dei illicitè vsurpant: latrones, quia vanè gloriando animam suam inficiunt, & superbiendo gratiam Dei perdunt.

2. Quis est iustus & prudens? Qui Deum præ oculis semper habet, semper bona cogitat, semper bona loquitur, semper bona operatur, dum viuit & potest. Nolite, fratres, ideo superbire, quia multa scitis & legistis: aut quia diu in via Dei & in religione fuistis. Dolendum magis, quia tam parum in virtutibus profeciſtis: & vtinam primitias nouellæ dulcedinis adhuc haberetis, & ita sentiretis. Verumtamen non debetis desperare, nec ab inceptis bonis desistere: sed cum omni humilitate diuinum auxilium flagitare, vt Deus dignetur nouum feruorem vobis inspirare. Nam quamdiu homo in statu præsenti versatur, instabilis est, & de bono ad malum labilis: & è conuerso, de malo ad bonum repara-
Eccles. 7. bilis. Vnde sapiens rex Salomon ait: *Non est homo iustus super terram, qui facit bonum, & non peccet.* Et beatus Ioannes, amantissimus Iesu discipulus, dicit in epistola sua, ne aliquis glorietur
1. Ioan. 1. inaniter de iustitia & puritate sua: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nemo
Iacobi 3. ergo se excuset, quasi innocens sit, & à culpa purus: quia *in multis offendimus omnes*, ait beatus Iacobus Apostolus. Aut enim scienter quis peccat, aut ignoranter, aut sponte, aut inuitè, aut ex infirmitate, aut peruersa voluntate, aut ex timore vel ex amore; aut ex desperatione vel præsumptione, aut ex animi leuitate, aut ex consuetudine, aut ex tepiditate, aut ex societate tractus, aut singularitate elatus, aut iracundia commotus, aut concupiscentia allectus.

Quot modis quis peccet.

3. Istis

3. Istis passionibus variisque desideriis, tanquam contrariis ventis, mouetur & turbatur sæpe cor hominis: & propter has mundi procellas, rarissimè venit homo ad portum quietis. Vix enim est dies aut nox, hora vel mora tàm breuis & bona, quin in aliquo homo erret, aut tepescat, aut negligentias committat. Pro quibus omnibus sine intermissione orare oportet; vt pius Deus misericorditer ignoscat omnibus malis nostris, quæ vel facto, aut cogitatione deliquimus. Et quia nemo purus à sorde, ideo cum humilitate & cordis contritione, ad confessionis remedium celeriter recurrendum est: & cum maiori custodia de cætero ab omni occasione malarum cogitationum præcauendum. Oportet hominem in initio niti præcauere malum; ne serpens lubricus foramen paruum inueniat, & tandem totum caput cum cauda violenter infigat. Cor hominis quiescere nescit: sed vel in bono aut in malo occupatur, sicut experientia frequens docet. Et quantum bonum quis diligit & virtutes sectatur; tantum malum odit & vitia execratur: quia contraria in vna domo morari non possunt. Nemo tamen requiem cordis inueniet, quicquid habet vel desiderat, nisi Deum verum & summum bonum quærat, & habeat ad fruendum; & temporalibus moderatè vtatur, ad æternum Dei regnum promerendum. *Iob 15.*

4. Quærite ergo nunc fratres Christum in humilitate, vt postea videatis eum in sua maiestate. Quærite nunc gratiam eius per orationes cum lachrymis sinceris: vt purificati à sordibus cunctis, digni sitis videre faciem eius in cælis. Quærite nunc Christum in lege & Prophetis, velatum sub figuris: vt postea omnia secreta scripturarum perfectè sine libris & magistris cognoscatis, sicut per Apostolum Paulum dicitur: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed ad habēdum summum bonum cum electis Dei, quis aptus & dignus esse poterit? Nempe verus humilis, perfectè obediens, mitis & patiens, multum dolens de peccatis, fortiter resistens vitiis, mundi gloriam spernens, seipsum nihil reputans: Ad exteriora rarus, ad interiora assiduus: Ad terrena frigidus, ad cælestia feruidus: Ad portādum alios benignus, ad castigandum se strenuus: Ad indulgendum facilis, ad irascendum difficilis: Ad custodiendum cor suum omni hora solicitus: Ad exeundum foras tardus, ad remanendum domi animo lætus. Beatus, qui hæc mente reuoluit, & ad intima sua citissimè redit. Beatus, qui nil temporale, nil carnale, nil turbidum, nil tumidum, in secretarium cordis sui finit intrare, nec patitur immorari. Beatus, qui multa bona scit, & facit quæ didicit: quia nunc magnam pacem habet, & in futuro beatiorē cum Christo gloriam iugiter obtinebit. Tunc enim euanescet omnis *1. Cor. 13.*

vana

vana gloria & temporalis lætitia, cùm apparuerit Christus, vera & cæleſtis gloria. Quam nobis conferre dignetur cum omnibus ſanctis ſuis, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amē.

SERMO IX.

De periculo multorum malorum ex multiloquio.

1. Reg. 2. 1. NOlite *multiplicare loqui ſublimia gloriantes.* Dilecti fratres, teneatis verſiculum iſtum firmiter in mente veſtra, & caueatis loqui de alta materia; ne diabolus vos tentet de vana gloria, & perdatis tempora veſtra, pro deuotione & compunctione vobis data. Magis expediret multis, quòd cogitarent de pœnis inferni, & igne purgatorij, quàm de latitudine mundi & altitudine cæli. Nam cogitare & loqui de tremendo futuro iudicio & de ſuppliciis reproborum, ſæpe timorem incutit, qui eſt valde vtilis tepidis & diſſolutis. Loqui autem de cælo empyreo, & nouem choris angelorum, non deſeruit iuuenibus & immortificatis monachis; qui leuiter extolluntur, cùm ſubtilia aliqua legunt vel audiunt: de quibus meliùs tacerent, & defectus ſuos inſpicerent, & lugerent.

2. Fratres tunc verè ſapienter agitis, ſi cognoſcitis vitia veſtra: & acriter de omnibus malis doletis, quæ feciſtis. Heu, quanta bona omni hora, otiando & fabulando perditis; quæ laborando, tacendo, & orando, lucrari poteſtis! Proponatis ergo firmiter vos emendare, & feruenter proſpicere, & in ordine conſtanter perſeuerare. Sæpiſsimè oculos veſtros cum humili prece leuate ad Dominum in cœlis gemendo, & in ſecreto cordis veſtri pro delictis orando. Tales Deus diligit, qui corda ſua ad cæleſtia ſæpius leuant & orant. Libenter ignoſcit culpis veſtris præteritis, ſi veniam petitis, & gratiam quæritis & cuſtoditis. Nunquam fatuè cogitetis magna & alta de vobis, ne cadatis antequam ſciatis.

Gratię per omnia Deo agendæ. 3. Quando ergo aliqua bona cogitatis, vel dicitis, vel facitis, non hęc vobis vel in modico attribuere debetis: ſed ſtatim omnia ad Deum integrè referre cum gratiarum actione ſtudeatis, à quo omnia bona deſcendunt, quæ in vobis cognoſcitis, & in aliis videtis. Omnia Dei dona ſunt, quæ corpus & animam ornant: Deus enim dedit eſſe, viuere, ſentire, agere, diſcernere, & intelligere. Magna cæcitas cordis eſt, non conſiderare dona diuina, & quantum creatori tenemur regratiari. Tanta ſunt beneficia Dei, vt numerari nequeant, nec ſufficiant explicari. Grauiter ergo peccant, & per ingratitudinem Deum offendunt; qui vanis implicati, deuotas Deo laudes, pro beneficiis eius, non perſoluunt.

Epheſ. 5. Vnde Apoſtolus Paulus ait: *Gratias agite ſemper pro omnibus, in nomi-*

nomine Domini nostri Iesu Christi. Et Dauid in psalterio & cithara canens, post multa beneficia collata, Deo gratias referens, dicit: *Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.* Et per Esaiam Prophetam ipse Dominus loquitur, dicens: *Gloriam meam alteri non dabo.* Quid ergo dicemus ad hæc, qui nihil aut parum boni facimus: & tamen gloriari & laudari cupimus? Fœda res omnino, reputari velle de virtutibus, quas non habemus. Relinquamus hanc vanitatem, sequamur sanctos Apostolos & Prophetas, qui verè sancti fuerunt: & tamen nihil sibi de sanctitate, sed totum Deo attribuerunt. Quando igitur gloriam Dei & honorem quærimus; & de omnibus bonis nobis collatis, gratias ei purè & integrè reddimus: tunc sursum cum Angelis in cælum ascendimus, qui in natiuitate Christi, *Gloria in excelsis Deo.* cantauerunt. *Psal. 58. Esaiæ 42. Luca 2.*

4. Quando verò inanem gloriã de aliquo bono foris appetimus, aut nobisipsis intus placemus, & plus ponderamus opera nostra quàm debemus: tunc veraces non sumus, nec in veritate humiles, sed superbi & inanes, Deo despecti, angelis reprobati, & ab omnibus Sanctis alienati. Vnde ex vitio elationis infra nos cadimus, & paulatim inferno appropinquamus: quia dæmonibus & damnatis assimilamur, qui Deum non amant, nec laudant, nec gloriam Dei contẽplari valent. Et quia honorem Deo debitum non exhibent, nec sponte cum Sanctis se humiliant; sed creatori suo peruersè & superbè resistunt, iusto Dei iudicio, pœnam infernalem quocunque secum ferunt, & in malitiis tabescunt. Ignibus vruntur, & non purgantur: acerrimè torquentur, & nunquam meliorantur. Ex quo in seipsis gloriam quæsierunt, cælum perdiderunt; & ab æterna gloria Dei in opprobrium sempiternum ceciderunt. Sic heu miseri superbi homines, in se gloriantes & alios despicientes, citiùs peribunt quàm putant, qui de se præsumentes dicunt aut cogitant: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Estote ergo fratres, humiles corde, casti, benigni, modesti, compatientes, circumspecti in verbis, diligentes in opere, feruentes in oratione, patientes in tribulatione: obedientes sine tardatione, simplices sine quęstione, verecundi sine fictione, taciturni sine suspicione, obsequiosi sine murmuratione. *Deut. 32.*

5. Quando etiam Deus, ex sua magna pietate, aliqua bona alicui oranti vel studenti inspirat vel reuelat, non statim de hoc se extollat, nec aliis se præferat, aut sanctiorem æstimet: sed cogitare debet & credere, quia non propter suas virtutes & labores, nec propter sua merita & ingeniosa opera, hęc fecit ipsi Deus, sed propter immẽsam bonitatẽ suã, qua pluit super bonos & malos, effundẽs misericordiã suam super omnẽ creaturam. Sic enim

loquitur

loquitur per Ezechielem Prophetam ad Iudæos, superbientes de
Ezech. 20. 36. bonis sibi datis: *Non propter vos, sed propter memetipsum hæc feci, domus Israel notum sit vobis.* Nemo ergo abutatur bonitate & miseratione diuina super se, sibi aliquid attribuendo per superbiam: ne in indignationem Dei mox incurrat propter ingratitudinem suam, & audiat duram contra se iudicis sententiam, terribiliter
Luc. 19. intonantem: *Auferte ab eo mnam*, id est, deuotionis gratiam, qua indignus est propter vanam gloriam: *& date ei, qui decem mnas habet*, propter suam humilitatem & gratitudinem. Nam dignus est maiora recipere dona, qui pro minoribus studet semper Deo gratias agere, & indignum omnibus se fatetur. Dat sæpe benignissimus Dominus consolationem suam, non solùm propter vnum hominem, vel duos se inuicem consolando: sed etiam propter aliorum ædificationem & multorum instructionem, ad amandum & laudandum tam pium, dulcem, ac largifluum Dominum in donis suis, qui tam bonus & beneficus est, dando gratiam suam humilibus, mansuetis & corde compunctis. Subtrahit verò citò dulcedinem suam ab elatis & ingratis, à vaniloquis, à curiosis, à dolosis & murmurosis.

6. Oportet enim cor mundum esse à vitiis, si intrare debet dulcedo sancti Spiritus, quæ pretiosior est cunctis opibus terrenis. Ditabitur autem bonis æternis in cælis, qui respuit delectari in laudibus humanis. Quæratis ergo potiùs consolari in deuotis precibus & lachrymis, quàm in altis quæstionibus & longis fa-
Matth. 25. bulis. Studete in libro conscientiæ, fugite vmbras vanæ gloriæ, recondite oleum in vasis vestris cum prudentibus virginibus, abscondite thesaurum cordis in valle humilitatis. Si enim culmen veri honoris quæritis, ad illam cælestem patriam toto desiderio festinetis. Ad quam feliciter obtinendam, perducat nos pariter Iesus Christus, Amen.

PARS

PARS SECVNDA SERMONVM AD NOVITIOS.

SERMO X.

De multis tribulationibus iustorum, pro regno cœlorum.

1. MVLTAE *tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Dilecti fratres, sanctorum vitam aspicite, doctrinam sanctorum libēter audite & legite, exempla eorum imitari desiderate, ac glorioſa eorum ſuffragia inſtāter petite; vt in aduersis fortes sitis, & omnes labores diurnos ac nocturnos pro Christo constanter ferre valeatis. Non dubitetis de futura Christi promissione, quam reddet diligentibus se opere completo, & agone viriliter consummato. Non fuistis in inferno, nec in puteo Luciferi, ideo onerosa videntur statuta claustri. Non estis experti ignem purgatorij, ideo horretis sustinere verbum improperii, rigorem silentii, duritiam lectuli, grauitatem ieiunii, vilitatem cibi, laborem cantandi, & frequentiam orandi. Si vultis omnia habere pro libitu vestro, quid inde meremini coram Deo? Ista non concordant sanctis, qui passi sunt grauissimas pœnas temporibus multis. Consideretis igitur in paruis laboribus & angustiis vestris, acerbissimas sanctorum martyrum passiones: & quorum solemnia per annum celebratis, horum agones sectamini per veras virtutes. Cumque tribulationē aliquam sentitis, scutum patientiæ assumite; ne ante tempus finiti certaminis in religione deficiatis. *Psalm. 33.*

2. Non scandalizet vos, si mali florent in mundo, & boni gemūt sub onere; si peruersi gaudent in honoribus, & boni priuantur rebus necessariis & amicis. Deus clemens & iustus, meliora & æterna bona prouidit electis suis, in posterum reddenda: quos nunc diuersis modis percutit per malos & castigat, vt digniores fiant ad maiora præmia recipienda in cælestibus regnis. *Multæ* itaque sunt *tribulationes iustorum*, propter regnum cælorum: sed & *multa flagella peccatorum*, quę sunt initia dolorum futurorum. Et quis poterit plenè cogitare & perpendere abyssum iudiciorū Dei, super filios hominum? Etenim iustus Dominus, & iustitias *Ibidem.* *Psalm. 31.* Flagella peccatorū initia dolorum. *Psalm. 10.*

dilexit: qui bonis & rectis corde omnia in bonum ordinat, & in salutem eorum conuertit: & malis, duris, ac peruersis, omnia in eorum perniciem & luctum retorquet.

3. Sustinete ergo fratres, sicut boni & fideles serui Christi, patienti corde & animo benevolenti, pauca grauamina; quæ vos interdum molestant, & probant, quàm fortes estis: quia non diu durabunt, nec confundent humiles, sed piè tolerata valde lætificabunt animas vestras, iuxta illud Psalmistæ: *Exultabunt ossa humiliata:* Et, *humiles spiritu saluabit.* Si essemus verè humiles, & onera peccatorum nostrorum strictè ponderare vellemus, nihil importabile sentiremus: vix vnum pro mille, nos recipere diceremus. Oportebat namque Christum pati, qui tamen peccatum non fecit: quanto magis nos miseri peccatores, qui quotidie offendimus multos in multis: scilicet Deum, angelos, sanctos, & homines. Permittit autem Deus multas tribulationes cadere super electos suos, non ad eorum reprobationem, sed ad peccatorum purgationem, ad meritorum augmentum, ad maiorem cautelam: & ad eorum imbecillitatem, per patientiæ virtutem, roborandam. Ponat ergo vnusquisque se ad patientiam, si vult habere cordis tranquillitatem; si cupit coronam gloriæ recipere in cælo, post certaminis sui laborem. Vita ista temporalis, plena est tribulis & spinis, in qua exercentur & probantur electi per aspera, vt eo ardentiùs desiderent bona æterna.

Psalm. 50. Isai. 33.

Luc. 24. 1. Pet. 2.

Electos suos quare permittat Deus cadere in tribulationes.

4. Ecce nemini parcit Deus, sed dat vnicuique onus propriũ ad portandum, vt habeat causam ad multum promerendum. Alia namque adueniunt, & tentãt nos à dextris per blandimenta: alia à sinistris per vituperia: alia ab anteriori parte occurrunt, per austerum vultum: alia à posteriori pungunt, per detractionis morsum: alia à superioribus nos arctant ad laborandum; alia ab inferioribus ebulliunt ad deridendum, sicut pueri paruuli sanctum Heliseum. His sex ventis commouetur status vitæ præsentis; & impugnatur omnis Christianus, siue religiosus siue secularis. Nec dives, nec pauper; nec sanus, nec æger, sine onere est. Quilibet habet satis ad portandum; & qui dorsum suum ad hoc præparat & incuruat, sapienter agit, & leuius portabit. Qui autem otiari quærit, & delectati fabulis, ac vagari per officinas & nemora cãpi, incidet in latrones, & canes mordentes: hoc est, in varias tentationes carnales, gratiam deuotionis extinguentes, & conscientiam multis vulneribus sauciantes.

4. Reg. 2.

5. Sic est religiosus in claustro professus, sicut nobilis miles ab hostibus in castro vndique obsessus. Non potest fugere, non potest otio torpescere, sed vigilare oportet, & in armis semper stare, contra inimicorũ insidias & sagittas. Nisi enim pugil Christi

cingulo

cingulo castitatis sit accinctus, & scuto patientiæ vndique præmunitus; aut citò turbatur, aut deiicitur, aut vulneratur. State ergo in timore Dei, & præparate vos ad certandum contra passiones vestras, & hominum vexationes, & linguas iniquas: quia habetis semper aliquem aduersarium; nũc istum, nunc illum: prout Deus permiserit ad humiliandum vos, ne in bonis superbiatis, & per vanam gloriam totum perdatis. Quòd si humiliter & patienter aduersarios vestros sustinueritis, eritis Deo accepti, & sanctis martyribus in patiendo cõformes, atque in regno cęlesti valde glorioſi & sublimes. Oportet omnino, quòd humilitas gloriam præcedat; & patientia victoribus coronam cum multis ictibus præparet. Nam sine patientia, & certamine, & labore, vana est spes præmij cęlestis. Induite ergo vos dilecti fratres (sicut beatus Paulus ait) loricam fidei, non hæsitantes de adiutorio Dei: pro summo solatio diuina promissa inter angustias recolentes, ac totam spem vestram in Deo & non in hominibus ponatis: quia homines sæpe fallunt & fallũtur in opinionibus & astutijs suis, meditantur inania, & stulta loquuntur: iudicia futura non prospiciunt, nec Deum (vt oportet) metuũt. Cauete pręcipuè ab hominibus iracundis & dolosis, à socijs vagis & iocosis, ne discatis fabulari & ridere cum leuibus, qui ambulãt per amœna loca ad hospitia praua. Sed cum simplicibus & humilibus, cum mitibus & deuotis, sit conuersatio vestra, vt ab istis capiatis consolationem spiritus, & in virtutibus magis ac magis proficiatis. *Thess. 5.*

6. Patientia & fortitudo est vobis maximè necessaria, qui in religione estis, & statis sub obedientia. Et ideo libenti animo & pleno corde obedire, & bonis consilijs maiorum acquiescere studeatis: licet interdum aspera & vilia videntur, quæ iubentur. Igitur sicut ab omni parte instant pugnæ, impugnantes fragilitatẽ vestram: ita sunt præmia maxima in dextera Dei posita, pro multa patiẽtia omnium tribulationũ vobis restituenda. Animetis ergo vos ad omnia ferenda, & non abijciatis onera, ad promelenda gaudia sempiterna.

7. A Superioribus namque oportet vos frequenter sustinere correptiones, pro excessibus vestris; quia melius est hic, quàm in futuro purgari. Sed & eorum obedire præceptis propter Deum tutissimum est, si vultis cum electis felicissimè coronari. Subijciatis ergo vos spõtaneæ eorum ditioni, vt ducant vos tutiori via & breuiori spatio, inter tot hostes & pericula, ad portum salutis sine murmure, & siniſtra aliqua suspicione.

8. Ab inferioribus oportet vos sustinere, eorũ imperfectiones tam morum quàm corporum, quod est opus pietatis; & quandoque etiam irrisiones sufferre, quod est mansuetudinis insigne.

9. A dextris oportet vos cautè attẽdere, ne per adulationes & vanas commendationes seducamini; ne sanctos & iustos vos æstimetis, aut super id quod dicitur cor eleuetis. Nocent sæpè vanæ laudes: fallunt dulcia verba animos leues: sicut auceps fistula dulciter canens, decipit & arripit aues. Ergo laudem vel honorem ab hominibns non quæratis, sed fugiatis, ne apud Deum mercedem plenam pro fabulis stolidis perdatis. Multi in facie laudant, post tergum vitia narrant. Qui conscientiam suam inspicit, humanas laudes non ponderat, nec affectat.

10. A sinistris verò, oportet etiam cautelam magnam habere; vt nõ turbemini ab ijs, qui vituperant facta vestra, deridẽdo, proclamando, & ad eius bona interpretãdo. Ne impatientes sitis in corde, aut durè respondeatis in voce: quia fortè volũt vos opprobrijs probare, si verè humiles estis, & patientes in aduersis.

11. A anteriori parte oportet vos considerare, cum quibus loquimini, cũ quibus statis & ambulatis: quales sint vicini vestri & confratres, in moribus, in verbis, & actibus suis: ne fortè seducamini & inquinemini malis exẽplis, per dissolutiones & libertates iuuenibus valde nociuas. Nam sæpè post iocos leues, peruenitur ad tristis conscientiæ dolores, iuxta illud prouerbium Salomonis: *Extrema gaudij luctus occupat, & risus dolore miscebitur.* Non debetis omni verbo credere, nec vlteriùs citò auditu proferre. Non omnia ædificant, nec aliorũ secreta scire expedit. Sæpè mendacia narrantur pro veris, quæ à cælestibus desiderijs retrahunt audientes. Abstinete ergo à nugis & iocis, quæ bona studia impediunt, intellectum obscurant, memoriam distrahunt: & pacem habentes, friuolis suspicionibus inquietant.

Prou. 14.

12. A posteriori parte oportet vos etiam oculum habere apertum, & de futuris periculis non exiguè præcogitare: scilicet, qualia possent vobis per eos, quos iam amicos tenetis, contraria aduenire. Præparetis igitur dorsum vestrum ad sustinendum omnem euentum malorum, ad abluendum peccata præterita, ad vitandum iucunda præsentia, & ad minuendum futura purgatorij tormenta. Nam hominum oblocutiones, detractiones, accusationes, & derisiones patienter acceptæ, medicinæ sunt optimæ pro salute animæ, à iustissimo Deo peccatoribus iustè inflictæ. Non itaque nocebit dura correptio verborum, si beneuoli & innocentes estis: quia sermo durus, vtilis est ad correctionem dissolutorũ. Audistis iam ex supradictis, in quàm multis periculosis bellis consistitis: & quãta bona potestis promereri, si viriliter repugnatis. Non ergo sitis remissi, nec præ multitudine hostium desperantes: sed cum religiosa solicitudine, satagite semper in melius & feruentius exercitium proficere; vt per longanimitatem

tem & patientiam, in virtutibus & laboribus multis, perueniatis ad requiem perpetuam, ab omnibus malis securam (largiẽte Domino nostro Iesu Christo, intercedentibus sanctis martyribus suis) diuque desideratam à vobis æternæ vitæ coronam. Amen.

SERMO XI.

De quotidiano martyrio & bello, in statu religionis.

1. QVONIAM *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Dilecti Fratres, bene notate verba ista, in auribus vestris iam lecta: quæ valde salubriter pro instructione vestra, diu ante natiuitatem vestram, per Prophetã in Psalmo sunt prænunciata. Benedictus Deus, qui vocauit vos de præsenti seculo nequam: in quo periclitantur multi in corpore & anima, sequentes carnis desideria & fugitiuos honores. Videte ergo vocationem vestram ad congregationem istam, à Deo paratam: in qua promereri potestis breui tempore cum modico labore vitam æternam. Ecce religionem intrastis, sponte propriis renunciastis; & quodammodo mundo mortui estis, aut quasi mortuos in sepulchris vos reputare debetis. Hoc etenim habitus vester foris ostendit: & fama de vobis transit, quòd de mundo non estis, sed filij Dei excelsi omnes. Dicunt enim frequenter homines seculares, de religiosis personis: Qui Deo seruit, totum mundum deludit; & valdè sapienter facit. Cælum sibi comparat, & ab inferno non timebit. Mortificate ergo membra vestra super terram; ne diabolicus furor vos iterum afficiat, & ad æterna supplicia per mollitiem carnis secũ trahat. Magnus profectò labor est, certare quotidie contra passiones & vitia: sed præmia maxima vincentibus sunt promissa. Percogitetis verba, quæ cantantur tam sedulò de sanctis martyribus in ecclesia nostra, pro eorum laude & memoria, ad impetranda suffragia; quorum dulcedo tangere debet cordis nostri intima, & excitare tepiditatem nostram, ad toleranda pro Christo vel pauca contraria. Sic enim ad vesperas sæpissimè suffragatur: Certamen magnum habuerũt Sancti Dei, transierunt per ignem & aquam, & salui facti sunt. *Psalm. 43.* *Coloss. 3.*

2. O dilecti fratres, qui in religione sub obedientia statis; si fideliter impletis, quod vouistis, martyres estis, aut adhuc quotidie patiẽdo fieri potestis. Nã toties nouas coronas & margaritas pretiosas pro certamine vestro accipietis: quoties singula mẽbra vestri corporis, quotidianis laboribus pro Christo exponitis. Et si proprias voluntates relinquitis, & sensualitati vestræ fortiter resistitis, magnam à Deo consolationẽ intus percipietis. Omnis religiosus in obedientia viuens, paratus suam voluntatem frangere, atque Prælato suo humiliter nitens obedire: iste veraciter in

ſpiritu martyr efficitur, quamuis materiali gladio in collo non feriatur. Et quicunque perfectę mortificationi, tota die, id eſt per totum tempus vitæ ſuæ, ſe tradit, ſimplici ex corde obediendo, exemplum Abrahæ imitatur: qui vnicum dilectum filium ſuum Iſaac in holocauſtum offerre, ligare, & occidere, non recuſauit. Legimus etiam de ſanctis martyribus, quòd per diuerſa tormentorum genera tranſierunt ad regna cælorum: Qui non elegerunt pro ſua voluntate, qualem pœnam aut mortem paterentur: ſed totaliter diuinæ ordinationi ſe commiſerunt, corpus & animam creatori ſuo ad omnia ſuſtinenda conſtanter obtulerunt. Quando igitur aliquis veſtrûm audit, præceptum ſibi contrarium à Prælato imponi, & tamen paratus eſt obedire: ſi tunc etiam vim ſibiipſi inferre conatur, atque murmurationẽ inſurgentem compeſcit & necat, tunc gratiſsimum Deo ſacrificium in ara cordis immolat, & cum martyribus de hoſte victor ſuiipſius factus, ſtrenuè triumphat. Multi namque martyres violenter tracti ſunt ad carceres, & duriſsimis inibi vinculis ferreis ſtringebantur: quin etiam ſine cibo & potu, ſine lumine & aliquo humano ſolatio, dimittebantur iacére in fœtore & mortis horrore. Et tamen in fide Chriſti conſtantes permãſerunt, & gratias Deo in doloribus ſuis agere ſtuduerunt; quia pro nomine eius, contumelias & tormenta pati meruerunt. Horum exempla intuentes, nolite in aduerſis deficere, & de nimia paupertate conqueri: nec propter rigorem diſciplinæ, de prælio ante finẽ victoriæ fugere. Illi dignè coronari merentur, qui legitimè certant & perſeuerant. Leuiſsimus eſt omnis labor pœnitentiæ noſtræ, comparatione pœnarum & abſtinentiarum ſanctorum martyrum, & conſideratione dolorum infernorum.

Gen. 22.

3. Audiſtis frequẽter in paſsionibus martyrum, quòd in diuerſis membris ſuis fuerunt cruciati, & poſt graues dolores eiſdem membris priuati: deinde ferociſsimis beſtijs ad deuorandum dati, aut etiam flammis ardentibus iniecti. Nondũ fratres iſta eſtis experti, nondum ſic tentati, nec probati; nondum ſic vexati, nec verberati; nondum ſic deriſi, nec contumelijs repleti, nondum de domibus veſtris nudè & ignominiosè expulſi, & per plateas publicè tracti. Nondum vſque ad ſanguinis effuſionem tentationibus reſtitiſtis; nec manum, nec pedem amputari pro fide & caſtitate permiſiſtis. Verum, ſi ſæpè deficitis in minimis paſsionibus, pro Chriſto in religione ſubortis; quomodo maiora pati in perſecutione poſſetis? Sunt namque multa, in quibus probare poteſtis fortitudinem veſtram, quamuis ſanguinem non fundatis, nec vſque ad mutilationem membrorum repugnatis. Sãcti martyres membra ſua pœnis expoſuerunt grauiſsimis, vos in multis

Heb. 12.

ieiunijs & vigilijs, in silentio & laboribus, corpus vestrum, ne insoleſcat, castigare debetis. Qui enim omne amarũ pro dulci, omne vile pro pulchro, omne triste pro gaudio accipit & sustinet: hic veraciter calicem Domini cũ martyribus bibit, & in futuris pœnis vri nõ timebit, sed sanctorum choris sociari summè gaudebit. Vnum ex his eligatis, aut æternaliter comburi cum dæmonibus, pro modicis voluptatibus: aut pro breui abstinẽtia, perenni gloria perfrui cũ Angelis sanctis. Et quia martyres mala perpetua attenderunt, ideo mala rranſitoria leuiùs pertulerunt; & potiùs per angustam viam, ad latitudinem cæli intrare optauerunt. Potest quilibet in ordine & in statu suo, religiosè & deuotè viuendo, palmam martyrij obtinere; si contra vitia sua fortiter certat; si pro aduersantibus & detrahentibus orat; si castitatem illibatam strenuè seruat; si obedientiam vsque ad mortem exemplo Christi custodit: si de omnibus terrenis & necessarijs huius vitæ semper minus, quàm plus habere desiderat, & beneplacitum Dei in omnibus quærit, & suum velle relinquit.

Martyr sine sanguine, quis esse possit.

4. Sancta quippe voluntaria paupertas, pro martyrio computatur: & ideo sicut martyribus, ita & pauperibus, regnum cælorum à Domino promissum est, & donatur. Cùm ergo verboso & dissoluto silentium imponitur, ne extraneis vel fratri loquatur; tunc lingua ad fabulãdum prona, quasi reste ligatur; & ne noceat alteri, silentio cohibetur. Et verè multis verbosis expedit pro pace conscientiæ verecundè tacere, quàm hinc inde historias de statu seculi retexere. Et cùm vago homini præcipitur in clausstro manere, aut in cella quietè residere; tunc pedes eius pia violentia, quasi in cippo locantur; & sic ad viam salutis, cor instabile redire compellitur, iuxta illud Domini verbum: *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & compelle intrare*. Heu, quanti foris vagando perierunt: quanti suæ curiositati seruiendo, nil sanctitatis retulerunt? O quam multi per rectoris virgam reducti sunt ad conscientiæ & bonæ vitæ custodiam, & de necessitate fecerunt virtutem!

Pauperum & martyrũ idem præmium. *Matt. 5.*

Luc. 14.

5. Cum curiosus oculos suos claudit, ne seculi vanitates aspiciat; tunc mercedem cum sanctis recipiet, quorum oculi fuerunt à tyrãnis excęcati. Cùm piger aliquis laborare cogitur, tunc manibus & pedibus ad locũ martyrij trahitur. Et si obedierit ad omnia sibi iuncta, præmiabitur cum martyribus; quorum manus vinculis fuere ligatæ, & pedes in equuleo suspensi. Cogitare ergo debet bonus obediẽs frater, quia proprij corporis non habet potestatem, sed Prælatus; cui propter Deũ se resignauit liberè, vt eat & faciat, quod ille iusserit pro animæ suę salute. Sic .n. obti-

nebit cum martyribus patientiæ palmam, & æternæ vitæ coronam. Præstante Domino nostro Iesu Christo, regnante in secula seculorum. Amen.

SERMO XII.

De sapientia Confessorum, & continentia Religiosorum.

Psalm. 36. 1. OS *iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium*. Dilecti fratres, ista solent cantari & legi de confessoribus & doctoribus, quos præcipua deuotione honorare debemus, atque suffragia eorum desideranter implorare; quatenus eorum virtutes strenuè imitãdo, mereamur finito præsentis vitæ stadio, ad eorum societatem peruenire. Igitur, si non possumus grauissima & diuersa tormentorum genera, cum sanctis martyribus sustinere: studeamus pro viribus nostris, cum confessoribus & eremitis, in sancta religione humiliter, patienter, & continenter viuére; quemadmodum & illi Deo placuerunt, multis longis vigilijs & ieiunijs carnem macerando.

2. Describit nãque Propheta in dicto Psalmi versiculo, qualis sit vita iusti viri, placentis Deo; & quàm beatus exitus eius, qui permanserit constans in proposito sancto. Solet autem vita iusti viri ac boni religiosi, ex quibusdã signis notari, & maximè commendari: videlicet, vt habeat os custoditũ à malo, linguam eruditam in bono, cor quietum à turbatione, deuotum in oratione, suspensum in contemplatione: vt faciat opus bonum cum recta intentione ad Deum, careatque siniſtra suspicione ad proximum. Et qui ista habere desiderat, legem Dei in corde suo ponat, sacra verba frequenter cogitet, libenter audiat & legat, de mundanis verò sileat: tantùm de his, quæ ad salutem animæ pertinẽt, curam ampliorem gerat, alienas solicitudines abijciat, nullum tempus otio indulgeat: sed vel oret, aut studeat, aut laboret, quatenus boni operis talentum, sicut fidelis seruus, quotidie augere valeat. Discat, antequam doceat: & magis eligat tacere quàm loqui, si sapiens fieri desiderat. Pauca verba & vtilia habeat, cum modestia singula proferat: coram magnatibus apparere caueat: cum timore Dei omnes actus suos & sermones disponat, tãquam ab ipso iudicandus, si in aliquo offendat. Tutius ergo est & melius, vt homo taceat, qui debitè loqui nescit.

Notæ ad deprehendendum virum iustum ac bonum.

3. Si quis imperitus diuinam sapientiam habere concupiscit, delicias carnis spernat, sensus exteriores strictè custodiat, ne vanitates mundi hauriant: Ad interiora se conuertat, defectus suos inspiciat, conscientiam per singulos dies examinet, commissa defleat, nil impunitum relinquat. Ad cælestia suspiret, futurum iudicium metuat, præsentem vitam carcerem reputet. A Christo elongari,

elongari, pœnale sentiat: sanctorum choris non interesse, maximum tædium ponderet. Nihil in hoc mũdo posidere cupiat, vt cor liberum semper habeat. Omne gaudium temporale, luctum æstimet: ac præ desiderio æternorum, omnẽ copiam rerum, egestatem computet. Hæc intima sentimenta vagabundus & fabulosus ignorat; & qui honores ambit, veram sapientiam nunquam inueniet. Beatus igitur ille religiosus, in cuius corde lex Dei requiescit; cuius os meditatur sapientiam sanctorum, non seculi vanitatem: cuius lingua erudita, rectum iudicium in omni causa tractat, ne quid frustra quasi in ventum producat. Cuius bona opera ad Dei beneplacitum semper tendunt: Cuius gressus intus & foris, secundùm eloquium diuinum diriguntur in bonum. Sapiẽtis ergo, & spiritualis viri studium est, discernere verum à falso, vitium à virtute, necessarium à superfluo, honestum à scandalo, clarum ab obscuro, expedients ab illicito, priuatum à publico, distortum à recto, iustum à peruerso, simplicem que ab astuto, innocentem à ficto & doloso. Vnde Dominus per Hieremiam Prophetam ait, in laudem viri iusti: *Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris. Verax & iustus est Deus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Et ideo tales quærit & diligit, qui ambulent coram eo in veritate. Horum gressus, non supplantabuntur ab aduersario diabolo, nec à mundi blandimentis, nec à proprijs concupiscentijs; neque ab aliorum laudibus aut vituperijs seducentur. Nam dextera Dei protegit gradientes in simplicitate cordis, sub alis suis; & omnia quæ dixerint & fecerint, ad maximum eis proficient meritum & præmium sempiternum: quo feliciter adepto, non erit quod cupient amplius. Beati enim omnes, qui digni erunt regno Dei interesse, & cum Christo epulari & gaudere: pro eo, quòd in vita sua Christum amauerunt, & omnia terrena vilipenderunt.

Sapientis & spiritualis viri studium.

Hier. 15. Psal. 10.

4. Dilecti fratres imitamini humilẽ vitam Iesu Christi, sicut & sancti confessores fecerunt: inter quos fuerunt multi nobiles ac diuites viri, qui longo tempore in abstinentia carnium, in carentia frumenti, vini, & olei, & aliorum delectabilium ciborum, duxerunt vitam valde religiosam & duram; crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs suis carnem fragilem; non propter laudem humanam, sed vt Deo satisfacerent pro peccatis per feruentem pœnitentiam. Hi contra tentationes diaboli & mundi honores, certantes vsque ad mortem, felici tandem fine cursum vitæ suæ compleuerunt. Quamuis igitur isti tyrannorum gladium, aut ignem vrentem, aut morsum bestiarum, seu alia sæuissima tormenta non pertulerunt in corpore: maximum tamen bellum & quotidianum martyrium perfecerunt in mente, vitam castam, humi-

Viri Dei quotidie martyres sunt.

humilem, abiectam, internam, deuotam, benignam, patientem, sobriam, modestam, pauperem, & absconditam, præ cūctis mundi opibus amplexantes; ideoque, dignè coronas meruerunt habere perpetuas.

5. Si ergo quæritis veram sapientiam, & cupitis habere pacificam vitam, Deo placentem & hominibus gratam; detis vos ad veram cordis humilitatem, sicut scriptum est: *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Hanc sapientiam mundus odit, diabolus impugnat, caro abhorret, stultus deridet, superbus despicit, iracundus persequitur. Magis etenim placet Deo humilis & casta vita, quam alta scientia: & plus est optanda bona & pura conscientia, quàm subtilis & verbosa eloquentia. Longè etiam melior est simplex obedientia, quâm cauta excusatio. Vtilior silentij custodia, quàm extorta loquendi licentia. Protegit enim Deus obedientes simpliciter, & callidos in stultum finem cadere sæpe permittit: Non est parua prudentia, seipsum attendere, & sub omni creatura se humiliare; quia Deus propter hominem se humiliauit vsque ad extrema terræ, vt peccatores conuerteret, & pœnitentes ad alta cælorum per veram humilitatem traheret, & æternaliter beatificaret.

Prou. 11.

Philosophi admodum pauci, si qui tamen, seculum contempserunt.

6. Multi docti philosophi, & magni in oculis suis, viam salutaris prudētiæ neglexerunt aut nescierūt, & ab humilitate Christi recedentes, à veritate errauerunt, & difficulter ad contēptum seculi venire potuerunt. Multi etiam magistri, scientiam Dei & notitiam virtutum ex longo studio haurientes, de humilitate, & castitate, de contemptu mundi & sancta religione & obedientia, optimè prædicant: qui tamen amore seculi detenti, vix à longè Christum sequuntur; & (vt dicitur) onus quod laudant, digito tangere vitant. Tam nobilis est virtus humilitas, vt eam frequēter superbi & seculares commendent. Et tam laudabilis est virtus castitatis, vt eam magnificè extollant etiam incontinentes; & ad confusionem sui, dignis laudibus honorent. Et hoc vtique ex Deo est, qui suos fidelissimos amatores, & humiles, ac castos cliētes glorificat in præsenti, vbi aduenæ sunt & peregrini, quos in futuræ beatitudinis mansione, ampliori gloria lætificare prætendit, pro omni confusione quam pertulerunt. Quicumque ergo continenter viuit, & sensus suos sub disciplina regulari intus & foris custodit, iste iure confessor Domini vocabitur; quia super pauca bona, prudēs & fidelis fuit. Nam quinque talenta sibi tradita, id est, quinque corporis sensus bene rexit innocenter viuendo, & alijs bonum exemplum exhibendo. Hæc enim duo, maximè in Religiosis & abdicatis personis, Deo placent: & coram hominibus lucent, bona vita & sancta doctrina: Talis autem seruus,

Humilitatem & castitatē prædicant etiā superbi & incesti.

Monachus bonus cōfessor Domini est. Matt. 25.

post

post completos labores, in gaudium Domini sui lętus introibit: quia fidelis inuentus est, in omni opere & sermone bono, ad laudem Dei & ædificationem proximi, in secula seculorum. Amen.

SERMO XIII.

De cauta custodia cordis, & gratia interna deuotionis.

1. OMNI *custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Dilecti fratres, diligenter pensate admonitionē prudētissimi Regis Salomonis, & solicitè vigilate circa custodiā cordis vestri, ne diabolus inueniat foramen intrandi. Ille non quærit aliud nisi vos decipere, & à Deo fraudulenter abstrahere. Quando cor hominis à summo bono abstrahitur, tunc in infimis quærit delectari, & varijs desiderijs hinc inde mouetur. Et qui tempestiuè non resistit, captiuatur & superatur. Nihil laboriosius, quàm cor custodire ab euagatione & vitiosis imaginibus, ex sensibilibus rebus acquisitis. *Prauum & inscrutabile est cor hominis, & ad malum procliuum ab adolescentia sua.* Et quis cognoscet illud, & omnes motus eius per singulos dies enumerabit? Vtique solus Deus, qui vniuersa conspicit, antequam fiant; de quo dicitur in Psalmo: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Cor nunquam quiescit, quin in aliquo sit occupatum, siue bonum fuerit siue malum. In bono cor cōfortatur, in malo perturbatur. Si quis cor suum gestit custodire, & ab euagatione restringere, bonam meditationem studeat assumere; & de verbis sacræ scripturæ, fauum melljs colligat, vnde animam suam pascat. Leuia verba dimittat, curiosa non quærat; in prosperis non se eleuet, in aduersis patientiam seruet; & omnia super se ventura, Deo liberè committat. *Prou. 4.* *Hier. 17.* *Psalm. 93.*

2. Hoc quoque præcipuè pensęt, qualiter vnionem cum Deo habere possit, qui in pacifico corde locum ad habitādum quęrit. Idcirco totis viribus ab infimis curis se elongęt: & cor assuetum vagari, per orationes ignitas & crebra suspiria sursum leuet, & dicat: *Oculi mei semper ad Dominum.* Quoties autem à summo bono ex fragilitate aut aliqua necessitate impeditur, rursus incipiat, & citò per orationem resurgat; gemens & dolens pœniteat, quòd ad momentum creatorem pro creatura neglexit; cui pro posse, totis affectibus intendere, & iugiter adhærere deberet. Ex sacra namque lectione trahitur bona meditatio de Deo: ex bona meditatione, procedit deuota affectio, & prompta eleuatio mētis in Deum. Exinde surgit feruens & interna oratio penetrans cælos; omnem creaturam relinquens, & soli Deo adhærere cupiens: in quo omnia bona sunt, quæ cōcupisci possunt. Solus enim Deus est, qui totū animæ desiderium implet, quietat, *Psalm. 22.*

Sacra lectio quos fructus gignat.

Deus solus animam implet.

&

& beatificat: ad quem ſuſpirare & cõuolare debet omnis religioſus, ſecretum amans, occaſiones fabulandi vitans. Qui enim loca ſpatiandi foris quærit, & cor ſuum cuſtodire negligit, hanc vnionis gratiam aut non ſapit, aut parum guſtans citò perdit. Et heu! vix cum magno labore & dolore, deuotionis dulcedinem recuperabit, quia minùs ſolicitè eã cuſtodiuit. Reſtat ergo, omnibus friuolis omiſsis, ad Chriſtum ſedulò confugere, & cum eo amicitiam ſpecialiter iungere, & cuncta ab eius amore retrahentia abiicere & refutare. Quæcunque bonam conſcientiã non poſſunt facere, nec charitatis Chriſti feruorem dare vel augere, omnino vitanda ſunt & reſpuenda ab omni clauſtrali viro & monacho religioſo: cuius cor debet eſſe in cælo, non vagari in ſeculo.

3. O frater monache, qui ſanctitatis ſpeciem geris habitu & nomine, claude oſtium oris tui, & ſecretum cordis non omnibus reueles. Aperi cameram cordis tui Ieſu Chriſto, cõſolatori amãtiſsimo, ac tutori vitæ tuæ fideliſsimo: vt benedictus Ieſus, ante omnia & præ omnibus in cælo & in terra tibi dilectus, diu deſideratus & expectatus, ad te venire dignetur, & manſionem facere. Obſecra obnixè, vt ſæpius te viſitet & illuminet, doceat ignorantiã tuam, cõfortet puſillanimitatem, erigat ſpẽ, repellat diffidentiam, confirmet fidem, infundat amorem, augeatque feruorem. O quàm bene eſt cuſtoditus & armatus, contra diaboli inſidias, & malas cogitationes, ac turpes imaginationes: qui imaginem crucifixi habet in corde fixam, omnia interiora ſua penetrantem; & ad omne bonum cogitandum & agendum, ſemper & vbique inſtigantem. Tunc rectè poterit mira cum dulcedine cordis, ex præſentia Chriſti intimè conſolatus dicere, quod Dauid ſanctus cũ magna lætitia Deo pſallebat: *Viam mandatorũ tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Nihil ergo inter te & Ieſum, amatorem innocentiæ & puritatis, veniat: nec intus lateat, nec duret, immo nec parum tangat, nec vanis laudibus mulceat, ne inficiat: quia cor purum & tenerum, Deo in religione oblatum, non patitur ſecum aliquem extra Ieſum, ſibi coniungi & confabulari. Nam omnia in creaturis temporaliter ſolatioſa & pulchra, non ſufficiunt ad plenum animæ gaudium: ſed ſolus Ieſus ſufficit, ad omne deſiderium perficiendum. Cuncta extra Ieſum crucifixum generant faſtidium, & habent defectum; & quaſi abſynthium & fel amariſsimum torquent animum variis deſideriis occupatum. Fons igitur omnis boni, & totius cõnſolationis mellifluus riuus, IESVS CHRISTVS, verus conſolator animarum. Qui vult à Deo conſolari, Ieſum in ſocium eligat, cum quo loquatur & ambulet, donec ad cælum perueniat.

Pſalm. 118.

4. Stude

4. Stude in amore IESV viuere, toti mundo mori; & in cruce Christi, non in teipso, nec in hominibus gloriari. Illa hora tibi sæpè pensanda est, quando non poteris amplius vnum verbũ loqui, nec membrum mouere. Et quamuis religiosus sit terrenis bonis & amicis priuatus, habet tamen cælestem thesaurum in arca cordis sui clausum, Iesum Christum, & hunc crucifixum. Habet & fidelissimum animę suæ amicum, ac sapientissimum vitæ suæ doctorem, ipsum regem angelorum, omniumque rerum conditorem. Vis ergo habere pacem & trãquillitatem cordis, & gratiam Christi, & amicitiam angelorum promereri? Cõtemne teipsum propter Christum; & quantum possibile est, stude habere cor purum, à seculo segregatum, ad diuina feruidum, & ad cælestia suspensum. Qui enim nihil terreni solatii foris quærit, nihil in creaturis inordinatè diligit, citò internam quietem & Christi amorem sentiet; & cunctas grauitates vndecunque venientes, Christo intus cõfortante & iuuante, facillimè tolerabit. Multas namque turbationum materias amputat, multos laqueos tentationum euadit & superat; qui propter Christum, ab omnibus terrenis desideriis perfectè se denudat & elongat. Hic ad cælestia, nullo terrenorum pondere grauatus, liberè euolare potest, quoties dilecti amatoris sui, qui in cælis est, recordatus fuerit, aut eius verba audierit vel legerit. Dolor nempe de absentia Iesu, vehementer compungit; amor verò ex præsentia gratiæ eius, languentem vngit, tristem consolatur, & torpentem accendit.

Pax cordis, & amor Christi, quomodo acquiratur.

5. Qui ad hanc deuotionis gratiam, & contemplationis celsitudinem, nõ valet tam repentè pertingere, non desperet, nec laborare desistat; gemat, oret, solus sedeat, taceat, & se recolligat, expectet longanimiter, speret confidenter: & vltra quàm credi potest, consolabitur affluenter. Benignus est enim Iesus, super omnes sanctos suos, non deserit sperantes in se. Probat frequẽter, corripit amanter, instruit sapiẽter, vocat incessanter, pulsat fortiter, aperit libenter, suscipit lętanter, indulget clementer, donat sufficienter, coronat excellenter. Non ergo te frangant amorosa Iesu verbera: nec fastidias audire sacra eius verba, à quocunque vel vbicunque fuerint lecta! Non te deiiciat cordis incõstantia, nec corporis ægritudo, nec dolor capitis in Christi seruitio acquisitus. Qui te creauit, & ad seruitium suum vocauit, non deerit tibi pro nomine suo patienti. Omnia enim mala, quæ pateris: & quæcunque bona ad honorẽ Dei in hac domo feceris in disciplina perseuerando, scribentur in libro vitæ æternæ, & computabũtur tibi ad maximũ præmium in regno cælorum. Auerte igitur te à vanis, redi ad interiora mẽtis, recogita beneficia dilecti amatoris tui sæpiùs tibi cõcessa, & adhuc ampliora in futuro reuelãda.

Benignitas Iesu miraculum omne superat.

6. Trahat

6. Trahat te ad seruiendum gratanter pijssimo saluatori, pietas eius immẽsa: ad amandũ ipsum, bonitas infinita: ad sperandum in misericordia eius, charitas eius vsque in seculum extẽsa, verè pœnitentibus promissa, perseuerantibus in fine reddenda. Transeũt omnia, præter amare Deum; pereunt cuncta, sine Christo: amarescunt omnia, sine Iesu pro salute mundi incarnato, passo, crucifixo, resuscitato, & glorificato. Hæc sit sapientia vestra, fratres: hoc studium præ cunctis literarum studijs eligatis, meditari die ac nocte Iesum crucifixum, pro omnibus nobis in cruce immolatum, & in cælis eleuatum; vt tota spes vestra sursum tendat in ipsum, super omnia amandum & laudandũ. Ideoque pro ipso pati & fatigari in eius seruitio, reputetis pro thesauro maximo, in agro sanctę crucis inuento. Meditatio operum diuinorum & sermonum Christi, dulcedinem parit & lætitiam, fidem roborat, spem erigit, charitatemque in corde accendit, quam se daturum fidelibus suis ipse promisit. Sed inuidus diabolus, qui Christum tentare audebat, & persecutiones in Ecclesia fæpius suscitauit, ac multos sanctos vexauit: adhuc nõ cessat molestare deuotos, tædium boni ingerens, & claustri rigorem dissuadens. Heu, callida instigatione multos decipit per blanda & mollia, terret per dura & aspera. Veruntamen Christo auxiliante, non nocebunt tela eius nequissima: sed erunt fortiter dimicãtibus & viriliter resistentibus in laudem & gloriam, & diabolo ad perpetuam confusionem & pœnam. A cuius laqueis & fraudibus nos semper custodiat IESVS CHRISTVS, qui est ad dexteram Patris, super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

Nota Religiose.

Beatitudo Religiosi in quo consistat.

7. DIXIT quidam deuotus, solitudinis amator: Beatus monachus desolatus, cui mundus exilium, cælum patria, cella paradisus est. Beatus Religiosus, Deo deuotus, seculo ignotus: cui oppidum carcer, claustrum refrigerium, labor requies, solitudo solatium, luctus gaudium, silentium pacis hospitium. Beatus, cui sacra lectio cibus, oratio potus, psalmus iubilus, meditatio Christus, speculatio Deus. Beatus Religiosus, qui omnia studia & exercitia sua ad virtutes & beneplacitum Dei ordinat: & nihil singularitatis & ostentationis, verbo vel facto prætendit: cauens vbique, ne Deum vel proximum offendat. Beatus, qui pro bono accipit, quando aliquis eum corripit & rectè instruit, ne in errore permaneat, & malè pereat. Beatus, qui os suum strictè custodit, ne otiosum aut nociuum verbum proferat. Talis magnam pacem habebit, bonam conscientiam & famam, deuotionisque gratiam obtinebit specialem.

Silentij fructus.

8. Mur-

8. Multa iurgia cessare facit, qui patiens est, & tacet. Religiosus in abscondito manens, quasi lucerna in nocte securè ardens. Flabunt venti, & nō nocebunt Deo vacāti & oranti. Verè magnus thesaurus in ore sapientis, sed non minor in corde tacentis & orantis. Dixit quidam expertus: Quicquid boni tacendo colligo, hoc ferè totum loquendo cum hominibus dispergo. Quia Samson secretum suum mulieri retulit, & parabolam mellis non abscondit, postea ab hostibus captus & delusus fuit. Bonum est ergo Religioso silentium seruare, & verba sua cautè ponderare. Qui enim silentium bene seruat, quasi sacculum pecunia plenum secum ad domum mentis portat. *Iudic. 15.*

Exemplum de silentio.

9. FVIT in partibus superioribus Monachus quidam ordinis Cistercienſis, solicitus custos oris sui, & claustralis disciplinæ diligens obseruator. Hic zelo deuotionis accensus, vix vnicum verbum in hebdomada loquebatur. Cui Abbas causa solatij ait: Frater, do tibi licentiam quandoque loquendi cum fratribus. Qui respondit: Pater reuerende, non desidero talem licentiam habere. Quod audiens Abbas, ædificatus est in responso fratris libenter tacentis. Religiosus quidam loquēdi gratiam fieri sibi noluit.

Exemplum de solitudine.

10. QVIDAM Frater regularis ordinis foras emissus, expleto negotio ad domum suam celeriter ac desideranter redire studuit, vt Deo liberiùs in silentio vacaret. In via autem cōstitutus, inuenit quemdam viatorem sibi amicum & notum, qui diuersa loca sanctorum & monasteria se visitasse asserebat. Interrogatus ergo de religiosis locis, dicebat etiā se in sacro Carthusię claustro fuisse. Cumque multa bona de situ loci illius in alto mōte, & arcta solitudine, ac fratrum ibidem habitantium rigore loqueretur, hoc tandem intulit, Inueni ibi Fratrem, cum quo licenter loquens, curiosè interrogaui dicens: Quanto tempore hic habitastis? Qui ait: Quadraginta anni lapsi sunt, & interim non vidi primam portam, per quam primò ingressus sum. Audiens hæc Frater prædictus, miratus est: & alijs fratribus suis ista, pro bono exemplo amandæ solitudinis, recitauit. O quàm rarum & alienum est istud in multis religiosis, temporibus istis: qui pro pœna carceris reputarent, si infra annum extra septa monasterij, vel extra portam, spatiandi causa exire non deberent.

SER-

SERMO XIV.

De constantia & perseuerantia in statu religionis.

2. Par. 20. Hebr. 10.

1. CONSTANTES *estote, & videbitis, auxiliũ Domini super vos.* Dilecti fratres, gratãter accipite verbũ pię exhortationis, ad perseuerantiam vos admonens in statu religionis, quę maximam remunerationẽ habet in cælis. Proponatis firmiter in cordibus vestris, quòd velitis in loco & ordine isto, quem sponte elegistis, permanere constantes: & cum omnibus, in hac domo propter Christum diu ante tempora vestra congregatis, bona & mala sustinere. Qui dedit bene incipere, dabit per gratiam suam melius consummare. Non enim vestris meritis ad hunc conuentum vocati estis, sed coronis eorum participes vos fieri credatis. Horum orationibus adiuuari & beneficiis sustentari gaudeatis, & gratias Deo semper agatis. Non enim ad otiandum & epulandum venistis, sed vt Deo fideliter & deuotè seruiatis. Et tãto solicitiores & promptiores esse debetis, ad omnem obseruantiam ordinis, & communes labores; quanto plura conuenientia in ædibus & libris, in cibariis & vestibus iam habetis, quæ multi seIoan. 4. niores ante vos non habuerunt. *Vos in labores eorum introistis*, ideo grati sitis de bonis acceptis.

2. Hæc temporalia à Deo parata, quasi encænia quędam, ad sustentaculũ corporis vobis conferuntur. Si vtimini istis sobriè cũ gratiarum actione & beneuolentia, tunc adiicientur vobis adhuc ampliora bona in cælis, quæ certissimè reddentur omnibus perseuerantibus in ordinis disciplina. Et si necdũ intelligere nec capere potestis futura gaudia, præparata in nuptiis cælestibus: firmiter tamen credatis, quia fidelis & potens est Deus dare, quæ promisit diligentibus se: qui non coactè, sed libera mente seruiũt ei die ac nocte sine querela. Idcirco cũ ingenti solicitudine, abiicit citò de corde vestro nociuã tristitiam & omnẽ indignationẽ, tanquam venenum diaboli; & studeatis inter fratres vestros, tãquam Angeli pacis inter conciues suos, conuersari. Tollite super humeros vestros iugum Domini, amantibus leue & suaue, donec perueniatis ad patriam felicitatis æternæ.

3. Interim verò probari habetis more sanctorũ per varias tẽtationes, quæ in religione sæpè contingunt, & nouitios hinc inde grauiter affligere solent; quatenus tanquam aurum in fornace probati, & à rubigine vitiorum præteritorum purgati, fulgeatis in conspectu Dei, sicut agni nouelli in fontibus loti. Enimvero post lachrymas & dolores, recipietis cõsolationes diuinas & illumi-

illuminationes mentales, omnes labores & anguſtias alleuiantes. Quid vultis amplius? Ecce nunc dantur vobis terrena bona, pro ſuſtentaculo corporis in via laboris: poſtea verò dabuntur cæleſtia & ſempiterna bona, in regno Dei cum Angelis ſanctis: quia cognatos & amicos reliquiſtis, & Deo potiùs quàm ſeculo ſeruire elegiſtis. Si igitur conſtantes permanſeritis in eo, quod cœpiſtis, lætanter & fiducialiter à Chriſto in iudicio audietis: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum; vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo.* O dulce & cõſolatioſum verbum, confortans ad perſeuerandum in ordine aſſumpto, & in quacunque tentatione, & tribulatione, aut infirmitate, quis fuerit circunuentus! Dei profectò eſt adiuuare, & de omni anguſtia mentis & corporis afflictum liberare. Et qui confidit in Deo orando, & patienter ſe ſuſtinendo, conſolabitur tempore opportuno, gratias agendo de auxilio cælitus ſibi collato. *Non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni ſtatu & loco, in quo fuerit memoria nominis eius ſub cælo, aderit tentatis & tribulatis corde.* Exaudiet eos pro ſua clementia, & oſtendet eis ſecreta iudicia ſua, & mirabilia magna in omni re, quam operatur in terra. *Luc. 22.* *Deut. 10.*

4. Non poteſt quis dicere Deo, cur me ita affligis, & aridum relinquis, & alium ſic promoues, & plures voluptates habere permittis? Stulta & vana eſt huiuſmodi cogitatio, vel in minima re dubitare aut conqueri de Dei prouidentia & bonitate. Infirmorum & inſipientium mos eſt, reprehendere & malè interpretari facta prudentium, quæ non intelligunt: qui mirantur & ſcandalizantur plerumque in ſeipſis, quare Deus iſta vel illa tam aperta mala fieri permittit. Quibus Pſalmiſta ita reſpondet: *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Et iterum: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Hoc igitur firmiter teneatis, quòd in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos, & nemo poteſt ſe abſcondere à iudiciis eius, nec multis pulchris verbis mala ſua excuſare, neque ad ſuperiorem iudicem contentioſè appellare. Quicunque ergo in ſtatu humili & ordine ſuo manens, contra tentationes & vitia ſua ſtrictiùs certauerit: maiorem nunc gratiam deuotionis à Deo meretur, & in futuro amplioris gloriæ beatitudine perfruetur. Poteſt quilibet religioſus in ordine ſuo & loco, à Deo ſibi prouiſo, animam ſuam ſaluare & virtuosè proficere; ſi ſolicitè ſeruat quę ordo inſtituit, & Prælatus facere iubet ac conſulit. *Pſal. 144.* *Pſal. 118.* *Eccli. 23.*

5. Nemo igitur inſtabilis ſe ſeducat; neque ſtulta & vana imaginatione de alio loco cogitet; & de incertis futuris iucundiora ſibi prophetando dicat: O Deus, ſi in tali loco & ordine eſſem, quam Inſtabilitatis pruriginem vitet religioſus.

quàm bene & deuotè me habere vellem, nec de aliquo amplius conqueri vel turbari. Heu miser & insipiens homo, qui extranea ob defectum feruoris cogitas; & sæpius ex angustia præsentis passionis, leuiora confingis; cur non facis hæc bona in loco isto, vbi cum multorum fratrum gratia & bonæ conscientiæ pace viuere potes, Deo teste & fauente? Quare negligis modica tibi dicta, & præsumis ampliora futura? Præscito, quòd sæpe aliter & multo deteriùs contingere solet tepidis & dyscolis discipulis, quàm ipsi in animo priùs finxerunt, absque fructu alicuius valoris. Multos fefellit ista imaginatio; multos eruditos errare fecit, facilis loci mutatio: plures contristauit ad alium ordinem inconsulta migratio. Sæpissimè namq; in aliis probatum est, quòd rarò emendatior rediit, qui plura loca quæsiuit. Vbicunque enim homo fuerit, homines inueniet, etiam claudos & debiles, quos vtique tolerare oportet. Et fortè imperfectiores aliquos videbis, qui tibi in multis non placebunt, nec tu eis similiter complacebis. Dicent fortè quidam, aut cogitabunt de te sinistrè: Si valuisses aliquid, mansisses potiùs in loco in ordine tuo cum pace. Manifesta tamẽ citò erit causa cuiuslibet discursantis de loco ad locũ, quid eum amplius agitauit. Non enim diu latére potest ficta sanctitas, nec animi leuitas; nec alios ædificat euagandi libertas. Nam veræ deuotionis nutricius est solitarius, & religiosus inclusus.

6. Audite cuiusdam deuoti senis parabolam: Cùm aliquis vno pede claudus aut monoculus egreditur, rarò vtroq; sanus reuertitur. Vulpes exiens foueam, nescit diu per rectam incedere viã: Sic homo vagæ mentis & dolosus nequit diu se fingere: sed seipsum prodit etiam inuitus coram multis ignotis, aut verbis aut factis apertis. Sæpe etiam iracundia motus, ostẽdit impatientiæ suæ aculeos, cùm fuerit pro culpa sua correptus, aut silentium seruare coactus. Superbus homo passionatus intrinsecus, ad breue coram aliis quandoque se comprimit, ne reprobetur & vilescat extrinsecus: processu verò temporis liberior factus, ad solita reuertitur inuerecundus. Sicque patebit pluribus, quia non verè fuit humilis, sed voluit videri bonus & iustus. Tentatio diaboli nõ permittit fugitiuum diu abscondi, nec quietè agere; sed per noua & inopinata obstacula pungere inchoat, multoque deteriùs vexare & cõfundere timidum laborat, quia nidulum suum insipienter reliquit. Onus quippe ordinis diurnum & nocturnũ, collo monachi impositũ, ostendit citò, quantum portare potest pro amore Dei, & sustinere. Idcirco in omni loco & statu, in omni officio & dignitate spirituali, aut occupatione tẽporali, permaximè necessaria est longanimis patientia, ac diuinæ gratiæ larga affluentia, cum frequenti precum instantia: ne infirma mens crebris ictibus

tacta moueatur subita ira ad impatientiã; aut suggestione satanæ quærat reddere vindictã, indignè ferendo opprobria sibi obiecta.

7. Noli miles Christi fugere, noli teipsum deiicere, noli à primo feruore tepescere, nec de diuinæ dulcedinis consolatione hæsitare. Noli quærere exteriora corporis commoda, animæ tuæ valde nociua; sed propter Deum sustine tentationes & hominũ vexationes, tam bene in hoc loco sicut in alia domo. Nec æstimes te à Deo derelictum, si multa tibi occurrunt ad patiendum: quia non es melior Christo passo, nec Martyribus sanctior atrociter interfectis. Homines agunt, & sæpe obloquuntur sicut homines; nec semper verum est, quod dicunt: nec multum curandum, si laudant vel vituperant. Caue omni tempore & loco, à malefacto & scandalo, & Deus liberabit te à verbo iniquo, de te mendaciter dicto. Scriptum est in quadam collecta quadragesimæ super populum: Tuere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Pœna enim non facit aliquem reum, sed culpa iustam exigit pœnam. Deum ergo præ oculis habeas: orare in tribulatione non omittas: temporibus debitis scripturas sanctas lege vel scribe, vt tædium cordis melius vincas. Dat Deus sæpe in vna hora, quod in tota denegat septimana. Nunquam de tua virtute & iustitia præsume, sed de misericordia & bonitate Dei optimè confide: & inter spem & desperationem cautè & discretè procede. Nunquam ita hilaris sis & securus, vt timorem & verecundiam à te excludas. Qui Deo vult placere, & proximum ædificare, debet omnia verba sua & mores foris & intus taliter ordinare, quasi statim coram Deo & Angelis eius deberet præsentari.

8. Noli ergo religiose frater, si leuis fueris, & vagus, aut verbosus, de exteriori habitu coram hominibus quasi sanctus homo gloriari, nec de aliquo opere priuato vel communi superbire: sed potiùs inutilem te reputabis, si rectè sapis, vtpote qui de mille talentis vix vnum reddere sufficis. Non es ideo sanctus & magnus dominus dicendus, quia cappam geris extrinsecus; quod asinus facere posset, si esset taliter vestitus. Attende conscientiæ tuæ fœditatem magis, quàm æstimationem humanam: quia non sunt omnia ita sana coram Deo & clara, sicut apparent hominibus esse pulchra. *Homo videt in facie, Deus autem in corde,* qui etiam minutissima considerat, quæ tu non cognoscis, aut modicum ponderas. Idcirco deprime cor tuum sub districto Dei examine: & noli de dignitate religionis vanè extolli, neque de virtutibus aliorum & miraculis Sanctorum iactanter loqui. Seipsum denigrat & confundit, qui patrum 1. *Reg.* 16.

suorum sanctitatem commendat, & humilem eorum conuersationem sequi negligit: Qui regularis & religiosus vocatur, & viuendi normam, quam sancti posteris reliquerunt, seruenter non sectatur: Qui de bonis monasterij quotidie viuit, & statuta monastica tepidè seruat aut leuiter frangit. Attamen propter S. Patres precedentes, qui religionis ordinem instituerunt, & regulas viuendi composuerunt, desides & vagãtes à secularibus personis & magnatibus, quos Dei seruos credunt, etiam honorantur. Ideo vnusquisque seipsum rectè inspiciat, & aliis bonum exemplum tribuat: ne sancto ordini iniuriam faciat, & cõfusionem sibi malis moribus generet. *Matth. 18.* *Væilli*, inquit Dominus, *per quem scandalum venit.* Si vis aliquem religiosum verè cognoscere & commendare, non corporis habitum album vel nigrum inspice, nec ad subtilitatem verborum attende: sed humiles mores eius, interioris hominis imaginẽ præferentes, considera. Gratiam quoque Christi, quam accepit, tacitus venerare: & Deum pro donis suis ama & lauda qui talem famulum sibi elegit in terra deserta, tentationibus & periculis plena. Cautè tamen & moderatè lauda, quem diligis: ne te & ipsum decipias, si vltra quàm oportet aliquid dicas, de quo postea erubescas.

Monachi perfectio vnde dignoscatur.

9. Fratres omnes in Christo vnum sumus, vnum Patrem cæleste habemus: omnes vnius sanctæ matris Ecclesiæ filij vocamur, quicunque in Christum credimus, & in Christo baptizati sumus. Ideo de habitu exteriori, & diuerso modo viuendi, contendere non debemus: sed vnusquisque in ordine & statu suo bene studeat viuere, & Deo soli ad votum cum gratiarum actione dignè placere. Non enim loci amœnitas, nec magnitudo; non vestis pulchra, nec gradus excellẽtia, perfectum facit religiosum: sed perfecta seculi abrenuntiatio, & vitiorum quotidiana mortificatio; & præcipuè puritas cordis, & amor virtutum, tendens directè in Deum. Religionis nomen magnam habet laudem inter seculares; sed sine contemptu seculi, parui ponderis est apud Deum. Sed quid valet altum nomen, sine opere virtutis? Quid prodest altus status, sine humilitate & charitate?

10. Ille verè religiosus est, qui seculo sponte renuntiat, & corde ad seculum non regyrat. Qui perpetuè se Deo obligat, & omnes voluntates suas propter Deum frangere studet. Qui enim cum sancto habitu & bono nomine opera virtutum sic agit exteriùs, vt tamen soli Deo, in omni cogitatu & actu placere intẽdat interiùs, hic dignè laudandus est, & amicus Dei appellandus. Si cupis vanam gloriam vincere, attende singulos defectus tuos quasi omnibus notos, & cessabit vanæ gloriæ motus. Caue singularitatem verbis & moribus ostendere: noli nimiùm de te præsu-

præsumere, cùm prosperè tibi successerit: ne deiiciaris aduersitate ingruente. Maneas in loco tuo, & pone te ad patientiam; & inuenies pacem & gratiam coram Deo & hominibus, & eris dilectus fratribus cunctis. Sed ne aliquis de caetu cogitet mutare habitum vel locum, referam vobis cuiusdam fratris factum, ad maiorem cautelam habendam.

Exemplum.

11 FVit quidam frater in ordine regularium, probabiliter diu conuersatus: & procurator factus, apud multos religiosos & seculares erat bene visus & reputatus. Hic longo tempore tentationem habuit & desiderium transeundi ad alium ordinem & locum remotũ; quod & fecit, licèt minùs prouidè & inconsultè. Nam ex debili fine, patuit postmodum leuitas inconstantiæ. Proniderat autem secretè sibi locum apud quosdam religiosos mendicantes satis bonæ cõuersationis, sub regula beati Augustini degentes, à quibus etiam benignè & libenter est receptus. Nec longa mora extitit ad probandum, sed festinanter est inuestitus, propter vehemens suum desiderium adimplendum. Tam instanter petiit & anhelauit ad illum ordinem, vt eodem die libenter professionẽ feciſſet, si fratribus hoc placuiſſet. Sed fratres cautiores quàm ipse, quia conuersationis eius statum nesciebant, repentino desiderio eius non consenserunt, sed tempus probationis (vt moris est) liberè ipsi indulserunt. Æstimabant enim, sicut exteriùs apparebat, hunc aduenam vtilem sibi fore, quia personis indigebant ad ordinis reformationẽ. Sed cùm iam inuestitus esset, mutatum est cor eius in aliud quàm credidit. Cœpitque vehementer contristari & pœnitere, quòd locum pristinum, vbi diu moratus fuerat, reliquerat; & fratres suos sine debita causa secretè dimiserat, quos non parum de suo recessu contristauerat & confuderat. Vix octo dies interceſſerant, & in tantum (præ confusione mentis) doluit & ingemuit, quòd nec comedere nec dormire potuit. Interrogatus ergo, quid sibi obesset, dixit: Nullatenus possum in conscientia contentari, nec pacem habere, nisi iterum ad pristinos fratres meos fuero reuersus.

12. Quibus auditis, satis contristati & permoti sunt fratres: & acriter eius incõstantiam arguebant, eo quòd in tam breui tempore remutatus esset, & puerilem rem præsumpsisset. Ad quos ipse humiliter & verecundè respondens, ita se excusabat: Credatis mihi fratres, quia per multos iam annos hanc tentationẽ habui, vt ad alium ordinem transirem, & tam fortiter hoc in animo concepi, quòd putabam nunquam me posse mutari. Sed iam hoc ipsum experientia propria aliter esse probaui, quod prius perpendere nequiui. His igitur ab eo dictis, ne scandalum adhuc latens

erumperet & creſceret, inito conſilio ſaniori, miſerunt ad Priorem quendam ordinis regularium, in vicino morantem, rogantes vt ad eos properanter venire dignaretur, cauſſa neceſſaria perurgente. Quo aduenient e, rem geſtam per ordinem pandunt: & quid iam faciendum ſit, diligenter efflagitant. Nec longa mora trahitur, ſed paci ab vtraque parte prouidetur. Igitur frater prædictus dolore magno compunctus, habitu præſumpto exuitur: & rurſum à Priore habitu regularium canonicorum in ordine conſueto reinduitur; ſicque turbationis occaſio de medio ſublata repentè caſſatur. Deinde dato ipſi ſocio, ad monaſterium ſuum priſtinum rediit; & petens humiliter veniam de offenſis patratis, à fratribus ſuis miſericorditer eſt receptus. Moxque iniuncta ipſi ſalutari pœnitentia, de præſumptionis errore caſtigatus eſt. Et de cætero cautior factus, didicit nil temerè debere agere; nec per alienas domos inſipienter diſcurſare.

SERMO XV.

De cauta cuſtodia iuuenum, contra multas tentationes.

Epheſ. 5. 1. *Videte, quomodo cautè ambuletis: quoniam dies mali ſunt.* Dilecti fratres, his verbis admonet nos omnes doctor egregius, B. Paulus Apoſtolus: vt cauti ſimus, & fortiter certemus contra vitia in hac domo Domini: vbi eſt habitatio peregrinorũ mundi, in qua erectum eſt vexillum ſanctæ Crucis, in ſignum ſpiritualis militiæ, pro lucrandis aureis coronis, in cæleſtibus regnis. Quapropter à proficiendi deſiderio nemo torpeſcat: Dominus virtutum nobiſcum, qui eſt fortis ſupplantator vitiorum & hoſtium fugator. Nemo turbetur, neque formidet ab impetu tentationum diuerſarum, nec à multitudine contrariorum ventorum, neque à fatigatione laborum quotidianorum: quoniam per multas tribulationes oportet nos omnes intrare in regnum cælorum: ſicut prædicat Euangelium Chriſti, & docent Actus Apoſtolorum. Nempe & ipſe Apoſtolus Paulus vas electionis ad cæli ſecreta frequẽter raptus, tentationes habuit, vexationes hominum paſſus eſt: atque in multis laboribus fatigatus, detractiones & murmurationes contra ſe iniuſtas ſæpiùs audiuit & ſuſtinuit. Nec tamen propter aduerſa affligentia à Chriſti ſeruitio & amore diſceſſit, nec refrixit; ſed magis viriliter ad tolerandum omnia ſe expoſuit, & alios ſecum ad certamen propter coronam gloriæ confortauit; quam Chriſtus ſeruis ſuis, multa contraria pro ſe ſuſtinentibus, promiſit. Et factus eſt beatus Paulus tanto lætior & ſecurior, ad percipienda præmia futura in cælo; quanto duriora pertulit à notis & ignotis, tanquam homo deſpicabilis

Luca 24. & Act. 14. 2. Cor. 12.

Paulus in aduerſis probatus amicus Dei.

Rom. 8.

in

in mundo. Fratres, nolite nimium timere pro Christo pati & vilipendi: omnia hæc nihil sunt, & citò finientur: immo comparatione futurorum bonorum & malorum, vix vnius puncti sunt aut momenti reputanda. Scitote ergo, quia hæc vita & regularis disciplina, quam Deo inspirante acceptastis, bona est, & animæ vestræ valdè salutaris, sed non ab hostium insidiis secura, nec à vexationibus hominum & increpationibus peruersorum semper quieta: quia modò iste, modò ille dicit aliquid aut facit, quod oculis vestris non placebit.

2. Quid ergo facietis? Patientes estote, & tacete: Dominus pugnabit pro vobis, & veritas liberabit vos. Non perdatis meritum vestrum, sed tacendo sustinete modicum, dignos vos omni confusione iudicantes. Adhuc non estis in cælo cum Angelis sanctis: sed in mundo cum hominibus bonis & malis; qui non deficient in hac regione vmbræ mortis. Idcirco potestis bene sæpius gemere, & non leuiter ridere: magis autem timere, & non facilè de vobis præsumere. Itaque solicitè, in omni loco & tempore, coram Deo ambulate: quia incerti estis de bono fine: & qualiter Deus velit facta vestra iudicare, nescitis. *Timete Dominum omnes sancti eius,* (ait Dauid sanctus) *quoniam nihil deest timentibus eum.* Quare hortatur omnes timere, & sub magna custodia disciplinæ stare? *Quia terribilia sunt iudicia Dei super filios hominum*; & nemo certus est, an dignus sit odio vel amore. Idcirco valdè vtile est homini adhuc carnali, dissoluto, & immortificato, habere timorem Dei: & omnia opera sua vereri, & vilia de se sentire. Nam timor Dei facit à peccato recedere, pericula tentationum præcauere; de præteritis malis dolere, à præsentibus delectationibus abstinere; de necessariis vitæ sobriè sumere, ac discretè actus suos regere; semper ad perfectiora tendere, & cuncta, quæ Deo magis placent, inquirere ac studiosè agere, & ad eius honorem omnia bona laudabiliter trahere & promouere.

Exod. 14.

Psal. 33.

Psal. 65.

Timor Dei homini infirmo necessarius.

Eccli. 9.

Timor Dei quid efficiat.

3. Heu, heu fratres, multa pericula circundant nos vndique: scilicet caro, diabolus, & mundus totus in maligno positus. Ex his generantur pericula & tentationes; & pauci sunt, qui sine læsione & inquinatione euadunt. Quid ergo mirum, si quis de sua fragilitate timeat, cùm vbique laqueos diaboli contra se extendi percipiat? Si enim bona agit, bene legit, cantat, vel scribit: si orat, studet, prædicat, aut celebrat: ecce statim adest diabolus cum vana gloria; probum impugnans per prospera, volens eum deiicere & priuare gratia à Deo ipsi collata: Si verò in aliquod vitium per fragilitatem cadit, mox aduersarius lætus accurrit, suggeritque non esse magnum malum, nec grauiter puniendum: sed & breuiter confitendũ, & cautè accusandũ, cùm multi talia &

1. Ioan. 5.

grauiora faciant, & fecerint. Sic lapsum tepidum hostis callidus decipit; quatenus parum pœniteat, tardè ad confessionem eat, communicare differat, ministrare timeat, ad exteriora se conuertat, cellam exhorreat, fabulari & otiari quærat, debilem se fingat, necessaria omittat, aliena inuestiget, diuina negligat, terrena mente reuoluat. Hęc omnia si quis tempestiuè non expellit, grauiores diaboli laqueos incurrit. Rursum, quosdam debiles, per iracundiam & impatientiã, lædere & prosternere quærit; & modica re perdita vel ablata contristat & perturbat, indignationem suscitat, suspiciones immittit; bene gesta peruertit, falsa pro veris seminat, & mala pro bonis reddere suadet. O peruersitas hostis dolosi, quantæ sunt insidiæ & decipulæ tuæ in omni loco & tempore, occultè lædentes & improuisè? Et quis cognoscat eas, & enumeret omnes? Solus Deus, omnium secretorum cognitor, nouit astutias diabolicas; qui docet eas præcauendas per scripturas sacras, ex Spiritu S. reuelatas.

4. Quid ergo faciet homo grauiter tentatus, & multipliciter vexatus à facie inimici, qui etiam coram alienis accusatur & deridetur? Quò fugiet, vt laqueos euadat, & mala non audiat, nec videat? Quando veniet tempus, vt pacem & quietẽ habeat? Dixi vobis, & iterum dico omnibus, paruis & magnis: Pax nostra est in multa patientia, in vera humilitate, in contemptu omnium consolationum terrenarum, in forti tolerantia contrariorum, in longanimi expectatione cælestium gaudiorum. Recordamini igitur charissimi in tribulatione vestra, beneficiorum diuinorum & mirabilium operum suorum, ab initio creaturæ vsque ad consummationem seculi; & inuenietis, quòd pietas Dei excedit malitiam hominum, parcendo eorum malis, vt vitam emendent in melius. Et cùm pios flagellat aduersis, etiã amorem suum in dilectis ostendit. Qui ergo verbera beneficia reputant, ipsi nunc pacem habent, & hos iucundissima retributio sequetur in cælis. Ibi enim plena pax & securitas ab hostibus, libertas à vitiis, sanitas à morbis, requies à laboribus. Ibi diuitiæ sine solicitudine, deliciæ sine amaritudine, cognitio sine errore, dilectio sine fictione, gaudium sine mœrore, honor sine confusione, laus & gloria sine cessatione. Sed heu, hæc bona desunt in mundo, vbi omnia permixta sunt malis: nam rara virtus perfecta, rarò conscientia ab omni macula pura. Et nisi assit gratia diuina & diligens cordis custodia citò negligens cadit in vitia & solita mala. Et vnde hoc accidit? Quia cum peccato nati sumus, & à iuuentute ad delitias carnis inclinamur: tepidè ad virtutes nos damus, inuitè à propriis conceptibus retrahimur, vanis implicamur, aliena scrutamur. Ideo proniores sunt sensus nostri (etiam post conuersionem

Pax nostra vbi sita.

In cœlis felicitas quæ.

&

& confessionem peccatorũ) ad terrena & visibilia bona sibi nota redire, quàm ad cœlestia & inuisibilia desideranda assurgere. Grauis dolor est vago homini, abstrahere mentem ab infimis bonis, naturæ suæ assuetis; grandis labor attollere animum ad superna & æterna bona, abscondita ab oculis humanis. Heu, heu, quanta angustia animæ, laborare & certare quotidie contra se, pro æternæ vitæ retributione.

5. Sed latent adhuc tanta bona, & magna merita, & infinita præmia: quæ Deus laborantibus, certantibus, dolentibus, & piè sustinentibus, copiosissimè reddet in futuro, secundùm sua promissa in Euangelio sancto: *Ecce* (inquit) *merces vestra multa est in cœlo*, quæ dabitur vobis pro breui certamine atque pressura in mundo. Sed quis potest omnia pericula huius vitæ cognoscere & prædicere quæ possunt homini sub sole in loco tentationis contingere? Nam iusto & impio multa æquè similia eueniunt. Sæpe etiam aduersa plus contristant, quàm bona adepta lætificant. Si aliquis pauper est, solicitudo vrget eum de bonis acquirendis. Si diues fuerit, timorem habet de perdendis. Væ ergo habenti, & væ non habenti, quia vtrobique instant pericula peccãdi. Orat ergo Sapiens, mediam viam eligens, & dicit: *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm victui meo necessaria præbe* His, fili mi, amplius ne requiras. Paupertatẽ Christi amicam propter Christum non verearis; quia sponte pati defectum virtutis est, & acquisitio regni cælestis. Dulcior est sæpe siccus panis pauperis esurientis, quàm crapulosa mensa satiari diuitis. Salubrior est mendicanti aquæ potus, sub vili tecto asseris; quàm fortis vini copia in palatio regis. Plus enim diuitem satietas ciborum grauat, plus vini potus caput eius lædit, quàm tenuis victus stomachum mendici languentis.

Luca 6.

Prou. 30.

6 Periclitatur autem citissimè sancta paupertas in diuitiis magnis, sobrietas in conuiuiis lautis, humilitas in honoribus altis, castitas in amicitia cum feminis, deuotio in tumultibus, cõpunctio in risibus, silentium in turbis, puritas cordis in rumoribus, quies in laboribus, mansuetudo in aduersis, prudentia in officiis, trãquillitas in occupationibus, discretio in correptionibus, sapor diuinorum in fabulis vanis. Ecce quomodo virtutes obscurantur & subruuntur, per nimiam familiaritatẽ quorundam actuum cum secularibus. Citò namque spiritualis dulcedo per externa negotia perditur; & feruor charitatis à Deo quæsitus, per longas fabulas frigescit & extinguitur. Et nisi per compunctionem leuitas mentis frenetur, per orationem tepiditas expellatur, per lectionem serenitas recuperetur, per puram & humilem confessionem conscientia crebriùs mundetur; vitia assueta redeunt, crescunt,

Virtutes vbinã periclitentur.

crescunt, indurant, opprimunt, & affligunt.

7. Quapropter necesse est religiosum fratrem seipsum præcipuè admonere, & aliorum admonitiones benignè accipere; magnam curã contra passiones suas adhibere, ac fortiter contra vitia irruentia rebellare: quia per fortia certamina itur sine dubio ad gaudia sempiterna, vincẽtibus in extremis reddenda. Hinc Christus per b atum Ioannem in Apocalypsi loquens adhortatur strenuè fidelem militem suum certare, & cõtra diaboli nequitias per orationes & sacra studia vigilare. *Esto* (inquit) *fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et iterum in eodem: *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* De quo beatus Paulus ait: *Nemo coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Duo preciosa dona Christus promittit bellatori suo, ne deficiat in certamine contra vitia; scilicet, manna diuinæ consolationis in præsenti, & coronam perẽnis lætitiæ in regno cælesti. Nolite ergo fratres seduci inanibus verbis per amicos seculares, nec attendatis ad honores temporales: sed tenete bonam & rectã viam per regularem vitam, perducentem ad vitam æternam. Quam nobis omnibus Dominus Iesus Christus post labores & dolores huius mortalis vitæ concedat, qui pro nostra salute fortiter in mundo laborauit, & certauit, doluit, fleuit, orauit, passus & crucifixus triumphauit, Amen.

Apoc. 2.
Ibidem.
1. Tim. 2.

SERMO XVI.

De districto Dei iudicio, vbi accusabunt nos omnes creaturæ.

1. Pet. 5. 1. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Dilecti fratres, seriosè attendite sacra beati Petri Apostoli verba, quæ iam in epistola eius sunt lecta. Hortatur enim omnes ad veram cordis humilitatem: vt homo consideret altissimam super se Dei potentiam, & propriæ fragilitatis multiplicem miseriam. Hæc duo simul iuncta faciunt humiliter de seipso sentire, & de nullo bono opere superbire. Hinc rursus ait: *Iacobi 4.* *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Inspiciatis ergo corda vestra, Deo in omnibus aperta. Recogitate mala præterita, præsentia pericula, futura Dei iudicia, & quàm districtè sint omnia opera nostra examinanda. Nescimus fratres, qualiter Deus iudicabit nos.

2. Timeo autem, quòd accusatores nostri multa grauia obiicient nobis, de quibus nunc parum recogitamus. Sed qui sunt isti accusatores nostri? Verè valdè multi, de quibus nunc aliqui sunt recitandi. Accusabunt nos Angeli sancti, quia instinctibus diuinis non obediuimus: sed potiùs carni & sanguini vltra necessitatem sæpe indulsimus. Accusabunt nos dæmones horrendi & maligni: loca, tempora & personas allegantes, in quibus &

Accusabũt nos multi in extremo examine, Angeli, dæmones.

cum

cum quibus peccauimus, nec dignam pœnitentiam fecimus.

Patriarchæ & Prophetæ.

3. Accusabũt nos sancti Patriarchæ & Prophetæ, quia bona eorum exẽpla & fidem nõ sumus imitati per opera; qui prædixerunt nobis multa bona, per sacra eloquia, de Christo & vita æterna.

Apostoli & Euangelistæ.

4. Accusabunt nos sancti Apostoli & Euangelistæ; quia illam perfectionis viam, quam à Christo didicerunt, & tenuerunt, & docuerunt, tam negligenter & tepidè secuti sumus: etiam postquam monasterium intrauimus, & Deo seruire promisimus.

Martyres.

5. Accusabunt nos sancti Martyres pro Christo occisi, quia eorum patientiam, saltẽ in paucis vexati, debiliter secuti sumus, & ad mollia carnis prolapsi, vix scintillã primi feruoris retinemus.

Confessores.

6. Accusabunt nos sancti Confessores, & omnes religiosi ordines, quia eorum abstinentiam & laborem, in vigiliis & ieiuniis multis, in orationibus, lectionibus, & sacris meditationibus, sicut de eis legimus, pro posse secuti non sumus.

Pastores boni.

7. Accusabunt nos boni Pastores, Sacerdotes & Doctores, qui multum laborauerunt pro salute animarum, pro cõuersione peccatorum, pro disciplina religiosorum, pro consolatione tribulatorum. Quia eorum prudentiam & prædicationem non sumus in claustris per contemptum seculi perfectè imitati: nec cum tanta reuerentia & amore eorum libros, super mel & fauum dulcissimos, gratanter accepimus, nec studiosè perlegimus: nec diligenter ad sacros eorum sermones aduertimus.

Scriptores & libri.

8. Accusabunt nos lectores, cantores, scriptores, & omnes libri: quos in choro, in dormitorio, in refectorio, & in cellis pro studio habemus: quia fructum paruum in istis fecimus, sed ad aliena & vaniloquia sæpius auscultauimus. Ideo dicent, si loqui possent: Cantauimus vobis, & non saltastis præ magnitudine gaudiorum & præmiorum futurorum, quæ in libris nostris scripta continentur, quæ Deus vobis pro consolatione & eruditione vestra transmisit. Rursumque dolentes cum lugentibus pueris dicent: Planximus vobis, & non ploraſtis præ nimiis miseriis & pœnis futuris, quas vobis frequenter denunciauimus.

Matth. 11.

Ibidem.

Eremitæ.

9. Accusabunt nos sancti Eremitæ, solitariæ vitæ amatores, à secularibus mente & corpore segregati: quia eorum angelicam conuersationem & celestem contemplationem, in continuis orationibus & deuotis meditationibus, in silentio & laboribus, in abrenuntiatione terrenorum & mortificatione vitiorum, negleximus perfectè imitari. Ideoque ipsi exultabunt in magna gloria, coram Deo & Angelis: & nos confusi stabimus propter delicias, quas libenter acceptauimus.

Feminæ sanctæ.

10. Accusabunt nos sanctæ virgines, sanctæ viduæ, & omnes pueri & puellæ, pudicitiam Deo amabilem constanter obser-

uantes,

uantes; quæ licet sexu & ætate fragiles essent, tamen per dura tormenta, ab amore & fide cælestis Sponsi, separari non potuerunt. Nos vero difficulter à periculis & occasionibus carnalium vitiorum cauemus, plerumque inuitè ieiunamus, & rigorem silentij laxè seruamus: clausuram & secretum cellæ, pro pace cordis & conuersatione deuotionis, insipienter abhorremus. Et heu frequenter susurrando, leuibus verbis (diabolo instigante) offendimus: qui auctor est turbationis, susurrij, & leuitatis. Multę namque sacræ virgines & nobiles matronæ, inter amicos & parentes seculares, inter diuitias & honores, à deliciis abstinuerunt; inter persecutores & derisores, castitatis propositum fortiter tenuerunt, clausuras & carceres, vincula, verbera, & exilia, patientissimè tolerarunt. Quid ergo ad ista dicemus, qui viri sumus? Nam sæpius foris spatiari quærimus, vnde paruum fructum reportamus. Erubescamus dilecti fratres, quòd tam multos religiosos sanctos ac sanctas virgines, senes & iuuenes, passos legimus, & adhuc parum pati valemus. Sequamur eos pœnitendo de malis, quos sequi non possumus moriendo pro virtutibus. Dicamus omnes gemendo & flendo: Miserere nostri Domine, parce peccatis nostris; da veniam de omnibus offensis; placare sanctorum tuorum meritis & precibus, tibi gratissimè acceptis. Sunt præterea & alij multi accusatores nostri; scilicet locus aptus, ordo sanctus, & habitus religiosus. Quia etsi seculum reliquimus ad oculum foris; & religiosum habitum portamus cum aliis; tamen statuta ordinis tam strictè non custodimus, sicut promisimus.

Rectores. 11. Accusabunt nos prælati & rectores nostri, cùm fuerint coram Christo, de bona conuersatione nostra, diligenter per singula interrogati. Oportet enim quòd dicant purè rei veritatẽ, ante iudicem Christum omnia secreta scientem. Inter multa præcipuè quæretur ab ipsis, & exigetur à nobis, si in omnibus cum debita reuerentia obedientes fuimus. Si pacem & concordiam cum fratribus, salua ordinis disciplina, seruauimus. Si diuinum officium diu noctuque, deuotè & attentè, alacriter & vigilanter, persoluimus. Si pro benefactoribus viuis & defunctis, feruenter ac frequenter orauimus. Si pro quotidianis excessibus & defectibus, dignam pœnitentiam egimus. Si pro tribulatis amicis & aduersariis nostris, preces ex charitate & pia campassione effudimus. Si commune bonum & obedientiam, omni priuato studio & deuotioni præposuimus.

Fratres. 12. Accusabunt etiam nos fratres nostri, videntes conuersationem nostram, à manè vsque ad vesperam; quia bonum exemplum eis non dedimus, vigilando, orando, laborando, & aliis deuotis exercitiis insistendo; sed pretiosum tempus pœnitentiæ infru-

instructuosè expendimus, proprium commodum quærendo, & vtilia omittendo.

13. Accusabunt nos seculares homines, peregrini & hospites aduentantes, quia viderunt nos foris vagantes, leues moribus, dissolutos verbis, bene vestitos, delicatè comedentes, parum laborantes, diu fabulantes: tardè ad chorum, ad cellam, & quietem properantes. Nam tenemur eis, & omnibus hominibus, dare bonæ conuersationis exemplum, eo quòd facti sumus Deo & Angelis spectaculum: cunctisque intuentibus, doctis & indoctis, æternæ vitæ oportet ostendere viam, & boni nominis gerere famam. Seculares. 1. Cor. 4.

14. Accusabunt nos insuper elementa, & omnes creaturę cæli & terræ, propter multa seruitia vsibus nostris exhibita; quia creatori nostro debitum famulatum non exhibuimus; & gratiarum actiones pro collatis beneficiis, totis cordium affectibus (sicut oportuit ac decuit) non persoluimus secundùm vires, quas à Deo accepimus. Ex quo enim sani videmur, ac necessaria quotidiana à prouisoribus nostris sine magna solicitudine percipimus, & donaria gratuita libenter acceptamus, ideo iam magis Deo obligamur, tanquam commensales regis cælestis. Elementa & creaturæ omnes nos accusabunt in iudicio.

15. Ignis dicet, & contra torporem & ingratitudinem nostram exclamabit: Ego, iubente Deo creatore meo, vobis in multis locis subuenio. Ego sicut fidelis seruus gratis seruio, sanis & infirmis, in coquina, in pistrino, in braxatorio, in lauatorio, & in oratorio: & quotiescunque necessarium est, pium me præbeo omnibus calefacere se volentibus ad ignem. Ego virtute mihi data comburo stramina, cespites, lapides, & ligna; exicco humida, calefacio frigida: mollio dura, induro mollia; in diuersis materiis ago contraria, mira Dei potentia legibus naturæ impressa, vt vos habeatis commoda vestra ad seruiendum Deo cum lætitia & gratitudine magna. Nam in hyeme manus vestras & pedes calefacio, candelas accendo, tenebras fugo, claritatem lucis oculis reddo. Quid debui facere, & non feci? Respondete creatori meo, si negaui obedire eius imperio. Feci enim sine contradictione, tam bonis quàm malis, quæcunque mandauit fieri Dominus, conditor meus, omnipotens & misericors Deus. Bonis quidem & iustis, ad vtilitatem eorum feruco & luceo; malis verò & ingratis, ad vindictam ardesco. Cumque Deus iratus iusserit, tunc ciuitates, villas, & castra comburo; & tam diuites quàm pauperes sine personarum acceptione deuasto; omnemque mundi lætitiam, pulchritudinem, & abundantiam, in cinerem redigo, & tamen illæsus in propriæ naturæ forma permaneo. Ignis.

16. Aër dicet: Ego auram bonam & serenitatem præbeo, ad commodè ambulandum, ad ingeniosè laborandum, ad fructuosè seminan- Aër.

seminandum, & ad maturos fructus in horrea & vascula hominum colligendos. Sed quia sæpe homines abutuntur bonis datis, ad vanitates & illicita lucra exercenda; iratus Deus malitiis eorum, subitò me cogit exercere terribilia in terra, in mari, in arboribus, in pecoribus, in castris, in oppidis, in agris, & in domibus sacris. Nam clara adhuc die nemine aduertente nubes eleuo, ventos produco, fulgura emitto, tonitrua genero, tempestates excito, mare perturbo, grandines proiicio, imbres effundo, terram concutio, arbores euello, domos subuerto, & miram Dei potentiam in istis inferioribus terribiliter ostendo; vt omnes peccatores terræ Deum timore discant: & quàm horrendum futurum iudicium in nouissimo die sequatur, ex præsentibus malis perpendant.

Aqua. 17. Aqua dicet: Ego terram imbribus irrigo, fontes & flumina produco, pisces diuersi generis enutrio, naues & galeras multis opibus onustas firmiter porto, & ad longinquas regiones & *Psal.106.* insulas flante vento transuecto; & multa mirabilia opera Dei, in mari & in aquis multis, nauigantibus demonstro; vt annuncient opera eius in exultatione, cùm ad portum peruenerint; & de magnis periculis liberati, magnificè gratias agant: Et quia peccata vindictam exigunt, ideo grauiter Deo offenso, sæpe naues tempestate quatio & frango; sæpe homines submergo, pretiosas rerum copias absorbeo, & tanquam lutum platearum aurum & argentum, in quibus homines confidunt, in imum prosterno. Quatenus auari & superbi gigantes, qui deprimunt pauperes, & defraudant innocentes, in diuitiis suis non exultent, nec spem in terrenis ponant, sed in Deo viuo, qui cuncta fecit ex nihilo, & pauperes pascit in modico. Ego sanctorum manus & pedes lauo, & malis & ingratis ad multa deseruio. Sitientibus potum præsto, puteos & fossas impleo, purgo sordes, candido vestes, & ad varios vsus hominum & pecorum, dulcia pocula aquarum de *Exod.7.* fontibus & torrentibus propino. Ego propter peccata hominum, *Exod.17.* versa sum in cruorem in terra Ægypti, contra naturam, de petra *Exod.15.* deserti largissimè fluxi; ad preces sanctorum conuersa sum in *Ioan.2.* dulcedinem, & ad verbum Christi in saporem optimi vini. Multas igitur gratias Deo reddere tenentur, qui copiam aquarum habent, & pisces retibus captant. Qui verò vino & poculis variis se inebriant, & pauperibus parum aut nihil tribuunt, cum diuite in inferno cruciabuntur.

Terra. 18. Terra dicet: Ego homines & iumenta sustento; vias planas & semitas rectas, per campos & nemora euntibus, exhibeo: Montes & colles, ne aquę prævaleant, ad refugium seruo. Ego ligna, gramina, & varias herbarũ species nutrio, vineas, & oliueta,

ficus

ficus & mala granata, poma, pyra, nuces, amygdala, fabas, pisa, ordeum, triticum, flores, rosas, lilia, violas profero : & per singulos annos cultoribus terræ & messoribus consuetos reditus soluo. Et pro omnibus istis beneficiis, largiter hominibus apportatis, non aliud requiro & gratum habeo, nisi vt omnes vbique terrarum nationes & insulæ gentium, Deum cognoscant, colant, prædicent, laudent, & adorent : & super omnia bona visibilia & inuisibilia diligant, honorent, & exaltent : quamdiu viuunt, odorant, spirant, terram calcant, fodiunt, plantant, & ædificant. Ego quoque post mortem carnis, recipio corpora defunctorum in gremium meum, tanquam mater filios luce priuatos. Quia de terra facta sunt, & in terram omnia reuertentur, sicut ad matrem suam, vnde factus est Adam, & tanquam ad commune hospitale omnium mortalium peregrinorum. Cùm enim quis inutilis fuerit mundo, aut senio fatigatus, aut bello occisus, aut morbo infectus, aut vultu deformis, & nemo hunc ampliùs voluerit in domo tenere, nec in lecto refouere ; tunc sine longa mora, ad me amici vel vicini recurrunt, foueam parant, & abiectum suum ad me reducunt, & sub tecto meo in terra absondunt. Et quem viuentem dilexerant, & valdè laudabant & honorabant : iam mortuum vitant, nares obstruunt, inspicere horrescunt, & recedunt. Ego autem terra à Deo creata misericordiæ plena, nullum defunctum quantumcunque miserum, leprosum, aut saucium, aut fœtidum abhorreo aut contemno ; sed sine personarum acceptione, omnes Adæ filios & filias generaliter admitto, qui propter primi parẽtis culpam, coguntur redire in terram, de qua omnes traxerunt originem. Ego indifferenter aperio pauperi & diuiti locum sepulchri. Et si interdum viuentes pro loco digniore litigant, defuncti tamen tacent, nec sepelientibus contradicunt. Omnes Reges terræ, omnes Principes, omnes Duces, Comites, Barones, Præsides, milites, nobiles, ignobiles, antistites, Abbates, Doctores, Legistas, Sacerdotes, clericos & laicos, breui tugurio claudo, tego, & conseruo ; donec nouissima tuba resonante, Christus in maiestate sua cum Angelis sanctis apparuerit in maxima gloria. Tunc enim coget iterum reddere corpora in sepulchris dormientia, ad præsentandum in iudicio bonos & malos singulos cum corporibus suis sine mora ; vt recipiat vnusquisq; mercedem vel pœnam secundùm opera sua, quæ gessit in vita. Nec tunc potero aliquem violenter retinere, nec prece vel pretio à facie iudicis & ab ira agni ampliùs abscondere, nec armis defendere : Quoniam iustus Dominus iustè iudicabit omnes fines terræ, iustos misericorditer saluans, & impios pro suis demeritis iustissimè damnans. 2. Cor. 5.

Ibidem. 19. O vtinam mortales ista pensarent, & de districto Dei iudicio, cum tremore & gemitu frequenter cogitarent! *Omnes* enim (vt Apostolus ait) *stabimus ante tribunal Christi*, de singulis malis præteritis rationem reddituri: accusantibus nos (vt dictum est) omnibus creaturis, circumstantibus Angelis & dæmonibus unde paratis ad recipiendum secum in ignem damnatos. Ibi nullus se poterit excusare, nec ad excellentiam Imperatoris appellare, nec literis Apostolicis neque priuilegiis regalibus se defendere, contra sententiam iudicis cuncta ab æterno cernentis; qui secretissimas cogitationes & opera singulorum, in qualibet ætate & hora patrata, cognoscit notitia clara, nullo ipsi referente. Cuius tremendum iudicium omnes nunc reuereri debemus, & ante iudicij diem & mortis horam, cum vera cordis contritione, de malis omnibus pœnitere, & veniam humiliter petere: ne fortè de hoc mundo subitò ad iudicium rapti, cum impiis perpetuò damnemur. Præstet nobis misericors Deus, nunc & semper inuenire misericordiam ante thronum gratiæ suæ: vt cum electis mereamur benedici, & in regnum gloriæ feliciter introduci, Amen.

SERMO XVII.

De vana gloria vitanda, & humili obedientia sectanda.

2. Cor. 10. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Dilecti fratres, si vestram sæculare vitam præteritam cum dolore cordis recogitatis, & quantum Deum offendistis ad quid gloriari potestis? Si etiam negligentias quotidianas & offensiones diuersas cautè considerare velitis: vnde gloriari habetis, qui tam defectuosi estis? Qui mala sua præterita, & præsentia pericula, vigilanter attendit & strictè ponderat, nunquam de operibus suis vanè gloriari potest. Quis nostrùm scit, qualiter Deus singula verba, cogitationes & opera, die & nocte pensat & iudicat; vtrùm ea acceptat, vel reprobat? Nescit etiam homo, quamuis modò bonus & deuotus sit, quamdiu sic manebit: vtrùm melior an deterior adhuc fiet. Fratres, si occulta Dei iudicia, & terribilia opera eius super filios hominum, ab initio mundi cogitare cœperitis, euanescet cuius omne altum & carnale, quod delectat in terrenis. Vnde sanctus *Psal. 118.* Dauid orat: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Sicut Deus pius & misericors est pœnitentibus, & feruenter se emendantibus: ita rigidus est & terribilis, malè & negligenter agentibus. Nolite ergo gloriari in malitia & nequitia elati cordis vestri, sicut multi fatui faciunt; qui luto inquinati non erubescunt, sed etiam ab aliis derisi, lætantur & rident.

2. Le-

2. Leuate oculos veſtros ad cælum; & Angelorum dignitatem, puritatem, ac ſummam beatitudinem reſpicite; qui non quærunt laudem propriam, nec alienam gloriam: ſed Dei gloriam, & honorem, & decorem, à quo conditos ſe cognoſcunt; in quo & inuicem ſe diligunt, ac totum ei gratiſsimè aſſcribunt, quod potiſſimùm ab eo acceperunt. Si ergo Angeli ſancti humiles ſunt, & grati Deo in tanta ſublimitate, quanto magis homo mortalis & peccator humiliare ſe debet, & omnem vanam gloriam refutare? Diſce miſer & ſuperbe, non altum ſapere, ſed humilibus corde & *Rom. 12.* ore conſentire; vt inuenias gratiam coram Deo & Angelis, quam elati aſſequi nequeunt: & ne perdas æternam gloriam in cælo, quam mali Angeli per ſuperbiam perdiderunt. Stude ſoli Deo in omni opere bono velle placere, & omni humanæ creaturæ propter Deum te ſubiicere; maioribus obedire, minoribus ſubuenire, omnibus reuerentiam exhibere, mores infirmorum & peruerſorum piè tolerare.

3. Si queris ſaluari, ſi optas beari & exaltari, ſequere humilem Chriſtum, & deſpice temetipſum. Non enim aliter poteris aſcēdere in cælum, niſi te humiliaueris ex toto corde propter Deum. Non deſideres eſſe in ore hominū, qui vanis laudibus decipiunt fatuum temporalis gloriæ amatorem. Inſpice in veritate cor tuum, quàm multis paſsionibus ſit obnoxium; & non gloriaberis in teipſo, nec proximum tuum deſpicies, quantumlibet pauper ſit & infirmus. Memoriter retine notabile verbum Chriſti: & cùm te tentauerit vana gloria mundi, reſponde tibi ipſi quod Chriſtus Iudæis dixit: *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Recedat *Ioan. 8.* ergo vana gloria & laus humana, de ſcientia & arte acquiſita: ceſſet ſtulta iactantia de opere bono & ſermone perito: euellatur ſecularis aſtutia de corde religioſo: pereat falſa imaginatio de ſanctitate foris oſtenſa: erubeſcat præſumptio nouitatis, abſque fructu charitatis contra pacem communitatis. Gaude ſemper columbina ſimplicitas, abſque felle amaritudinis: corripe fratrem in ſpiritu lenitatis: doce plus exemplo humili, quàm verbo ſubtili. Porta compatienter tibi contrarium, quem emendare non potes ad purum. Veniet citò tempus, cùm iniquitas oppilabit os *Pſal. 106.* ſuum, & nequitia redundabit in caput fallentis; ſuſtinebitque confuſionem ſuam, qui libenter humanam appetit laudem, & honoris quærit dignitatem.

4. Quid ſanctitatis confert magni nominis dilatatio, quando parum vel nihil virtutis reſidet in conſcientia? Quid deuotionis præſtat diuerſarum regionum peruagatio, quæ magnæ vanitatis cauſa eſt & mentis diſtractio? Quid vtilitatis affert religioſo dominorum notitia, & altorum murorum & caſtrorum curioſa in-

ſpectio? Nempe de terra omnia iſta facta ſunt, & in terrã omnia reuertentur. Sæpe etiam per potentiam armorum ad puluerem deiiciuntur, & igne comburuntur. Melior eſt ergo pauper, latens in vili domuncula, comedens olera & legumina cum bona conſcientia: quàm diues habitans in aula pulchra, bibens vina, & edens pinguia cum lætitia & ſuperbia, repletus mala conſcientia. Cui poteſt illud Euangelicum verbum rectè aſsignari: *Stulte, hac nocte à te animam tuam repetent, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Luca 12. Nemo itaque de vanis hominum laudibus gaudeat, etiam ſi aliquid laudabile agat. Nemo de bonitate ſua nimis confidat, neque de fortitudine ſua inaniter præſumat, nec etiam de nobilitate generis ſe extollat. Nemo de facultate ſcientiæ infletur. Nemo de dignitate prælationis ſuper alios glorietur. Nemo de abundantia pecuniarum & redituum confidens, diuitem ac felicem ſe reputet, nec pauperes deſpiciat; quia neſcit quamdiu viuet, & iſta tenebit: neſcit, quid moleſtiæ ſibi inde prouenire poſsit, cùm Deus hoc permiſerit. In omni denique re temporali & opere humano, incertus eſt proceſſus & bonus exitus. Nam ſæpiſsime res aliter eueniunt, quàm homines putant; & ſæpe conſilia in contrarium mutantur. Neſciunt cæci montes claro die ſpeculari, quamuis aſtuti fuerint.

5. Falluntur frequenter ſapientes in oculis ſuis de futuris, qui in ſua calliditate confidentes, Deum ante oculos ſuos non habent. Nam qui terrena ambiunt, honores diligunt, voluptates ſequuntur, damna metuunt, proſpera concupiſcunt, altiora petunt, in vanis gaudent: iuſto Dei iudicio iterum dolebunt, miſerabiliterque de perditis bonis affligentur. Inter ſpem bonorum & metum malorum, cor ſeculare & carnale continuè fluctuat; quia anchoram ſpei in cœleſte deſiderium non figit: vbi omnia bona abundant, & perpetuò durant. Quapropter chariſsimi fratres, ex quo nemo pro certo nouit, quid de futuris ſibi vtilius ſit, aut magis pro ſalute animæ ſuæ expediat; tutius eſt & honeſtius vti conſilio ſapientum & expertorum, & præcipuè prælatorum noſtrorũ ac ſeniorum; qui habent ſcientiam ſcripturarum & experientiam periculorum de ſe & de aliis multis. Sæpe enim diabolus inſtinctu maligno deuotos etiam ſub ſpecie boni decipit. Nullus ergo in deſiderio ſuo & imaginatione priuata capitoſus ſit, nec in proprio videre & naturali ingenio animosè abundet; ſed etiam in paruis rebus, non ſatis clarè ſibi notis, timoratè procedat, conſilium quærat, cum deliberatione agat. Motiuum ſuum dicat, latens mentis vulnus aperiat, medico credat, ſub fictis verbis ſemetipſum non decipiat; non aliter ore dicat, quàm in corde habet, quia ſcriptum eſt: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Pſal. 5. Eſt

regula

regula iuris: Qui malè narrat, nihil impetrat, sed omni beneficio indignum se facit, & suspectum quampluribus reddit.

6. Magna & laudabilis prudentia est, industriæ propriæ renuntiare, humiliter superiori obedire, doctiori credere, experientiori acquiescere; & in omnibus bonis Deo placitis hilarem se semper exhibere. Nec timendum ibi erroris periculum, vbi pia intentio Prælati excusat obedientem discipulum. Demum omnibus religiosis Christo obligatis securè suadendum, vt totum negocium perplexitatis suæ, totum desiderium deuotionis, totum studium lectionis, totum otium contemplationis, omnem fructum prædicationis suæ, & quicquid boni mente concipiunt, primò studeant Deo in secreta oratione præsentare. Deinde hoc idem fideliter Prælato suo, sicut vicario Christi, in aperta confessione humiliter exponant; & indubitanter ipsis committant, quid facere debeant vel dimittere. Nam perfecta obedientia de suo proprio quæsitu nihil habere debet, nec paruum nec magnum, cum amore vitioso possidere: quatenus omni cupiditate & commoditate euulsa pro posse, liberum volatum anima habeat ad cælum. Huic Christus iam viuere est, & mori quotidie pro Christo, maximum lucrum: Esse verò cum Christo, vnicum desiderium, & felicissimum bonum. Fratres, semper in corde firmiter teneatis verbum sapientis Salomonis, qui simplicem obedientiam cum resignatione propriæ voluntatis præfert omnibus sacrificiis, dicens: *Melior est obedientia, quàm victimæ.* Et item: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* *Phil. 1.* *Eccles. 4.* *Eccli. 32.*

Exemplum.

7. ERant duo deuoti fratres in congregatione Dauentriensi studio vacantes, & loquebantur pariter de virtute obedientiæ. Dixit ergo vnus alteri socio suo: Sæpe mihi malè successit, quando neglecto consilio, feci voluntatem meam. Respondit alter: Nec me pœnituit, quòd bonis consiliis acquieui. Noui senem fratrem, qui in iuuentute sua, seniorum verba valde libenter audiuit: sed de hoc multum doluit, quia multa obliuioni tradidit.

SERMO XVIII.

De spirituali militia, contra vitia.

1. *CVm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri.* Dilecti fratres, in hac vita inter hostes versamur, & ex omni parte bellum nobis instat contra vitia gerendum. Quotidie tentamur & impugnamur, nunc quidem molliter, nunc acriter, semper autem periculosè & nequiter, diabolo nobis vbique insidiante & infestante. Nullus quippe viuens, à tentationibus & turbationibus totaliter *Luca 21.*

liber est, quamdiu spiritus in corpore manet: sed quilibet cogitur etiam inuitus portare pondus diei & æstus. Nemo ergo otio torpeat; nemo à castris Dei recedere cogitet; nemo ante finem belli arma sua deponat. Accingatur nouus miles ense nouo in feruore spiritus, contra nequitias diaboli pugnaturus. Pugnet fortiter in gladio bis acuto, timorem pariter & amorem Dei in mente habendo, secretum orationis quærendo, publicum & otium summè vitando. *Nemo* enim *coronabitur* in cælo, *nisi qui legitimè certauerit* cõtra passiones suas & vitia in hoc mundo. Ensis nouus est nouus feruor sanctæ deuotionis: qui à principio conuersionis sæpe datur benigna sancti Spiritus illustratione nouis militibus, ad præliandum fortiter contra tentationes futuras.

2. Caueat ergo diligenter nouitius, ne deuotionis gratiam perdat torpore infectus; sed omni tempore ad spiritualem pugnam se præparet, & oret sæpius: vt sit vnus de electis Abrahæ vernaculis, qui hostes suos vicit fide & prece armatus. Acuat gladium suum frequenter, innouando primum propositum suum, quod accepit: nunc meditando passionem Dominicam: nunc Martyrum certamina & cruenta vulnera, nunc æterni ignis incendia, nunc dæmonum grandem horrorem, nunc intolerabilem picis ac sulphuris fœtorem, nunc inferni profunditatem, nunc damnatorum flebilem clamorem, nunc omnis salutis desperationem. Hæc si ad mentem venerint, torporem excutiunt, concupiscentiam carnis reprimunt, vitiorum rubiginem consumunt, negligentiam redarguunt, & ad spiritualem profectum & deuotionis feruorem vehementer accendunt.

2. Tim. 2.

Gen. 14.

3. Timeat ergo nimis tepidus religiosus; restringat se vagus & dissolutus, ne veniat in illum locum tormentorum; vbi nullus est exitus, nec misericordiæ locus. Nunc verò in tempore gratiæ, negligentias præteritas corrigere studeat: secretarium cordis sui, per humilem confessionem & deuotam orationem purget: Recolligat se per sacram lectionem, & frequentem cordis compunctionem, refrenet verborum leuitatem, per silentij custodiam: reformet internæ pacis trãquillitatem, per externorum negotiorum obliuionem. Expellat irruentes sordes malarum cogitationum, per puram cælestium meditationem; & ad placandam citiùs Dei offensam, veram teneat humilitatem. Hæc pertinent ad viriles & bellicosos tirones, qui propter tres hostium cuneos iubentur in armis stare, & contra carnem, mundum, & diabolum, per totam vitam suam strenuè dimicare.

4. Bellare ergo oportet cum adiutorio Dei, instanter orando, à delicatis abstinendo, patienter aduersa tolerando, sicut fecerunt omnes sancti, & præcipuè Martyres Christi, qui fortissimè certãdo, vi-

Martyres.

do, vicerunt aduersarios suos, benignè patiendo, atque post multa improperia & tormenta innocenter moriendo. Non attenderunt ad amicos & parentes carnales, non ad diuitias & honores temporales; sed ad æterna præmia, ad cælestes thesauros, ad coronas triumphales, & ad immarcessibiles glorias promerendas. Etenim per transitoria tormenta meruerunt sine mora migrare ad gaudia sempiterna. Nunc gaudent animæ eorum in cælis, qui vestigia Christi secuti sunt in contumeliis & grauissimis pœnis.

Confessores.

5. Certauerunt etiam sancti Confessores, sobriè, iustè, & piè viuendo: sæpe ieiunando, vigilando, orando, meditando, studendo, gemendo, plorando, pro suis & aliorum peccatis supplicando; oblocutiones, detractiones, derisiones, murmurationes, minas, exactiones, damna, & iniurias sustinendo: in fide recta, spe firma, & charitate perfecta, vsque ad mortem perseuerando.

Doctores.

Certauerunt etiam sancti & solennes sanctæ Ecclesiæ doctores; contra hæreticos & varios errores disputando, verbum Dei sedulò prædicando, libros scribendo, studendo, dictando, quæstiones mouendo, dubia soluendo, obscura lucidando, vitiosa refutando, salubria proponendo, recta & vtilia hominibus persuadendo: à curiosis, intricatis, & infructuosis quæstiunculis simplices prohibendo, pigros excitando, duros corripiendo, tristes consolando, debiles confortando, ac bonum exemplum viuendi aliis quotidie exhibendo: vt quod verbis suadere non poterant, probis actibus affirmarent.

Eremitæ & monachi.

6. Certauerunt etiam sancti eremitæ & monachi, & diuersorum ordinum professores, sæculo renunciantes, vanitates mundi & delicias carnis spernentes, gloriam & honorem temporalem conculcantes; tumultus hominum fugientes, solitudinem diligentes; propria relinquentes, crucem suam tollētes; corpus suum per abstinentiam castigantes, linguam silentio refrenantes; euagationes & discursus deuitantes; violentiam sibi per singulos dies inferentes; iugo sanctæ obedientiæ se sponte subiicientes; in claustris sub regularibus disciplinis strictè viuentes; apostolicam perfectionem imitantes, & propter Christum quotidianæ crucifixioni se tradentes: omnibus inordinatis affectionibus & propriis motibus perfecto corde reluctantes: nil sibi ex omnibus charis, vtēsilibus, libris, vel vestibus priuato amore retinentes. Nil quippe perfectius, nil salubrius, nil vtilius, nil laudabilius, nil securius & quietius, pro bona conscientia & pace cordis habenda, quàm vt religiosus Deo deuotus & professus monachus, omni hora sine contradictione, sine mora, sine fictione, sine auersione promptè & libenter Prælato suo obediat; seipsum fortiter vincendo, humiliter subiiciendo, patienter onerosa & insuauia supportando.

7. Ad istam perfectionis viam seruandam requiritur magnum certamen contra sensualitatis inclinationem, contra proprij sensus prudentiam, contra malam suam consuetudinem, & carnis libertatem, quæ inuitè vult aliis subdi, regi, & arctari; sed potiùs quærit spatiari, iucundari, & deliciari. Hæc enim valde contraria sunt legi Dei, & rationi, & communi paci fratrum, ac bono regimini claustrali. Quapropter multum laudabilis & verè amabilis reputabitur simplex obediens frater: qui hilari vultu & corde benenolo paratus est omnibus obsequi, exemplo Iesu Christi: seruans legem vitæ & disciplinæ, pro salute animæ suæ in ordine regulari. Rursum multum culpabilis & reprehensibilis est astutus frater, in sensu suo abundans; qui non obedit humiliter suo Prælato, reuerentiam & subiectionem ei exhibendo. Væ illi, qui inuitè aut ficto corde obedit, & leuiter murmurat. Hunc Christus patri suo obediens grauiter arguet; & sæpè in præsenti duriter vindicare solet. Nam ipse Prælatis Ecclesiæ dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quod ergo Apostolis dixit, hoc etiam successoribus eorum & cæteris Prælatis dicit, hoc & monasteriorum rectoribus loquitur; iubens subditis, vt obediant propter Deum, propter magnum meritum & bonum exemplum. Quia omnibus obedientibus dabit gratiam & æternam gloriam; inobedientibus verò & peruersis confusionem & pœnam æternam.

Obedientia quanti meriti apud Deũ.

Lucæ 10.

Hebr. 13.

8. Verus namque obediens, & potestatibus sublimioribus à Deo constitutis se subdens, comparatur sapienti negotiatori, qui in omni loco & foro venali cogitat lucrum suum augere, & damna præcauere; meliora nititur comparare, & vilioribus non implicari. Sic etiam religiosus, vinculo obedientiæ ligatus, pensare debet, & conari, in omni opere & negotio sibi commisso, vt fideliter agat; nil omittendo, quod Deo placet, & Prælatus sibi committit. Tunc enim maximè in bono proficit, & meritum suum ampliat: si visibilia mundi spernendo, cælestibus intendit: si obedire ad alterius nutum, præ cunctis opibus reputat animæ suæ lucrum. Melior est enim obedientiæ fructus, quàm propriæ prudentiæ cogitatus subtiliter auisatus. Et multo fructuosior est relicta voluntas propter Deum, quàm studium longum & psalterium perlectum. Beatus igitur Religiosus, cuiuscunque ordinis & status, qui Christum sequitur modò per crucem & carnis violentiam semper obedire paratus, quoniam in fine obitus sui recipiet cum sanctis Confessoribus speciale præmium in cœlis, Christo promittente & dicente his verbis: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui* Non ergo dedignetur homo vilis & ignarus, puluis & cinis futurus, se subdere & obedire

Matth. 25.

obedire homini salubria suadenti ; quando Angelus obedit Angelo, vno nutu aliquid sibi innuenti : & sanctus Gabriel missus à Deo, statim venit nuntiare Mariæ incarnationem Christi. Sed hoc amplius mirandum est, & omnibus propositum ad imitandum, quòd Deus homini obediuit, seruiuit, & ad vilia & infima se humiliter inclinauit: ne alicui, quantumcunq; magno, docto, vel nobili, graue sit obedire maiori, aut etiam æquali, vel minori, cùm Christus hęc omnia priùs fecerit. Obediuit namque Ioseph & matri, relinquens templum & doctores, vbi poterat habere fauorem & honorem ; descenditque cum parentibus in Nazareth, & erat subditus eis : vbi multis amicis, quam magnus esset, mansit diu incognitus. *Luca 1.* *Luca 2.*

9. Certauerunt etiam fortiter contra hostes suos sacræ virgines, & viduæ continentes ; quæ seculi vanitates, & carnis voluptates, ac diabolicas tentationes, in ætate puellari & sexu fragili, vicerunt amore Iesu Christi, orationibus, vigiliis, & ieiuniis insistentes : mundana consortia & colloquia inutilia vitantes, corpora sua castigantes, ab omni ornatu superfluo abstinentes ; soli Deo sincera mente & casto corpore placere cupientes; ad cęlestes nuptias, per sancta desideria & interna suspiria, quotidie se præparantes ; deuotis meditationibus, hymnis, psalmis, tanquam floribus albis, thalamum cordis adornantes ; contritione & confessione maculas conscientiæ lauantes, & ad cælestis & inuisibilis Sponsi præsentiam incessanter cum gemitu & ardenti amore anhelantes. O sacra trophęa virginum! ò fortia bella puellarum, viduarum, & nobilium dominarum ; quæ propter amorem cælestis Sponsi, & angelicæ puritatis pulchritudinem seruandam, contempserunt nuptias terrenas, amicitias virorum, patrimonia parentum, solatia filiorum, conuiuia cognatorum, ornamenta vestium, splendorem gemmarum, copiam vasorum, annulos aureos, scyphos argenteos, varias supellectiles, cortinas sericas, sedes depictas, ministeria seruorum, comitiuas ancillarum, organa musicorum, spectacula ludorum, & omnia delectamenta gaudiorum mundanorum, quæ offert & ostentat vanus & ludicrus hic mundus insidiantium oculis. Hæc enim nihil profuerunt, nec prosunt amatoribus suis : qui lętantur in perituris & ludicris rebus, fallaciis & doloribus plenis.

10. Felix igitur caterua sanctarum virginum, quæ cuncta sæculi huius gaudia & corporis ornamenta tanquam stercora repudiare studuit, pro vita æterna : & magis cum Angelis & Archangelis concupiuit beatificari in cęlesti gloria. O verè beata concio virginalis sexus ; quæ in suo gradu stabilis permansit : & vsque ad sanguinis effusionem, vitiis ac tyrannicis legibus contradixit.

Ideoque speciosissimas in cælo coronas, pretiosis gemmis & margaritis ornatas, pro victoria certaminis sui, à Christo percipere gloriosa laude promeruit. Quis etenim dignè & sufficienter poterit explicare, quales sæpè angustias pertulerunt in corde; quales tentationes in carne; quales suggestiones dæmonum sentiebant in oratione, qui eas à castitate Christi, ad delectationes mundi instigabant? Heu quanta consilia machinatus est Satanas per amicos suadentes, per matronas blandientes, per multiplices quoque derisiones & terrores: vt seducerent eas, & traherent secum per breues delicias ad pœnas infernales. Sed Christo auctore miserante & iuuante, nil valuerunt contra virgineas acies diabolica figmenta; nec hominum impiorum clamores, nec tyrannorum verba, nec arma minantia mortes. Quoniam charitas Christi fortior omni armatura, dignior omni honore, pulchrior omni decore, suauior omni melodia, tam vehementer ardebat in virgineis cordibus & femineis turmis, signo crucis armatis, vt nec ignes, nec verba, nec bestias, nec carceres, nec famem, nec mortem pati timerent; quatenus firmam fidem, & castitatis gemmá, puro corde & corpore, perpetuo cũ honore in cælis coronandam conseruarent. Hæc igitur beatorum Martyrum certamina, sanctorumq; Confessorum longam & duram abstinentiam; & præcipuè sanctarum virginum castimoniam, patientiam, ac perseuerantiam, ad imitandum vobis proponere debetis; & ad resistendũ vitiis & passionibus, viriliter vos armare. Hortor omnes in charitate, vt pro scuto luctaminis, sanctorum suffragia non negligatis, ne in tentationibus vestris deficiatis: largiente Domino nostro Iesu Christo, omnium bonorum remuneratore, Amen.

SERMO XIX.

De varijs bellis & periculis huius vitæ.

Galat. 5. 1. CAro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem; hæc enim sibi inuicem aduersantur. Dilecti fratres, superiori sermone pauca de spirituali sanctorũ militia audistis; nunc consequenter de diuersis bellis aliqua dicenda sunt, ad cauendum laqueos & dolos serpentis antiqui; qui nequitia plenus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: & specialiter cõtra nouellos milites Christi atrociter fremit. Inuidet enim eis gloriam regni cælestis, vnde ipse subitò per superbiam cecidit cum multis. Cuius persuasione pestifera, plures decipiuntur: & quandoque famosi viri in scientia & regimine sublimati errauerunt, vana gloria infecti; qui hominum amicitia tracti, lapsi sunt, & grauiter vulnerati. Cauete autem nouiter conuersi fratres, à

duobus

duobus præcipuè malis ; scilicet, à desideriis carnalibus repentè irruentibus, per quinque corporis sensus: & à superbia mentis per appetitum vanæ laudis, ne gratiam internæ deuotionis perdatis, cum mercede æternæ retributionis. Recèns cõuersi sibi caueant à duobus.

2. Militia nostra, fratres charissimi, non est carnalis potentia, sed benigna omnium injuriarum pro Christo sufferentia: non secularis sapientia, sed humilis obedientia: non corporalis commodi exquisitio, sed carnis afflictio: non laboris subtractio, sed pravæ delectationis mortificatio. Si quæritis, quamdiu durabunt bella ista, inter carnem & spiritum, inter diabolum & hominem, inter mundum & Christum, dico secundùm Euangelium & Apostolum, vsque ad vltimum vitæ nostræ terminum, & sæculi consummationem. Dixit enim Christus ante passionis suæ horam : *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et ad discipulos in vltima cœna : *In mundo pressuram habebitis. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et ideo eos confortans ad patientiam & perseuerantiam, ait amicis de suo recessu grauatis : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia vado parare vobis locum ; vt vbi sum ego, & vos sitis mecum.* Sed interim dum estis in mundo, teneatis patientiam pro forti scuto ; & verbum Dei pro gladio acuto: & loricam fidei in omni periculo, confidendo semper in Deo. Oremus ergo fratres, vt gratiam & misericordiã inueniamus in conspectu Domini nostri Iesu Christi ; doceatque nos artem certandi contra passiones & vitia nostra, quæ nos impugnant & tentant, quamdiu in carne viuimus & corpus nutrimus. Dicat vnusquisque cum Dauid in Psalmo, quando diabolo insidiante tentatur aliquo vitio, vel molestatur ab homine peruerso : *Domine expugna impugnantes me,* ne deficiam sub onere ; quia sine te non valeo resistere nec sustinere. *Matth. 26.* *Ioan. 16.* *Ioan. 15.* *Ioan. 14.* *Psal. 34.*

3. Qui enim sæpe tentatur, & in tentatione sua ad Christum citò confugit & orat ; per gratiam eius liberabitur, confortabitur, & prævalebit, multumque proficiet in virtute patientiæ, & maiorem coronam pro forti certamine recipiet. Qui autem rarò aut nunquam tentatur, nec propriis nec alienis malitiis molestatur, hic angelus potiùs dicendus est, quàm homo terrenus. Huius habitatio veriùs in cælo quærenda est, quàm in terra. Nam ibi summa pax & concordia: hîc autem pax rara, brevis lætitia, quies modica ; turbatio frequens, grauis cura, & incerta victoria. Non tamen desperandum est, quia pro minimo labore & dolore dabitur gaudium sine fine. Sed multitudinem bellorum & hostium nostrorum fraudes quis poterit enodare? Nullus, nisi à Deo illuminatus fuerit, & bene eruditus in scripturis sanctis, sicut Paulus qui ait : *Non enim ignoramus astutias eius.* Audite tamen pauca de *2. Cor. 2.*

bellis bonorum & malorum ex diuinis libris, ad cautelam & eruditionem vestram: vt cautiores semper sitis, ad resistendum periculis malorum: & fortiores, ad persteuerandum in semitis iustorum.

Isaiæ 14. Primum bellū monit Lucifer.

4. Primum bellum incepit per Angelos in cælo, quando Lucifer per superbiam voluit altiùs se extollere, & assimilari Altissimo, & quasi in propria virtute gloriari, & in seipso singulariter delectari. Hoc percepto in superni Regis palatio, sanctus Michael & Angeli eius, indignè ferentes arrogantiam superbientis Luciferi, permoti sunt zelo iustitiæ, & eiecerunt omnes superbiæ ciues de finibus suis. Non enim debuit aliquis Angelorum, quantumlibet magnus, supra creatoris sui magnificentiam se erigere; nec factus factori suo se æquare: nec in decore sapientiæ suæ temerè gloriari: nec abuti donis altioribus, à Deo sibi gratuito collatis. Quia ergo Satanas per tumorem superbiæ, se nimis extulit vanè gloriando, & sedem suam supra cæteros eleuando; iusto Dei iudicio cecidit de felici societate sanctorum Angelorum, in abyssum inferni & carcerem damnatorum. De quo *Lucæ 10.* Saluator ad discipulos ait: *Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* De cuius terribili casu & irrecuperabili lapsu beatus Ioannes Euangelista loquitur in Apocalypsi, dicens: *Apoc. 12.* *Factum est prælium magnum in cælo, Michael & angeli eius præliabantur cum dracone; & proiectus est draco in terram, & angeli eius cum illo missi sunt, & non est inuentus locus eorum amplius in cælo.* Ecce quanta meruit superbia diaboli, qui proiectus est à facie Dei cæli, ne videat gloriam Dei. Quam sine dubio consequi non poterit, qui in seipso voluerit gloriari. Hinc etiam Esaias manifestè de reproborum perditione exclamat: *Isaiæ 26.* *Tollatur impius, ne videat gloriā Dei.* Certissimo exemplo iam patet, quam maximè extollentia superborum Deo displiceat, qui Angelis superbientibus non pepercit: sed æternis eos ignibus tradidit cruciandos, omni spe veniæ ablata. Heu quàm seuera sententia superni iudicis, proiici à iucunda facie diuinæ maiestatis & perpetuæ felicitatis: & semper comburi acerrimis flammis, quæ non possunt extingui aquis, nec remediis mitigari. Quapropter vnicuique formidandum est, de tam seuero Dei iudicio, in angelis superbientibus æternaliter damnatis; sed potiùs cum Psalmista confitendum & orandum: *Psal. 35.* *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Et *Psal. 61.* iterum: *Nónne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.*

Secundum atq; adeo perpetuū bellū Sa-

5. Secundum bellum incepit in paradiso, primo homine formato: scilicet, inter diabolum & hominē, inter Euam & serpentem. Nam diabolus inuidens homini adhuc innocenti, quòd posset

obtinere

obtinere adscensum cæli per obedientiam mandati : accessit in specie serpentis cum callida quæstione ad mulierem, quam nouerat infirmiorem, & viro molliorem ; ac blandis verbis & astutis persuasionibus seduxit faciliter sibi credentem, & Dei præceptũ in tali articulo non attendentem. Sed proh dolor, homo bene à Deo conditus, & in optimo paradisi loco positus, per transgressionem sacri mandati, perdidit innocentiæ statum, & maximæ quietis locum, ob vnius vilissimi pomi morsellum. Ideoque grauiter Deum offendens, mortis incidit sententiam, & multam corporis & animæ meruit miseriam ; sicut iam veraciter nos omnes filij Euæ experimur, patimur, & dolemus ; qui vitio originalis culpæ inquinati, corrupti, & quassati sumus. In hoc bello victus est homo tentatus de pomo, quia diabolica nequitia seductus, & mortalis peccati veneno intoxicatus, multis vulneribus sauciatus est, scilicet fame, siti, frigore, calore, labore, sudore, peste, languore, & mortis horrore. Heu, etiam paradisum perdidit & cælum ob inobedientiæ culpam, per serpentis fallaciam, & mulieris insipientiam : Quæ nimium credula verbis diabolicis, decepta est quinque modis in quinque sensibus corporis, scilicet per auditum falsi sermonis, per visum pulchri coloris, per tactum pomi noxialis, per odoratum boni odoris, & per gustum dulcis saporis. Sed, quod peius est, gustato pestifero cibo, decepit vlterius virum suum blandiendo, & tradendo ei fructum illicitum, sub pœna mortis ambobus interdictum. Hoc autem malo temerè perpetrato, iratus est Deus, expellendo reos de paradiso voluptatis, de amœnissimo loco totius orbis, & ad agendam pœnitentiam detrusit eos in huius mundi exilium tanquam in carcerem, ad manducandum panem laboris & doloris cunctis diebus vitæ eorum, cum vniuersis filiis posteris suis, ex eorum semine nascituris.

tanæ aduersus hominem.

Mulier prima quintuplieiter seducta.

6. Istud bellum inter diabolum & hominem tamdiu durabit, quamdiu humanum genus versabitur in terra. Et donec compleatur electorum numerus, non cessat malignus spiritus persequi bonos sibi contrarios. Sed tamen pius & misericors Dominus Deus homini lapso compatiens, ait ad serpentem tortuosum, inuidiosum, & malitiosum : *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, Christum designans ex femina nascituram, & genus humanum redempturum. *Ipsa* (inquit) *conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Ex his verbis patet nequitia & malitia diaboli contra nos, quia non est ei credendum, nec cum eo fabulandum, nec cum eo disputandum, quia callidior est omnibus animantibus in terra, & subtilior omnibus studentibus in scholis & sæculi negociis. Cauete nouitij caput serpen-

Gen. 3.

Ibidem.

serpentis, initium tentationis. Latet sub herba virus serpentis, qui sæpe venit & decipit puerum, sub specie pulchri pomi intus fœtentis. Non solùm autem simplices & laicos decipit, sed etiam doctos & magistros nominatos atque claustrales, varias eis ingerens vanitates. Tentat quasi quotidie per quinque corporis sensus: nunc per carnem alliciendo, nunc per spiritum eleuando, nunc per iram indignando. Aut enim facit homines rixare, propter honores & diuitias, aut lætari in delictis, aut nimis tristari in aduersis & damnis terrenis.

Exod. 15. 16. 17. *1. Mach.* 2. *Matth.* 4. *Matth.* 13. *Apoc.* 2.

7. Hæc sunt opera diaboli, qui cecidit per superbiam de altitudine cæli. Ipse fecit filios Israel murmurare, propter laborem & penuriam ciborum in deserto: persuasit Iudæis sacrificare idolis, in templo Deo cõsecrato. Ipse tentauit Christum in tribus vicibus post longum ieiunium, seminauit zizania inter triticum, inter Apostolos traditorem, inter discipulos murmuratorem, inter diaconos seductorem, inter fideles fidei persecutorem. Ipse seduxit Iudam per furtum, de furto traxit ad laqueum, de laqueo miserum duxit ad infernum: vbi nulla est redemptio, nec vllum refrigerium. Heu, omnes sibi consentientes allicit ad peccandum contra Deum & proximum; atque post multa mala suadet perdere seipsum, negligere cælum, & diligere mundum. Quis est, qui monachum trahit ad seculum & ad tumultus hominum? Diabolus, insidiator animarum. Quis clericum de choro trahit ad forum, Diabolus, omnis doli artifex, diuinum cultum impedire cupiens. Quis laicum conuersum, de labore trahit ad otium & fabulandum? Diabolus, circuiens orbem: vt inueniat aliquem foris vagantem, & parum vel nihil pro communi laborantem. Quis pigrum in lectulo retinet, ne suscitatus citò surgat? Diabolus, claudens oculos somnolenti, vt parum adhuc iaceat, & somnolentiæ suæ satisfaciat. Gaudet enim de pigritante, & sæpiùs tardè veniente. Quis discordias inter fratres seminat, & suspiciones multas in eis generat? Diabolus, pacis turbator, litis amator, nequitiæ inuentor, mendacij pater, veritatis obscurator, dolositatis auctor, partialitatis suscitator. Quis docet amare delicias, vitare labores, concupiscere honores, bene comedere & bibere, & ornatè incedere? Diabolus, incitator gulæ, commotor iræ, castitatis prædator, clericorum insidiator, monachorum tentator, virginum molestator, continentium impugnator, innocentium seductor, simplicium derisor, sapientium subuersor, bonorum detractor, prauorum commendator, deuotionis impeditor, dissolutionis procurator. Hæc de bellis, & mille artibus ac fraudibus diaboli, innotuisse vobis non displiceat; vt maiorem cautelam & strictiorem custodiam, contra quamlibet eius tentationem

&

& suggestionem, habeatis. Quia sicut à multis dicitur, & frequenter experitur, nunquam à malitia nocendi diabolus cessat, nec alios quiescere sinit; sed vbi ipse non venit, suos comites ad vexandum ouiculas Christi mittit. Quòd si rapere nequeat, & occidere prohibetur, ad minus eas lædere per terrores conatur. Et si aliquem vagantem viderit, & à bono opere vel studio, aut oratione torpentem, ad hunc tentandum liberiùs accedit; quia arma resistentia hosti incautè deposuit.

Tertium bellum æternum.

8. Tertium bellum, dicitur intestinum litigium, quod ortum est inter carnem & spiritum; carne concupiscente contra spiritum ex pœna peccati, & spiritui repugnante per rationem contra sensualitatem. Hanc rebellionem primus homò in statu innocẽtiæ non senserat, quia spiritus Deo subiectus, corporis vires rationis freno quietè regebat. Istud autem bellum intestinum, durissimum est & molestissimũ omnibus nobis, in carne corruptibili & peccatrice generatis & natis. Quid namque durius & molestius vnicuique pacem desideranti, quàm quotidie bellare contra seipsum, niti contra naturam, restringere fomitem, vincere concupiscentiam intus prurientem? O serue Dei, ô miles Christi, audi consilium bonum & vtile tibi. Custodi visum, claude auditum, non tangas illicitum, fuge nociuum. Et si sentis aculeum, noli adhibere consensum. Nil tam laborioſum, sicut de nouo semper incipere; de manè vsque ad vesperam, contra tres turmas stare; orationum iacula in hostes mittere, tubis sacris canere; corde gemere, vocibus clamitare, & de victoria triumphi frequenter dubitare. Vnde nisi Dominus aderit nobis, nequaquam tantis periculis poterit fragilitas nostra resistere. Graue omnino onus & intricatum bellum, carnem fouere, hostem nutrire, vestire, calefacere, lauare, tergere: blandiri, ne murmuret; castigare, ne recalcitret; consolari, ne desperet; increpare, ne pigrescat; subiugare, ne intumescat; confortare, ne deficiat; percutere, ne resistat; instruere, ne erret; reprimere, ne insolescat; diligere naturam, vt sociam: odire verò lasciuiam, vt mortis foueam. Denique carnem occidere non licet, à se repellere nemo valet, huic obedire non oportet, credi ei citò non debet, affabulari non expedit, arridere præcipuè nocet.

Bellum intestinũ omnium longè molestissimũ.

Caro pareat, ne pereat.

9. Quid ergo fiet? Seruiat caro spiritui, sponte obediat, laboret, desudet, ieiunet, surgat, vigilet, oret, cantet, & laudet, donec post breuem laborem æternam requiem accipiat. Hanc itaque carnem fragilem, mortalem, concupiscibilem, indomitam, & sæpe spiritui rebellem, ratio regere debet, & timor refrenare, honestas moderari, disciplina cohibere, probitas adornare, verecundia tegere, sobrietas temperare; iustitia castigare, cùm peccat; prudentia instruc-

instruere, cùm errat; discretio considerare, ne quid nimium fiat. Spiritus itaque omnia perscrutans, tanquam strenuus gubernator, diligenter ad carnalem mentem & iuuenilem animum respiciat; ne proprio sensui inhæreat, ne otio torpeat, ne mollia quærat, & quæ rigoris sunt, fugiat. Sed ad orandum citò surgat, ad chorum tempestiuè veniat, ad laborem promptè transeat, circuire otiosè caueat: silentium strictè teneat, quietem cellæ diligat; frequenter oret, libenter studeat, libenter scribat. Debitis temporibus singula faciat, omnibus priuatis communia præponat: minoribus seruire non erubescat, maioribus obedire festinet: ad quæque imperata lætus accedat, diuinis laudibus interesse summè gaudeat: vacare Deo intus eligat, & nullis externis implicari optimam partem reputet. Quamuis igitur durum & molestum sit, contra carnis incentiua quotidie bellare; tamen valde virtuosum est & meritorium concupiscentiæ resistere, & violentiam naturæ inferre: quæ ad propria commoda & sibi placita multum vitiosè inclinatur. Et nisi celeriùs ei resistatur abstinendo & compescendo, seducit animam & trahit ad consensum, sicut Eua decepit Adam alliciendo eum, & præbendo ei vetitum pomum ad comedendum. In hoc bello nullus vincitur, nisi mala voluntate corruptus, & à Deo sponte auersus. Quicunque enim sequitur carnis suæ desiderium, citò labitur in vitium, nisi tenuerit rationis frenum. Cauete ergo pericula in quotidiano carnis conflictu, quia quamdiu viuimus in hoc mundo, edendo, bibendo, variè tentamur. Vnde & quidam Propheta admonet desides & molles animos, ad custodiam conscientiæ, dicens: *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Hoc est, omnes sensus corporis tui cohibe firmiter exteriùs, ne mors intret per corporis feneſtras ad interiora cordis, & diabolus te captet retibus suis.

Sola voluntate quis aut vincitur aut vincit.

Mich. 7.

10. Fratres si viriliter agitis & certatis, & Christum in adiutorium vestrum inuocatis; multo plus in isto bello carnis potestis vtique promereri: quàm si nihil grauitatis in vobis sentiretis. Habeatis ergo semper bonam fiduciam in Deo, & non desistatis orare, & contra vitia pugnare. Multa quidem & magna bona latent in hoc certamine, quæ Deo placent in fragili carne. Recipietis autem maxima præmia, cum certa spe futuræ gloriæ à iusto iudice, etiam pro minima cordis contritione, & corporis qualicunque breui dolore. Lætificabunt quoque plurimum animas vestras in fine vitæ vestræ, omnia grauamina pro Christi amore tolerata, sicut ait quædam deuota soror in agone constituta: Hîc perpessum est, hîc certatum est, modò pergitur ad præmium. Quid plura dicam bellantibus contra carnem suam? Omnia

nia quæcunque facitis ex virtute obedientiæ, vel quæ sustinetis in ordine pro rigore disciplinæ & amore iustitiæ, scribentur in libro vitæ, licèt quandoq; caro remurmuret ex fragilitate. Quòd si diabolus vos cõmouet aliqua indignatione aut praua suspicione, contra Prælatum iubentem, vel fratrem non benè agentem vel malè loquentem, non ideo dimittatis bonum inceptum: sed magis ad honorem Dei & ædificationem proximi perficite, quod incepistis. Tunc enim pessimus insidiator & impeditor omnis boni diabolus citò fugiet à vobis, cùm fuerit contemptus & non auditus. Siquidem cuncta eius susurria de mundo, de carne, de diuitiis, de gloria terrena, plena sunt veneno & fallacia. Multi in senio iam plangunt, quia in iuuentute tam fatuè egerunt, & Deũ offenderunt. State ergo, & pugnate pro anima vestra, in religione & congregatione sancta. Quicquid enim mali patimini in laboribus & doloribus, in caloribus & frigoribus, in vigiliis & ieiuniis, in abstinentiis à carnibus & lacticiniis, in carentia vini & potus melioris, pro vitiis extinguendis & virtutibus acquirendis; hoc totum computabitur vobis pro maximis lucris & præmiis in regno Christi, super millia auri & argenti, & omnia desiderabilia mundi. Quid enim dignius, quàm esse amicum Dei? Quid felicius, quàm computari inter filios Dei? Quid ditius, quàm habere partem in regno Christi? Quid iucundius, quàm interesse gaudiis angelorum? Quid nobilius, quàm perpetuò coronari in præsentia Dei, & aspectu omnium sanctorum? O quàm delectabile & gaudiosum erit animæ agonizanti & Deum amanti, ab angelis ferri in cælum, & cum Lazaro quondam paupere lætificari in æterna requie; pro breui labore, & modico dolore in corpore perpesso; pro vili indumento, & cibo minùs sapido; pro lectulo duro, & somno sæpius subtracto; pro lachrymis effusis, & orationibus deuotis; pro meditationibus sanctis, & aliis multis exercitiis bonis & lectionibus sacris, in obedientia & patientia consummatis! O sancta obedientia & felix patientia pro Christo, quę cæli portam aperit morituro! *Luca 16.*

11. Quartum bellum, vocatur domesticum duellum, quod ortum est inter duos fratres germanos, durum nimis & pernicio- sum, diabolo instigante & inuidia ardescẽte. Nam sicut legitur in libro Geneseos, natis duobus Adæ filiis, inuidiosus Cain surrexit aduersus Abel fratrem suum, iustum & Deo dilectum, cuius mu- nera Deo accepta narrãtur. Vnde in ira furoris crudeliter permo- tus, quasi lupus rapax contra agnum pium desæuit, & innocentem fratrem suum, meliorem se, occidere studuit: non veritus Deum, nec parẽtes contristare erubescens; sed proteruo animo accensus, manus suas noxias extendit, & primus inter homines homicidiũ perpe- Quartum bellũ do- mesticum inter fra- tres. *Gen. 4.*

perpetrauit. Ex his duobus fratribus litigantibus, inceperunt multæ discordiæ & partialitates inter homines, in diuersis regionibus & locis, in ciuitatibus & villis, pro primatu & diuitiis inuicem altercantes. Ex hac occasione, crescente vbique æmulatione, accidit etiam persecutio prauorum contra vitam bonorum; sicut sacræ historiæ indicant sanctorum, & diuersæ chronicæ continent gentilium & Christianorum; quæ tractant copiosè de bellis Troianorum, Romanorum, regumque multorum, & diuersorum populorum. Sicut fuit ab initio mundi inter filios Adam lis & bellum, zelus & contentio, & præcipuè inter auaros & ambitiosos pro terrenis habendis & ampliandis: sic adhuc in diebus istis litigant homines pro perituris rebus, & honoribus vanis. Et timendum, quòd etiam post nos ista durabunt, donec Dominus ad iudicandum omnes fines terræ, in nouissimo die manifestè aduenerit. Tunc enim Christo apparente in maiestate sua & gloria, reddetur vnicuique iuxta opera sua. Tunc cessabunt omnia iurgia & impiorum bella, & tollentur de regno Dei omnia scandala. Tunc tacebunt ora loquentium iniqua, & gaudebunt ossa sanctorum humiliata. Tunc audietur ab ore iusti iudicis, vna finalis & irreuocabilis sententia: *Ite maledicti in ignem æternum.* Et: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum ab origine mundi, vobis præparatum.*

Matth. 16. & 25.

Matth. 25.

Eccles. 1. Hic omnia mixta, idque qua de causa.

12. Interim verò, quamdiu generatio præterit, & generatio aduenit, mixta sunt omnia in terra nostra, spinis & tribulis plena. Nunc adsunt læta, nunc tristia; nunc fames cruciat, nunc sitis exurit; nunc timor deiicit, nunc spes erigit; nunc labor fatigat, nunc quies recreat; nunc sanitas delectat, nunc languor debilitat; & post modicum temporis, mors imminens omnia pulchra & iucunda consumit. In omni igitur loco, statu, & ordine inueniuntur boni cum malis permixti; benigni cum proteruis, humiles cum superbis, pacifici cum iracundis, deuoti cum dissolutis, verecundi cum audacibus, taciturni cum loquacibus, sobrij cum gulosis, feruidi cum tepidis, studiosi cum pigris, interni cum externis, simplices cum astutis, veraces cum dolosis, prouidi cum negligentibus, docti cum ignaris, prudentes cum fatuis, validi cum infirmis, stabiles cum inconstantibus, modesti cum discordantibus, & sic de aliis multis vitiis & moribus hominum bonorum & prauorum, iuxta illud Isaiæ prophetæ: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ouis, simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Fiunt autem hæc omnia tam prospera quàm aduersa, cum bonis & malis similiter in hac vita, permissione diuina; ad ostendendum occulta iudicia Dei in omnibus viis suis, vt probentur electi, & purgentur deuoti per

Isaiæ 11.

ti per malos, & non superbiant de bonis sibi collatis. Viuunt mali cum bonis, vt per exempla bonorum prouocentur ad emendationem morum suorum: & non habeant excusationem, per ignorantiam bonæ vitæ & disciplinæ, quam vident in bonis sibi coniunctis.

13. Quidam valde inconstantes sunt, & citò mouentur in odium vel amorem, ex leui verbo vel facto alterius. Rident pro leui fabula, & pro musca volante irascuntur. Quidam pro recreatione quærunt homines, & amittunt Deum & Sanctos. Non est paruum damnum, perdere deuotionis gratiã per multiloquium. Quidam de aliorum malis loquuntur, & suos defectus emendare negligunt. Quidam de futuris bellis terrarum præloquuntur: sed melius esset, quòd de bellis contra vitia cogitarẽt, & qualiter illa vincerent. Si æterna bona & mala ad cor transirent, omnia temporalia citiùs euanescerent. Qui de mundo sunt, de mundo loquuntur: & qui Christũ diligunt, de cęlestibus cogitant; & alijs cælestia, quę amant, libenter denunciant. Stulti stulta & vana referunt; & leues corde libenter leuia audiunt. Bonum est ergo de friuolis rebus & incertis euentibus tacere, & Deo omnia occulta iudicia sua committere; sine cuius prouidentia nec foliũ arboris cadit in terram: nec sine causa iustus premitur, nec pauper spoliatur, nec innocens occiditur. Nemo de Deo iustè conqueri habet, quia omnia iustè, sapienter, & prouidè disponit; licet homo vias iustitiæ eius non comprehendat. Qui enim spem suam in Deo firmiter ponit, bene stat & non vacillabit, qualitercunque res in mundo transeunt.

14. *Vnde ergo lites & bella inter homines? Nónne ex concupiscentia carnis & superbia spiritus? Radix* enim *omnium malorum cupiditas.* Quæ si refrenata non fuerit, ad innumera mala perducit. Cùm enim desiderata bona negantur, aut habita subtrahuntur, fit animus tristis, exurgit latens passio litis in corde; & indignatio apparet in vultu, & vox dura erũpit ab ore. In nobis ergo est materia litis & discordiæ fomes, scilicet cupiditas rei, amor habendi, timor perdendi, dolor boni amissi. Malus verò & impatiens plus nocet sibi, quàm alijs: & magis lædit à seipso intus, quàm ab alijs foris. Omnis passionatus, onus sibiipsi est & turbatio cordis, vbicunque fuerit, siue solus, siue cum aliis multis. Continua & domesticalis nostra hæc est, quia caro nostra non est subiecta spiritui, secundum rectam rationem bene viuendi: nec spiritus perfectè subditus est Deo, secundùm omnem voluntatem suam ipsi soli intimè placendi hìc & in æternum. *Iacob. 4. 1. Tim. 6.*

15. Sed diabolus malitiosus quiescere nescit: & quò ipse non vadit, nuncium occultę mittit, vt pacem aliorum turbet aut cal-

Diaboli omne atque vnicũ negotium tentatio.

lidè decipiat. Aut enim à bono retrahit, aut ad malum incitat; aut falsa pro veris suggerit, aut de veris dubium facit. Sed fallitur, qui illi credit. Quid aliud habet agere, quàm per mũdum discurrere, & homines tentare, & bonos vexare? Sed qui in Deo cõfidunt, & ad orationem citò recurrunt, omnia consilia eius tanquam aranearum telas Christo iuuante disrumpere possunt, & in nullo timere debent minas malorum. Nemo securior à laqueis tentationum, quàm verus humilis perfectè obediens, & pauper peregrinus; qui nil commodi temporalis quęrit, nec bona mũdi concupiscit. Quis est hic, & verè laudabimus eum? O quàm laudabilis virtus humilitas, quæ laqueos diaboli euadit omnes! Quã pretiosa & decora virtus castitatis, quæ carnis illecebras vincit, cum omnibus mundi pompis! Magna virtus paupertas spontanea, qua emitur cælum sine pecunia. Nobilis virtus patientia, per quam vincuntur omnia mundi aduersa. Sublimis virtus obedientia, cui sæpe obediunt elementa, & quæ videntur homini impossibilia.

Humilitas omnes Satanæ conatus frãgit.

1. *Exemplum obedientiæ.*

16. FVIT deuota quædam prioriſſa in ordine regularium, quodam tempore ex febribus valde infirma. Cuius doloribus vna iuuencula soror compatiens, etiam lachrymas fudit. Quæ secretè intrauit chorum, prosternens se ante reliquias sanctorũ, orans obnixè, vt mater conualesceret, & ipsa pro ea febricitaret; & statim factum est ita. Nam oratione completa, iuuencula cœpit ægrotare, & prioriſſa eodem die deinceps conualuit. Audiens autem mater pijssima iuuenculam infirmari, vocauit eam, quærens ab ea, quid egisset, aut comedisset? Quæ respõdit: Nihil mali comedi, sed cogitaui & rogaui Dominum, quòd melius esset, vt ego pro vobis infirmarer, & vos sanæ essetis. Tunc deuota mater cum bona fiducia, quam in Deo habuit, ait: Ex parte Dei, præcipio tibi per obedientiam, vt amplius non ægrotes. Quarum preces Deus exaudiens, dedit vtrisque salutem, ad sancti nominis sui inuocationem, laudem, & honorem. Amen.

2. *Exemplum patientiæ.*

17. QVIDAM frater interrogauit quemdã peregrinũ de longè venientem, dicens: Dic mihi bone amice, quid boni in via audisti & vidisti? Respondit; Patientiam pauperum audiui à multis satis laudari, sed à paucis vidi imitari. Quid plura? Ait: Inter delicias, cõperi spinas; inter honores, vidi dolores; & inter diuitias, inueni frequentes lites & curas magnas. Estne aliquis liber ab his malis? Ait tristis: Pauci admodum in diebus estis. Et si plures sunt, ignoro. Beati igitur religiosi, qui sciunt paucioribus con-

contentari, & à nemine honorari cupiũt nec laudari: Deus enim erit merces eorum. Nam rarò mihi talis occurrit, qui de proprio damno non doluit, vel de proximo suo non est conquestus. Veruntamen, si est alicubi pax in hac vita speranda, tunc eam verus humilis habet, qui iniurias patienter sustinet & tacet. Qui vult ergo habere pacem & bonam conscientiam, relinquat pro amore Dei voluntatem suam, & discat patienter ferre iniuriam & hominum despectionem. Sic enim Christus fecit, portando pro nobis ignominiosam crucem, & obediendo Patri vsque ad mortem.

PARS TERTIA
SERMONVM
AD NOVITIOS.

SERMO XX.

De cruce quotidie tollenda, in religione assumptâ.

1. MIHI *autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Dilecti fratres, beatus Paulus, cælestium secretorum contemplator eximius, ostendit nobis in prædictis verbis sanctæ crucis, rectam viam bene viuendi, optimam doctrinam aduersa patiendi, firmissimam scalam ascendendi ad cælum, per inuictissimum sanctæ crucis signum. Hæc enim ducit amatores suos in regionem æternæ lucis, æternæ pacis, & æternæ beatitudinis; quam mundus dare non potest, nec diabolus auferre. Horret humana fragilitas pati paupertatem, abiectionem, vilitatem, esuriem, laborem, dolorem, angustiam, derisionem, quæ sæpè contingunt, & hominem grauant & conturbant. Sed hæc omnia simul iuncta, à Deo nobis dispẽsatiuè trãsmissa, salutarem fabricant crucem per multiplicem pœnam; & veris cruciferis, crucem suam tollentibus, aperiunt cælestis regni portam: certantibus præparant vitę palmam, & vincentibus dant æternæ gloriæ coronam. Gal. 6.

2. O verè beata crux Christi, quę regem cælorum portare meruisti, & toti mundo gaudium salutis attulisti. Per te dæmones fugantur, infirmi curãtur, pauidi confortantur, vitiosi mũdantur.

pigri excitantur, superbi humiliantur, duri compunguntur, & deuoti fletibus irrigantur. Beati, qui passionem Christi quotidie recolunt, & crucem suam post Christum baiulare concupiscunt. Habent nunc boni & religiosi fratres, sub obedientia stantes, in quotidiana afflictione corporis, & in resignatione propriæ voluntatis, crucem foris asperam & amaram; sed intus dulcedine plenam: propter spem æternæ salutis & diuinæ consolationis affluentiam, tribulatis corde promissam. Quam si continuè nō sentiunt, aut tardiùs influere percipiunt, longanimiter tamen expectare debent, & diuinæ voluntati se resignare. Nam ipse melius nouit tempus miserendi, & modum tribulatis subueniendi: sicut medicus artem curandi; & magister peritiam regendi, & horam legendi. Habent interni baiulatores crucis, magnã confidentiam & gloriãdi causam in cruce Iesu Christi. Quia nō de suis meritis & operibus confidunt, & saluari præsumunt: sed de misericordia Dei, & meritis Iesu Christi pro peccatis nostris crucifixi, in quē fideliter credunt, & corde diligunt: quem ore confitentur: laudant, prædicant, honorant & benedicunt.

Cruce suos probat Deus. Crux monachorum quæ.

3. Solet Deus familiares amicos suos per crucē sanctam probare, vtrùm verè an fictè eum quærant & ament; & si mandata eius perfectè custodiant. Præcipuè tamen probantur per tolerantiam iniuriarum, & subtractionem consolationum internarum; per mortem amicorum, & damna rerum; per dolores capitis, & læsiones membrorum; per abstinentiam ciborum, & asperitatem vestium: per duritiam lectuli, & frigora pedum; per longas vigilias noctis, & diurnos labores: per oris silentium, & correptiones præsidentium: per vermes mordentes, & linguas detrahentes. Inter hæc tamen consolantur per deuotam meditationem dominicæ passionis, sicut multis deuotis in secreto cōpertum est. Nempe istorum est gustare absconditum mel de petra, oleumque misericordiæ stillans de benedicto ligno sanctæ crucis; cuius sapor optimus, odor suauissimus, tactus, sanissimus, fructus felicissimus. O verè dignissimum & pretiosissimum lignum vitæ, in medio Ecclesiæ plantatum pro medicamine animæ! O Iesu Nazarene crucifixe; tu peccatorum vincula soluis, sanctorum animas liberas, superborum colla humilias, prauorū potentiam cōteris, fideles confortas, incredulos fugas, pios eruis, duros flagellas, aduersarios deprimis, elisos erigis, oppressos eripis, nocentes percutis, innocentes defendis, veraces diligis; mendaces odis, carnales despicis, spiritales respicis, ad te venientes suscipis, ad te fugientes abscondis. Te inuocantes exaudis, te visitantes lætificas, te quærentes adiuuas, ad te clamantes confortas. Te honorantes honoras, te laudantes laudas, te amantes amas, te adorantes glorificas,

rificas, te benedicentes benedicis, te exaltantes exaltas. Te respicientes respicis, te osculantes oscularis, te amplectentes amplecteris, te sequentes ad cælum perducis.

4. Sed væ amatoribus mundi, qui vestigia Christi non attendunt, nec per viam sanctæ crucis ambulant: sed ad sua desideria complenda, aurum & argentum cõgregant, quę secum ferre nullatenus possunt. Væ superbis & magnis in oculis suis, qui humilitatem deuotorum spernunt, simplicitatem derident, paupertatem miseriam vocant, obedientiam paruipendunt, patientiam à se repellunt, castitatem malè custodiunt, & crucifixo contrariè viuunt. Væ delicatis & curiosis, qui carnem suam nimis fouent & foris vestibus ornant, & animam suam negligunt, & peccatis maculant. Væ auaris & ambitiosis, qui pro terrenis bonis & honoribus multum laborant, & sæpè litigant; & pro cælestibus bonis & æternis gaudijs parum agere & pati possunt. Ideo terrena frequenter subitò perdunt, & cælestia non acquirunt. Nemo enim potest hîc gaudere cum sæculo, & ibi regnare cum Christo pro nobis crucifixo. *Non est seruus maior domino suo, nec discipulus melior magistro suo*; quem *oportebat pati* crucem, *& ita intrare in gloriam suam*. Et certè post breuissima vitæ huius gaudia sequũtur æterna lamenta. Et tunc duriter cruciabuntur in igne & sulphure, qui modò edunt lautè & abundè, & bibunt vinum cum risu & dulcedine. *Nisi enim* (ait Dominus) *pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* *Ioan. 15.* *Luc. 6.* *Luc. 24.* *Luc. 13.*

5. Sunt homines mortales, qui suam fragilitatem non considerant: nec vilitatem luti, vnde facti sunt, cogitant: sed de nobilitate generis sui gloriantur; de diuitibus parentibus intumescunt; de scientia & arte sua inflantur; de fortitudine & pulchritudine præsumunt; de regimine & prelatura exultãt; de ornatis & varijs vestibus se eleuant; de notitia & fama nominis sui lętantur; de visitatione amicorum consolantur; de priuatione sui honoris tristantur; de aliorum felicitate & promotione sibi contrariorum torquentur. Sed heu, hæc omnia diligenter inspecta & veraciter pensata, vana sunt, nec aliqua reputatione digna: quia subitò cassura, & in nihilum reditura. *Omnis* quippe *caro fœnum*, & omnis status mundi tanquam flos agri cadit, arescit & putrescit, ac si nunquam hic ortus fuisset. *Isai. 40.*

6. Sunt & alij multi vanis ludis intẽti, crucis Christi signo cõtrarij, & à sanctorum Societate moribus & actibus valde remoti. Qui quasi insani gaudent in varijs mundi spectaculis, in psalterijs & citharis, in tubis & organis; currunt & saltant pedibus, plaudunt manibus, cantant vocibus, rident dentibus, & præ lætitia cordis, vix se capiunt in gestibus corporis, quia summum

bonum ſuum conſtituunt in ludis & gaudijs præſentibus. Quod ſi durabile & Deo acceptabile eſſet, multum deſiderabile & laudabile foret. Sed heu, quàm maximè falluntur homines, tam reges, quàm principes populi, lætantes in vanitatibus iſtius ſæculi. Nam vanitas omnis homo viuens, tanquam vmbra fugiens, & ros manè pertranſiens. O quàm longè ſunt iſti à ſummo bono, à dulcedine Dei, à melodijs Angelorum, à ſemitis iuſtorum, à ſanctitate religioſorum, & à ſpiritali gaudio deuotorum. Veniet, veniet citò mors ſuper eos, antequam ſciant: qui modò lætantur, quaſi ſecuri eſſent; & ceſſabit omnis ludus & cantus, in domibus eorum & plateis. Et gaudebunt pauperes, infirmi, & huic mundo deſpecti, cum omnibus veris cruciferis amatoribus Chriſti; qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs in hoc mundo, ne cum impijs damnentur in iudicio futuro.

Pſalm. 38.

Corrupti monachi deſcriptio.

7. Væ etiam vagis & diſſolutis monachis, ſolo nomine & habitu religioſis, qui crucem ſuam cum murmure portant, & inuitè obediunt: cellam malè cuſtodiunt, ſilentium leuiter frangunt, labores fugiunt, otia diligunt, orationes breuiant, fabulas prolongant; ad exteriora proni, ad interiora pigri; ad cogitandum bona torpidi, ad penſandum mala procliui; ad edendum & bibẽdum alacres, ad ieiunandum triſtes, ad increpandum faciles, ad ſuſtinendum debiles; ad honores cupidi, ad humilia verecundi; ad rigorem diſciplinæ auerſi, & ad laxiora ſemper inclinati. Sed heu pie Deus, quòd filij huius ſæculi prudentiores ſunt & feruentiores in terrenis acquirendis, augmentandis, & conſeruandis; quàm filij lucis & ſerui ſanctæ crucis, pro virtutibus colligendis, & vitijs extirpandis. O vtinam omnes ſaperent & intelligerent, quàm delectabile eſt deuotis exercitijs intendere, ſcripturarum arcana perſcrutari, verba Chriſti & opera meditari; ſæpè legere, ſæpè orare, lecta & audita maſticare, beneficia Dei quotidie recolere; pro omnibus bonis datis & creatis, etiam pro minimis, Deo regratiari; ad meliora ſemper tendere, ad cæleſtia ſuſpirare, & omnia terrena ex corde elongare. O quàm ſanctum eſt, in cauta cuſtodia cordis ſtare; euagationes per feruidas orationes & puras meditationes excludere, imaginationem mundi per imaginem crucifixi vincere, tentationes diaboli, cum ſancta cruce, clauis & lancea repellere, motiones carnis, ſpinis & flagellis acutis extinguere, iniurias illatas patienti animo ferre, damna & vituperia pro lucro animæ reputare, & omnia grauamina præſẽtia pro amore Chriſti leuiſsima ponderare. Hæc enim & ſimilia attentè cogitare, & niti exercere, eſt crucem tollere, & in cruce Chriſti, & non in carne gloriari. Ex dulci namque ligno crucis, dulcis odor cæleſtis gratiæ effluit, qui cuncta ſæculi gaudia repellit,

Crucẽ ferre quid.

pellit, carnis delectamenta extinguit, cordis elationem reprimit, internæ consolationis munera tristibus affert, iniuriam patientibus fortitudinem præbet, anxios animos varijs modis verbis Christi & exemplis quietat.

8. O religiose frater, quare contristaris & conquereris de grauitate crucis tuæ, in vigilijs longis, in ieiunijs multis, in labore & silentio, in obedientia & stricta disciplina, quæ pro profectu tuo & animæ salute, à sanctis patribus sunt Deo inspirante vtiliter instituta, quatenus per ista securè & prudenter incedas, qui teipsum bene & virtuosè regere nescis. Putas quòd tu sine cruce & dolore ad regnum cælorum intrabis præ omnibus sanctis: quod Christus non potuit nec voluit, nec aliquis ex charissimis amicis & sanctis eius impetrauit? Nam ipse dixit: *Oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Erras planè in existimatione tua: nec attendis vestigia Christi tibi ostensa, qui per crucē ex hoc mundo transiuit ad Patrē suum cælestem. Interroga quēlibet de victoribus & celestis regni ciuibus, quomodo venerit ad hanc gloriā Dei perpetuò possidēdam. Nónne per crucem & pœnam? Eia dilecti fratres, tollite iugum Domini super vos, amātibus suaue & leue. Amplectimini desideranter crucē sanctam, omnibus virtutibus floridam, cælesti vnctione plenam: vt perducat vos sine errore, cum spe gloriæ, in vitam æternam. Quid vultis amplius: Hęc est via, & nō alia, via recta, via sancta, via perfecta, via Christi, via iustorum, via electorum saluandorum. Ambulate in ea, perseuerate in ea, sustinete in ea, viuite in ea, morimini in ea, expirate in ea. *Luca 24.*

9. Crux Christi vincit omnia diaboli machinamēta. Crux ad se trahit omnium fidelium corda: Crux delet omnia mala, & cōfert nobis omnia bona, per Iesum Christum, qui pependit & mortuus est in ea. Nō est aliqua armatura tam fortis, nec sagitta tam acuta & terribilis, contra diaboli potentiam & sæuitiam, quam sic timet, sicut signum sanctæ crucis, in qua filium Dei suspendi fecit & occidi, qui innocens fuit, & ab omni macula purus. O verè beata crux Christi, omni honore dignissima, omni amore amplexanda: amantibus leuis ad portandum onera, tristibus solatiosa ad sustinendum opprobria, pœnitentibus benigna ad dimittendum debita pro omni offensa. Hæc est sanctis Angelis valde honorabilis, hominibus multum amabilis, dæmonibus nimis terribilis. despecta superbis, accepta humilibus, aspera carnalibus, dulcis spiritalibus: insipida stultis, affectuosa deuotis: affabilis pauperibus, consocialis peregrinis: amicabilis afflictis, cōsolabilis infirmis, confortabilis morituris. Recondite ergo omnia sacra Iesu vulnera in secretario cordis vestri: quę super omnia aroma- Crucis Christi dignitas.

aromata sapiunt animæ deuotæ in mœrore existenti, nec solatium foris ab hominibus quærenti.

10. Pensate etiam dolores beatę Virginis matris Iesu stantis iuxta crucem, quàm multas tunc lachrymas cum intima compassione effudit, cum multis feminis secum plorãtibus, vt & ipsa memor sit vestri in omnibus angustijs vestris. Sequimini Christum per passionem suam & crucem ducentem ad æternam requiem & lucẽ: Quia si modò estis socij tribulationis, eritis postmodum cum eo socij mensæ cælestis, & perpetuæ exultationis. Plantate in hortulo memoriæ vestrę arborem sanctę crucis, contra omnes mortiferas diaboli suggestiones medicinam virtuosam proferentem.

Arboris crucis, Christi descriptio elegantissima.

11. Huius enim nobilissimæ & felicissimæ arboris radix est humilitas & paupertas: cortex, labor & pœnitentia: rami, misericordia & iustitia: folia, veritas & doctrina: flores, honestas & pudicitia: odor, sobrietas & abstinentia: pulchritudo, castitas & obedientia: splendor, fides recta & spes firma: fortitudo, magnanimitas & patientia; longitudo, longanimitas & perseuerantia; latitudo, benignitas & concordia; altitudo, charitas & sapientia; dulcedo, amor & lætitia; fructus, salus & vita æterna. Bene ergo & dignè in sancta Ecclesia de sancta cruce cantatur: Quia nulla silua talem profert arborem, fronde, flore, germine plenã. Sed nec in hortis Salomonis inuenitur species talis, nec herba tã valens pro medicamine omnis languoris, sicut arbor sanctæ crucis; proferens aromata diuinæ virtutis, ad reformationem humanæ salutis. Hæc est arbor fœcundissima, super omnes arbores paradisi benedicta: ramis pulcherrimis extensa, folijs virentibus ornata; fructibus vberrimis per mundum dilatata; altitudine tangens cælos, profunditate penetrans inferos, latitudine ambiens montes & colles, magnitudine implens orbem terrarum, fortitudine vincens impios reges & fidei persecutores, pietate attrahens debiles, suauitate sanans peccatores. Hęc est vitis deifera, oliua fructifera, dulcis ficulnea; foris aspera, intus melliflua; in domo Dei plãtata, in humilitate radicata, in patientia probata, in obedientia consummata, in charitate confirmata.

12. Hæc est palma præclara, dignè Christifera vocata; humero Iesu baiulata, in mõte Caluariæ altè leuata, à Iudæis condemnata, à gentilibus deturpata, ab impijs exprobrata, à perfidis abnegata, à fidelibus lamentata, à pijs implorata, à deuotis multum amata, à religiosis summè venerata. Hæc Cõstantino imperatori cælitus est ostensa, à sancta Helena regina diligenter quæsita, & cum magno gaudio inuenta. Hæc ab eodem nobili christicola fuit amorosè amplexata, lachrymosa facie irrigata, & labijs puris affe-

ris affectuosissimè osculata. Hæc iam, Deo mirabiliter disponẽte, in multis locis signis emicat & virtutibus. Hæc à regibus & principibus mundi, ab omni clero & populo adoratur, queritur, & honoratur; & pro omnibus plagis & contumelijs ab impijs sibi factis, à cunctis Christi fidelibus ampliori deuotione colitur & celebratur. Attamen ex occulto Dei consilio & prouidentia, hæc omnia pro salute mundi gesta sunt & ordinata. Hæc animam deuotam piæ confessionis affectu sæpè compũgit, sæpe lachrymare facit, cùm crucifixi imaginem aspicit: sæpè cor amantis conuulnerat, cùm Christum pro se vulneratum pensat. Beatus homo & fidelis seruus ille, qui sacra Iesu vulnera in corde suo iugiter portat; & quicquid aduersitatis sibi obuiat, de manu Dei hoc accipit, & piè sustinet; vt crucifixo, saltem in modico, conformis fiat. Dignus namque est à Christo visitari & cõsolari, qui se studet passioni eius, in vita & in morte, plenè conformare.

13. Hæc est via sanctæ crucis; hæc doctrina nostri saluatoris, hæc sapientia sanctorum; hæc regula monachorum: hæc vita bonorum: hæc lectio clericorum, hæc meditatio deuotorum, Christum humiliter imitari, pro Christo mala pati, pro dulcibus amara sumere, honores spernere, contemptum æquanimiter ferre. A delectationibus prauis abstinere, occasiones vitiorum fugere, dissolutiones vitare. Pro defectibus proprijs & alienis gemere, pro tribulatis & tentatis orare, pro benefactoribus gratias agere, pro aduersarijs, vt conuertantur, supplicare. Bene agentibus congaudere, iniuriam patientibus condolere, indigentibus subuenire; alta nõ appetere, humilia eligere, simplicia diligere, superflua resecare, paucis contentari. Pro virtutibus laborare, contra vitia quotidie certare, carnem ieiunio domare, spiritum oratione & lectione roborare, humanam laudem refutare, solitudinem quærere, silentium amare, Deo vacare. Ad cælestia suspirare, omnia terrena ex corde vilipendere, nil præter Deum sibi solatiosum reputare. Iste potest cum beato Paulo Apostolo dicere: *Quia mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et iterum: *Gloriari me oportet in cruce Domini mei Iesu Christi: per quem mundus* iste *mihi crucifixus est, & ego mundo.*

Via crucis Christi quæ. *Phil. 1.* *Gal. 6.*

14. O religiose monache, & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in ordine recedere: sed sustine & porta crucem vsque ad mortem, & inuenies æternam requiem, cælestem gloriam & honorem. Quando aliqua tribulatio tibi aduenit, tunc Christus cum cruce tibi obuiat, & iter ad cęleste regnum, quò pergere debeas, ostendit. Si quis autem gloriatur, & sperat in diuitijs & honoribus huius mundi, verè decipitur, & nihil ex omnibus secum portabit, quæ in mundo amare consuevit. Qui verò in cru-

Tribulatis Christus veuit obuiam cum cruce.

ce

ce Christi gloriantur, & omnia propter Christū contemnit; hic interim à Christo in præsenti consolabitur, & in futuro cælestibus bonis replebitur, ac sine fine cum Christo & omnibus sāctis felicissimè gaudebit. Quæ nobis præstare dignetur Iesus Christus, pro nobis in cruce passus & mortuus: cui æterna laus & gloria, in secula seculorum. Amen.

Exemplum de sancta cruce.

Crucis signum quā sit efficax, probat exemplis.

15. FVIT apud nos laicus quidā Nicolaus Petri nominatus, ex partibus Hollādiæ natus. Hic (Deo inspirante) cùm esset carpentarius bonus, statuit in animo seculum relinquere, & monasterium nostrum intrare. Cùm ergo solus esset in via, & monasterio appropinquaret; diabolo insidiante & tentante, cœpit anxiari & multum formidare, nesciens quid sibi obesset in bona via, sole adhuc clarè lucente. Stans ergo, & deliberans apud se quid ageret, cùm nullum adesse cerneret, cœpit cogitare, quia fortè diabolus eum impedire vellet, ne vlteriùs ad monasterium procederet. Circumspiciens ergo huc illuc, vidit à longè quasi nigram nubeculam de terra ascendere, & paulatim in altum excrescere; & quasi à vento agitāte moueri. Perterritus itaque valde, & coniecturans, quòd Satanas iter suum impedire niteretur, ne propositum suum impleret: statim eleuata manu sanctæ crucis signum fecit, & salutari signo frontem armauit; Sicque abiecto timore & forti fide confortatus, frontem iterū cruce signans viriliter processit. Quo facto, diabolicum illud phantasma, virtutē sanctæ crucis ferre non valens, & quasi sagittam acutam cōtra se missam deuitans, à via declinauit; moxque tanquam fumus euanescens, ex toto disparuit. Tunc multum lætus effectus, monasterium nostrum, in honorem sanctæ Agnetis Virginis dedicatum, constanter intrauit; quod tunc temporis in magna paupertate inceptum, paucis cognitum fuit. Hic postmodum multis annis superuiuens, ad honorem sanctæ crucis omnibus feriis sextis ieiunauit; & etiam tempore messis magnis laboribus fatigatus, nunquam sanctæ crucis ieiunium soluit; sed propositum suum, quod bene incepit, constantissimè terminauit.

Aliud exemplum.

16. FVIT quædam soror conuersa, Margarita nomine, Deo deuota, in ordine regularium sororum; quæ officio coquinæ deputata, tanquam fidelis Martha, Christo & sororibus humiliter seruire studuit, quamdiu potuit. Quadam igitur vice, posita erat patella olei super ignem, qui ardebat; ipsa verò operi intēta, non longè distabat. Cumque cerneret oleum nimis ebullire, & in altum spumas eius ascendere, timens illud effundi & igne cōsumi, citiùs ad focum cucurrit: Et facto desuper sanctę crucis signo,

gno, mox tumor spumæ ad ima cecidit, ac si aquam frigidam iniecisset. Quod socia eius videns, mirata est, & alijs postea hoc factum reuelauit.

Exemplum aliud.

17. MVLIER quædam Campensis ibat ad forũ ciuitatis, vt sibi & domesticis suis modicum lactis emeret. Emptione autem facta ad domum redire festinabat, tenẽs in manu amphoram lactis, quam secum tulerat. In via ergo posita cupiebat de lacte bibere, & inclinans se resedit super terram. Accepta itaque in manu amphora, fecit desuper signum sanctæ crucis, antequam biberet; statimque amphora inferiùs crepuit, & lac in terram ruens, vbertim effluxit. Quo viso, nimis exterrita surrexit, & perpendens, quid miri sibi accidisset, præsenti signo virtutem sanctę crucis patenter agnouit. Quidam autem rem gestam audientes, dixerunt: Fortè nisi hæc mulier, signo sanctæ crucis se signasset, diabolum cum lacte imbibisset. Bonum est ergo cibum ac potum priùs signo sanctæ crucis benedicere; ne aliquid nociuum homini ex vitio gulæ contingat, per quam diabolus multos sæpius tentat & captat.

Aliud exemplum.

18. DVo religiosi fratres, habita licentia, ibant pariter nõ longè extra monasterij portam, post horam reuersuri ad cellam deuotionis amicam. Dum ergo fabularentur ad inuicem, de diuersis sibi placitis historijs, interuenit etiã ex incustodia oris, sermo detractionis de factis sui Prioris, instigatione maligni spiritus. Tunc ecce subitò apparuit eis equus niger valde terribilis, cum impetu occurrens ambulantibus, & quasi volens inuadere fabulantes. At illi nimiùm perterriti, mox signo sanctæ crucis se munientes, concito cursu ad monasterij portam fugerunt; & sic periculum sæuissimi hostis, per sanctæ crucis signum euaserunt. Et dixerunt: Malè fecimus, otiosa & detractoria de alijs loquendo. Ideo accidit nobis tam enorme monstrum, ad cauendum de cætero pessimum detractionis vitium, omnibus abominandum.

Exemplum aliud.

19. QVIDAM frater ex labore fatigatus, cùm sero facto ad dormiendum se disponeret, neglexit solito more, signo sanctæ crucis cõtra terrorẽ inimici se signare. Nã celeri oppressus sõno, nõ est armatus salutiferę crucis signo. Postea tã grauiter fuit perterritus in sõno, ab antiquo humani generis inimico; ita quòd prę timore clamaret alta voce, & expergefactus tremeret cũ ingẽti stupore. Tũc demũ recordatus est, quod vesperé præcedẽti non satis cautè se signasset, solito vexillo sanctæ crucis; & idcirco

circo hostis malignus fuit sibi in illa nocte tam seuerè molestus. Ad se ergo plene reuersus, inuocato salutari nomine Iesu, cruce se signauit, & suffragium sanctæ crucis deuotè legit; sicque iterũ obdormiens, in pace Christi securè quieuit. Et ob huius rei factũ per sanctæ crucis signum, sine cruce Christi nullum locum mundi ab hostis terrore putauit esse securum.

Aliud exemplum.

20. VIR quidam honestus vidit in somnis sibi astare imaginẽ sanctæ crucis: quæ primò ante eũ stetit & aspexit; postea verò retro post ipsum stans in dorso, detrusit & recessit. Super quo nimis perterritus & perplexus, cuidam deuoto presbytero, quod viderat, reuelauit. Qui visionem perpendens, nec incassam reputans, ait trepidanti: Fortè Dominus noster vult vos probare, & ad sustinendum aliquid oneris vobis imponere. Præparetis ergo dorsum vestrum, ad portandum piè cum eo crucem: quia flagellat omnem filium quem diligit. His dictis consolatus est homo, committens se Deo, qui nihil facit nisi pro bono. Nec diu post extitit, venit super eum tribulatio & despectio hominum, quam crux priùs visa in somnis præfigurauit. Ipse verò diligẽter præmonitus, ad patientiam se disposuit, & post dignam probationem, bono fine vitam terminauit.

Exemplum aliud.

21. QVIDAM deuotus frater, præ cæteris sacris libris in passione Domini se exercere studuit, & imaginem sanctæ crucis in magna reuerentia habuit. Et vbicunque aliquam crucẽ vidit, humiliter inclinans libenter se cruce signauit, memor Dei sui pro se crucifixi, quem amare & honorare desiderauit. Quadã igitur nocte vidit in visione quandam imaginem sanctæ crucis, in pariete cuiusdam Ecclesiæ pendentem, multis vulneribus ac plagis acerrimè sauciatam. Quam nimis dolenter aspiciens, flexis genibus & iunctis manibus, suppliciter adorauit. Statimque imago dextrum brachium suum de cruce ad eum extendit, & dexteram manum sibi porrexit. De quo cùm multum de tãta dignatione miraretur, dictum est ei: Hoc pro honore, quem mihi in cruce exhibuisti. Exinde cœpit maior deuotio in corde eius erga imaginem sanctæ crucis excrescere, & dulcius ei fiebat, de passione Domini quotidie meditari, legere, & orare.

Oratio de laude sanctæ crucis.

22. O Dulcissima & amãtissima crux Domini mei Iesu Christi, foris nimis tristis & amara, sed intus diuina dulcedine plena. O arbor decora & fulgida, mẽbris Christi tanquã pretiosis margaritis ornata. O vitis fecũda, duris clauis perforata. O oliua speciosa, sãguine Christi colorata, aqua lateris eius sãctificata.

ficata. O lignum vitæ, portãs Regem gloriæ, pro mundi salute. O crux scutum inexpugnabile, vexillum Regis incomparabile, signum salutis admirabile, in titulo capitis habens scriptum tale: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Salue Iesu Nazarene, laus Angelorum, vita beatorum, venia peccatorum, salus omnium populorum. O crux salutifera, ab æterno præuisa & electa; tu omnium virtutum floribus adornaris, dignè adoraris: miraculis coruscas, fructibus æternæ salutis exuberas, super omnia aromata redoles; morbos corporis & animæ sanas, iustis cælum aperis, peccatoribus veniam præbes; diabolum fugas, infernum frangis, captiuos liberas, redemptos beatificas. O crux arbor speciosissima, super omnia ligna siluarum benedicta: Tu cedro altior, palma latior, cypresso odoratior, balsamo nobilior, vitæ fecundior, oliua pinguior, ficu dulcior, buxo viridior, quercu fortior, rosa pulchrior, lilijs cãdidior. O crux splẽdidissima, sole excelsior, stellis clarior, luna lucidior, gemmis micantior, lapidibus precioſior, auro dignior, argento melior, nardo efficacior, cunctis aromatibus & medicinis salubrior. O crux valde amabilis, summè venerabilis, esto mihi peccatori propitia & placabilis, dux bonæ vitæ, lux rectæ viæ: protectrix ab hoste, liberatrix in tremendo iudicio, & pia susceptrix in regno superno. Assiste mihi in agone, confortа in fide, spem veniæ tribue, charitatem cordi infunde, & cum felici fine ex hoc mundo migrare concede: Vt per te me recipiat, qui in te pependit, & me redemit, Iesus Christus Dominus noster: Qui cum patre, &c. Laudat mundus amatores suos, milites fortes & barones, qui pro patria & ciuibus suis bellauerunt, & periculis multis ac morti viriliter se exposuerunt: & commune bonum omnibus priuatis & proprijs prætulerunt. Quanto magis Christus laudandus est & amandus, qui pro omnibus nobis crucifixus est & mortuus? vt in æternum viueremus, & cum eo in cælis regnaremus. Amen. *Ioan. 19.*

SERMO XXI.

De veneratione & commemoratione beatæ Mariæ Virginis.

1. STABAT *iuxta crucem Iesu, mater eius.* Dilecti fratres, dignũ est & consequẽs, vt post memoriam sanctæ crucis, habeatur etiã specialis memoria doloris beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ: quæ astitit fideliter dilecto filio suo Iesu pẽdẽti in cruce, atque pro totius mũdi salute morienti. O flebile spectaculum matris & filij crucifixi: matris lachrymantis, & filij condolentis; matris deficientis, & filij alloquẽtis; matris sub cruce stantis, & filij in cruce pendentis; matris suspirantis, & filij expirantis. O immensi doloris magnitudo nunquam obliuiscenda, *Ioan. 19.*

sed

sed in cordibus deuotorum fixè tenenda.

2. Scripsit Pilatus titulum in tabula super crucem: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Scribe etiam & tu eundem titulum in corde tuo aureis literis, contra derisus hominũ & terrores dæmonum: & liberabit te Iesus Christus Rex cælorum, ab omni pressura iniquorum. Si ita feceris, astabit & tibi mater Iesu Maria precibus suis, ne desperes in extremis & angustijs tuis. Nulla enim mater tã magnum in natiuitate filij sui gaudiũ & solatium habuit, sicut hæc beatissima sensit, quæ filium Dei concipere & parere meruit. Nulla etiam mater tantam tristitiam & intolerabilem dolorem in morte carnalis filij sui habuit & pertulit, sicut hæc amantissima mater in passione præ dilecti filij sui ex cõpassione persensit, quando iuxta crucem eius stetit, ac doloris gladio conuulnerata, amarissimè fleuit. Certè tantis visis doloribus in filio, quem singulariter super omnia excessiuè diligebat, mirum valde fuit, quòd vltra in corpore viuere potuit, cuius animam toties doloris gladius pertransiuit, quoties filium torqueri & illudi vidit vel audiuit. O verè singulare martyrium, in desolata matre, & tenera virgine; quæ acriùs torquebatur in corde compatiendo filio, quàm martyr aliquis suspensus in equuleo.

Adstãdum cruci cum Maria.

3. Fratres, si Dominam nostram diligitis, & eius patrociniũ in omni tribulatione desideratis, tunc stetis cum ea iuxta crucem Iesu, compatiendo ipsi & dilecto filio eius ex intimo corde, vt & ipsa iterum sedulò oret pro peccatis & negligentijs vestris in morte. Qui enim nunc sæpè & deuotè passionem Domini, & lachrymas tristissimæ matris eius, pio mentis affectu recogitat & perpendit: sperare debet de misericordia Dei, & beneuolẽtia amborum matris & filij, quod sibi etiam aderunt in necessitatibus suis, & subuenient consolando iacentem in extremis. O quàm læta erit anima illa, quæ Iesum & Mariam dilexit in vita sua; & tristem stationem Mariæ iuxta crucẽ Iesu, omni die reuoluit in mente! Felix religiosus ille contemnens omnia solatia mundi, qui Dominam nostram sanctam Mariam elegit sibi in matrem consolantem; & totius vitæ suæ custodem protegentem. Nulli dubium, quin pia & misericors mater, consolatrix pauperum, & orphanorum adiutrix, loquetur libenter pro fideli seruo suo de mundo migrante verbum bonum & suaue, placando faciem dilecti filij sui redemptoris nostri precibus suis sanctis, dicens: Fili mi amantissime, miserere animæ famuli tui, amatoris & laudatoris mei, sicut tu bene nosti & vidisti: de cuius ore sancti Angeli sæpiùs mihi deuotę salutationis gaudia nunciarunt, qui etiam ad laudandum nomen sanctum tuum & meum, plures secum fra-

tres

tres inuitare consueuit. Hic est notarius noster scribens sacros libros, & amator sanctæ crucis, libenter orans, & Psalmos cãtans; qui audito nomine sancto tuo atque meo reuerenter solebat ad nos inclinare, & geniculando saluare. Transiens per viam & videns à longè crucem, memor passionis tuæ, exhibuit tibi reuerentiam, inclinando se ad crucem. Cernens etiam in Ecclesia, vel in aliquo loco pictam imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, statim compassus est & doluit, fleuit & orauit, genua flexit & adorauit. Hic sine osculo amoris à nobis nõ recessit, sed tota die ac nocte dolores sanctorum vulnerum tuorum, & fletus oculorum meorum, in corde suo abscondit, & intimè mihi compati studuit. Memor ergo esto horum, fili mi charissime: & da ei nunc inuenire misericordiam coram te, me cum omnibus Angelis & sanctis tuis pro eo instantia magna supplicante.

4. Fratres, ista modò attẽdere debetis, dum adhuc sani estis, & tempus emendandi vos habetis. Procuretis iam vobis tales amicos & aduocatos, qui loquantur pro offensis & debitis vestris, verbum bonum Deo valde gratum: & recipiant vos in æterna tabernacula sua, post huius mundi pericula & laboriosa certamina. Non enim inuenietis fideliores amicos & potentiores in cælo & in terra, quàm Iesum regem Angelorum, & Mariam Dominam nostram, reginam cælorum. Si amatores Christi estis, tollite crucem Christi, sequimini crucem, state iuxta crucem; amplectimini crucem, non relinquatis crucem, donec veniatis ad Iesum Christum veram lucem, qui dicit: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. *Ioan. 8.* Si consolari in omni tribulatione quæritis, accedite ad Mariam matrem Iesu, iuxta crucem stãtem, flentem, & dolentem: & omnia grauamina vestra aut citò recedent, aut leuiora fient. Eligite hanc benignissimam matrem Iesu præ cunctis parentibus & amicis vestris, in matrẽ specialem & aduocatam ante mortem; & salutate eam Angelica salutatione frequenter, quia hanc vocem audit valde libenter. Si malignus hostis vos tentat, & à laude Dei & Mariæ impedit, non curetis, nec laudare & orare cessetis; sed eò ardentiùs Mariam inuocate, Mariam salutate, Mariam cogitate, Mariam nominate, Mariã honorate, Mariam semper glorificate, Mariæ inclinate, Mariæ vos commendate. Cum Maria in cella manete, cũ Maria tacete, cum Maria gaudete, cum Maria dolete, cũ Maria laborate, cũ Maria vigilate, cum Maria orate, cum Maria ambulate, cum Maria sedete, cum Maria Iesum quærite, cũ Maria Iesum in vlnis portate, cum Maria & Iesu in Nazareth habitate, cum Maria in Hierusalem ite, cum Maria iuxta crucẽ Iesu state, cum Maria

In omni tentatione iuuocanda Maria.

Maria Iesum plorate, cum Maria Iesum sepelite. Cum Maria & Iesu resurgite, cum Maria & Iesu cælos ascendite, cum Maria & Iesu viuere & mori desiderate.

5. Fratres, si ista bene cogitatis & exercetis, diabolus fugiet à vobis, & in spirituali vita proficietis. Maria libenter pro vobis orabit, pro sua clementia; & Iesus libẽter matrem suam exaudiet, pro sua reuerentia. Parum est omne, quod agimus: sed si per Mariam & Iesum filium eius, humili & contrito corde ad Patrem accedimus, misericordiam consequemur, & gratiam in hoc tẽpore, & gloriam in futuro cum ipsis sine fine, Amẽ. Felix anima deuota, quæ habet Iesum & Mariam familiares amicos, in hac vita, sodales in mensa, comites in via, prouisores in necessitate, consolatores in tribulatione, adiutores in periculis, consultores in dubijs, susceptores in extremis. Beatus religiosus, qui se reputat peregrinum in hoc mundo: & pro summo solatio habet, Iesum & Mariam in cordis hospitio.

Exempla de salutatione Angelica.

6. FRATER quidam libellum in cella perdidit, quem diu solicitè quærens inuenire nõ potuit. Cumque de eius amissione tristaretur, & de inuentione eius iam desperaret, conuertit se ad orationem, inuocans beatam Virginem per Angelicam salutationem. Cum ergo solito more, Aue maria legere inciperet, & eandem sæpe repeteret, & inter hæc de libello dolens cogitaret, subitò ei venit ad mentem tale inspiramẽtum, vbi sedebat iuxta lectulum orans, ante beatę Mariæ Virginis imaginem. Quære hîc ante te sub stramine lecti. Statim manum suam ad asserem lectuli extendit, volens explorare, an ibi aliquid abscõditũ iacêret: Et ecce leuato modico stramine, mox libellum manu tetigit, & extraxit. Quo viso miratus est, & præ gaudio libellũ osculans, Deo gratias egit: & beatæ Virgini Angelicas orationes ipsi promissas protinus persoluit. Et dixit: Fortè Domina nostra voluit aliquot Aue Maria habere, & ideo non potuisti tam citò libellum inuenire. Bonum est ergo, Aue Maria sæpè legere, & matrẽ Iesu deuotè inuocare.

Aliud exemplum.

7. QVIDAM frater scribens in cella libros, diabolo insidiante, sordida cogitatione molestabatur. Quod sentiens & indignè ferens, statim surrexit, vt cellam exiret, & istam vexationem citiùs euaderet. Sed antequam exiret, Deo inspirãte, respexit ad beatæ Virginis imaginẽ, quã apud se habebat, & deuotionis causa salutare solebat. Mox igitur flexit genua, & iũctis manibus cœpit legere deuotè, Aue Maria. Et ecce continuò affuit gratia diuina, subueniente illi pia domina nostra Maria, cum nobili prole sua bene-

benedicta. Nam incepta & intentè perlecta salutatione angelica, cùm in fine iam dixisset, Iesus Christus amen, mox in semetipso sensit Dei virtutem, & ab omni noxa quietem. Stupens ergò de celeri exauditione, cognouit in præsenti articulo, magnam angelicæ salutationis vtilitatem, cõtra quamlibet hostis impugnationem. Et gratias agens Deo, ait intra se: Nunc scio verè, quia potens est domina nostra sancta Maria, iuuare & eripere omnes clamantes ad se. Nocte verò sequenti, talis ei visio apparuit dormienti: Videbatur enim sibi, quod per hortum pomarij solus transiret. Cui occurrens Satanas, ipsum terrere & fugare cœpit. At ille perterritus à facie eius, cœpit præcurrere, vt euaderet manus eius. Et cùm non auderet extra septa monasterij transire, ex repentino cursu subitò cecidit in fossam aquæ, in limum profundi. Timens ergo submergi, cùm nullum adesse videret, qui eum iuuaret & extraheret, cœpit intra se angelicam salutationem legere, & auxilium petere. Mox igitur, cùm dixisset, Iesus Christus amen, raptus est de profundo lacu aquæ, & super aridam terræ restitutus. Tunc valdè exhilaratus, & quasi de laqueo mortis ereptus, expergefactus est, & ad se plenè reuersus. Erigens ergo se in lectulo, præ gaudio cœpit flere, & pro gratiarum actione, flexis genibus legit attentè sæpissimè, Aue Maria. Addidit etiã hæc verba: Aue Maria, dulcis Domina nostra, gratia plena, Dominus tecum, misericordiæ porta.

Exemplum aliud.

8. DVo fratres regulares ibant pariter ad partes superiores, pro pia causa visitandi parentes, & amicos in Christo fideles. Contigit ergo paululum eos à recto itinere deuitare. Dixit itaq; senior iuniori: Frater, videtur mihi, quòd erramus, reuertamur iterum ad publicam viam. Reuertentes ergo ad priorem locum, cœpit senior orare & beatam Virginem inuocare, vt mitteret eis recti itineris ducem, & bonæ societatis viatorem. Cumque iam aliqua suffragia cum hymnis & collectis de beata Virgine legissent: Ecce occurrit eis vir quidam in specie peregrini, baculum & saccellum in dorso pro viatico secum ferens. Qui salutatis fratribus, dixit se velle tendere sursum pro indulgentiis ad sanctum Quirinum, & libenter cum eis comitari. Sequebantur ergo velociter recti itineris ducem, per longæ viæ spatium, donec venirent ad optatum hospitij sui locum. Tunc senior cognoscens diuinum eis affuisse auxilium, ampliores gratias Deo & beatæ Virgini studuit referre, pro ducatu bonæ viæ; memor verbi sancti Petri Apostoli dicentis: *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi curæ est de vobis.* 1. Pet. 5.

Aliud Exemplum.

9. FRater quidam in tribulatione positus, habuit vsum inuocandi Iesum, & piissimam matrem eius Mariam. Et quando tentabatur vitiosa aliqua passione vel tristitia, statim confugit ad passionem Domini per orationem angelicam, inuocando Iesum & Mariam in adiutorium contra tentationem. Quadam igitur nocte vidit in somnis diabolum sibi occurrere, & velle nocere. Et cum timeret lædi, nec posset effugere, cœpit submissè Aue Maria legere. Sed cùm ille audisset Iesum nominari, statim auertit se ab eo, & cœpit fugere, & citò currere. Quo viso, clamauit frater adhuc altiùs post eum, Iesus, Iesus. Et quanto fortiùs clamauit, tantò celeriùs præcurrebat Satanas, perterritus voce dulcis nominis Iesu & Mariæ matris eius. Et subitò cadens, non comparuit. Hoc videns frater, præ lætitia cordis euigilabat, & ait: Si cum vno Aue Maria possum diabolum fugare, quid habeo nunc timere?

Exemplum aliud.

10. ERat apud nos laicus quidam, Egbertus nomine, senex & prouectæ ætatis, deuotus Deo & beatæ Virgini, ac feruidus sanctæ paupertatis amator. Hic secundùm vires suas fortiter laborauit, terram fodiendo & transuectando: atque in laboribus desudans, Dominicæ passionis labores recogitabat; & fatigatus ex labore, pro releuamine corporis orationi insistebat. Hunc Satanas diu tentauit, vt de monasterio recederet, & per mundum mendicatum iret: putans, quòd hoc Deo magis placeret, quia hic multa commoda haberet, quibus indignus esset. Sed ab hac opinione, consilio Prioris & fratrum admonitionibus retractus est, ne se periculo daret, & per mundum vagando finaliter erraret. Sæpe enim callidus tentator, sub specie melioris boni simplices decipit, & à bono incepto, per mutationem loci, ad inconstantiam animi trahit. Cumque adhuc minimè contentus esset ad manendum, nec tamen auderet inconsultè sine licentia recedere, inter hæc tentamenta confugit ad beatam Virginem, per deuota orationum suarum suffragia. Quadam igitur die fatigatus ex labore, reclinauit se ad orādum iuxta vehiculum suum, sicut sæpius faciebat, inuocando beatam Virginem, & nominando Iesum Christum. Cùm ergo solus iaceret prostratus in terra, parum soporatus est dulci sopore in Domino. Viditque valdè venerabilem Dominam sibi assistentem, & pia admonitione hæc verba dicentem: Maneatis in loco isto, & quod Prior vobis consulit & dicit, hoc faciatis. His dictis, honorabilis Domina statim disparuit: & ille ad se reuersus & experrectus, vberrimè fleuit. Deinde ad Priorem festinanter accessit, & ea quæ viderat & audierat

dierat per ordinem cum gemitu & fletu ei referebat. Ad quem Prior, tanquam Pastor bonus, ouem tristem consolando respondit: Bene placet hoc mihi, chare Egberte. Maneatis nobiscum, sicut Domina nostra vobis modò ostendit & dixit: Nec diu postea superuixit, sed pro breui labore æterna præmia accepturus, cum multa patientia in obedientia perseueranS, bono fine, in octaua sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, infra matutinas obdormiuit in Domino, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo.

SERMO XXII.

De laude dulcissimi nominis Iesu, & dulcissimæ matris eius Mariæ.

1. *SPiritus meus, super mel dulcis, & hæreditas mea, super mel & fauum.* Dignè quidem fratres & pulchrè satis; verba æternæ sapientiæ ad matrem referuntur misericordiæ, de qua ortus est Sol iustitiæ Christus. Dulcis Iesus, dulcis Maria, & non est in eis amaritudo aliqua: sed summa pietas, mansuetudo, charitas, & misericordia sine mensura. Beatus, qui adhæret vestigiis humilis Iesu, & ad matrem eius deuotè se conuertit, vt inueniat gratiam in cõspectu eorum. Recollige ergo fidelissime serue Dei in vnum fasciculum facta Iesu, quæ egit & dixit; & proderunt tibi, plus quàm omnes thesauri mundi. Pertracta etiã apud te sedula mente, sanctissimæ matris Iesu actus & verba, & erunt animæ tuæ solatiosa, atque super omnia aromata dulciora. Delectatur corpus odoribus bonis, & reparatur ciborum fomentis, anima autem virtutibus veris & meditationibus sanctis nutritur, confortatur, & lętatur. Quanto verò perfectioribus quis instat studiis, & nobilioribus se subdit magistris; tanto clariùs edocetur, & ad culmen beatitudinis citiùs perueniet. Summi magistri virtutis, & totius sanctitatis luminaria, sunt Iesus & Maria, quos, pro modulo tuæ paruitatis, tibi anteponere debes, & tanquam præsentes intueri. His iunge te, his familiarem & deuotum te exhibe. Vbicunque audieris aliquid de Iesu & Maria recitari, ibi autem diligenter accommoda, ibi moram diutiùs trahe, & quid ædificationis ac latentis insit dulcedinis pensa. *Eccli. 24.*

2. Quotiescunque etiam ad opus diuinum accesseris peragendum: vel quando ad laborem communem, siue ad priuatum actum fueris euocatus, primùm ad cælum oculos leua, & Iesum atque Mariam specialiter inuoca, & ipsorum perpetuæ custodiæ suppliciter te commenda. Offer te quoque beneplacito eorum in cunctis agendis: vt fiat actio tua Deo grata, proximo vtilis & tibi salutaris. Sit semper intentio tua pura, ferueat voluntas bona, sit labor discretus, sermo circumspectus, executio

perseuerans, in sancti nominis Iesu laudem, ac benedictæ Matris eius honorem. Hic incipe laudare, venerari, & amare, vt in futuro merearis cum ipsis regnare, atque in perpetuum cum Angelis sanctis eos laudare, benedicere, & prædicare. Laus Iesu, suauis & pulchra: laus Mariæ, amabilis & decora. Lętus igitur lauda, tristis exora: digni enim sunt omni laude, & omni tempore pariter inuocandi. Quantò frequentiùs in eorum laude te exercueris, tanto in amore plus creſces, atq; in deuotionis gratia cõualeſces. Nunquam tui obliuiſcentur, ſi tu non fueris eorum oblitus. Et ſi eos neglexeris, (quod abſit) aut malè te rexeris, (quod longè Deus auertat) vel à deuotione concepta tepueris, (quod Deus non permittat) neceſſe erit dignis caſtigationibus te flagellari, & aduerſitatibus ad mentem reuocari: vt diſcas cum Deo ſolicitior conuerſari, & gratiam præſtitam de cætero vigilantiùs cuſtodire. Tuncque memento benefactorum illorum, & deplora negligentiam tuam & ingratitudinem magnam, quam ſtultè incurriſti. Felix, qui meretur admonitiones Iesu in ſpiritu audire, vt ſe in melius corrigat: quatenus poſt fletus amaros, iterum in iucundos rapiatur exceſſus. Excedit namque pietas Iesu, omnia peccata mundi, & benignitas Mariæ nunquam poterit exhauriri.

3. O ſi poſſes in amore & laude Iesu multum proficere, & benedictę matri eius Marię dignè deuoteque ſeruire! Sed quid facies, quia dignus non es eos aliquatenus nominare; cùm ſis homo fragilis, tepidus, & negligens, in multis quoque frequenter offendens? Quomodo ergo laudabis, cùm non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris? Decet enim ſanctos à iuſtis & dignis laudari. Silendum igitur, an aliquid dicendum? Vę tibi, ſi non laudaueris: & vę tibi, ſi indigna labia aperueris. Quid facies, vt miſericordiam inuenias, & offenſam non incurras? Nihil melius ad captandam beneuolentiam benigniſsimi Iesu, & miſericordiſsimæ Mariæ matris eius: quàm vt humilies temetipſum in omnibus, & ſub omnibus te inclines, atque in nouiſsimo loco te ponas: indigna & vilia de te veraciter ſentiendo, & ad nihilum (ſi quid boni ſenſeris) redigendo. Ita placabitur Deus, & miſerebitur tui Iesus. Maria quoque orabit pro te, & conſolaberis in humilitate tua. Non confundêris à facie eorum, ſed copioſè recipies ſoluendo cantica laudis. Quòd ſi dignè laudare nequeas, age quod vales, redde quod habes. Refrigerabit enim te intẽtio pia, donec ditior fias ad reddenda obſequia meliora. Qui magni ſunt & valdè deuoti, laudent magnificè & deuotè: qui autem parum olei habent, & hoc ipſum libenter filio olei & matri gratiæ ſacrificent. Videtur ſilendum, propter excellẽtem gloriam & dignitatem magnifici germinis matris Virginis; ſed quoniam puſillos & peccatores

Eccl. 15.

Maria

Maria non spernit, misericorditer vociferationem tuam in cœtu laudãtium admittet, sicut Propheta sanctus dicit: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Idcirco modicum dicendum fuit, propter deuotionis incitamentum, & si non plurimum disertè, humiliori tamen genere, & affectu promptiori, pro virium quantitate. *Psal.73.*

Iesus & Maria vt omnium humillimi in terra fuerũt, ita in cœlo sublimiores sunt omnibus.

4. Qui sunt sublimiores in cælo, & fuerunt humiliores in terra? Nónne Iesus & Maria? Iesus seruum se fecit, Maria ancillã se nominauit. Charitatem amborum totus expertus est orbis; dignitatem eorum cæli prædicant ciues, exercitus adorat Angelorum. O si posses illis interesse, & indefessis vocibus dulce nomen Iesu & dulcissimę virginis Mariæ collaudare! O quàm bonum & iucundum est istis seruire, qui nobis tam fideliter quàm humiliter seruierunt! Seruite Domino filij hominum, qui vobis sæpiùs seruire dignatus est. Seruite genitrici Dei, quæ vobis sanctæ seruitutis exempla ostendit. O quantum decet summos honorare patronos, qui plus omnibus iuuare possunt: per quorum manus iudicia superna transeunt & implentur! Omnibus ergo hora implorandi sunt, qui ab hostibus mentis & corporis defendunt, & suis seruitoribus æterna gaudia conferunt. In qualibet necessitate ad Iesum & Mariam recurre, omnem grauitatem tuam eis expone; confitere delicta, deplora commissa. Pete veniam, arripe pœnitentiam, spem resume, emendationem promitte, & de auxilio gratiæ bene confide. Si faciliter laberis, citiùs resurgere cura. Libenter annuent votis supplicium, non despicient gemitum pauperum: sed gaudebunt etiam super te Angeli sancti, cùm conuersus fueris ex toto corde ab omni deformitate peccati; & meliorem vitam assumpseris, secundùm formam Christi & matris Iesu benedicti. Tu tantummodo caue offensam, & illi optata non negabunt præsidia. Tu debitam exhibe reuerentiam, & illi curam tibi adhibebunt firmissimam. Amen.

Oratio.

5. TIbi Domine Iesu, & sanctissimæ matri tuæ virgini Mariæ, cõmendo animam meam & corpus meum custodiendum, in vitam æternam. O vnica spes mea, Iesus & Maria, in omni tribulatione & angustia succurrat mihi pietas vestra. Vos estis patroni potẽtissimi super omnes sanctos amandi. Non habeo pauper & peregrinus in hoc mundo tam fideles & charos amicos, ex omnibus charis & notis meis, sicut de vobis confido.

SERMO XXIII.

De deuoto seruitio beatæ Virginis, & recordatione nominis eius.

Maria virgo nobis imitanda. *Eccli.24.*

1. MEmoria mea in generatione seculorum. Maria paupertatis amica, humilitatis via, patientiæ forma, & in omnibus

perfecta; ab exordio natiuitatis Iesu pauperculam vitam duxit, & vsque ad exitum eius in cruce patientiam constanter tenuit. Hanc sequi placeat; hanc honorare humili & deuoto obsequio decet; atque quotidie perpendere oportet, quid gratitudinis & specialis dilectionis ei intentiùs exhibeatur. Libenter gauderes cum Maria in cælo, fer etiam libenter paupertatem & contemptum cum Maria in terra. Intuere humiles mores eius, & virginalem verecundiam inter suos sodales; & compesce tuas leuitates, ac fuge tumultus. Caue offendere Iesum & Mariam verbis vanis, & factis indignis. Non est enim leue, tam charos offendere patronos. Vident omnia quæ geris, & qualem te in emendatione præstiteris, tales in subuentione tua experieris. Attamen vincit sapientia malitiam tuam, & benignitas eorum ad pœnitentiam te adducit. Si errata cognoscis, muta statum tuum in melius. In bonis perseuera, & de bonis Dei gratias deuotè retribue. Fecit ita beata Maria, cùm esset repleta Spiritu sancto, & Iesum portaret in vtero. Disce mansuetudinis eius exemplo occurrentes grauitates piè tolerare: & submitte te ordinationi diuinæ, sicut ordinatum est ab æterno. Iesus erit adiutor tuus, Maria erit tibi mater fidelis; esto tu filius bonus & seruus deuotus, ad omne bonum paratus.

2. Vis facere, quod placet beatæ Virgini? Sis humilis, patiens, sobrius, castus, verecundus, feruidus, mansuetus, internus, mente deuotus. Rarò sis extra; lege, scribe, sepius ora. Seruitium Mariæ nec longum videri debet, nec onerosum. Delectabile est & lætabundum, tali Dominæ corde & voce famulari. Nam absque notabili retributione non erit, quantumcunque modicum in eius honore impensum fuerit. Parua obsequia humilis mater non adspernatur, modica oblata, pia virgo libenter acceptat, cùm sponte & deuotè offeruntur. Nouit, quòd magna dare non possumus; neq; impossibilia exigit à seruulis suis misericors Domina, mansueta regina. Nescit nobilis illa natura indigentibus non misereri; quæ misericordiam peperit orbi vniuerso. O quàm gratiosè recipit fideliter sibi seruientes, quę tam frequenter conuertit monitis suis, & miraculis euidentibus, misere in seculo viuentes. Quot fuissent æternaliter condemnati, vel in desperatione permansissent obstinati, nisi benignissima virgo Maria pro eis interpellasset ad filium? Dignè ergo de ea dicitur, quòd sit miseratrix miserorum, & auxiliatrix omniũ peccatorum. Non nostra quærit, nec nostris indiget, cui cælestia ad nutum famulantur. Amat nostrum bonum, cùm à nobis exigit seruitium: cupit nostram salutem, cùm postulat sibi exhiberi laudem. Et quando nominis sui memoriam celebrari conspicit, inde quærit occasionem benefaciendi

Maria nulli deest.

nefaciendi nobis: delectatur enim seruitoribus suis rependere vicem. Valdè fidelis est in promissis, & largissima in donis. Plena est deliciis, & semper Angelorum fruitur concentibus. Attamen hominum seruitiis iucundatur, vt honor Dei & salus multorum latiùs inde propagetur. Flectitur in lacrymis miserorum, compatitur doloribus tribulatorum, succurrit periculis tentatorum, inclinatur precibus deuotorum. Si quis inhæsitanter ac humiliter ad eam confugerit, & dulce atque glorioſum nomen eius inuocauerit, vacua manu ab ea non recedet. Habet adhærẽtes plurimos, & ipsi obediunt Angelorũ chori, quos mittere potest in solatium destitutorum. Dęmonibus imperat, ne aliquẽ molestare audeant, qui eius ditioni se subiicit & curæ. Expauescunt cæli reginã spiritus maligni; & diffugiunt, audito nomine sancto eius, velut ab igne. Horrent sanctum & terribile nomen Marię, quod Christianis est summè amabile, & vbique celebre. Non audent apparere, nec possunt sua ludibria exercere, vbi nouerint nomen clarere sanctæ Marię. Tanquã tonitruum de cælo factum, sic prosternuntur ad sanctæ Mariæ vocabulum; & quo sæpius illud profertur, ac desiderabiliùs inuocatur, eo citiùs & longiùs ipsi fugantur.

3. Rursum Angeli sancti & spiritus iustorum lætantur & congaudent deuotioni fidelium; eo quòd tam libenter & sedulò frequentant memoriam sanctæ Mariæ, cuius honorabile nomen in omnibus patet finibus Ecclesiarum, quæ eius nomini specialiter sunt dedicatæ. Et congruum ac dignum est, præ cunctis sanctis Dei honorari matrem à terriginis, quam vniuersitas Angelorum veneratur laudibus excelsis. Marię itaque nomen omnibus fidelibus venerandum, deuotis semper amandum, religiosis amplectendum, secularibus commendandum, peccatoribus prædicandum, tribulatis insinuandum, in periculis omnibus inuocandum. Ipsa est propinquissima Deo, & charissima Dei filio nato suo Iesu benedicto; potens fiducialiter intercedere pro flebilibus Adę filiis, vt ignoscat eorum delictis, & succurrat periculis. Nam cùm opportunitas se prębuerit, non tardat in auribus filij sui, verbum bonum proloqui, & misericordiam impetrare indigentibus. Exaudietur autem promptissimè in omni causa sibi commissa, pro singulari sua reuerentia: quoniam benignus filius eius Iesus, auctor salutis generis humani, nihil negans eam honorat. Quapropter quilibet fidelis & deuotus, cupiens mundi naufragia euadere, & æternæ saluationis attingere portum; confugiat ad Dominam nostram sanctam Mariam: cuius ineffabilis pietas miseris sapit dulciùs, & fortiùs inhæret, vt meritò de ea abundantiùs præsumere liceat. Reuera ab infantia creuit cum ea misericordia: nec eam reliquit in cælo, vt pauperum suorũ modò

obliuiſcatur, ſed vberiùs ipſam ac dulciùs impleuit. Et licet omnium ſit altiſsima, atque feliciſsimis circumamicta gaudiis, non eſt tamen humilitatis ſuæ oblita, per quam meruit digniſsimè ſuper omnes ſublimari. Ideoque nouit ad minimos ſeruulos ſuos dignanter ſe inclinare, gaudens aduocata miſerorum fieri, atque orphanorum mater appellari, Amen.

SERMO XXIV.

De dolore & conſolatione beatæ Mariæ Virginis.

Eccli. 24. 1. *Quaſi myrrha electa, dedi ſuauitatẽ odoris.* Almæ Virginis Marię exẽpla, ſummo tibi deſiderio ſunt recolenda. Ipſa enim vt myrrha electa, fructum obtulit odoriferum in patientia; & abundantiorĩ diuinæ dulcedinis ſolatio, iucundiſsimè eſt refecta. Fortiſsimum inuenies & tu ſolatium, ſi Mariæ nomen geſtaueris cordi tuo inſertum. Habebis etenim multa bona, ſi bene fueris cum Maria. Dilectio ſanctæ Mariæ expellit omnem æſtum carnalis concupiſcentiæ, & donat refrigerium caſtimoniæ. Dilectio ſanctæ Mariæ facit mundum cõtemnere, & Chriſto in humilitate ſeruire. Dilectio ſanctę Mariæ ab omni mala ſocietate conſeruat, & ad religioſæ conuerſationis puritatem informat. Dilige ergo ſanctam Mariam, & percipies ſpecialem gratiam. Inuoca Mariam, & obtinebis victoriam. Honora Mariam, & habebis mercedem perpetuam. Duo confert præcipuè bona, ſancta conuerſatio Mariæ ad memoriam ſæpe reducta. In bonis & proſperis docet te Deum ex intimo corde laudare, & in aduerſis patientem permanere. Ipſa ſine intermiſsione Deum pro acceptis beneficiis altiſsimè laudauit, quæ ab ipſo cæteris excellentiùs accepit. Ipſa in preſſuris huius ſeculi mitem ſe ſempor exhibuit, & contemptibilia magis quàm proſpera elegit.

Memoriã & dilectionẽ Mariæ quid conſequatur.

2. Nullum diem ſine dolore tranſiit, nec tamen ſine magna conſolatione inter anguſtias fuit. Omnis quippe tribulatio pro Chriſto ſuſcepta dulcorat & lætificat: & quanto crebriùs quis malorum ictibus teritur, tanto potioribus donis augeri meretur. Doluit namque vehementer Virgo beata pro mundi erroribus, & pro multorum malitiis; compaſſa fuit verè pœnitentibus, & duriter tentatis. Doluit pro magna ingratitudine hominum, quibus Deus pater miſit filium ſuum vnigenitum, ex charitate incarnatum; vt redirent ad paradiſum, per Adam olim amiſſum. Doluit de perditione prauorum, qui contemnebant audire Dei verbum; qui potiùs diligebant mundum, quàm cælum; & diuitias magis quærebant fallaces, quàm virtutes veras. Doluit de innocentium oppreſsione, & violentia malignorũ; de contemptu

Marię nullus dies abſq; dolore abiit.

paupe-

pauperum, & elatione superborum; de negligentia diuini cultus, & de transgressione cælestium mandatorum. Et quia mundus totus in malignitate positus erat, & pauci ad videndum lumen æternum, quod mundo illuxerat, se disponebant, summæ pietatis mater compassionum stimulis abundabat. In his patientissimè se habuit, ducens vitam martyrio plenam, fundens lachrymosas preces cum singultibus, pro salute animarum. Quòd si latiùs attendere velis, quæ & quanta in persecutione atque passione dilecti filij sui sustinuit, inuenies eam nimirum tot amaras potiones ebibisse in vita, quot Iesus habuit ætatum momenta, & membra vulnerata. Quando enim passus est Iesus aliquem defectum & abiectionem hominum, & illa non defecit per compassionem? Si doluit, quando Iesum ad horam perdidit, quantum fleuit, cùm crucifigi & mori vidit? Notum est amantibus Iesum, quia maternus affectus excessit in condolendo generalem deuotorum modum. Ideo si experiri gestis vim doloris in matre, cogita vehementiam amoris in Virgine.

1. Ioan. 5.

Mœror atque dolor Mariæ super filio quantus.

3. Rursum gaudium Mariæ nemo effari potest, nemo affluentiam dulcedinis eius, & consolationis magnitudinem valet comprehendere; quia ibi amplior lætitia & consolatio, vbi plenior infusio gratiæ, atque frequentior Dei visitatio consueuit adesse. Hinc & ardentior semper excrescit diuinæ laudis affectus, & innouatur totius interioris hominis status. Non permittit gratia cœlestis animam sanctam, Deum super omnia amantem, sine interna consolatione viuere; sed ad superna continuò erigit, & in agendis sapienter illustrat, accendit in meditationibus sanctis, & deuotum reddit in gratiis referendis. Quanto autem maior gratia & purior vita, tanto lætior cõscientia, & deuotior oratio laudantis. Hæc namque conuersatio à terrenis separata tumultibus, nec infimis retenta desideriis, quotidie Angelicis inseri appetit choris, præsentibus supereleuatur rebus, & summæ Trinitatis æstuat perenni gloria frui. Quam gloriam nullus Sanctorum sic lympidè prælibauit in hac vita, sicut beata & gloriosa Virgo Maria, omnium contemplantium ac Deum benedicentium ardentissima exoratrix effecta.

Animam sanctam non finit Deus, absque consolatione viuere.

4. Imitare iam nunc & tu matrem Dei, auditis laudationum eius præconiis, quatenus & ipse in numero deuotorum merea־ris precibus matris Virginis computari. Studeas solicitè in prænominatis virtutum passibus, sanctissimam subsequi Mariam, ad consequendam cœlestis gloriæ palmam. Contristare satis de præteritis negligentiis tuis, & de defectibus nondum victis, quibus Deum & creaturas omnes offendisti. Nequiter egisti in seculo, tepidè conuersatus es in Christi seruitio, ideoque tibi lu-

Dolẽdum nobis ob multa, exemplo Mariæ.

gendum primò super teipso, dehinc ex charitate pro proximo. Compatere itaque periculis malè viuentium, quibus æternus instat cruciatus, nisi resipiscant à malis. Multi malè agunt, & nesciunt; plures prauitates suas cognoscunt, nec tamen emendant. Pro his dolendum & orandum, vt det illis Deus compunctionis spiritum ad salutem. Ora etiã pro amicis & benefactoribus, pro aduersariis & detrahentibus tibi, vt piis tribuatur gratia digna, odiosis cognitio bona, omnibus autem pax Christi cum misericordia. Ora, vt omnes Deũ diligant, & mandata eius custodiant, vt creatorem suum creaturæ rationales glorificent, propter quas Deus cuncta mirabilia fecit, & seipsum exinaniuit, Mariæ & Ioseph humiliter subiectus. Iterum, esto gratus diuinis beneficiis, toti humano generi per sacratissimam Dei genitricem dignantissimè collatis, reuerentiam & honorem eidem iugiter exhibendo. Cùm enim lex naturæ iubeat, parentibus carnis reuerentiam & amorem omni tempore deferri; multò magis matri gratiæ filij Ecclesiæ debent esse grati & gratiosi, atque Dei genitricem super parentes & cognatos omnes amare.

Luc. 2.

Maria si diligatur, portus peccatoribus est tutissimus.

5. Oportet etiam te addiscere, votiuis laudibus ad Deum cum Maria ascendere, & eius patrociniis fideliter inniti, non tuis viribus confidere; ne mens tua oppressa passionibus retardetur inferiùs; sed quotidie nouis desideriis accensa, sursum liberè tendat: vbi cum Iesu Angelorũ rege, glorioſa cæli regina, pia virgo Maria, feliciter regnat. Sed heu, denuo descendere cogit in hanc vallem lacrymarum mortalis infirmitas, post breuem gustationem consolationum diuinarum. Et tunc iterum necesse est clamitare ad matrem multarum misericordiarum; vt suggerat misericordi filio suo, te non habere vinum feruoris: sed indigere sacro deuotionis vnguento, ad se debita cum veneratione laudandum. Etenim ipsi cura est de egenis, & contemptoribus mundi & de contemptis in mundo, propter Iesum & Euangelium regni.

Ioan. 2.

6. Ideoque vtile multum scire locum refugij à facie inimici, vbi protegaris à sagittis acutis, vbi lateas à frigoribus & tribulationum procellis. Non est tutior locus ad latendum, quàm sinus Mariæ, nec equus velocior ad euadendum manus persequentis, quàm oratio fidei missa in castellum regalis domicellæ nostræ sanctæ Mariæ. Nam & ipse Iesus hoc castellum intrauit, sumens ex ea sacra corporis sui membra, ad expugnandum principem tenebrarum. Intra ergo & tu sub huius castelli vmbraculum, orans die ac nocte, vt à cunctis malis imminentibus eruaris meritis sanctissimæ Virginis, sub amplissimo & pulcherrimo mantello Dominæ nostræ latitando securè. Etenim orante sancta Maria, ruet omnis turba maligna. Iuuãte Maria, euades pericula cuncta.

Ibi

Ibi pauper habet domicilium, ibi infirmus inuenit remedium, ibi tristis accipit solatium, ibi turbatus meretur consilium, ibi destitutus acquirit iuuamen. Bene tibi & multum bene, si ita te exhibueris dignum & obsequiosum beneplacito sanctæ Mariæ, vt eius gratiam obtineas in præsenti, & gloriam cum electis omnibus in futuro. Tene illam, nec dimitte eam; donec te benedicat, & ad cæli palatium felici gubernatione perducat, Amen.

SERMO XXV.

De excellentia meritorum, & priuilegijs donorum beatæ Mariæ virginis.

1. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Prou. 31. Dilecti fratres, estote fideles serui Iesu Christi, & deuoti amatores sanctissimæ matris eius virginis Mariæ, si vultis cum eis semper lætari in cælis. Tunc eritis Deo & benedictæ matri eius dilecti, si corde humiles & corpore fueritis casti; si in omni conuersatione vestra, modesti, prouidi, timorati, & circunspecti; nulli occasionem dederitis scandali, nec iustæ querelæ. Multum est pro salute vestra, pro honore Dei, & laude beatæ Virginis; vt sitis in oratione deuoti, in lectione studiosi, in opere strenui, in dormitorio quieti, in choro vigiles, in cantando alacres, in capitulo corrigibiles, in admonitione docibiles, in silentio stricti, in refectione sobrij, in oculis custoditi, & in omnibus moribus vestis disciplinati. Si ergo desideratis beatam Virginem dignè laudare & summè venerari, tunc sitis sicut simplices filij Dei, sine malitia, sine dolo, sine nequitia, sine mendacio, sine ira, sine discrepatione, sine murmure, sine suspicione: omnia contraria vobis supportantes in charitate fraterna, cum humilitate & patientia propter Iesum & Mariam, & Sanctorum vitam imitandam; propter pacem vestram & aliorum ædificationem, & maximè propter sanctæ Trinitatis gloriam perfruendam. Omnia enim amara dulcia fiunt, omnia grauia leuigantur: cùm amor Iesu, & piæ matris eius memoria, ad cordis intima penetrant. Si quis hæc probare voluerit, frequenter de eis cogitet, loquatur, legat, cantet, & oret.

2. Vt autẽ aliquantum vobis innotescat excellẽtissima dignitas beatissimæ Virginis Mariæ, audite pauca de pluribus donis & priuilegiis eius; quibus Deus eã benedixit & exaltauit, præ omnibus sanctis Angelis & Archãgelis in cælis, & præ cunctis hominibus in terris. Hęc est Virgo sacratissima & mater Dei charissima, de qua canitur in sancta Ecclesia per totũ orbẽ terrarũ latè diffusa:

Exaltata

Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. Recogitate ergo diligenter antiqua sanctorum Patriarcharum gesta, de quorum stirpe orta est mater Dei Maria, tanquam rosa inter spinas sine spina. Sicut enim olim per multos sanctos viros Patriarchas & Prophetas, per iudices & reges, per sacerdotes & leuitas, per doctores & scribas, verbis, signis, & figuris prænunciatus est Christus Dei filius, ex virgine pro mundi redemptione nasciturus, & in cruce passurus: ita conuenienter satis & sapienter ordinatione diuina, præfigurata & præconizata est beatissima ac deuotissima virgo Maria, per sacras illius temporis virgines, per illustres feminas, per castas viduas, per deuotas prophetissas, & per cæteras honestas matronas in castitate viuentes: atque ob pudicitiæ custodiam cum puellis suis, in domibus & cameris ab aspectibus virorum inclusas. Hæc est reuera, attestatione sanctarum Scripturarum, omnium virginum virgo prudentissima, omnium feminarum pudicissima, omnium puellarum speciosissima, omnium matronarum honestissima, omnium domicellarum venustissima, omnium reginarum regina nobilissima; in qua omnis decor virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio theologalis, omnis deuotio affectualis, omnis operatio virtutis, omnis perfectio sanctitatis pariter conueniunt, inhabitant, & perfectissimè elucent; quæ nec ante se similem, nec post se æqualem habet, nec habuit, nec habebit. Et sicut olim materiale templum Salomonis præ omnibus terrarum templis decoratum fuit, & latissimè nominatum, ac copiosissimè ditatum, magnificè à regibus & populis honorabatur: ita spirituale Dei templum, quod est beata Virgo Maria, ab omni labe pura, super omnia templa sanctorum prænitet, & ideo amplius honorari debet & amari.

Christum in lege viri, Mariam feminæ figurarunt.

Maria templo Salomonis cõfertur.

3. O verè inclyta proles, ex insigni Patriarcharum prosapia nobiliter procreata, ex sacerdotali genere generosè producta, ex pontificali dignitate dignissimè deriuata, ex prophetali choro verissimè prænunciata, ex regali stirpe illustrissimè edita, ex Dauidica linea rectissimè originata, ex nobilissima tribu Iuda clarissimè prolata, ex Israelitica plebe felicissimè progenita, ex electo populo Dei singulariter prælecta, ex sanctis & religiosis ac Deo placitis parentibus, diuina præordinatione in lucẽ mundi serenissimè exorta. O felix & illibata virgo Maria, omni laude & honore dignissima, omni amore & reuerentia ab omnibus amplexanda. O splendida virginum gemma; tu ab initio & ante secula à Deo es prædestinata, redemptorem mundi tempore præfinito paritura, à Patriarchis desiderata, & Prophetis prænunciata; à multis regibus & iustis adoptata, à deuotissimo populo in Israel

diu

diu exspectata; & tandem Deo miserante ægrotanti mundo visibiliter demonstrata. O sacra & illustrissima virgo Maria, quàm præclarum & laudabile est nomen tuum, in vniuersa terra! Nempe, à solis ortu vsque ad occasum, in diuersis partibus, Iudæis & Gentibus, Græcis & Latinis, Romanis & Germanis, prædicatum est nomen tuum per Euangelium Iesu Christi filij tui, & adhuc quotidie prædicatur inclytum nomen tuum in omnibus ecclesiis Dei, in capellis & claustris, in campis & syluis Deo dedicatis; à paruis & magnis, per sacerdotes & doctores, & per diuersorum ordinum prædicatores, qui omnes pariter te laudare & elucidare desiderant. Nam vsque ad cæli sydera te extollere, & super angelicam dignitatem, tuam sanctitatem & pulchritudinem commẽdare, vocibus altis cuncti iustorum spiritus inardescunt & congaudent; & præ amoris magnitudine, & deuotionis dulcedine, cantando, orando, meditando, & sacra solennia tua celebrando, nequeunt fatigari, iuxta illud Sapientiæ verbum: *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Eccli. 24. Laus & gloria altissimo Deo, qui maximam gratiam tibi præstitit, ô Maria, præ filiabus hominum in mundo; & nunc sedem tuam statuit iuxta thronum filij tui in cælesti regno, in eminentiori loco, super omnes choros angelorum & sanctorum, ab æterno tibi pulcherrimè præparato, & in perpetuum felicissimè permansuro.

Encomiũ Mariæ singularissimum.

4. O summè venerabilis virgo Maria, æterni Regis mater & filia, omnium ore benedicenda, omni honore veneranda; virginitate candidissima, humilitate profundissima, charitate feruentissima, patientia mitissima, misericordia plenissima, oratione deuotissima, meditatione purissima, contemplatione altissima, compassione suauissima, consilio prudentissima, auxilio potentissima. Tu aula Dei, porta cæli, paradisus delitiarum, puteus gratiarum, angelorum gloria, hominum lętitia, forma morum, virtutum splendor, lucerna vitæ, spes egenorum, salus infirmorum, mater orphanorum. O Virgo virginum tota suauis & formosa, micans sicut stella, rubens tanquam rosa, nitens vt margarita, lucens vt Sol & Luna in cęlo & in terra. O Virgo mitis, innocẽs sicut agna, simplex vt columba, prudens sicut nobilis domina, seruiens vt humilis ancilla. O radix sancta, cedrus alta, vitis fœcunda, ficus dulcissima, palma latissima: in te reperiuntur omnia bona, & per te nobis æterna donantur præmia. Omnes ergo ad te confugere debemus, sicut filij ad sinum matris, & orphani ad domum patris, quamdiu viuimus: vt tuis glorioſis meritis & precibus protegamur ab omnibus malis.

Stellæ duodecim in diademate Mariæ.

5. Sed iam audite dicta cuiusdam doctoris, de duodecim stellis in corona beatæ Virginis, quibus fulget domina nostra sancta Maria,

Apoc. 12. Maria, præ omnibus sanctis in cælis. Istæ duodecim stellæ sunt duodecim prærogatiuæ regnantis eius claritatis, quas habet respectu omnium aliorum ciuium supernorum. Respectu enim ecclesiæ militantis, habet quatuor specialia superlucentia dona, misericordiæ operibus plena. Quia præ cæteris omnibus exaudit benigniùs, condescendit humiliùs, agit virtuosiùs, succurrit frequentiùs, sicut experientia docet in arduis Ecclesiæ causis. Item respectu Ecclesiæ triumphantis, habet istas quatuor eminentes prerogatiuas: quia cæteris omnibus collocatur in cælo altiùs, resplendet lucidiùs, amatur feruentiùs, honoratur ampliùs, sicut dignum est sentire de glorioſis eius meritis. Item respectu summæ Trinitatis beatificantis, habet similiter quatuor prærogatiuas siue stellas cunctis sideribus clariores. Quia prę cæteris omnibus, æternæ Trinitatis gloriam contemplantibus, ipsam sanctam Trinitatem intuetur lympidiùs, afficitur erga illam iucundiùs, contemplatur intimiùs, & fruitur illa super omnes in cælo feliciùs: de quibus nemo dubitare debet ampliùs.

6. Sed adhuc audite, quid de istis stellis sanctus ait Bernardus, specialis amator beatæ Virginis, dulcis doctor & deuotus monachorum informator. *In capite* (inquit) *eius, corona stellarum duodecim.* Quis illas æstimet gemmas; quis stellas enumeret; è quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominẽ est, huius coronę rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ paruitatis, abstinentes à periculoso scrutinio secretorum, non incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas stellarum videamur intelligere, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem inuenire est in Maria prærogatiua cæli, prerogatiua carnis, & prærogatiua cordis. Etsi fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus fortè stellas duodecim, quibus Reginę nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sanè rutilat fulgor, primò in Mariæ generatione; secundò in angelica salutatione; tertiò in Spiritus sancti superuentione; quartò in filij Dei inenarrabili conceptione. Vestrę quidem sedulitatis erit, singula quæque diligentiùs intueri; mihi verò ex multis verbis, pauca innotuisse, vobis sufficiat. Si quis pleniùs vult scire sensum stellarum mysticum, legat illum beati Bernardi sermonẽ, tali themate inchoatum: Signum apparuit in cælo, &c.

7. Hęc igitur dilecti fratres, propter singularem reuerentiam & amorem beatissimæ virginis Marię, frequenter reuoluite, ore ruminate; & pro gratiarum actione, hymnos & cantica lætitiæ in festis, & in cõmemoratione eius per annum, libentissimè decantate. Pręcipuè tamen ante altare Dei, & coram imagine beatę

Virginis,

Virginis, capita vestra nudate & inclinate, genua humiliter flectite: quasi præsentem in corpore Mariam videretis cum Angelo loquentem, aut filium sinu tenentem; moxque eleuatis oculis, cum bona fiducia sperandæ salutis, opem misericordiæ à matre misericordiæ affectuosè implorate, & dicite: O clementissima mater Dei virgo Maria, regina cæli, Domina mundi, sanctorum gaudium, peccatorum solatium; attende gemitus contritorum, imple desideria deuotorum, succurre necessitatibus infirmorum; conforta corda tribulatorum, assiste agonizantibus; protege supplices seruulos tuos ab infestatione dæmonum; perduc tecum amatores tuos, ad æternę beatitudinis præmium: vbi cum amantissimo filio tuo Iesu Christo regnas felicissimè in perpetuum, Amen. Precatio ad Mariã.

IN NATALI S. AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS.

SERMO XXVI.

De tribus speciosis vestibus beatæ Agnetis virginis & martyris.

1. *INduit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundedit me.* Dilecti fratres, ista leguntur & cantantur de sancta Agnete virgine egregia sponsa Christi, & glorioſa patrona nostra. Cuius diem festum annua reuolutione solenniter celebrare debemus, & eius magnifica suffragia deuotis precibus postulare. Et vtinam dignetur pro omnibus nobis orare, quæ valdè dilecta est à Domino nostro Iesu Christo, & optimè visa coram oculis eius & sanctissima matre sua Maria, ad rogandum pro qualibet pia causa. O vtinam tam deuotas ac acceptabiles Deo preces, pro suis seruulis & amicis, in cælesti regno iam effundere non omittat; sicut quondam pro præfecti filio malè extincto fleuit & orauit, quem à mortuis, Christi gratia donante suscitauit.

2. Notate ergo verba prædicta in principio huius sermonis, quasi ea ex ore felicissimæ Agnetis iam auribus vestris audiretis. Considerate pulchritudinem vestimentorum speciosissimæ virginis, quibus eam induit & ornauit, interiùs magis quàm exteriùs, Iesus Christus sponsus eius cælestis. Digna enim fuit à Christo vestimento salutis indui, & stola iucunditatis ornari; quæ omnem ornatum seculi cõtempsit, & pro amore Sponsi immortalis sanguinem fudit, atque precioſam mortem libenter pro vita æternæ accepit. Ibi nunc gaudet cũ amabilissimo Spõso suo & angelis sanctis, cum glorioſissima matre Iesu & innumerabilibus virginum turmis, constituta in altioribus virginum choris,

sequens

De laudibus S. Agnetis.

sequens agnum quocunque ierit, & cantans dulcia cantica dramatis, solis virginibus decantanda: quæ omnium organorum sonos, & omnium musicorum melodiam excedunt. Insuper hanc prærogatiuam habere meruit in terris, vt felicissimi nominis sui memoria perpetuis laudibus in Ecclesia recolatur, & deuotissimè celebretur, & à cunctis Christi fidelibus magnificè honoretur. Hanc profectò magni & sancti doctores frequenter commendant, excellenter laudant, patenter prædicant, & omnibus nobis ad exemplum amandæ castitatis, textum passionis eius recitant; atque ad amandum Christum, iuuenes & virgines altis præconiis exhortantur.

De vestibus eius.

3. Sed videamus nunc de speciosis vestibus sanctæ Agnetis, quibus fulget præ cunctis artificialibus stolis ab hominibus factis. Valdè enim pretiosa & pulchra sunt vestimenta, quibus animæ sanctorum ornantur ab intra: quæ Christus de cælesti thesauro attulit mundo, natus ex Maria virgine, de regia stirpe, pro salute nostra. Sunt autem præcipuè tria vestium genera, Spiritus sancti artificio cõtexta, quæ Christus dedit S. Agneti Spõsæ suæ pro munere; quatenus nullum amatorem præter ipsum solum amaret, nec aspiceret, nec ad colloquendum admitteret; Ne fortè amorẽ eius minueret, aut offuscaret, aut extingueret, quod valdè indecens esset, & maximè deuotionem orantis impediret.

Agnetem tribus vestib. ornauit Christus.

Vestis alba, virginitas. Iesus, Maria, Agnes, Barbara, Cæcilia, Dorothea, Eugenia, Felicia, Gertrudis Iuliana, Catharina Lucia, Margareta Natalia, Odilia, Petronilla Q. R. S. Thecla, Vrsula.

4. Prima itaque vestis, qua induta est beatissima Agnes, vna de sapientibus virginibus, est alba talaris tunica, vitro clarior, bysso mundior, niue candidior. Et hæc dicitur virginitas inuiolabilis, Deo amabilis, Angelis acceptabilis, hominibus multùm honorabilis. Hanc sanctam Deo placentẽ vestem, ab annis puerilibus, immò ab ipsis incunabulis, Agnes castissima induit, & inuiolabiliter conseruauit; quæ inter exordia reptantis infantiæ, à parentibus Deo oblata, & annulo fidei Christo desponsata fuit, vt ab amore & fœdere cælestis Sponsi, nulla ratione, nulla potentia, nullo terrore, nec blandimento vllo reuocari posset; sed virgo in æuum permansit, & pro fide & castitate emori non formidauit. Hæc vestis habet inferiùs fimbriam auream, digito Dei subtiliter contextam; in qua albis literis habentur melliflua nomina Iesus & Maria: nec non omnium aliarum sanctarum virginum ingenua nomina, secundùm ordinem alphabeti decenter inscripta ad sequendum beata vestigia Iesu Christi, & benedictæ matris eius, perpetuæ virginis Mariæ exempla, pro cælesti gloria feliciter obtinenda.

Vestis rubea, patientia.

5. Secunda vestis est rubea siue purpurea, precioso sanguine agni immaculati Iesu Christi colorata, & multis albis floribus luculenter ornata. Et hæc vocatur patientia insuperabilis, siue constan-

constantia infatigabilis. In hac veste continentur omnia Dominicæ passionis signa & stigmata sancta; quę etiam cum interni doloris stimulo, per quatuor angulos antè & retro, inueniuntur amanti animę impressa. Hæc autem sunt diuini amoris signa & inuictę patientię scuta contra diaboli tela: scilicet crux sancta, claui, lancea, virga, restis, columna, alba vestis, & purpura, fel, arundo, sputa, flagella, corona spinea, & alia multa improperia & vulnera dura. Hæc vestis habet etiam fimbriam argenteam, longam & latam, hoc est fidem rectam, claram & firmam, vsque ad mortem: in qua omnium beatorum martyrum nomina, græcis, latinis, & hebraicis literis, secundum ordinem alphabeti cótinentur, roseo colore inscripta. Quæ diligenter inspecta & perlecta, animam tribulatam & tentatam confortant, ad toleranda omnia mundi istius aduersa. Hac nobili & purpurea veste indutus est Dominus noster Iesus Christus, Rex martyrum, & Sponsus virginum, in sua beata ac benedicta passione, portans spineã coronam, & purpureum vestimentum, pro nostra salute, ad confortandum pusillorum corda in tribulatione sua, pro qualicunque contumelia aut iniuria eis facta. Quatenus post leuem & temporalem tribulationem in mundo, recipere mereantur immarcescibilem coronam in cœlo. Omnis enim tribulatio patiẽter tolerata pro Christo, certam spem facit æternaliter regnãdi cum Christo. Hanc sanctam & regalem vestem dedit Christus dilectæ Sponsę suæ, nobili virgini sanctę Agneti, tempore persecutionis Christianorum in sancta vrbe Romana, ad sectanda sacræ passionis suæ vestigia, ad perferendas contumelias & minas impiorum pro fide & castitate, cum magna constantia, exemplo multorum martyrum & innumerabilium virginum, pro nomine Christi innocenter occisorum. De quorum laudabili triumpho & ineffabili gloria Christum nunc laudat, & magnificè iubilat, in toto orbe terrarum sancta mater Ecclesia. Felix anima, quæ fortiter certat contra irruentia vitia, & crebrò suspirat & orat inter diuersa pericula & grauamina, vt possit citiùs liberari ab omni pressura & miseria.

Adrianus,
Bonifacius,
Cyriacus,
Dionysius,
Euualdus,
Fabianus,
Georgius,
Hieronym.
Ignatius,
Kalixtus,
Laurẽtius,
Mauritius,
Nicasius,
Osuualdus,
Pontianus,
Quirinus,
Romanus,
Sebastianus.
Tiburtius,
Vincẽtius,
Christoforus,
Ypolitus,

6. Tertia vestis sanctæ Agnetis est aureum palliũ pro velamine virginitatis, de holosericis factum, quod totum corpus virginis circumcingit, tegit, & ornat. Et vt intuẽtibus clariùs fulgeat & placeat, multis candidis margaritis, multis pretiosis lapidibus ac coruscantibus gemmis intextum decoratur. Et hęc cæteris eminentior vestibus, Spiritus S. artificio texitur: quę à doctis & intelligentibus dignè ac rectè vocatur charitas inextinguibilis, de qua per beatũ Paulum dicitur: Charitas nũquam excidit, siue Prophetię euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia de-

Pallium aureum, Charitas.

1. Cor. 13.

 struc-

ſtruetur. Hac veſte induta eſt beatiſsima Agnes, quando interrogata de Sponſo ſuo quis eſſet, fiduciáliter reſpondit: Amo Chriſtum, in cuius thalamum introiui; cuius mater virgo eſt, cuius pater feminam neſcit. Quem cùm amauero, caſta ſum; cùm tetigero, munda ſum; cùm accepero, virgo ſum. Iſta charitas ſummè neceſſaria eſt, ad ornandum virginitatis indumentum: quia ſine charitate virginitas Deo placere nō poteſt; nec etiam inter prudentes virgines virgo ſuperba computabitur: quæ oleum charitatis & feruentis deuotionis in lampade cordis non habet. Vt ergo veſtis virginalis in conſpectu Dei & Angelorum clarè reſplẽdeat, caſtitatis amatrix ab omni ſuperbia mentis & diſſolutione oris cuſtodire ſe debet; ne fortè per negligentiam interiorum, & concupiſcentiam oculorum exteriorum decepta, cæleſtis Sponſi oculos maximè offendat. Ideo omnes ſenſus ſuos & ſermones, omni loco & tẽpore ſtrictè ſub religioſa diſciplina teneat, & totum bonum caſtitatis Deo fideliter & integrè aſcribat, qui tam electũ donum ad decorem animæ, ipſi conferre dignatus eſt. Inſuper cũ magna humilitate & quotidiana ſupplicatione, à Chriſto deſideranter petat; vt vſque in finem caſta, ſobria, & pudica (ſicut virginem Chriſti decet) conſtanter perſeueret, & vt omnes carnis illecebras vincere & ſeculi curas abijcere valeat, quamdiu in fragili corpore ſubſiſtit, quia inter hoſtes & pericula multa verſatur. Iſta charitas eſt etiam valde neceſſaria ad ornatum ſecundæ veſtis virginalis, quæ dicitur patientia inſuperabilis. Quia patientia ſine charitate Chriſti non prodeſt ad ſalutem & meritum vitę æternæ, etiam ſi ferarum morſus, aut ignem, aut gladium, aut crucis ſupplicium quis ſuſtineat. Nō enim pœna martyrem facit, ſed bona cauſa ſanctum facit martyrem, qui pro fide Chriſti patitur, aut pro iuſtitia, aut pro caſtitate, & prę cipuè pro animarum ſalute. Contulit autem Chriſtus beatiſsimæ Agneti has tres precioſas veſtes, in ſignum maximæ dilectionis & perpetuæ deſponſationis: quas valde gratanter accepit, & cum magna lætitia intus ſe ornans, dixit: Induit me Dominus veſtimẽto ſalutis, & indumento lætitiæ circũdedit me. Et iterum: Induit me Dominus cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornauit me. His itaque veſtibus ſacris cælitus induta, & quaſi tribus clypeis munita, proceſsit virgo iuuencula Agnes beatiſsima, contra tres turmas diaboli pugnatura; ſcilicet, cõtra carnis delicias, mũdi diuitias, & contra impiorum hominum minas. Gratias omnipotẽti Deo, fortiſsimo adiutori noſtro, regi inuiſibili, & immortali Sponſo, omnium rerum creatori, qui cor virginis confortauit, vt vinceret; corpus Sponſæ ſuę intactum cuſtodiuit, Agnam innocentem inter flammas illæſam conſeruauit. Et tam vehemẽter

Abſque charitate virginitas & patiẽtia mancæ & ingratæ Deo.

ter cor eius in amorem sui sanctissimi ac melliflui nominis accēdit, vt magis eligeret mori, quàm cælestis Sponsi sui fidem frangere, cui se deuouit perpetuo fœdere famulari.

8. O verè admirabilis constantia virginis, ô quàm laudabilis patientia S. Agnetis: quę inter tantas tentationes & persecutiones, inter tot clamores, derisiones, blanditias, terrores, & armatos viros gladios vibrantes, virginitatis propositum tenuit: & Christum Sponsum suum esse, palam coram aduersarijs profiteri non timuit, sed cum magna constantia de nobilitate, de pulchritudine, & potestate Christi Sponsi sui, multa magnifica laudabiliter narrando clamauit, dicens: Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Ipsi soli seruo fidem; ipsi me tota deuotione committo. Et meritò quidem. Ipse enim solus verus est Deus, potens in cælo & in terra: sedens super cherubim & seraphim, intuetur abyssos & abscondita cordis: Ipse humiles respicit & superbos à longè cognoscit. Ipse personam hominis non accipit, sed rectum iudicium in omnibus seruat, tribuens vnicuique veraciter quod debet. Ipse ab æterno omnia cognoscit, & cum summa prouidentia cuncta gubernat. Ipse electos suos multipliciter probat, & pro multa patientia copiosè in cœlo remunerat; reprobos verò, propter eorū malitiam, districtè punit & damnat, seruata in his omnibus magna misericordia cum plena iustitia: Cui æterna laus & gloria per infinita secalorum secula. Amen.

De cōstātia S. Agnetis.

De nobilitate Christi.

SERMO XXVII.

De aurea corona in capite sanctissimæ Agnetis virginis & martyris.

1. *ET tanquam sponsam, decorauit me corona.* Dilecti fratres, nūc de corona sanctissimæ Agnetis virginis, qua coronauit eā Christus in cælis, pauca (si placet) audiatis. Corona est ornamentum capitis, & maximæ dignitatis: quæ specialiter debetur regibus, & regum filijs & filiabus, ob nobilitatem generis; aut etiam aliquibus magnis personis, in signum victoriæ, aut doctrinę, aut sanctitatis, seu eximiæ virtutis. Vnde de sanctis martyribus specialiter legitur & cantatur: Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis. Sed quis huius coronæ pulchritudinem dignè enarrabit? Æstimo, quòd nemo mortalium scire poterit, nisi cui Deus hoc mysterium reuelauerit, aut eius gratia post mortem ad regnum Dei peruenerit. Ista aurea corona, omnem seculi huius gloriam & decorem, tam regum quàm principum, tam nobilium quàm præsulum mitras excedit; quia non de terrena materia facta est, sed in cælesti officina à Deo parata, noua semper claritate refulget.

Corona S. Agnetis.

2. Et quid melius & dignius, pro nostra imaginatione, per hãc coronam intelligere possumus, quàm ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, æternæ gloriæ donatorẽ? Ipse enim est essentiale præmium, & corona omnium sanctorum, principium & finis omnium bonorum. Ipse, summa felicitas, summa iucunditas, summa pulchritudo, summa suauitas. Ipse, æterna veritas, æterna sapientia æterna bonitas, æterna maiestas. Ipse, fons vitę amœnissimus, qui omnes cæli ciues sua præsentia lætificat & inebriat, & misericordia saluat & coronat; per gratiam iustificat & illuminat; per gloriam beatificat & satiat. Ipse, omnia ad se trahit, omnia per se implet, super omnia exaltat, & supereffluenter remunerat; tribuens singulis aureum denarium pro laboribus paucis; & pro breui certamine auream coronam in vita æterna, cum Angelis potissimùm possidendam. Pro hac corona habẽda omnes laborare debemus, & certare vt vincamus; sicut omnes sancti ante nos fecerunt, & vicerunt; qui modò cum Christo regnãt, & coronas triũphales pro duri certaminis labore in capitibus portant. Qui tamen sibi victoriã de hostibus non asscribunt, sed cũ omni reuerẽtia & gratitudine coronas suas ante sedẽ Dei coram agno deponunt; & cũ ingenti exultatione & consona voce psallunt, & dicunt: Benedictio, claritas, sapientia, laus, honor, gloria, salus, virtus, victoria, Deo nostro in secula, qui nos per multas tribulationes perduxit ad hanc glorioſam coronam feliciter obtinẽdam. Hanc aureã coronã cũ aureola percipere meruit Agnes beatissima, permanẽs fortis & cõstans in passione sua pro fide, & castitate, tradens semetipsam in mortem, vt acciperet coronam gloriæ nunquam amittendam. Quid hac corona pulchrius? quid iucundius? Quid sublimius? Quid felicius, quàm regem Angelorum clarissimè contemplari, cum omnibus Sanctis in cœlis?

Christus corona & præmium sanctorum omnium.

3. O virgo Christi, contemptrix mundi, quæ elegisti Christo in castitate seruire, exhilaresce in spe futuræ gloriæ. Si desideras auream coronam ferre in cœlo, fer modò Christum in corde, semper in ore, semper in opere. Auerte oculos tuos à mundo, leua animam tuam ad Iesum in cœlum. Sis feruens in laude eius, humilis & vilis in oculis tuis, frequens in precibus, prompta in obsequijs, prouida in verbis, patiens in doloribus, tacita in opprobrijs, hilaris in despectibus, simplex in vestibus, pudica in moribus, custodita in omnibus vijs tuis. Noli Christum negligere in aliquo opere vel momento temporis sub cælo, qui nunquam auertit oculos suos à te, in quocunque fueris loco. Attende Agnetem sanctam, quasi in corpore morantem, & castitatis exemplatibi monstrantem. Tam sancta, tam casta, tam deuota, tam pudica, tam honesta, tã custodita fuit Agnes beatissima in hac vita:

Adhortatio ad demerendam coronã qui est Christus.

Virtutes S. Agnetis.

vt

vt nec oculos suos leuaret ad idola Gentium, nec ad spectacula ludorum, nec ad fulgorem auri vel argenti; nec concupisceret decorem aut amicitiam alicuius mortalis viri: sed Deum mẽte gerens, fide tenens, corde amans, ore laudans, toto animæ desiderio oculos suos erigebat continuè ad cælum; vbi sciebat esse Christũ Sponsum suum, cordis sui thesaurum optimum, super omnia desiderabilia amandum & amplectendum.

De pulchritudine coronæ.

4. Igitur adhuc pro ampliori deuotione excitanda, contemplari libet pulchritudinem coronæ beatissimæ Agnetis, quę speciosis ornata floribus, mirandam iucunditatem castis ingerit mentibus. Habet enim tres circulos argenteos, ad honorem sanctæ Trinitatis, continentes tria serta cõstipata floribus pulcherrimi coloris, & suauissimi odoris. Qui habet aures audiendi audiat & intelligat, quid mysticè ista significent. Delectantur Virgines in pulchris vestibus & floribus; milites in armis aureis & loricis; clerici in libris & studijs, monachi in hymnis & psalmis; seculares in terrenis; principes in delicijs, spirituales in diuinis. Nulla tamẽ delectatio maior & suauior, quã in Deo & virtutibus veris, ad Dei honorem factis, exultare. Dimissis ergo lubricis & caducis, cum castis & sacratis virginibus, inspiciamus internis oculis, immarcescibiles flores in corona felicissimæ Agnetis.

Primus coronæ circulus.

5. Primus circulus continet sertum ex albis floribus & cãdidis lilijs, in valle humilitatis conceptis & natis. Isti flores designant sanctas & deuotas meditationes de incarnatione Iesu Christi, ex Maria pura & sancta Virgine nati, mundis pannis inuoluti, in arcto præsepio locati, virgineis vberibus lactati; Angelicis laudibus commendati; à deuotis pastoribus visitati; à stella radiãte reuelati, à sanctis regibus quęsiti, inuenti, & adorati; ab eisdem cũ tribus muneribus (auro, thure, & myrrha) oblatis dignè venerati, à S. Simeone in vlnis amorosis amplexati, ab Anna vidua corde & ore summè benedicti & confessi. Quid in his omnibus bonis auditis, lectis, & percogitatis aliud reperitur, quàm hortus plenus floribus & lilijs, cum aromatibus multis? Verè omnia hæc nitent, florent & coruscant: flagrant, odorant, & delectant.

Meditari incarnationẽ Christi quantum iuuet.

Isti flores de natiuitate Christi, & perpetua virginitate beatæ Mariæ matris eius, habent tam suauem odorem, tam mirum saporem, tam magnum decorem, tam fortem ardorem; quòd expellunt ab anima languente omnem tentationem & carnalem amorem; omnem iram & indignationem; omnem inuidiam & superbiam; omnem acediam & torporem; omnem duritiam & perturbationem; omnem tristitiam & diffidentiam; omnem nequitiam & fallaciam; omnem turpitudinem & diabolicã immissionem: siue à viro, siue à muliere, siue à iuuene, siue à se-

ne, siue à diuite, siue à paupere: quia pro omnibus natus est Christus, pro omnibus passus & crucifixus; vt omnes saluaret, omnes à peccatis mundaret, & virtutum floribus adornaret.

6. Sunt autē in isto serto quinque lilia pro castitatis custodia, virginibus valde necessaria; scilicet, verecundia, taciturnitas, sobrietas, solitudo, & clausura. Hęc valde muniunt virginis aulam, & clariorem reddunt eius coronam. Audi virgo virginum sanctimoniam commendantem. *Virgo* (inquit) *cogitat, quæ Domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu, in Christo Iesu Domino nostro.* Quis est iste Iesus, quem sic amant sanctæ virgines, vt relinquant etiam parentes? Hic est Iesus Nazarenus, Dei Patris vnigenitus, filius Mariæ virginis, Spōsus Agnetis, amator castitatis, custos virginitatis, Hic est cōsolator pauperum, defensor viduarum, susceptor orphanorum, qui loquitur ad virgines in Canticis canticorum: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ego sanctarum mētium visitator, & inhabitator. Quapropter virgo Christi, si vis cęlesti Sponso dignè placere, stude flores virgineos & munda lilia intus habere; & omnes sensus tuos foris à deceptionibus custodire.

1. Cor. 5.

Cant. 2. Monialis institutio atque adeò cœnobitarū omnis.

7. Caue miluum, ô simplex colūba; fuge lupum, mitis agnella; caue serpentem tibi appropinquantem, casta puella; ne per fenestras corporis intret ad cubiculum cordis, & corrumpatur puritas conscientiæ tuæ, per incautum visum, vel turpem auditum, aut per cæteros sensus tuos, pronos semper ad malum. Idcirco summè cauenda sunt loca, personæ, tempora, colloquia, salutationes, munera, risus, iocus, aspectus, ornatus, conuiuia, cantica vana. Hæc & alia multa carnis blandimenta mūdus habet; quæ (prō dolor) offert suis amatoribus, currentibus cæca mente ad inferni tormenta. O stulta mundi gaudia, post quæ sequuntur æterna lamenta! Peribunt enim omnia pulchra & delectabilia sine mora, cùm mortis venerit hora. Sunt autem ista terrena & carnalia oblectamenta venenosa virginibus, horrenda pudicis, fugienda deuotis, execranda religiosis, summè cauenda iuuenibus, strictè corrigenda in adultis & incautis. Vera namque discipula Christi, & amatrix castitatis, ab aspectibus hominum se abscondit, ne offendat Deum, ne amittat Spiritus sancti solatium, ne fortè sibi & alijs sit in periculum & scandalum, & diabolo in ludibrium fiat, quę erat socia Angelorum. Igitur in quāto arctiori manserit custodia, & ordinis disciplina, tanto pulchriora lilia habebit in sua aureola, & aurea corona: Cumque virgo abscondita, soli Deo placere intendens & cupiens, ab omnibus mūdanis curis & fabulis se elongauerit & mūdauerit; tunc Christi adspirante gratia, suauis ex ea odor bonæ vitæ, sicut odor myrrhæ & thuris, emanabit: Et multæ filiæ Siō, adhuc sęcu-

lo

lo deditæ, audientes sanctam conuersationem incluſæ monialis, excitabuntur etiam ad relinquendum propter Christum omnem seculi vanitatem, vt apprehendant cum virginibus aureæ coronę pulchritudinem. O quàm sapienter agis filia Sion, quæ mundum lubricum spernis, Angelorum Regi nubere & adhærere semper intẽdis, & ad cęlestes nuptias intrare festinas. Intra intra clauſtrũ virginum, vbi discas facere voluntatem Domini Regis tui: & præpara te cum sodalibus tuis, vigilando, orando, & expectando beatum aduentum Sponsi tui de cælo. Certè si perseueraueris in eo quod cœpisti; erit sine dubio quod desideranter à Domino Deo tuo sæpè petisti.

Circulus secundus.

8. Secundus circulus huius aureæ coronæ, continet sertum ex rubris floribus colligatum, visu pulchrum, odoratu dulcifluum, auditu mirandum, cordi solatiosum. Istę rosæ designant carnis castigationem, mundi despectionem, cordis compunctionem, & sacram meditationem, cum intimę compassionis affectu erga Dominicam passionem. Istæ rosæ crescunt inter spinas & tribulos, & vrticas, id est, inter varias carnis tentationes & hominum vexationes, qui nunc verbis duris, nunc pratis moribus alios inquietant, & deuotionẽ modesti hominis sępè perturbãt. Væ illis, & bene his, qui patiuntur molestias ab importunis. Istę rosę ideo dicuntur rubeæ siue purpureæ, quia verecundis mentibus dolorem inferunt & ruborem. Attamen fragrant suauiter, si fuerint duriter confricatæ, quia humiles mentes dulciter respondent & piè, cùm fuerint ab iracundis argutę & despectæ: Et ampliores gratias Deo reddunt, quia à spinis proximorum lędi & pungi meruerunt. Istæ rosæ super ignem positę & exustæ, dulcem aquam emittunt, pro medicina vtilem: similiter mites & humiles igne sancti Spiritus accensi, pro iniuriosis & inuidis piè intercedunt, & lachrymas cum gemitu sępius fundunt. Reuera magna sunt patientium merita, magna virginum trophæa, magna apud Deum continentium fulgent præconia; quibus æterna merces cum aurea corona reddetur in cœlis, stellis prędarior vniuersis. O virgo mitis & humilis, valde multũ potes promereri in pressuris, pro Christi nomine sumptis. Etenim quoties verbum durum aut factum læsiuum patienter sustines, toties rubeas rosas de spinis gignis & producis, & coronam tuam magis claresces facis.

9. Istæ rosæ inueniuntur in magna copia apud sanctos martyres & virgines Deo dedicatas; qui fide armati, charitate inflammati, & patientia accincti, roseum sanguinem suum pro Christo largiter fuderunt; & coronas triumphales, rosis ac lilijs emicantes, meruerunt habere perpetuas, summo honore gaudentes. Vn-

Tiburtius martyr.

de de sancto Tiburtio, nobili martyre Christi legitur, quòd iussus super ardentes carbones nudis pedibus incedere, ipse in Domino Iesu confidens, intrepidus accessit; & facto sanctæ crucis signo, super igneos globos stetit illæsus, & gaudenti animo iudici respondit: In nomine Domini nostri Iesu Christi; videtur mihi, quòd super roseos flores ingrediar, quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio. Hinc etiam de sancta Dorothea, nobili virgine & martyre, pulcherrimè fertur; quòd ante horam passionis suæ, breuiter orans, meruit impetrare, de paradiso cælestis Sponsi sui Iesu Christi, tres florentissimas rosas cũ tribus odoriferis pomellis, quas Theophilo viro scholastico, sibi insultãti & non credenti, per puerum Angelici decoris, eleganter transmisit. Quibus ille conspectis conuersus est, & fidelis effectus; atque fidei calore accensus; protinus per martyrij palmam Dorotheam sequens, paradisum lætus intrauit, sicut eidem egregia sponsa Christi Dorothea promiserat.

Dorothea virgo & martyr.

10. Nemo igitur de istis rubicũdis rosis acquirendis desperet, quasi longè positis, & difficulter iam inueniendis. Nam possunt ab omnibus Christianis, & præcipuè à deuotis & religiosis personis, tam die quàm nocte, tam hyeme quàm æstate, studiosè quæri, & fructuosè inueniri; sed debent cautè seruari. Legendo enim Christi passionem, & sanctorum martyrum passiones, rosæ rubeæ in libris Ecclesiasticis quæruntur; meditando & orando inueniuntur; iustè, sobriè, castè, & piè viuendo, carpuntur & seruantur. Amplius autem istę rubicundæ rosæ quærẽdæ sunt tempore angũstiæ, iuxta montẽ olineti in horto secreto à turbis, in quem introiuit Iesus, & discipuli eius, vt orarent. Qui tunc à Iudæis captus, ligatus, percussus, flagellatus, coronatus, crucifixus, vulneratus, & quasi toto corpore cruentus; apparuit omni rosa rubicundior, precioſi sanguinis sui rubore perfusus & purpuratus. O quàm multas rubeas rosas, ex singulis plagis & vulneribus suis, mitissimus Iesus produxit, omnibus aromatibus suauiores & pulchriores. Nempe, quanto sæpius rosæ istæ aspiciuntur, duriùs teruntur, diutiùs mente reuoluuntur, tanto vehementiùs fragrant, dulcescunt, florent, rubescunt, crescunt, & dilatãtur. Excedũt enim rosæ Iesu Christi Nazareni, in roseto passionis eius ortæ, & in Hierusalem quasi in mortariolo à Iudæis cõtritæ, omnium sanctorum martyrum ac virginum passiones, dignitate, magnitudine, suauitate, pulchritudine, & omnium gratiarum plenitudine, ab ortu solis vsque ad fines orbis terræ. Sunt autem istæ rosæ valde precioſæ, & ad ornandum cuiuslibet deuotæ animæ coronam habiles & formosæ; ita quòd nullo precio mundi valent existimari, nec à mercatoribus comparari,

neque

neque in apothecis medicorum inueniri.

11. Vbi ergo possunt discerni, & acquiri? Non in foro, sed in choro; non in platea, sed in Ecclesia; non in bello, sed in cella; nõ in tumultu, sed in silentio; non in risu, sed in planctu; non in cõuiuio, sed in ieiunio. Verùm specialiter à cõtemptoribus seculi, crucem suam quotidie tollentibus, & in passione Christi seriosè meditantibus, citiùs inueniuntur, & vberiùs infrà Missam colliguntur. Valde enim recreant tristes animos, & confortant aduersitate depressos. Oportet autem deuotam animam, magnam sibi adhibere custodiam, ne dolosus raptor diabolus, in hunc hortũ rosarum, cum figmentis suis pessimis, subitò veniat; & si arcam cordis apertam inuenerit, suaues Christi rosas exinde tollat, & fœtidas vrticas & nigros carbones iterum silenter immittat. Vbi est tunc Iesus, vbi crux, vbi claui, vbi lancea, ad fugandũ hostem malignum de arca tua? Surge & vigila, clama & ora, Iesum inuoca, & crucifixum adora. Imprime tibi signum sanctę crucis, contra hostem omnis virtutis. Arripe lanceam Longini militis, cõtra terrorem sæui leonis. Claude cor tuum, contra virus serpentis. Confirma illud tribus Domini clauis, quasi tribus fortibus seris, ne callido & rabido hosti pateat tam facilis intrandi locus ad abdita cordis.

12. Tertius circulus continet sertum, ex blaueis & glaucis floribus optimè compositum, super omnia agri gramina odorifecrum, cælestibus mysterijs plenum. Rectè enim ad decorem virginalis coronæ huiusce modi flores pertinẽt, qui puritatem cum virginibus seruant. Et si bene intelliguntur, non parum religiosorum mores ædificant, qui terrena funditus reliquerunt. Igitur blauei flores, qui speciem tenent ætherei coloris, designant cõtemplationem gloriæ cælestis, & magnum desiderium perfectorum & inclusorum; qui oblitis omnibus infimis & prę sentibus bonis perituris, meditantur æterna, inhiantque incessanter ad præsentiam Dei & Angelorum consortia; vbi omnia sunt tranquilla, iucunda, atque perfecta. Hi in oratione frequenter accẽsi, cupiunt cum beato Paulo à vinculo corporis dissolui, & cum Helia in igneo curru ad cælum transferri, & Christo in regno eius feliciter prę sentari. Vbi semper gaudeant & epulentur in cõspectu Dei, laudando & canendo cum Angelis sanctis, sine omni impedimento & labore, altissimas laudes summæ Trinitati, in perpetuas æternitates. Hi flores, scilicet meditationes de cęlestibus gaudijs, valde ornant coronam cuiuslibet sacræ Virginis, & animæ fidelis, Christum cordialiter amantis, & ad Deũ fontem viuum auidè sitientis. Tertius circulus. *Phil. 1.* *4. Reg. 2.*

13. Hi sacri flores, maximè inueniũtur & leguntur in Euãgeli-

cis

cis pratis & hortulis Saluatoris, meditando de gaudijs dominicæ resurrectionis, ascensionis, & Spiritus sancti donis; & de miraculis per Apostolos Christi in primitiua Ecclesia, in nomine Iesu gloriosè perpetratis. Simili modo, ex speciali deuotione carpũtur flores cælestis lætitiæ, in singulis festiuitatibus beatissimę virginis Mariæ, & aliorum sanctorum natalitijs, quando de ipsis deuotè in Ecclesia cantatur, legitur, & celebratur, & de æterna sanctorum gloria desideranter cogitatur. Toties namque flores ætherei splendoris, in anima contemplatiua ad Deum suspensa oriuntur, crescunt, & dulcescunt; quoties ex memoria cælestis gloriæ mens compungitur & accenditur, & ad præsentiam Christi & sanctorum suspirat & anhelat. Vnde sæpè per feruida desideria sursum respicit, & ex intimis præcordijs cum Elia clamat & orat: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*; quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia huius vitæ gaudia.

3. Reg. 19.

14. Sed rursum considerandum, quòd tunc nobiles istæ rosæ, de corona deuotæ animæ cadunt, sordescunt, & arescunt, cùm in infimis, vanis, & curiosis rebus, mens incipit delectari, aut frioolè foris occupatur; & ex quodam torpore pressa, negligit cælestia meditari, omnibus visibilibus præferenda, & omnibus thesauris mundi meliora. Vnde & beatus Paulus discipulos suos ad florigeram patriam exhortans, ait: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Quare? Quia *cito præterit figura huius mundi*; & nihil permanet sub sole, quod potest cor hominis satiare.

Col. 3.
1. Cor. 7.

Miserationis affectus induendus exemplo Christi.

15. Sunt etiã in hoc virgineo serto multi pulcherrimi flores, crocei & cærulei coloris, igneum habentes splendorem, aspectu delectabiles, odoratu suaues, tactu lenes & flexibiles. Isti pertinent ad vitam actiuam, & designant cõpassiuos affectus cordis; ad subueniendum debilibus & infirmis, & dulces sermones ex ore prudentis, ad consolandum tristes & grauatos, ne deficiant in tentationibus & laboribus quotidianis. Sic enim lex Dei præcipit, & charitas fraterna exigit, vt fortis debilem portet, prudens instruat ignarum, mitis compescat iratum, feruidus excitet torpentem, lętus consoletur tristem, maturus corripiat dissolutum, discretus refrenet nimium, humilis reprimat superbum, simplex cohibeat curiosum, stabilis retineat vagum, taciturnus increpet verbosum: vt silentio suo ædificet potiùs audientes, quàm verbis effusis. Ex istis croceis floribus, odor suauissimus sępè manat, qui animos debiles spiritalibus fomentis confortat, vt in virtutibus magis proficiant. Hinc est, quòd diuus Paulus, multis virtutũ floribus ornatus, ad colligẽdum charitatis flores discipulos hortatur, dicens: *Per charitatem seruite inuicem, quia sumus inui-*

Ephes. 4.

cem

zem membra. Et iterum: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Isti flores fraternæ compassionis & eruditionis, inueniuntur plenius in agro dominicæ prædicationis; scilicet in dulcibus Christi sermonibus & octo beatitudinibus: in mysticis parabolis, & iucundis reuelationibus regni cælestis; in signis varijs, super infirmos & obsessos: in misericordia, super egenos & pauperes; in benignitate, super peccatores & pœnitentes; in mansuetis verbis ad duros & peruersos; in honestis moribus, & humilibus obsequijs, & penurijs rerum coram discipulis suis; in fatigatione teneri corporis sui, & longa pernoctatione in orationibus deuotis, in altis mõtibus & locis secretis, ad meditandum de cœlestibus gaudijs aptis. Ecce, quot sacri sermones, tot pulchri flores: quot mysticæ parabolæ, tot nobiles rosæ. Et quando de regno Dei & Angelis Iesus loquebatur Apostolis, tũc flores æthereos amicis suis ostendit, in cæli secretis. Et quando mandatum nouum eis dedit, vt inuicem se diligerent, atque pedes eorum lauit, tam verbo quàm exemplo eos instruendo; tunc optimi odoris fragrantiam ex croceis floribus, inter eos dispersit. *Gal. 6.*

16. O quàm stupendum signum fecit Iesus, cùm seipsum præbuit omnibus verè humilitatis exemplum? O mirum super omne mirum; quòd omnium sanctorum sanctissimus, & omnium dominorum altissimus, fit omnium seruorum suorum seruus infirmus; quòd summa maiestas inclinauit se sponte, infra homines simplices & pauperes suos commensales: dicens: *Ego in medio vestri sicut qui ministrat: non enim veni ministrari, sed ministrare. Si ego Dominus & magister vester vestros laui pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes*. Quid plus Domine? Alius pro alio orare debet, exemplo instruere, neminem lædere, omnibus benefacere velle. Isti flores fraternæ compassionis & piæ subuentionis, valde ornant coronã virgineæ puritatis, & vitam religiosæ cõuersationis: tam in contemplatione cælestium secretorum, quàm in visitatione languentium proximorum. Tunc enim flores virtutum inter fratres suauius redolent & vberius crescunt, cùm deuotus contemplator Angelicos ordines ad horam deserit; & ad seruiendum infirmis & egenis lætus accedit, quasi Christum in præsenti videret. Cùm etiam studiosus lector scripturarum, aut diligens scriptor librorum, vocatus codicem claudit, & pennam de manu ponit, & ad sonum pulsantis statim surgit, & ad chorum vadit, aut ad communem laborem conuentus incunctanter properat. Tunc noui flores in horto cordis eius, per gratiam sancti Spiritus cum fructibus obedientiæ incipiũt oriri, dilatari, & magnificari, & ipsi ad maximum meritum, & pulchriorem coronæ ornatum computabuntur. Præcauendum tamen amatori solitu- *Humilitas Christi miraculũ omnium maximum. Luc. 22. Ioan. 13.*

dinis,

dinis, & deuotæ meditationis speculatori, à leuitatibus & rumoribus; ne per longas occupationes & superfluas locutiones, perdat suauitatem vnguenti mystici, & saporem mellis extinguat leuis infectio fellis & acéti. Quis enim est tã deuotus in oratione, tam studiosus in sacra lectione, tam strenuus in operatione; qui tam citò se recolligit ab intra, quàm facilè labitur ad extra? Quis tam citò consolidat fracta, quàm facilè frangit aliqua? Quis tam citò immunda lauat, quàm facilè in lutum cadit? Igitur, ô Virgines Christi, ô Religiosi serui Dei, state super custodiã cordis & oris vestri: ne corrumpantur sensus vestri, per varia desideria mundi, quæ nihil prosunt ambulantibus in eis cum magnis periculis & angustijs. Ecce innumeris fallacijs & laqueis mundus est plenus. Ideoque secundùm verbum Christi, oportet vigilare & orare, contra tentationes & tribulationes ab omni parte surgentes; & ad bene agendum non deficere, quamdiu vires assunt, & tempora gratiæ promerenda florent. Non enim est corrigiam calceamenti perdere, gratiam Dei amittere, tempus pœnitentiæ negligere, dies vanè consumere, & vitam æternam pro modico delectamento despicere.

Luca 11.

17. Recogitate immẽsam bonitatem Christi, super omne genus humanum; quanta bona fecit, quanta mala pertulit; & quam magna præmia electis suis post huius vitæ certamina promisit. Habete bonam fiduciam in Domino semper, & ad auxilium diuinum in omni necessitate recurrite; & in tempore tribulationis nolite desperare, nec ab oratione cessare. Capiatis notabile exẽplum patientiæ & perseuerãtiæ, de sancta Agnete, virgine Christi & martyre: corpore quidem iuuencula, animo cana: statura paruula, meritis magna: sexu infirma, fide fortissima: vestibus spoliata, virtutibus ornata, quæ vt diabolum & comites eius vinceret, ad Christum deuotis & sedulis precibus conuolabat. Cumque humana rabies non cessaret, sed diabolo instigante ignẽ copiosum pararet, ipsa intrepida manens in medio flammarũ, expansis manibus orabat, Christum corde & ore laudabat: atque per martyrij palmam, ad Sponsum suum peruenire optabat, quẽ super omnia syncerissimo amore diligebat. Plus enim valuit ingens amor Christi in sola fragili virgine, quàm tyrãnicus furor armatus gladio & igne. Idcirco speciosissimam hanc auream coronam, cum tribus floridis sertis ornatam, habere meruit. Quia mundum spreuit, carnem domuit, diabolum vicit, tyrannum derisit, præmia calcauit, pœnas superauit, & ad Christi gloriam pro Christo moriendo felicissimo fine peruenit. Nũc omnes pariter oremus, & clamemus ad Dominum nostrum Iesum Christum, amatorem castitatis, innocentiæ, & omnis puritatis; vt doceat

nos

nos Angelicâ vitam in fragili carne imitari: & cum sanctis virginibus, castitatem mentis & corporis, præcipuè amare, venerari, & conseruare. Amen.

Oratio.

18. O Dulcissime Domine Iesu Christe, flos omnium virtutũ, castissimè amator virginum, fortissime debellator dæmonum, strictissime extirpator vitiorum, fragilitatem meã propitius respice: & per intercessionem beatissimę matris tuæ virginis Mariæ, & dilectæ spõsæ tuæ sanctæ Agnetis, virginis ac martyris venerandæ, auxilium mihi supernæ virtutis impende; vt discam terrena cuncta despicere, & amare cælestia: vitijs resistere, & tentationibus non consentire; virtutibus firmiter adhærere, honores fugere, delicias vitare, peccata commissa plangere, occasiones malorum cauere, à praua consuetudine abstinere, cum bonis conuersari, & in bonitate perseuerare; quatenus dono gratiæ tuæ merear coronam æternæ vitæ, cum sancta Agnete & cum omnibus sanctis, æternaliter in regno tuo possidere. Amen. Oratio in memoriam D. Agnetis.

Exemplum.

19. FRATER quidam domus nostræ, capitis dolorem frequẽter patiebatur, & ideo nonnunquam exire chorum cogebatur. Habebat autem specialem deuotionem ad sanctam Agnetem, venerabilem virginem, patronam nostram, multę pietatis dulcedine affluentem. Desiderauit ergo ingenti cordis affectu sacras reliquias eius visitare in Trajecto; quę ibidem in arca argentea, auro tecta, in ecclesia cathedrali sancti Martini honorificè conseruantur. Contigit ergo vt cum Priore suo pergeret, ad præfatum summæ reuerentiæ locum visitandum: & veniens ad præfatę cathedralis Ecclesię aulam, multis sanctorum reliquijs decenter ornatam, petijt à custode sibi ostendi beatissimæ Agnetis aream, ob deuotionis suæ instantiam diu desideratam. Tunc sanctarum reliquiarum custos ait: Non facilè licet mihi reserare precioſam sanctæ Agnetis arcam: sed libenter vobis antiquam almæ virginis capsulam ostendam, in qua sacræ reliquiæ eius diu requieuerunt, ad Dei laudem & gloriam. Quod frater audiens lætatus est & consolatus, expectans honorabilem sibi loculum præsentandum. Quo viso & aperto inclinauit se reuerenter: & osculans sanctum scrinium, intromisit caput suum confidenter, sperans sibi auxilium meritis sanctæ Agnetis affuturum inhęsitanter. His igitur actis, maximas gratias egit Deo, & sanctæ Agneti virgini, quod patentibus oculis suis hæc meruisset intueri. Qui ex hoc tempore & deinceps à pristinis doloribus releuatus est, non solum in corpore, sed etiam ampliori deuotione profecit in mente, atque reliquum vitæ suæ tempus

iucundo

iucundo & felici agone in feruore spiritus bene terminauit.

2. *Aliud exemplum.*

20. ALIVS quidam frater, cùm in profesto sanctę Agnetis ad refectorium legisset, accidit ei improuisè, quòd postea solus comedens, os piscis in ore eius frangeretur; & palato tam fixè inhæreret, vt acumen eius nec extrahere nec expuere tũc valeret. Quapropter contristatus valde, & timens periculum vocis ex hac læsione sibi imminere, expectauit patienter horam vespertinam, de sancta Agnete solemniter in choro decantandam. Cumque cantor responsorium, Pulchra facie, altiùs incepisset, & conuentus chori lætis vocibus, ad honorem sanctæ Agnetis, residuum prosequeretur, deuotè cantando & laudando; cœpit frater læsus pariter concinere, & sanctam Agnetem dilectam & benignam patronam suam suppliciter inuocare; vt in ea hora sibi subueniret, & de ista læsione liberaret. Et, ô mira Dei clementia, & quàm ineffabilis virtus eius & potentia, qui non deserit sperantes in se, de quacumque tribulatione clamauerint ad eum. Statim namque, cùm hæc verba cum conuentu caneret; (Intercede pro omnibus nobis,) sensit quendam pruritum in palato gutturis, cœpitque parum tussire, & in instanti cum saliua oris exspuit aculeum piscis, sine dolore sui gutturis. Tunc alacer effectus, gratias egit Deo, & sanctæ Agneti virgini, quòd tã citò meruisset exaudiri & curari. Finitis autem vesperis, mansit silenter in choro, prosternens se humiliter super scabellum pedum suorum, osculando pauimentum asserum ex intimo cordis affectu: congratulans in secreto, de tãto beneficio meritis sanctæ Agnetis sibi collato. Deinde magis volens certificari de pręsenti facto, quæsiuit aculeum piscis ex ore proiectum, & inuenit eum in arena prolapsum: Quem secum tollens ad cellam, posuit iuxta sanctæ Agnetis imaginem; ob eius specialem dilectionem perpetuè recolendam. Cuius sacro patrocinio pius Dominus ab omni periculo nos semper & vbique dignetur custodire, & in bona conuersatione cum omnibus nobis in oratione commendatis conseruare. Amen.

3. *Exemplum aliud.*

21. FVIT in ciuitate Svvollensi ciuis quidam, Hermannus de Oeuer nominatus, diues & honestus, pius & misericors super pauperes; atque in hospitali sãcti Spiritus, fidelis infirmorũ & egenorum procurator. Hic, quadam turbatione orta in ciuitate contra eum & quosdam conciues eius, confugit ad monasterium nostrum, in monte sanctæ Agnetis virginis, hospitandi gratia. Qui pro sua probitate & mansuetudine susceptus est, & benignè tractatus cum multa charitate & fraterna beneuolentia.

Modico

Modico autem tempore transacto, didicit Confiteor legere, & sacerdoti ad Missam ministrare, licèt iam senex esset, & literas penitus ignoraret. Quod cum tanta diligentia & deuotione fecit, vt aliis aliunde occupatis, sæpè bis vel ter vno die sacerdotibus ad Missam libenter & alacriter ministraret. Siquidem venerabili patri nostro VVilhelmo Vormken, tunc temporis Priori domus nostrę, speciali amatori sanctæ Agnetis, frequenter infra summam Missam choro canente, ipse retro in Ecclesia superpellicio indutus, magno cum affectu ministrauit.

Accidit autem quadam vice, vt ipse quasdam pecunias ex cella, in qua morabatur, perderet: de quibus vehementer doluit, mirans quis hoc fecisset: (nondum enim sua resignauerat, sed sicut hospes & amicus fidelis inter fratres in ambitu claustri habitabat.) Nam infra meridianum prædium, quidam alienus & ignotus, latenter per fenestram apertam, cameram eius intrauit; & quantum sibi placuit, furatus est, & citò recessit. Prandio itaque facto, cùm Hermannus post gratias dictas cellam suam intraret, pecunias suas quærens non reperit: & satis contristatus, vni conuersorum fratri Ioanni de Eme, sibi familiari, cõquerendo dixit; O bone dilecte frater Ioannes, sunt hîc fures in domo? Qui ait: Non vtique, bone Hermanne. Tunc ille furtum sibi iam factum reuelauit, dicens: Perdidi pecunias, quas habui in cella, & modò infra prandium sunt secretè furatæ. Cui frater Ioannes, consolando tristem respondit: Non cogites bone amice, quòd aliquis fratrum nostrorum, aut ex familiaribus domus huius, hoc fecerit. Sed fortè aliquis extraneus hospes, qui hortum pomarij intrauit, tentatus hoc egit; sicut quandoque præteritis temporibus experti sumus, vestibus occultè furatis. Audiens autem hęc venerabilis Pater & Prior noster VVilhelmus cõtristatus est valde; & omnes fratres de damno boni viri ex confusione furti doluerunt. Tunc quidam fratrum nostrorum, ipsi magis familiares, consolando & ad patientiam hortando dixerunt ei: O Hermanne charissime, sitis modò patientes in isto: quia fortè Dominus Deus noster non vult, quòd occupetis amplius cor vestrum cum pecuniis istis. Faciatis ergo nunc de necessitate virtutem: & offeratis eas Deo & sanctæ Agneti, pro salute animæ vestræ: Et si postea contingeret vos iterum eas acquirere, quòd non velitis inde aliquid retinere: sed ad cultum Dei & ministerium sanctæ Agnetis, omnia prouenire debeant. Fecit bono animo & pia intentione, quod consultum est; vouens sponte omnia Deo plenè, & beatæ Mariæ Virgini, & sanctæ Agneti patronæ Ecclesiæ nostræ, breui tempore consecratæ. Igitur oblatione ista votiua consummata, venit post triduum nuncius bonus de Svvollis, missus

à do-

à Domino Ioanne Haerlem, tunc rectore deuotarum sororum Beguinarum, dicens: Fratres non sitis soliciti & tristes de pecuniis perditis; citò eas recipietis, Deo fauente. His auditis gauisus est Hermannus, & cum eo Prior noster, & totus conuentus. Quis autem fuerit iste fur & raptor, clericus an laicus, hucusque nescitur. Nam speratur, quòd pœnituit, & domino Ioanni secretò, vt ad monasterium omnia remitteret, supplicauit, quòd etiam tacito nomine fideliter fecit. Empta sunt autem & parata de pecuniis illis receptis, ad sanctæ Agnetis honorem, duo ornamenta sacerdotalia, & calix vnus argenteus deauratus, titulo Hermanni de Oeuer sub pede calicis inscripto.

4. Aliud exemplum.

22. QVIDAM frater domus nostræ, celebrans in domo capituli in altari sanctæ Agnetis virginis, diabolo insidiante subitò tentatus est in Missa de fide & sacramẽto corporis Christi, in quo sæpius habuit cõsolationem & deuotionem magnam. Sentiens ergo grauem influere quęstionem, conuertit se citò ad pium Dominum Iesum, cum gemitu & recta fidei intentione orando. Moxque audiuit diuinum responsum intus sibi dictũ: Crede sicut sancta Agnes, Cæcilia, Barbara, & aliæ sacrę virgines crediderunt: quæ pro Christo passæ sunt, & de nullo verbo in fide dubitauerunt. His auditis cessauit tentatio, & quęstionis dubitatio. Et sæpiùs postea contra diabolicam immissionem hęc verba reuoluit: Crede sicut Agnes, Cæcilia, & Barbara, & nunquam errabis in fide Catholica. Nam tot sunt testimonia vera, quot sunt sancta verba in Biblia.

5. Exemplum aliud.

23. ALIVS etiam quidam de fratribus nostris infirmus, in eodem loco & altari ex deuotione cõmunicauit: qui diu baculis se sustentãs, curuus incedere solebat. Sed post celebrationem Missæ, virtute Christi & meritis sanctæ Agnetis, sic cõualuit, vt baculos suos post Missam ibidem relinqueret, & postea ad chorũ & conuentum lætus & rectus transiret. Mirante autem quodam fratre de isto facto, scisciari piè cœpit, quid ægrotus egerit, & infra Missam cogitauerit. Respondit sanatus: Cogitaui & reuolui verba sancti Euangelij, Luca referẽte de Domino nostro Iesu Christo: Et omnis turba quærebat eum tangere, & virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Bona ergo fides & virtus Sacramenti, cum precibus sanctorum, sanare adhuc possunt mente & corpore debiles, vt fiant feruentes in amore Dei, & ad omne opus bonum promptiores, & suis Prælatis sine mora obedientes. Hęc sunt æternæ salutis miracula, quæ adhuc frequenter operatur Christus cum deuotis mira clementia.

6. Aliud

6. *Aliud Exemplum.*

24. ACcidit quodam tempore in quadragesima, quòd quidam frater rogatus fuit celebrare Missam manè circa horam quintam, pro hospitibus & tota domus nostræ familia: sicut consuetum est fieri pro bona custodia laborantium in officiis, & pro itinerantibus in via propinqua vel remota. Frater autem ille piè annuit, & ex charitate libenter fecit, pro quo rogatus fuit. Erat tunc festum sancti Gregorij Papæ, quem frater speciali affectu diligebat; quia in eius festo, scholas ad discendum alphabetum, cum aliis pueris primitus intrauit. Cùm ergo accessisset ad altare, cœpit cogitare qualem Missam vellet legere, de ieiunio vel de S. Gregorio. Statim venit ei ad mētem: Tu nondum legisti Missam in hac hebdomada de sancta Agnete, pro speciali causa tibi commissa. Lege ergo modò de sancta Agnete, cum collecta de sancto Gregorio, & postea cantabis Missam de eo in choro, cum toto conuentu, corde iucundo. Fecit sic in nomine Domini cum bona fiducia, soluendo vota sua de sancta Agnete patrona nostra, Christo summè dilecta. Omnibus igitur in ecclesia ferè congregatis & Missam audientibus, contingit periculum incendij in domo agriculturæ nostræ, nemine adhuc sciente. Sed pius & misericors Deus optimè prouidit, quòd incendium citò extinctum fuit. Nam laicus quidam donatus noster Matthias nomine, post eleuationem de ecclesia exiens superuenit, & fomitem ignis extinxit. Quod meritis sanctæ Agnetis confidimus asscribendum, de qua tunc specialiter legebatur Missa, ad rogandum pro pia causa Dominum. Deus enim, qui beatam Agnetem in medio flammarum, expansis manibus orantem, illæsam conseruauit: ipse illo die domum nostram cum omnibus suis vtensilibus incombustam, precibus & meritis eius, clementi bonitate custodiuit. Vnus enim laicorum ad audiendam Missam, cum aliis intrauit ecclesiam, & neglexerat sub tecto domus lucernam extinguere; quæ combusto ligamine, cecidit super segetes ibi iacentes, & accendit. Sed pius Dominus omnia videns, & inopum preces misericorditer attendens, huic periculo per alium (vt prędictum est) tempestiuè subuenire concessit. Audiens autem deuotus & prædilectus Pater noster, frater Theodericus Cliuis, tertius domus nostræ Prior venerabilis, periculum incendij accidisse, & Dei gratia citò cessasse, primò satis expauit, nec mirum. Deinde consolatus est, & gratias egit Deo, quod tam graue periculum non processit, sed repentè dissipatum fuit. Cùm ergo tumor incendij ad aures aliorum peruenisset, frater, qui de sancta Agnete missam eodem die celebrauit, secretè ad Priorem patrem suum accessit, & humiliter ei indicauit: Dilecte Pater, gratias

agamus Deo & sanctæ Agneti patronæ nostræ; quia Missa de ea hodie lecta fuit pro speciali causa: & spero, quòd fideliter pro nobis orauit, & ab incendio isto nos Dominus liberauit. Tunc bonus pater & pius pastor, congaudens magnificè, vtpote castus amator sanctæ Agnetis, iniunxit speciales orationes fratribus; atque largiores eleemosynas distribui iussit pauperibus, pro tam euidenti protectione ab incendio præsenti, & ab omni malo futuro, Amen.

Aliud Exemplum.

25. VIr quidam furatus est equum, ex pascuis monasterij nostri montis S. Agnetis, quem secum duxit vltra milliare à monasterio nostro situm: putans se esse securum, & ad propriam domum cum præda prosperè rediturum. Veniens ergo ad villam quandam, ligauit equum cum resticulo ad stipitem cuiusdam sepis in biuio, & intrans hospitium sedit ibi ad bibendum, & modicè quiescendum. Interim verò equus solus foris stans, & nullum adesse videns; quodammodo impatienter motus, quòd in loco alieno esset, & à domo suæ habitationis violenter abductus, cœpit caput suum frequenter hinc inde agitare & pedibus calcitrare. Et tamdiu lorum, quo ligatus erat, hac illacque distraxit, donec penitus solueret ligaminis nodum. Cumque se liberum & enodatum iam sentiret, & sessorem suum diu expectando non perciperet: & quia naturale est animali ligato diligere libertatẽ, & ad suum tendere stabulum consuetum, statim vertit caput suum ad viam rectam, qua venerat; & solus (Deo ducente) fortiter currens, ad portam monasterij saluus peruenit. Ibique morosè stans & expectans in loco sibi noto, à portario & colono nostro bene cognitus est & lætanter introductus, de quo Deus æternaliter sit benedictus. O beatissima Agnes semper honoranda, tuis hoc meritis deputamus; quia in multis necessitatibus nostris tua patrocinia experti sumus. Ideoq; Christum in te prædicamus, & deuotè inuocamus & laudamus: gratias agentes Deo semper, pro omnibus bonis suis misericorditer nobis sæpè collatis, Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SERMO XXVIII.

De quinque luminaribus Templi.

Matth. 21. In festo dedicationis Ecclesiæ sermo.

1. DOmus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus. Dilecti fratres, hodie est solennis festiuitas dedicationis ecclesiæ nostræ, quæ ab omnibus in hoc loco habitantibus debet deuotè & iucundè celebrari: & mentes celebrantium, ad supernæ Angelorum gaudia incitare. Ad hoc enim omnis ecclesia construitur & dedicatur; vt in ea diuinæ laudis obsequia agantur: & orationes fidelium in loco sancto citiùs & pleniùs à Deo exaudiri mereantur.

tur. Valde autem ecclesia Dei ornatur & illuminatur, si hęc quinque seruitia in ea seruantur; & tãquam cæli luminaria, vt in templo Dei luceant, solicitè custodiuntur. Primò, inter cætera diuini cultus obsequia emicat, & domum orationis illustrat, atque ingredientes ecclesiam ad orandum excitat, & in diuino amore corda fidelium accendit; cum sacerdotes sacris vestibus induti, ad altare reuerenter accedunt, Missas deuotè celebrant; & pro se & communi populo sacrificium Deo summè placitum offerunt, & piè intercedunt.

Templo Dei quinque sunt ornamento.

2. Secundò, domum Dei præcipuè ornat & illuminat chorus clericorum, cùm quotidie horæ canonicæ ab ecclesia institutæ, à clericis & religiosis personis; temporibus suis debitè persoluuntur: & omnia cantanda & legenda ad honorem Dei, modestè & honestè fiunt & complentur, & omnis leuitas, strepitus, & confusio, pro posse strictè vitantur.

3. Tertiò, domum Dei maximè ornat & illuminat, cùm verbum Dei, frequenter à sacerdotibus, pastoribus, & doctoribus: populo Christiano, regibus & principibus, senibus & iuuenibus, paruulis & magnis, strenuè prædicatur; & quasi tuba cælesti, ne peccent, suppliciis terrentur: & ne desperent, æternis præmiis consolantur. Magna enim præmia habebunt sancti sacerdotes & prędicatores, qui vita & doctrina multos erudiunt, & ad virtutes frequenter admonendo trahunt & accendunt. Vnde de sancto patre nostro Augustino glorioso sanctæ Ecclesiæ doctore legitur & cantatur, quòd verbum Dei vsque ad ipsam suam ægritudinem, impraetermissè, alacriter & fortiter, sana mente sanoque consilio, in sancta Ecclesia prædicabat. Qui Deo auxiliante diu vixit in virtute, pro multorum salute scribens libros, & docens inscios, sanctam Ecclesiam multitudine librorum suorum magnificè ditauit, ornauit, & illuminauit. Quem, ob meritorum suorum dignitatem, laudare oportet, & filiali amore semper honorare & suppliciter exorare: vt recto itinere eũ sequi valeamus ad Christum regnantem in cælis; quem tam ardenter amauit & laudauit in hymnis & psalmis, dum esset in terris.

4. Quartò, domum Dei profectò ornat & illuminat frequens visitatio Ecclesiæ ad audiendum verbum Dei, & ad custodiẽdam legem vitæ & disciplinæ, perducentem ad patriam claritatis & pacis æternæ. Qui enim ad cælestis regni gaudia post mortem peruenire feliciter desiderant, modò dum sani sunt & viuunt, debent domum Dei frequenter visitare, & prædicationem libenter audire, cõfessiones sæpè facere, indulgentias quærere & impetrare. Tempus breue est, & incerta mortis hora. Qui ergo modò non pœnitet, nec se emendat, post clausum ianuã foris stabit, & misericordiam

ricordiam non impetrabit: clamabit dolens, nec exaudietur plorans. Beatus populus & laudabilis nimis, qui relictis vanis spectaculis, properat tempestiuè ad domum orationis & prædicationem diuini sermonis; gratias agens Deo de beneficiis acceptis, atque pro futuris amplius orans. Pulchrum spectaculum, videre templum Dei fidelibus vbique repletum, & forum à negotiis seculi esse quietum.

5. Quintò, Ecclesiam Dei ornat & illuminat, frequens & communis oratio multorum, tam cleri quàm totius populi Christiani ad Deum instanter supplicantis, pro diuersis causis & necessitatibus omnium indigentium, sanorum & infirmorum, viuorum & defunctorum. Ista quinque luminaria sunt valde necessaria & vtilia in omni ecclesia, quæ domum orationis optimè ornant: & tanquam quinque ardentes lampades templum Dei illuminant, & rectam viam ad supernam Hierusalem & cælestem mansionem demonstrant. Vbicunque ergo in ecclesia ista, deuota & sancta officia debitis temporibus reuerenter & diligenter fiunt; ibi Deus habitat, ibi præsidet, docet & gubernat, sicut in Apocalypsi beatus Ioannes ait: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis.* Omnibus igitur tumultibus & fabulis cum iocis exclusis, nil aliud in domo orationis & loco sancto fieri decet & debet, nisi quod Deo maximè placet & proximos ædificat, & ad diuinum officium specialiter pertinet.

Apoc. 21.

6. Quæ ergo ad deuotionis gratiam, & ad canticorum dulcedinem, & verborum intelligentiam iuuant, hæc corde pensare debent, & læto ore ad laudem Dei proferri. Omnia vitiosa & otiosa colloquia vbique vitanda sunt: sed præcipuè tamen in templo Dei, in aula summi Regis, in sanctuario Spiritus sancti, in conspectu angelorum & cælestium ciuium supernorumq; spirituum præsentia. Summè igitur venerabilis est locus iste, à Deo ab æterno præuisus, & ad seruiendum ipsi cum eius ministris & sacris vasis, electus & deputatus; & in tempore præfinito per manus Pontificis, cum multis sanctorum reliquiis, consecratus & ornatus. In quo quidem loco humana iunguntur diuinis, ima summis, terrena cælestibus per sacramenta Christi, quæ ibidem tractantur & celebrantur à sacerdotibus in Missis.

7. Quod agunt sancti Angeli in cælis, hoc etiam agere debent fideles in terris: scilicet laudare & benedicere Deum totis viribus, & magnificare eum præ omnibus Sanctis & creaturis, pro donis & beneficiis suis. Et si non tanta dignitate & alacritate sicut Angeli, tamen pro posse suæ infirmitatis quilibet debet niti facere & aptare se, vt Deum perfectè cum angelis semper laudet, super omnia amet, & in omnibus benedicat. Si non potes labiis oris

In templo Dei faciat quisque quod possit.

oris resonare, debes suspiriis cordis ad Deum clamare. Si fueris raucus vel dissonus, noli cessare à laudibus, nec te subtrahere à diuinis officiis: sed ausculta, quid cantatur & legitur ab aliis, & congaude bene cantantibus. Si non vales tam pulchrè cantare sicut alaudæ & philomelæ, canta & lauda lugubre sicut corui & ranæ in palude: qui cantant sicut Deus dedit, & natura concessit. Noli extolli monedula de clamore vocis, quia nescis quamdiu durabis, & altè cantabis. Vox quippe humilis & contriti cordis, bene sonat in auribus Dei omnipotentis, omnia audientis. Canta & lauda Deum, in voce exultationis, memor tamen propriæ vilitatis, cum timore futuræ tribulationis. Canta humiliter cum sancto Dauid in Psalmo: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum Domine.* Quis sicut Dauid fidelis, in omnibus pergens ad imperium regis: qui miles fuit in die fortiter bellando, monachus in nocte alacriter surgendo, & deuotè orando? *Psal. 85.* *1. Reg. 18.* Dauid rex, miles & monachus

8. Si non potes cum sancto Ioãne Euangelista, sublimia & diuina contemplari, procide cum Maria Magdalena ad pedes Iesu humiliter veniam petendo, & pro peccatis lachrymando, vt dimittantur tibi etiam peccata multa, quibus Deum sæpè offendisti. Si non vales cum sancto Paulo ad tertium cælum euolare, maneas cum eo apud Iesum Christum crucifixum; non in carne gloriando, sed carnem cum vitiis & concupiscentiis suis crucifigendo. Si non habes alas Aquilæ volantis ad cæli sidera, habeas pennas simplicis columbæ nidificantis in petra, meditando quotidie sacrosancta Iesu vulnera. Plus enim sanctitatis & dulcedinis inuenit humilis Franciscus in passione Christi, quàm subtilis Astronomus in speculando sidera cæli. Relictis ergo curiosis & infructuosis rebus, stude in vita & in passione Christi, & proficiet tibi magis, quàm omnes artes mundi. Si vis consolari cælitus, fuge homines & sæculi rumores. Esto libenter cum Domino solus, & quære solatium intus in deuotis precibus & meditationibus sanctis. Nihil salubrius, nihil iucundius & dulcius, quàm Deum laudare in hymnis & psalmis, & habere cor sursum cum Angelis in cælis, infirmis neglectis. Talis dicere potest in raptu spiritus: Memor fui Dei solius, in iubilo cordis. Verè Dominus est in loco isto: non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Aperite mihi portas Angeli sancti, & laudabo vobiscum nomen Domini Dei mei, in seculum seculi. *Luc. 7.* *2. Cor. 12.* *Galat. 5.* In oratorio nihil aliud quã oretur.

9. Væ autem illi, qui scienter cogitat vana inter diuina, & iniuriosa reuoluit mente peruersa. Væ, qui idola imaginatur immunda, & negligit preciosa Christi vulnera, nec inferni timet pati tormenta. Væ, qui ibi tacet & dormit, vbi vigilare & orare deberet. Væ pigris & dissolutis, & tardè venientibus; qui vagis oculis

parietes aspiciunt, & dulces psalmos non aduertunt. Væ, qui de cibo & potu frequenter cogitant, & de pœnis animarum in purgatorio parum pensant, & rarò plorant. Si quis ibi fuisset per horam, nunquam sentiret in choro tædium, nec in ieiunio tristitiã, nec in labore grauedinem. Benedicti omnes religiosi & deuoti serui Dei, alacres in diuinis, studiosi in libris legendis & scribendis: qui se & alios compescunt à verbis leuibus, & fideliter orant pro benefactoribus suis, & omnibus tribulatis & tentatis; quorũ magnus est numerus, Deo meliùs quàm hominibus notus. Quicumq; ergo gratus & fidelis fuerit in modicis & præsentibus donis, dignus erit ampliora recipere à Deo in cœlis. In diuino officio negligenter aliquid agere, impunè non ibit. Cauete & timete, ne eleemosynæ clament contra vos; quia malè sunt expensæ, & horæ negligenter sæpiùs lectæ & persolutæ. A quibus malis Iesus Christus nos liberet, omnes offensas nobis dimittat, & ad cælestia regna, post huius vitæ pericula, feliciter perducat, Amen.

SERMO XXIX.

De ornamentis & moribus ministrorum, in templo Dei.

1. Mach. 4. 1. *ORnauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Domino; & facta est lætitia magna in populo.* Dilecti fratres ista leguntur Machabæorum libro primo, de templo Dei renouato, & cantantur etiam à nobis in Ecclesia, tempore consueto. Sicut ergo illi antiqui sancti fuerunt alacres & deuoti in templo materiali, laudando Deum in hymnis & organis, pro victoria data eis de cœlo contra aduersarios, ita & nos multo deuotiores esse debemus regratiando Christo, qui nos eripuit de tumultibus seculi, & laqueis diaboli; & dedit spem perueniendi ad festiuitatem cælestis Hierusalem, & ad dedicationem templi immaterialis, in quo habitat Deus cum omnibus sanctis suis. Quæratis in litera spiritualem sensum, & in cera mel absconditum; & delectetur anima vestra in Deo viuo, & in omni verbo quod procedit de ore Dei, sicut angeli & omnes sancti in cælo. Tunc enim poterit anima vestra per scalam sanctorum verborum, ad alta cœlorum ascendere: quando negligit exteriorem ornatum attendere; & ex intimis præcordiis recordatur Domini Dei sui solius, quantum datur ipsi sapere ex gratia supernæ visitationis, in statu humanæ fragilitatis.

Mysticè quæ ad tẽplum Dei spectant, describit.

2. Fratres, ibi est magna festiuitas dedicationis Ecclesiæ, vbi est puritas innocentis vitæ, libertas bonæ conscientiæ, iucunditas spiritualis lætitiæ, prædicatio S. doctrinæ, obseruatio regularis disciplinæ, recordatio regni cœlestis, obliuio omnis gaudij secularis. Ibi est vera pulchritudo templi, & ornatus ecclesiæ, cum ramis & floribus bene redolentibus; vbi est vera contritio cordis, humi-

humilis confessio oris, & digna satisfactio pro peccatis commissis. Ibi est læta dedicatio noui altaris, vbi est nouus feruor deuotionis, cum gratiarum actione in iubilo cordis pro beneficiis acceptis. Nemo vacuus apparere debet in conspectu Domini, sed semper aliquid offerre in altari ad honorem Dei. Ille vitulum offert & hircum, qui carnis petulãtiam frangit per ieiunium. Ille bouem mactat & taurum, qui superbiam mentis & duritiam proprij sensus, redigit ad nihilum per humilitatem & sapientis consilium. Ille agnum immaculatum Deo dignum offert, qui passionem Christi quotidie deuotè commemorat, & se ei per patientiã & mansuetudinem conformat. Ille arietem immolat, qui totam virtutem & fortitudinem suam Deo asscribit, & nil boni sibi attribuit. Ille renes, cor & pectus in altari cremat, qui omnes carnales affectus, sancti Spiritus feruore refrenat. Ille columbam offert, qui simpliciter ambulat, & de alienis rebus tacet; qui cum dolentibus gemit, & pro sibi contrariantibus orat. Ille turturem Deo offert, qui castitatem diligit & solitudinem quærit: & cùm solatium terrenum perdit, ad cœleste palatium liberiùs volat.

3. Ille passerem immolat, qui à garritu verborum inutilium abstinet, & in secreto cellæ solus residet; vt maiorem pacem habeat, & nulli onerosus loquendo existat. Ille verò faciem templi coronis aureis ornat, qui præclara gesta sanctorum libenter legit, scribit, & prædicat; & ad incitamenta virtutum, eorum præmia aliis denunciat, ne in tentationibus deficiant. Ille aureos clypeos in Ecclesia pro ornatu suspendit, qui veteris & noui Testamenti Patres, quantis virtutibus fulgeant, proximis suis ad ædificationem narrat: Qui Martyrum certamina, ad tolerandum aduersa recitat; labores Confessorum ad abstinendum cõmemorat; trophea virginum ac viduarum continentiam, ad castigandum corpus beatificat; libros doctorum & sermones prædicatorum, ad studendum, legendum, scribendum, dignè commendat, & aliorum bona opera, ad laudem Dei & decorem sanctæ Ecclesiæ replicat & expandit. Ille pulchras imagines pingit & ornat, qui vita & moribus proximum ædificat. Ecce tot aurea scuta fulgent in Ecclesia, quot sunt sanctorum nomina, quot festa, quot sacra verba, quot bona videmus exempla.

Felicitas in cœlesti Hierusalẽ quanta.

4. O quàm magna festiuitas celebratur, in dedicatione ecclesiæ triumphantis; vbi omnibus deuictis hostibus, cuncti simul gaudent sancti cum Angelis, amicti stolis albis, & coronati coronis aureis nunquam perituris. Ibi quippe æterna laus & gloria, sine cessatione mansura. Ibi vox dulcis sine rancore, cantus altus sine labore, pax ingens sine timore, lætitia sine mœrore, amor sine liuore, scientia sine errore. Ibi abundantia sine defectu, dignitas

sine despectu, sanitas sine interitu, iucunditas sine fletu, securitas sine metu, voluptas sine vitio, satietas sine tædio, claritas sine nubilo, veritas sine ambiguo puritas sine piaculo, libertas sine obstaculo, conscientia sine scrupulo, summa felicitas sine termino, omnia bona in Deo. O quàm festiuè gaudent ibi sanctorum animæ, à vinculo corporis absolutę, ab omni labe peccati purgatæ, Deo intimè coniunctæ, sine medio vnitę, per ambitum cæli volantes liberè, canentes & gratias agentes Deo lætissimæ: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Psal.123.

5. Quoties ergo adest aliqua festiuitas sanctorum in ecclesia, recordari debemus qualis & quanta sit in cælesti patria, & despicere omne, quod delectat in hac vita. Beati religiosi, qui à secularibus turbis remoti, à tẽporalibus curis liberi, à passionibus tranquilli, ad cælestia oculum mentis dirigunt: & prę dulcedine amoris intimi, quem sentiunt, dissolui & esse cum Christo concupiscunt. Beati, qui ad cælestem dedicationem & ad cœnam agni vocati sunt: & ita se studeant præparare, vt cum electis digni sint intrare. Vox vera: Nemo potest hîc gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Amœna prata, stultos ducunt ad hospitia praua. Et qui modò delicias & honores semper quærunt, post breue gaudium inuenient æternum ignem & luctum.

Phil.1. Apoc.19.

In profanantes festa.

6. Heu miseri & insensati amatores seculi, qui festa Christi & Sanctorum honores in conuiuia ciborum & ludos cõuertitis, vbi manebitis? Vę vobis, qui Iesum deseritis, & mundum requiritis: Sanctos negligitis, & vagos ac lubricos vobis associatis: Angelos offenditis, & dæmones lætificatis. Væ, qui simplices deridetis, & fallaces commendatis: rosas virtutum conculcatis, & spinas peccatorum colligitis: præsentia bona aspicitis, & futura mala non prœuidetis, nec timetis. Cur stulti vosipsos decipitis, & ad rectam viam non reditis? Timete Deum, nequando irascatur Dominus, & pereatis citò de terra cum impiis: & recipiatis infernum pro deliciis, quas amastis. Dignus est enim operarius mercede sua, siue bonum, siue malum fecerit in hac vita.

7. Habet etiam felix & sancta mater ecclesia, pro magno solatio & decore domus Dei, multa sanctorum corpora in bona custodia, omni honore digna. Ad quorum aspectum, multi fideles excitantur sæpe ad amorem Dei & fletum, desideranter petentes quotidiana suffragia: vt per eorum sancta merita mereantur peruenire ad gaudia æterna. Quæ est enim Ecclesia vel capella tam pauper & modica, quę non habet vel procurat habere aliquas sacras reliquias, pro ornatu oratorij sui, ex deuotione erga animas Sanctorum regnantium cum Christo in gloria? Nam sacra ossa sanctorum humiliter venerari, Christum est honorare; in quibus habita-

habitauit Spiritus sanctus: à quibus victus est mundus, & diabolus per fidem Christi confusus. Sperandum igitur indubitanter, quòd libenter orabunt pro nobis amicis suis in terra degentibus, quos viderint in oratione feruentes, & oculos crebrò ad cœlos cum gemitu leuantes, & omnia propter Christum ex animo relinquentes.

8. Iuuat etiam non modicum infirmos animos ad lætitiã cordis, si in festis, melioribus vestibus & cappis, sacerdotes & ministri induantur, pro diuino officio decentiùs celebrando. Si floribus & frondibus altaria & loca sacra adornentur; quatenus per externa signa, torpentium corda ad meditandum cælestia bona citiùs accendantur. Nihil tamen in his cæremoniis, cultibus, & ornatibus, inaniter pro humana laude & propria complacentia fieri debet; ne Deus, qui corda humilium respicit, vanis clamoribus & vagis moribus offendatur: ne festum temporale in vitium animæ ex aliqua leuitate aut curiositate conuertatur. Non enim est speciosa laus in ore superbientis, nec placent Deo labia sonora, vana gloria fœdata, vel discordi voce prolata. Dicat ergo grates Deo omnis deuotus orator, iubilet Domino laudes omnis ardens amator, cantent & laudent Deum omnes animæ sanctorum cum Angelis in cælo, cantent & laudent Deum omnes Ecclesiæ terrarũ cum fidelibus in hoc mundo, dicẽtes: Te decet laus & honor Domine, pro tua maxima dignitate, in secula seculorũ, Amẽ.

SERMO XXX.

De quatuor conditionibus, ad ædificationem & decorem domus Dei pertinentibus.

1. *Domum tuam Domine, decet sanctitudo, in longitudine dierum.* Psal. 92.
Dilecti fratres, sitis circumspecti & custoditi in omni loco & tempore, maximè autem in Ecclesia, in choro, & in diuino officio, vbi à multis potestis considerari. Vos estis templum Dei, 2. Cor. 6.
vos estis domus Dei, vos elegit Deus in hæreditatem sibi, quibus promisit dare regnum Dei. Notate ergo conditiones quatuor, ad decorem domus Dei pertinentes, & ad sanctitatem veræ religionis perducentes. Omnis bona domus debet habere fundamentum firmum, parietes rectos, fenestras claras, & tectum integrum.

Quatuor ad sanctitatem veræ religionis perducunt.

2. Primò, debet domus animæ nostræ habere fundamentum profundæ humilitatis, ne totum ædificium cadat ab alto elationis, in barathrum æternæ damnationis. Idcirco multi ceciderunt de statu religionis, in varias tentationes diaboli & vitia carnis; quia non habuerunt nec steterunt super firmum fundamentum veræ humilitatis, quæ hominem custodit ab innumeris diaboli insidiis & casibus. Felix anima, quæ honorem temporalem non

Humilitas, ædificij spiritualis fundamẽtum.

appetit, sed omne commodum pro posse vitat, & despectum pro maximo lucro reputat. Dixit quidam deuotus: Qui me laudant, sæpè decipiunt; & qui me vituperant, bonum mihi sæpè faciunt.

Psal. 35. Vnde Dauid sanctus orat: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Quare? Ibi enim ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare. Et quare non potuerunt stare? Quia superbi

1. Pet. 5. fuerunt, & Deo gratias non egerunt. *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Nemo quippe securè & iustè laudatur, nisi verus humilis: cui sordescit mundus, & omnis gloria eius. Qui ergo vult bene & firmiter stare, fundamentum humilitatis teneat, ab humilitate non recedat, quantumcunque laudatus fuerit & honoratus. Caueatis fratres, ne totum præmium laboris vestri perdatis per superbiam & vanam hominum laudem; ne cum diabolo cadatis in damnationem & ignem æternum. Transit citò, tanquam fumus omnis delectatio carnis, omnis honor & gloria temporalis, sed non citò transibit pœna infernalis, immo in æternum durabit ignis ille sulphureus, impiis præparatus.

Quatuor Euãgelia, quatuor sunt parietes domus Dei.

3. Secundò, debet domus animæ nostræ habere quatuor parietes rectos & firmos, sursum erectos & coniugatos, non de curuis lignis & asseribus ruptis, sed de lapidibus preciosis, artificiosè quadratis & bene politis. Hi sunt quatuor sancta Euangelia, de incarnatione Christi veraciter conscripta, toti mundo ad rectè credendum, & iustè ac piè viuendum, salubriter destinata. Isti parietes sunt sicut muri fortissimi, & sicut turres Hierusalẽ cum propugnaculis suis; qui cadere non possunt, nec in æternum perire, quia veritas Domini ab æterno, & vsque in æternum permanebit. Quantumlibet ergo sæuiat mundus contra fideles, humiles, & deuotos, aut tentet diabolus, aut persequatur tyrannus, aut rapiat auarus: non tamen conturbabitur iustus, in Domino confidens. Etsi maledicat malignus, irrideat paganus, deludat Iudæus, arguat astutus, reprobet philosophus, dubitet incredulus, erret hæreticus, latret blasphemus, clamet obsessus, terreat gladius iratus, mordeat dentibus insanus, semper tamen prævalebit contra mendaces homines veridicus Christus, & vincet cum eo fidelis Christianus, veris verbis eius confortatus: *Nolite* (inquit) *timere pusillus grex. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Nam facilius est cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Qui ergo sequitur Christum, & rectè credit, ac bene viuit, sicut Euangelia docent, & sancti doctores planè exponunt, habet quatuor parietes rectos & firmos diuina charitate connexos, qui templum animæ suæ valde muniunt, & omnes dubita-

Christus veritas vincet.
Lucæ 12.
Lucæ 21.
Lucæ 16.

tiones

tiones ex animo repellunt. Sic enim sunt in homine fideli & deuota anima, sancti Euangelij verba diuinitus inspirata: sicut aurea scuta, contra ignita diaboli tentamenta, & carnis blandimenta: sicut precioſi lapides in pectore Aaron sacerdotis, contra mundi errores: sicut candidę margaritæ in corona virginis, contra cogitationes iniquas: sicut lampades ardentes in medio Ecclesiæ, ante Dominum cœli & terræ clariſsimè lucentes; & sicut columnæ æreæ argento decoratę, totum ædificium templi sustentantes. *Exod. 28.*

4. Felix anima, cui placet & sapit omne verbum, quod de ore Dei procedit, & quicquid in Euangelio Christi audit & legit. Quanto enim sæpiùs quis euangelica verba audierit & legerit, atque attentiùs cogitauerit & ruminauerit; tanto in virtutibus plus proficiet, & domus animę eius firmiùs stabit, pulchriusque fulgebit. Multum quoque in fine gaudebit, qui Iesum intimè diligit, & specialem gratiam ab eo, ob eius memoriam, obtinebit. Ipse enim ait ad dilectos discipulos suos, in mundo exulantes; *Manete in dilectione mea. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Si vultis ferre fructum multum, & augere meritum laborum vestrorum, tunc eatis per arctam viam, relinquendo propriam voluntatem vestram propter obedientiam, quæ ducit recto itinere in vitam æternam. Si vultis etiam scire summam omnium librorum, tunc studeatis sequi Christum per crucem & contemptum omnium mundanorum, & inuenietis requiem animabus vestris, & aperietur vobis regnum cœlorum. Purgetis proinde agrum cordis vestri à tribulis & spinis vitiorum; & recipietis gratiam Christi, & amicitiam omnium sanctorum Angelorum. Orientur enim profectò vobis laborantibus in vinea Domini, multę in anima virtutum species: scilicet, pro lappa superbiæ, nardus humilitatis; pro vrtica libidinis, lilium castitatis; pro absinthio iracundiæ ficus mansuetudinis; pro spina inuidiæ, rosa charitatis; pro tribulo tristitię, botrus spiritualis lætitiæ; pro zizania discordiæ, balsamum suauis concordię; pro iunipero læsionis, oliua fraternæ compassionis; pro fabula dissolutionis, myrrha deuotæ meditationis. *Ioan. 15.*

5. Tertiò, debet domus animæ nostræ habere septem fenestras claras, ad recipiendum lumen cœli, Deo semper apertas, sed contra diaboli tonitrua & fulmina clausas. Istę fenestræ sunt septem dona Spiritus sancti, quę illuminant animam per veritatis cognitionem, & accendunt intus per amoris feruorem. His donis acceptis & accensis fugantur tenebræ peccatorum, & delectationes sensuum exteriorum; quæ excæcant oculos stultorum, respicientium vanitates mundanorum: qui negligunt (heu) gloriam beatorum

beatorum in regno cęlorum. Cauendum ergo valde, ne feneſtræ animæ noſtræ obſcurentur fumo iracundiæ, aut nebula triſtitiæ, aut puluere vanæ gloriæ, aut turpi imaginatione, aut longa confabulatione. Vitandum præcipuè, ne feneſtræ noſtræ, illuminatæ ſpiritu ſapientię & intellectus in ſcripturis, rumpãtur duris verbis: aut luto malæ ſuſpicionis inquinentur, aut temporalibus curis nimis implicentur, & ſic à ſuperni luminis claritate diſtrahantur; & cæleſti conſolatione ſæpè priuentur. Cautè igitur omnino cuſtodiendæ ſunt feneſtræ domus noſtræ, in omni loco & tempore, ob fragilitatem humanæ vitæ; quæ de facili declinat à deuotionis feruore ad terrenas occupationes, pro recreatione, aut ſub ſpecie vtilitatis alienæ. Sed fallit fæpè Deo vacantem angelus ſatanæ, ſub ſpecie recreationis externæ. Ideoque deuotis precibus ampliùs eſt inſiſtendum, & ſacris meditationibus feneſtræ domus noſtræ fortiùs ſunt muniendæ; ne diabolus locum intrandi habeat per euagationem mentis, & hoc maximè in tempore orationis & ſtudio ſacræ lectionis. Venit enim Satanas occultè per oſtium viſus vel auditus, cum phantaſiis externis, quærens rapere pſalmũ vel verbum ex ore legentis, aut ſuadens exire chorum ex tædio mentis. Quapropter magnopere ſatagendum, & ad interiora tempeſtiuè reuertendum; quatenus Chriſto veniente & oſtium pulſante, ſtatim ipſi aperiatur, & lux gratiæ eius dulciter influat, & totam domum mentis illuminet, purificet, & ſanctificet; & ab omnibus irruentibus vitiis, cautiùs cuſtodiat & defendat.

6. O benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, miſericordia mea & refugium meum in omni tribulatione & anguſtia mea. O vtinam digneris quandoque cum cæleſti numine, comitantibus Angelis, in domum animæ meæ intrare; & cum aureo thuribulo aromatibus pleno, omnia interiora mea thurificare; & cor meum in templum ſancti Spiritus conſecrare; cruce ſancta ſignare, oleo gratiæ inungere; auream vrnam cum manna ibi reponere; & librum legis tuæ, lateri meo fixè applicare, vt in eo ſtudeam ac diſcam cæleſtia ac diuina mandata tua die ac nocte, quamdiu dego exul in terra. Debet etiam domus animæ noſtræ habere quatuor fortes trabes, ne elationis vento parietes moueantur, aut maledictionis iaculo aliquis percuſſus, à veritate Euangelij, & ſanctitate humilis vitę recedat. Omnia enim ſine humilitate & firma cuſtodia, periculis patent & ruinis. Teneat ergo anima fidelis trabẽ iuſtitiæ, nulli inferendo iniuriam. Teneat trabem fortitudinis, piè ſuſtinendo aliorum malitiam, teneat trabem temperantiæ, refrenando carnis petulantiam, teneat trabem prudentię, cauendo erroris fallaciam. Fili à iuuentute accipe doctrinam, diſce à ſapiente ſapientiam, vt ſis prudens; eſt enim ignorantia mater erroris.

roris. Noli etiam esse negligens, quia negligentia est perditio multi boni operis & temporis. Quis facilè recuperabit tempus amissum? Vna hora silentij cum Deo expensa, plus lætificabit conscientiam, quàm tres horæ vanis fabulis consumptæ. Sitis ergo charissimi diligentes in opere, custoditi in ore, simplices in malo, prudentes in bono; deuoti Deo, benigni proximo; alieni mundo, propinqui cœlo.

Cõstantia & perseuerantia tectũ domus Dei.

7. Quartò, debet domus animæ nostræ habere tectum solidum & integrum, contra pluuiam & ventum; ne opus bene inceptum pereat, ante finem completum; & incurrat scandalum, qui reliquit ex incuria tegere domum bene fundatam. Dicit Sponsus in Canticis, *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Cant. 1. Ex duobus lignis fiunt tigna, quæ in vertice domus sunt iuncta, & inferiùs diuisa, sed clauis parietibus affixa. Habeat ergo anima constantiam in principio conuersionis suæ, ad proficiendum in virtutibus. Teneat etiam perseuerantiam boni operis, vsque ad exitum vitæ de ergastulo corporis; vt consequatur pro breui labore certaminis, præmium æternæ beatitudinis. Cum istis duobus lignis constantiæ & perseuerantiæ, construitur & perficitur tectum animæ fidelis, quæ facta est ad imaginem sanctæ Trinitatis. Multi feruenter incipiunt, sed paulatim tepescunt; ad exteriora se vertunt, & negligunt perficere, quod incœperunt. Horum domus, sanum tectum non habet: ideo cogitationes malæ sæpè intrant, quæ conscientiam maculant, & deuotionis gratiam perdunt. Tandem vento tentationis duriter flante, aut cadunt à bono proposito, aut cogitant recedere à loco suo instigante diabolo. Isti ergo, nisi consilio Prælatorum acquiescant, diu cum bonis perseuerare non possunt. Noli homo fragilis, à statu religionis & à sancta congregatione recedere: sed sustine per modicum tempus, propter spem æternæ retributionis in cælestibus gaudiis. Sta in bono proposito firmiter, acquiesce consilio humiliter: certa quotidie viriliter, labora diligẽter; ora frequenter, sustine patienter; indulge libẽter, expecta longanimiter, spera confidenter; perseuera constanter, & coronaberis à Deo corona gloriæ indubitanter, *Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matth. 24.

8. Vtile est etiam domum nostram tegere lapidibus petrinis, ne ventus elationis inflet, aut imber carnalis delectationis cõscientiam maculet. Tegulæ petrinæ sunt exempla & verba Christi, quæ nos docent diabolo resistere: & contra prauas suggestiones, bonas meditationes assumere; & die ac nocte, in oratione vigilare. Felix anima, quæ vitam suam, ad bonum perseuerantiæ finem perducere meretur; vt post multos labores corporis & dolores cordis, possit dicere in fine, quod Christus dixit in cruce:

Con-

Ioan. 19. *Consummatum est.* His paucis ad laudem Dei de domo & templo animæ dictis, multæ gratiarum actiones Deo referendæ sunt, etiã pro minimo verbo & cogitatu bono desuper inspirato.

Beneficia multa in domo Dei Christianis conferuntur.

9. Debet ergo omnis sacer locus, à nobis in reuerentia semper haberi, propter multa beneficia, quæ ibidem orantibus solent deuotis præstari. Ibi namque peccator pœnitens & orans, accipit veniam; iustus gratias agens, meretur gratiam. Ibi pauper gemens & orans accipit eleemosynam; diues compatiens & tribuens, meretur Dei misericordiam. Ibi sacerdos celebrans offert Deo sacrificium, omni sacrificio dignius, pro se & aliis multis orans, & genua flectens. Ibi Missam audiens sæpè compungitur, vsque ad lachrymas intimè dolens. Ibi deuotus orator, infra Missam cogitat sacrã Christi passionem. Ibi peregrinus viator, ambulaturus per terram & aquam accipit benedictionem, & boni itineris ducem Iesum Christum amicum fidelem. Ibi minister Sacerdotis supplet Angelorum locum, per obsequium maximè Deo gratum. Ibi communicans recipit sanctissimum corpus Dominicum, Angelorum cibum, prę omni dono dignissimum. Ibi iturus ad laborem per diem, accipit à Deo confortationem, tristis consolationem, timidus fiduciam, compunctus deuotionem. Ibi tentatus inuenit remedium, anxiatus consilium, defectuosus auxilium. Ibi sanus accipit lætitiam, infirmus medicinam, moriturus ab hoste in via tutelam, defunctus à pœnis liberationem per Missarum celebrationem. Bonum est ergo domum Dei intrare, ecclesiam visitare, Missam audire, cœmiterium circuire, pro mortuis orare, sacra loca & altaria adornare, reliquias conseruare, imagines sanctorum honorare, super omnes sanctos & sanctas sacramentum Christi suppliciter adorare, alta non discutere, difficilia nolle penetrare, secreta humiliter venerari, profunda Deo cõmittere. Nam veritas neminem fallit, omnipotens Deus omnia potest. Qui vult bene stare, & Deo placere, debet de omnibus malis pręteritis multum dolere, etiam de bonis neglectis, & peccatis confessis. Salus animæ sæpe gemere, sæpe orare, sæpe confiteri, sæpe communicare. Deuotionis signa sunt, sæpe bona proponere, sæpe bona cogitare, scribere, legere, hymnos & psalmos ruminare: nunquam otiari, friuola vitare, fructuosa operari, corde Deum amare, & ore deuotè laudare.

10. Fratres, modò est tempus gratiæ, modò debemus quærere, petere, & pulsare, & omni conatu ad recipiendam Dei gratiam nos aptare. Modò possumus omni die & in omni loco æternum regnum promereri, & æterna's euadere pœnas, si per Dei gratiam veram agimus pœnitentiam. Nondum clausa est porta cœli, ianua patet; qui parati sunt, intrent: qui non sunt parati adhuc,

melius

meliùs se studeant præparare, & vitam perfectiùs emendare: vt Christo veniente & vocante, digni sint cum iustis lætanter intrare. O fidelis & humilis anima, considera, quàm magna est misericordia Dei super te, in omni vita tua? quia non statim se vindicat; sed diu expectat, & ad sè piè reuocat. O felix mater ecclesia, verè apud te est Deus absconditus, thesaurus infinitus, copiosa redemptio, & salus æterna. Oculus humanus non vidit, nec videre potest: nec intellectus aliquis capit, nec ratio fragilis penetrat, qualiter Deus in sacramento verè totus sit; manducatur, & tamen integer semper manet. O quàm magna mirabilia agit Deus in Sacramento, cui nihil impossibile est facere, quodcunque voluerit in cælo & in terra, pro sancti nominis sui gloria, & æterna memoria. O salutaris hostia, quæ cæli pandis ostium! Quàm mirabilia dicuntur de te. Quàm ineffabilia sunt omnia quæ latent in te. Quàm piè & veraciter creduntur de te, & inuisibiliter operantur per te. Hæc nobis proponuntur fideliter credenda, reuerenter celebranda, desideranter sumenda, suauiter gustanda, incessanter recolenda, ardenter amplectenda, & quotidie pro omnium salute gratissimè Deo patri offerenda. Nam quoties Missa celebratur, & hostia verbo Dei consecratur: toties Deus noster ad homines venit, pro hominibus de cælo descendit, cum hominibus manere desiderat: quos creauit & redemit, ac in æternum beatificare intendit, sicut promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28. O solatiosum verbum. O pium & fidele testimonium. O magnum & indubitabile diuinumque promissum; Deum habere secum in sacramento præsentem, quem Angeli habent & adorant in cœlo regnantem.

11. Quando ergo sacra hostia in altari, sacerdotis manibus leuatur, & hominibus adoranda ostenditur; tunc Christus pro nobis passus & crucifixus, sub mystico velamine præsentatur, verè adoratur, deuotè inuocatur, dignè honoratur. Quicunque igitur voluerit templum Dei intrare & orare, aut legere, aut cantare, aut Missam audire, vel celebrare; debet priùs se præparare, & cum pia intentione ita se disponere ac cogitare, quasi ad summum Pontificem & Imperatorem esset iturus, in necessaria causa aliquid petiturus pro se & amicis. Iuuat enim orantem & psallentem, in omni loco & tempore cogitare Deum quasi præsentem, & se cum sanctis Angelis seriosè claris oculis respicientem. Qualem autem quisque ante orationem se disposuerit, talem se postmodum in oratione frequenter inueniet. Vagus vagè orat, leuis leuiter cantat. Attende homo fragilis reuerentiam Dei, & cum sancto Dauid ingredere in locum tabernaculi admirabilis, in timore sancto. Psal. 42.

Luca 18. sancto. Non præsumas de teipso, sed cum publicano pete misericordiam & veniam in præsenti exilio, vt in futuro merearis cum
Luca 16. Lazaro habere æternã requiem & gloriã in cælo. Quã nobis omnibus præstare dignetur Iesus Christus Dei filius, ex Maria Virgine natus, pro nobis crucifixus & immolatus, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per omnia secula seculorũ, Amen.

SEQVVNTVR QVÆDAM EXEMPLA, ÆDIFICATIONIS GRATIA.

1. *Exemplum.*

12. QVidam religiosus frater domus nostræ, intẽdens celebrare Missam, priùs ex charitate visitauit alium fratrẽ graviter ægrotantem. Rogauit ergo infirmus, vt pro eo Dominum in Missa fideliter oraret; vt si Domino placeret, iterum conualescceret. Tunc sacerdos misericordia motus, satis affectuosè & instanter opus charitatis implere cupiens, pium Dominum pro salute fratris orabat. Missa verò finita, statim ad infirmũ iteratò accessit; & qualiter secum esset, interrogauit. Respondit infirmus: Deo gratias, sẽtio me melius habere ex virtute Missæ, quã pro me hodie legistis ex charitate. Post paucos dies frater ille infirmus recõualuit: & in sancta religione multũ in deuotione proficiens, & deuotos libros & orationes sanctorum libenter legens, Deo disponente tandem post paucos annos ad prioratum electus est.

2. *Aliud Exemplum.*

13. FRater quidam senior in conuentu nostro, quodam tempore graui dolore viscerum torquebatur; vt nec sedere, nec quietè dormire posset præ dolore, quem intus patiebatur. Cumq; per totam noctem, & ferè vsque ad meridiem sic grauaretur, nunc iacens, nunc se erigens, leuamen quæreret, nec remedium inueniret; venit ad eum quidã laicus deuotus visitandi gratia, & compatiens ei dixit consolando: Surgatis & veniatis mecum ad ignẽ, spero quòd vobis proderit, sicut etiam expertus sum in meipso & in aliis, hac passione grauatis. Acquieuit ilico frater monitis, & descendit de dormitorio doloribus nondum mitigatis. Venient ergo ad ianuam chori, aperuit ianuam, cupiens inuocare auxiliũ Domini. Intrauit itaque chorum, & prostrauit se flexis genibus ante summum altare super scabellum, in præsentia Sacramenti. Cumque cœpisset orare in conspectu Domini, & ante sacras reliquias in altari conclusas; paulatim dolor quieuit, & accepta fiducia, prolixiùs orabat, donec omnis dolor cessaret. Tunc surgens, gratias egit Deo, & Sanctis eius, & S. Pantaleoni martyri Christi, cuius tunc festum erat, & quem sincero corde diligebat. Postea cum lætitia mentis altare circuiens, & ostium Sacramenti deuotè osculans, descendit ad reliqua altaria in Ecclesia posita,

posita, orans, & gratias agens : in tantumque conualuit, vt cum fratribus ad laborem & ad chorum eodem die transire posset.

3. *Aliud Exemplum.*

14. LAicus quidam familiaris in quadam domo ordinis nostri, venit ad Ecclesiam causa deuotionis, vt oraret : sed diabolo tentante & pigritia prævalente, cœpit ibidē dormitare. Cumque ad quiescendum deorsum se collocasset, vidit in somno reuerendam Dominam sibi assistentem, & hæc verba dicentem : Si vis dormire, surge hinc, & vade ad lectum tuum. Non enim locus iste factus est ad dormiendum, sed ad vigilandum & orandum in eo. Qui ex visione pauefactus, statim surrexit ; & culpabilem se cognoscens, aliis ad cautelam emendationis, ne in domo orationis dormitarent, ista narrauit.

4. *Aliud Exemplum.*

15. PAuper quædam muliercula, diligens quæ Dei sunt, frequenter Ecclesiam visitabat, & verbum Dei libenter prædicare audiebat. Quadam ergo vice de Ecclesia veniens, interrogata est, quid boni de sermone retinuisset ? Quæ breuiter respondens ait : Nescio vobis multa dicere, sed hoc bene audiui & retinui, quòd de cætero nolo peccare. Bene & prudenter respondit, quæ fructum boni sermonis secum portauit, ne amplius peccaret. Vnde Saluator noster in Euangelio deuotæ mulieri ait: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luca 11.

SERMONES IX. AD FRATRES.

Sermonum ad Fratres argumenta.

De *abnegatione suiipsius, & contemptu consolationum terrenarum.* Serme 1.

De mœrore & consolatione animæ in Deo. 2

De duplici compunctione animæ, pro cœlesti patria. 3

De laudibus preciosæ margaritæ castitatis. 4

De custodia castitatis. 5

Contra carnalia tentamenta. 6

De bono solitudinis, exemplo Christi & Sanctorum Patrum. 7

De bono silentij, & fructu eius. 8

De solitudine cordis, in qua supra se leuatur anima. 9

SERMO I.

De abnegatione sui ipsius, & contemptu consolationum terrenarum.

Luc. 14. 1. *QVI non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Istis verbis Dominus Iesus videtur illos arguere, qui perfectionem quam inchoant, vsque ad consummationem non sequuntur. Initium enim dum quidam arripiunt, relinquendo exteriora quæ possident, ad hoc quod perfectius est, (scilicet seipsos relinquendo, voluntates proprias frangendo) non assurgunt. Et ideo multoties ad priorem statum reuertuntur. Quia ex quo partim aliquibus renuntiant, neque iuxta sententiam Domini cuncta terrena perfectè deserunt; adhuc laqueos, quibus capiantur & relabantur, in se retinent. Sed omnis verus Christi discipulus, tã se quàm sua, propter eius amorem contemnat, nihil de terrenis tenere velit; ne impediatur in itinere, quò tendit. Discat seipsum, per ardorem virtutum & gratiam S. Spiritus vincere; qui antea potuit eius inspiratione mundana contemnere. Beata mens, quæ omnibus renuntiare nititur, quæ in vmbra huius vitæ florere videntur.

2. Hæc perfecta est renuntiatio, seipsum ex corde relinquere, nulliusque creaturæ solatium quærere: quia dum temporale aliquid inordinatè appetitur, vera abdicatio non habetur. Et quando ad contemptum præsentium Christi seruus non nititur, parum de diuina consolatione percipere meretur. Qui enim foris sequitur, quod appetit; in Dei amore & in sancto proposito refrigescit. Sed pensare sæpius & meditari talis debet, quàm citò perit, quicquid charum & magnum æstimatur, tam de hominibus quàm etiam de vniuersis mundi creaturis. Hoc corde pertractet, quia in vno statu non manent; sed mutantur omnia & deficiunt. Ergo ibi solatium quærat, vbi solius veritatis & æternitatis plenitudo est. Et ex indeficiente fonte, ad refrigerandum seu consolandũ animam suæ, haustum aquæ viuæ petat: quia nobilior est guttula vna diuinæ dulcedinis, quàm puteus plenus voluptatibus terrenis. Fallitur omnino, quicumque in hoc tempore solatiari amat. Perit ab eo veri gaudij solamen, quisquis mundi huius sequitur fallacem amorem.

3. Quàm felix & sancta anima, quæ solius Dei pascitur amore, & sanctarum virtutum trahitur odore; cuius tantùm propositum est, vt visibilia contemnendo, inuisibilibus & diuinis saginetur. Talis multũ sapiens esse liquidò demonstratur, quia pro modicis immensa, pro transitorijs perpetua, pro vilibus preciosa, pro deformibus

formibus pulchra, pro miseris iucunda, pro amaris suauia, & (quod sublimius est & verius) pro nihilo vniuersa mercatur. Ista enim iam in terris cælestem Sponsum quærit, cuius amore præsentia fastidit, futura diligit, & aduentum eius prestolatur, vt audire ab eo mortis tempore possit: *Ecce Sponsus venit, exite obuiam ei.* Hæc cælibem agit vitam, & angelorũ sequitur formam, atque Christo soli exhibere se curat illibatã. Vult ergo interim cunctis carere solatijs, vt ab eo mereatur cõsolari plenius. Et deflet omne quod mentem de terrenis afficit desiderijs, alioquin illius non posset munda præsentari aspectibus. Vnde etiam tanto rigore se constringit intus, vt quicquid de cætero extrinsecus se applicauerit, indignando potius quàm probando expellat. Nec mirum. Timet enim, ne angustia illi fieret vnius amor, quem diligit. Optat soli adhærere, quem cum multis perfectè casteq; nequit diligere. Hinc est, quòd vna ex his loquitur: Illi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo. *Matth. 25.* *D. Agnes.*

4. Habet tamen in exilio prẽsentis vitæ solatium, sed nõ gaudium plenũ. Suscepit Sponsi arrham, sed nõ ipsum. Legit epistolam de nuptijs scriptã, sed nondũ venit hora eius. Et cùm venerit, tunc introducetur, nec mora erit. Vestes & ornamẽta per legatos accepit, sed tunc duplicibus vestietur. Solatium namque eius, memoria Christi est; & amplius illi solatiũ fit, quia diu hic non erit; quia statim ipse veniet, ostiumq; pulsabit, & dicet: Surge, & veni. Sed quid ipsa? Nónne ad hanc vocem euigilabit? Surgat itaque, prospiciat per fenestram, si ipse est, quem diligit: & cùm iterum atq; iterũ pulsauerit, sine mora arripiat, & illi dicat: *Ecce ego, quia vocasti me.* Si me quæris, præsto sum Domine. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Non me permittas Domine diutius separari à te, sed in bonitate tua suscipe me. Et quantũ lætabitur, si tale aliquid à Domino audire mereatur: Sequere me, tempus est, vt pariter epulemur? Eamus iam, non ad vineam excolendam, sed ad vinũ optimum bibendũ. Eamus, non iterum in Iudæam, sed in patriam meam. Ascendamus ad diem festũ hunc, quia magnus iste dies festus angelorum & hominum. *1. Reg. 3.* *Psal. 141.*

5. Sed quid de te, ô anima mea in corpore peregrinante, & iam diu expectante, & quotidie in oratione tua dicente. Adueniat regnum tuum? Quando videbo? Putas, de me recogitet? Putas, obliuiscetur misereri Deus? Quando apparebit, & quando veniet? Sed fortè in cubiculo est, & dormit. Nunquid tu dormies, & cor tuum non euigilabit? Clamabis igitur, si dignetur audire, & pulsabis cordis voce, dicens: *Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.* *Psal. 70.* *Psal. 43.*

6. Sed fortassis secretiori adhuc consilio & saniori iudicio

Dominus differt, quòd tu (ô anima) magis impetu quàm discretione facis. Pausabis igitur parum, sed sub vmbra eius, nec in æstibus mundi quiesces. Melius tibi mori est, quàm mundo viuere. Felicius tibi lugere, quàm de iis, quæ non sunt & videntur, gaudere. *In Domino consolabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.* Quamdiu enim sancta anima viuit in corpore, peregrinari se à Domino dolet: sed quia voluntas eius est, peregrinationem patienter sustinet. Vt interim tamen alium dilectum non quærat vel eligat, illius amore certare fortiter necesse habet: quia multi aduersarij, multi ad decipiendum parati. Et ideo districtè castigare debet, quicquid foris se finxerit amabile. Nec alicui quantumlibet blandienti credat, ne delicti amicitiam fraude capta perdat: Qui dum Sponsus abest, lugere magis eius absentiam debet, & viduitatis tempus cognoscere: donec veniat, & eam ad se in æterna tabernacula perducat. Ibi enim requiescunt sanctorum animæ, non in vmbra, sed in præsentia; & serenissimam iugiter speculantur faciem Dei Patris, quem cum filio eius vnigenito dilexerunt in terris, & secuti sunt relictis omnibus.

Psal. 33. 2. *Cor.* 5.

SERMO II.

De mœrore & consolatione animæ in Deo.

1. SOlet anima deuota, quæ Christum diligit, de eius absentia dolere, & de ipsius spirituali visitatione plurimum consolari. Hoc tamen magnæ dilectionis Christi signum est, non ipsius meritum, quotiescunque ab illo consolatur. Bonum ergo ei est, si se dignam non putet; sed exiguam & insufficientem, ad donum gratiæ eius percipiendum. Quæ est enim anima, quæ tantis beneficiis respondere valeat, etiam si iugiter gratias rependat? Certum est, quòd nulla inuenietur, dato quòd omnium esset repleta Sanctorum meritis. Soli namque Deo conuenit præ omnibus sanctis, honor, virtus, & gloria. Animæ autem diligenti Deum magnum est, si pro suo modulo laudare vel exiguum possit, & in sanctis eius mirabilem eum prædicare: Aut si id agere non sufficit, satis imparem laudibus Dei se sentiens, saltem non omittat propriam deflere miseriam. Et istud fortasis multo vtilius proderit, quòd non tam altiora sapere, quàm minora quæque beneficia amare videatur.

2. Congruus ordo ascendendi ad Deum est, ab inferioribus studiis, ad potiora tendere; & rursus ad pristinam infirmitatem, humiliter se reflectere. Ibi igitur maneat diutius, vbi tutior probatur esse locus. Quòd si ascendere ipsam delectat, cum omni humilitate & timore perficiat. In descensu tamen suo, non penitus deiicia-

deijciatur : quoniam humilibus ſedes regni cæleſtis promittitur, ſed libentiſsimè ibidem commoretur. Et ſi natura horret,& inferior videri non vult carnalis homo, pondere futuri iudicij terreatur, vbi omnes elati confundentur. Beata nimium anima, quæ locum in hoc tempore eligit nouiſsimum;& ſeſe deflet per momenta ſingula, quoniam magna eius miſeria exiſtit.

3. Multam dolendi materiam habet, quam nec perfectè valet cognoſcere, niſi ſe à terrenis conſolationibus exuat,& ad externa bona, fide non ficta transferat. Etenim ex propria fragilitate, qua tantum ad hæc ima premitur, fidelis anima deprehendit; quòd ſine Chriſti gratia, nequaquam ſtare, ſed neque ſe eleuare ad cæleſtia poteſt. Ideoque indiget, vt à Chriſto Ieſu, per viſitationem ſpiritualem & conſolationem internam, ſuſtentetur frequentiùs; ne abſorbeatur aliqua delectatione temporalium, aut fallaci ſuggeſtione diaboli auertatur à ſancto propoſito. Multiplices ſunt enim inſidiæ & immiſsiones diabolicæ, quę caueri abſque ſpeciali etiam gratiæ luce non poſſunt. Diuerſæ tentationes, & inopinabiles tribulationes occurrunt plerumque hominibus ſanctis, ſed benignus Dominus cuncta facit prodeſſe bonis, ſuper quo benedictum ſit nomen ſanctum eius. Debet autem Deo deuota anima inter labores, quibus in hoc peregrinationis loco affligitur, de futura ſanctorum meditari requie, ne ſub onere deficiat: quamuis ſæpe triſtanti, luctus ſolet eſſe ſolamen. Videns namque ineuitabilem miſeriam, quid mirum, ſi doleat? Conſiderans quoque grande exilium, quomodo læta erit? Sentiens abeſſe ſępius, quem intimè diligit, notum eſt amantibus, quale incommodum patiatur. Verùm, qui non amant, iſta neſciunt, nec quo dolore anima ſancta concutitur: quæ venditis omnibus terrenis, ad quę rendum inuiſibilem Sponſum ſe contulit. Talis enim Chriſtum præ omnibus conſolationibus, qui Sponſus eſt & amicus dulciſsimus, ſui pectoris deſiderat habere ſolatium.

4. Complures terrenam & vanam dilectionem habentes, grauiter ferunt dilationem aut ablationem alicuius rei corruptibilis, quam ſibi vtilem exiſtimant; gaudentque de prouentu illius, & quotidiano aſpectu conſolantur. Si ſic agitur in inſipientium cordibus, fortiùs flagrare debet anima deuota in amore ſummi conditoris. Cum ergo per gratiam Chriſti viſitatur, mox noua lętitia in ea naſcitur, ac æternorum ſpe erigitur; exultat quoque in deſiderio cordis ſui, omnique affectu virium internarum, ad hanc guſtandam vertitur dulcedinem. Et vt craſsiùs per verbum internum reficiatur, in quo tanta dulcedo exuberat, aperit os ſuum,& attrahit ſpiritum, dicens: *Quàm bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde.* Deus meus, Deus meus, dulcedo non fallax, dul- *Pſal. 72.*

cedo sola reficiens, virtus & decor animæ meæ, quàm bene mihi in hoc visitationis tempore. Non meis meritis, non meis votis, sed tuæ bonitati asscribo hanc horam, Domine, qui es verus & vnicus omnium mœrentium & te diligentium consolator animarum. Amen.

SERMO III.

De duplici compunctione animæ, pro cælesti patria.

Iob 6. 1. *QVis det, vt veniat petitio mea; & quod expecto, tribuat mihi Deus?* Magnum desiderium fidelis animæ, præsenti versiculo innuitur; quæ non terrenas res, sed contemptis illis cum concupiscentijs suis, æterna bona sibi largiri deposcit. Illa enim sunt, quæ fidelis anima expectat, pro quibus laborat quotidie tolerando certamina. Verumtamen finiri laboriosam vitam citiùs optat, & venire beatam requiem, quam expectat, cordialissimo affectu comprecatur. Antequam ad Deum conuersa esset, & cùm huius mundi delectationes eam adhuc tenerent, non illa quæ in cælis promittebantur, quærere curabat; sed aut ignorans, aut parui pendens inuisibilia bona, satiari visibilibus, & diu illis frui summopere intendebat. Nunc verò ad Christum conuersa, & præsentia nihili pendit, & futura ardentiùs concupiscit. Simili quoque desiderio ardebat illa prophetalis anima, quæ dicebat:

Psal. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.*

2. Duplici autem stimulo compungitur anima, vt tam instanter & ardenter quærat transire ad patriam. Interdum quippe præsentium malorum vrgetur incommodis. Videns namque tam in se quàm in alijs, multiplices tentationes, graues labores, diuersasque occupationes, in quibus multi periclitantur; & pauci illæsi euadunt, prudenter sibi consulens, & alijs compatiens, quamdiu proposito sancto feruet, à miseriis istis liberari suppliciter desiderat. Timet enim, ne fortè iterum ad secularia aut carnalia trahatur, aut in alios errores morum, vel leuitates animi iuducatur; quia etsi modò plenam voluntatem Deo placendi habet, non tamen securitatem sic perseuerandi accepit. Vnde non immeritò timida, & infirmitatis suæ conscia, patriam supernam petit; & omnibus votis tolli ex hac miserabili vita saniùs sibi fore sentit, priusquam (quod absit) nouissima sua, peiora prioribus fierent. Ibi enim omni timore sublato, cum voluntate perfecta, securitas etiam perfectè stabit. Ex hoc ergo stimulo quasi sinistro calcari, equus sancti desiderij valenter instigatur, quo anima cursu incepto, ad patriam pergit cælestem, quia in præsenti non habet manentem ciuitatem, sed nec requiem quidem.

3. Quan-

3. Quandoque verò Deo deuota anima, non tribulatione malorum & dolore afficitur, ad exeundum de carcere suo, sed nobiliori modo, videlicet desiderio visionis diuinæ accensa, trahitur vehementer ad superna. Fitq; ei nimis angusta præsens vita: quia adhuc copia sibi plenitudinis negatur, quę de fonte magis satiari appetit, quàm sobrijs haustibus refocillari. Valdè autē distat iste stimulus à priore. Nam dextro iam calcari impulsus equus desiderij, tantò expeditiùs fertur ad anteriora, quanto amor plus valet quàm dolor efficere. Huic animæ pulchrè & digniùs aptatur, quod de patriarcha Iacob Scriptura commemorat: *Quia* (inquit) *seruiebat Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Sic etiam omnis labor paruus videtur amanti Deum, & desideranti claritatem vultus eius inspicere, nec ieiunia horret, nec labores diurnos ponderat, neque elongari ab amicis & proximis triste ducit: sed neque aliquid ęstimari aut promoueri in hoc mundo, huiusmodi anima curat. Ideo omnia paruipendens præsentia, & vnum super omnia desiderans, eius amore frequentissimè vulneratur, quia quod summè desiderat, adhuc in dies & dies differtur. Quocumque tamen istorum modorum, anima compungitur, tamen in excessu mentis posita, prędenti versiculo desiderium cælestis beatitudinis complectitur, ac sæpiùs eundem reuoluendo enutrit deuotionem, quam de supernis cōcepit, dicens: *Qui det, vt veniat petitio mea; & quod expecto, tribuat mihi Deus?* Væ ergo omnibus ambulantibus in desiderijs carnis, qui nec consideratione miseriæ temporalis oculos ad cælestia leuant: nec magnitudine æternæ felicitatis, ad ea percipienda vitam suam disponunt. *Gen. 29.* *Iob 6.*

4. Sed nihil tibi & illis, anima fidelis; sine eis agere quod volunt, & implere omne quod delectat; absque dubio constat, quia non diu, neque in perpetuum durabit. Tu verò, sicut nunc audisti, & gauisa es in pollicitatione patriæ cælestis; ita in eius quęso amore, spes tua magis ac magis roboretur, donec brauium laboris tui merearis accipere. Insta diligenter pro virtutibus, passiones fortiter vince; charitatis & castitatis dona, in custodia humilitatis, sub clausura diuini timoris collige & reconde; ac contra spiritales nequitias arma orationis indue, & semper diuinæ bonitati plusquam propriæ industriæ, in cunctis confide.

SERMO IV.

De laudibus pretiosæ margaritæ castitatis.

1. LOquamur aliquid de laudibus castitatis, & ad decorem eius primò habitatorem illius consideremus. Spiritus namque sanctus auctor est principalis innocentis vitæ, & consecrator

Sap. 1. totius castimoniæ. Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, & in corpore subdito peccatis Spiritus sancti non permanebit gratia. Absque eius speciali munere, castus nullus fuit: & nisi illo misericorditer protegente in hac gloria, virgo nemo permansit. Glorioſa siquidem continentiæ virtus, victorioſa castitatis palma, insignis & laudabilis flos virginum inuiolabilis. Quanta sit virginum continentiumque gloria, indicant ipsorum magna certamina; & vincentium perseuerantiumque paucitas, facit eminentiam huius virtutis lucere magis. Depoſita omni spe propria, nihil de noſtra induſtria, sed totum de immensa Dei confidamus misericordia, quæ numquam aberit dilectis suis in hac mortali vita. Nam supra nos est hæc virtus, & confertur tantùm diuinitus, neque tamen ingratis aut elatis, sed humilibus & contritis corde, clamantibus quotidie in oratione, & dicentibus: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Speremus igitur eius pietate hanc nobis virtutem ab ipso tribui, quem constat sanctorum lachrymis posse placari; cuius etiam inspiratione cupimus de tam admirabili margarita pauxillum loqui.

Castitas peculiare donum Dei.

Psal. 50.

Matth. 13. 2. *Simile est* enim *regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem una pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam.* His verbis Christus Iesus Ecclesiæ Sponsus, præmonet & hortatur nos ad amorem castitatis, adæquans illam rebus optimis per figuram precioſi lapidis. Quia ergo nemo nobilium inuenitur, qui non velit precioſorum lapidum gloria fulciri, dummodo illi facultas asit, ac vestibus valde bonis non affectet indui, ne vileſcat hominibus: multo magis nos versa vice, Deo placere studeamus. Sed quę est ista temporalis gloria, & qualis vestium corruptibilium decor esse poterit; cùm homo exigui temporis sit, tanquam fumus & vapor pertransiens? Proinde sit nobis indignum & confusum valdè, quòd nobis Deo consecratis, non est solicitudo tanta pro immortali ornatu animæ, sicut ineſſe plerumque cernitur stultis mundi amatoribus, pro vili corporis indumento. Nunc ergo, hortatu Saluatoris noſtri, demus omnem curam ad comparationem huius nobiliſsimæ margaritæ, si volumus in sanctorum forte splendidi apparere. Minus enim in conspectu summi regis glorioſi erunt, qui cæteris licet honestantur virtutibus, hanc in se gemmam non habuerint.

3. Antequam Saluator de cælestibus descenderet, latebat hæc virtus; & quantæ esset dignitatis & gloriæ, perpaucis innotuit. Sed nouus Rex, nouam produxit de cæleſti thesauro gemmam, & quoniam Sponsus hic erat; contulit hanc ecclesiæ, & accepit eam

eam in suam. Et sic affinitate coniunctus est ei, & ipsa eius sponsa dicitur, propter castitatis fidem & charitatis indissolutionem. Erat satis inaudita prioribus seculis, vox turturis in terra nostra; quando non benedicebantur beatæ steriles, sed recensebantur per Moysem filiorum generationes. Nec tamen omnino videbatur abscondita Prophetis, quamuis non prædicabatur populariibus. Quod satis liquet in hoc, cùm quidam ex Prophetis more castissimæ turturris, ita insonuit: *Lætare sterilis, quæ non paris; decanta laudem, quæ non pariebas; quoniam multi filij desertæ magis quàm eius, quæ habet virum.* Et in altero quodam loco contemplatus vitam continentium beatissimam, & eam seruantibus à Domino donari specialem gloriam, prophetauit dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Eunuchis; Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis, locum & nomen melius, à filijs & filiabus.* Ecce non tantùm Domini voce commendatur castitas, sed etiam præcedentium patrum oraculis est magnificè declarata. Quàm bene decuit, vt vtriusque Testamenti auctoritas, hanc nostris commendaret pectoribus; qua possumus Deo fieri viciniores, & supernis spiritibus semper chariores. *Incorruptio* enim, vt scribitur in libro Sapientiæ, *proximum facit esse Deo.*

Virginitas & castitas neque olim sub lege ignotæ. *Exod.* 3. *Num.* 1. *Esaiæ* 54. *Esaiæ* 56. *Sap.* 6.

4. Quàm splendida & speciosa facta es, ô beata castitas, vt digna videaris ad Agni intromitti nuptias. Hæc est formosa columba, ac singularis amica Creatoris omnium; quæ contemnit consortia mortalium, detestatur omnem carnis saniem, & ad cælestem properat amatorẽ. Ipsa lilio assimilatur cãdidissimo, byssino figuratur mundo, & species eius semper placuit Altissimo. Huius candore reficiuntur sanctorum oculi, & odore famæ eius, trahuntur ad Christum innumerabiles virginum chori. Odor enim nimius est in vestimentis eius, quia castitas spargit vbique fragrantiam sui intacti corporis. Cuncti namq; reuerentiam castis deferunt; & inuenitur etiam inter eos laudabilis, qui nunc munditiam seruant incorruptionis. Contulit hanc gratiam castitati Christus, per inhabitationem sui spiritus; vt sit benedicta ab omnibus, quæ transcendit limites humanæ fragilitatis. Nil sic hominem super propriam fragilitatem eleuat, sicut virtus castitatis, quæ cælis etiam vim infert. Dum enim quis seruat per gratiam in terris, quod per naturam Angelici spiritus in cęlis, nonne vim infert cæleſtibus? Talis enim in Domino gloriatur, & dicit: *Domine, exaltasti super terrã habitationẽ meam; & pro morte defluenti deprecatus sum, & liberasti corpus meum à perditione.* Cui meritò debetur diuina responsio; *Hæc est, quæ nesciuit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Et rursus in generali,

Castitas cunctis amabilis. *Eccli.* 51. *Sap.* 31.

Matth. 22. nerali, Sponsus congratulatur cæleſtis: *Hæ ſunt, quæ non nubent, neque nubentur; ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cælis.* Iam patet clariùs, quia caſtitas de cælis ſumpſit originem, & à conſortibus nobiliſſimis traxit progeniem, cùm ſit filia cæleſtis Hieruſalem, & cognata ſupernorum ciuium.

5. In germine & fœcunditate eius exultat Spiritus ſanctus; nam non præterit tempus, quo deficiat fructificare caſtas generationes Deo multum acceptabiles; quæ ſunt deuotæ orationes, ſanctæ meditationes, & mundi cordis affectiones. O quàm pulchra eſt ergo caſta generatio cum charitate, quæ cælum replet incorruptionis ſuauitate, & fœcundat terram conuerſationis ſanctitate. Tam ſuauis denique odor inerat caſtitati, vt æterni regis filius de ſola naſci dignatus ſit Virgine; conſecrans hanc in matre, quam detulit poſtmodum in dotem ſanctæ eccleſiæ.

Virtutum plenitudo in Maria ex gratia proceſſit.

6. Non tamen propter ſolam fatemur virginitatem, quoniam virginitas ſola non eſt, nec ſola placuit Chriſto. Nec angelus inquit, Aue caſtitate plena, ſed aue gratia plena: vt virtutum plenitudo potiùs referatur gratiæ, quam caſtitati vel innocentiæ. Per ſolam quippe gratiam poſsidentur, caſtitatis, humilitatis, charitatis, cęterarumque virtutum chariſmata. Refulſit namque in Maria præ cunctis excellentiùs decus virginitatis, cùm eius vita (vt ita dicamus) ſola caſtitas & immaculata virginitas extiterit. Sed habuit etiam gratiam perfectiſsimæ humilitatis, per quã de ſummo cælo filium Dei ad ſe traxit. Vnde & de ea ſcribitur in

Cant. 1. Canticis: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.* Eſt itaque Deo munus valdè gratiſsimum, habere perpetuæ incorruptionis gaudium, & acceptabile ſacrificium cunctis temporibus vitæ ſuæ, ſeruare continentiæ propoſitum. Stupet natura, mirantur Angeli, lętantur Archangeli, exultat quoque omnis Sanctorum cuneus, in obtutu & pulchritudine huius virtutis. Occurrit etiam Ieſus Chriſtus, amator caſtitatis, conſeruator pudicitiæ, ſalutans animam quam ſibi adoptauit in ſponſam, iubilans & modulans in ipſius aduentu carmina quædam ex Cantico-

Ibidem. rum Canticis: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.*

7. Quid ad hæc dicetis homines corpore & mente corrupti? An non demulcent aures veſtras hę voces gratulabundæ, hæ deliciæ mundis & caſtis reſeruatæ? Et ſi vultis recipere & verè intelligere, ſeruite munditiæ, ſtudete ſobrietati, & mundas manus veſtras conſeruate. Et veniet à Deo vobis lætitia, & inenarrabilis exultatio; quam ſoli percipiunt, qui mundi luxus deſpiciunt, & mentem ab omnibus delicijs eius ſuſpendunt. Eia chariſsimi, nunc omnes erigamus aures noſtras intentiùs, quoniam venit

nobis

nobis Sponſus de cæleſtibus. Et vos Chriſti Virgines, ferte lampades iam ardentes, oleum ſimul deferentes. Ecce ianua patet, quæ paratæ ſunt, intrent. Intremus, intremus per portas, quas aperuit Dominus, vt cum omnibus Sanctis mereamur illum benedicere & laudare in ſecula ſeculorum. Amen. Matth. 25.

SERMO V.

De cuſtodia caſtitatis.

1. SErmone præcedenti, in laudem caſtitatis quædam diximus, ſperantes quòd hæc virtus multorum erit grata cordibus, quæ iure nil in ſe habet offenſionis. Et ſi ſunt, qui offenduntur: ſuæ potiùs hoc obſcœnitati, non eius ſanctitati imputent: nam caſtitas velut quidam carbunculus, in ſanctorum vita ſemper emicuit. Confidimus igitur, quòd tanto chariùs amplexabitur ab omnibus, quanto ſplendidior effecta videtur ſacrarum laudum præconijs. Alta profectò laus eius, quæ non ex hominibus ſed à Deo procedit, & Sanctorum abundantiùs declaratur exemplis. Præceſſerunt nos multi continentiæ armis amicti, & fuſo ſanguine proprio reliquerunt, quid ſit agendum nobis de corpore noſtro; quia ſanctitati, non corruptioni nos optant famulari. Concurrit etiam hodie ſacratiſsima vtriuſque ſexus multitudo, ad regales nuptias filij Dei, optans pro illecebris carnis adimpleri Spiritus ſancti fructibus; qui ſunt, pax, patientia, modeſtia, continentia, caſtitas. Et quia tàm excellentis eſt dignitatis, non eſt mirũ, ſi tepidi in eius deprehendamur laudibus; cum ipſa locum habeat celſiorem, & materiam loquendi miniſtret copioſam magis peritis. Silere tamen de illa non oportet omni modo, quam tam neceſſariam nobis agnoſcimus: ſine qua, nec ſanctitatis perfectionem valemus aſſequi; pro qua in Sanctorum omnium remuneratione, tranſlato laboris onere, in perpetuum beari non dubitamus. Perſcrutemur ergo diligentiſsimè qualiter ſeruari poſsit caſtitas, quibus etiam iuuari remedijs debeat incontinens animus. Ad virtutem quippe caſtitatis abſque labore & certamine non peruenitur; ſine timore Dei & ſui cuſtodia, nulli in ea perſeuerare donatur.

2. Grandis quædam cuſtodia, ad conſeruationem perſeuerantiamque caſtitatis, eſt vtique inſtituenda deuotis; ne videlicet loqui, audire, legere, aut talia intueri velit affectio carnis, vnde poſtea generari queat aliqua occaſio tentationis. Verùm hi, qui Spiritu ſancto irrorante, ab æſtibus carnis aliquantulum temperati ſunt, & magno iam caſtitatis munere præcincti videntur, ſi foris adhuc per ſenſuum cuſtodiam ſe non muniunt, periculo rurſus & caſui appropinquant. Foris enim per ſenſus

sensus hauritur, vnde mens casta deturpari, & delectationum foedidarum veneno, ad mortem nonnumquam solet infici.

3. Dehinc valdè est necessarium, cordis cubile solicitiùs obstrui; ne visa aut audita prius phantasmata irruant; ne illa, quæ videbantur obliuioni tradita, propter hominis incuriam reuertantur, & pacem cum tranquillitate conscientiæ de corde tollant, sicque de castitatis beatitudine cogitare prohibeant. Cæcatur protinus mens pura, si solicitudinẽ intimam cum disciplina corporalium sensuum amiserit, & quę gaudio perfundi poterat, indubitanter amaritudini & dolori admiscetur. Quid mirandum, si tradatur ludibrio diaboli, quæ prætermisit fidelissimum pactum immortalis Sponsi? Auertat benignissimus Saluator Christus, talem iudicij sententiam à cordibus nostris: sed dignetur potiùs conferre vberiorem spiritus sui gratiam, qua intus sanctificari & confirmari, aduersus carnis bella mereamur. Flagitemus ab ipso remedia salutaria, quibus concupiscentiæ fomes sopiatur, & castitatis augeatur refrigerium, vt simus sanctificationis templum; & sicut decet Sanctos, immaculati perseueremus cum Christo, quemadmodum Propheta in Psalmo loquitur: *Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum.* *Psal. 92.*

4. Valet maximè ad castimoniæ decus promerendum sobrietatis virtus, quæ delicatiores respuit cibos, & potum effluentem resecat: vigilijs sacris atque ieiunijs cõprimere carnis lasciuiam suadet, laborare prædicat, occupari semper in Dei opere adhortatur, quia otium & deliciæ, prędones sunt castitatis. Beatissima verò castitas, totius gratiæ & sanctitatis amatrix, sapienter quidem admonet renuntiare terrenis affectibus: ne cælestibus fraudemur muneribus, & ne sanctorum consortijs simus indigni, ita inquiens: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sancta spei. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Qualis ipsa est, tales fieri & alios desiderat. Nam ipsa liberrima existit, & nulla peccatorum contagione violata, manet in innocentia vitæ. Nullis carnalibus resoluitur æstibus, refugit brutorum subdi actibus, & sulphureis consumi flammis contremiscit, propter creatoris sui reuerentiam. Ingenua (inquit) sum, & speciosissima in genere meo, vt omnis actio, vox, & sermo, index pudicitiæ protestatur. Ideo obscœnis nimiùm dedignor circumueniri negocijs, solis delector sinceris & probis sodalibus interesse. Vox etenim mea in Canticis est: *Fulcite me floribus, stipate me malis; quia* solius conditoris *amore langueo.* Talibus incitamentis, ex Spiritus sancti vnctione fluentibus, confortatur castitatis amator, ac contra immissionem satanæ & concupiscentiæ motum fit constans bellator.

Otium & deliciæ prędones castitatis.

Eccli. 24.

Cant. 2.

5. Hic

5. Hic non pugnatur armis aut ferro, sed patientia, oratione, & humilitate: nam ita subiugatur facilius omnis motus libidinis. Donum enim Dei est, & misericordia in electis illius, posse corruptibilis carnis concupiscentiam compescere; ignem quoq; in sinu proprio ferre, nec tamen prævalere aduersus mentem. Verissimæ gratiæ Dei est hoc priuilegium, & nullius hominis meritum. Meritò ergo Moyses famulus Domini miratus est, quare rubus ardebat, & non comburebatur, atque ait: *Vadam, & videbo visionem hanc grandem.* Quis ex nobis est, quem stupor non apprehendat, quomodo in carne fragili, in vase fictili fieri possit, vt homo carnali grauatus pruritu, frequenti vexatus tentationum impulsu, nunquam præstet voluptuosę cogitationi consensum? O quàm mirabilis Deus in Sanctis suis, qui talem virtutem & fortitudinem contulit seruis suis, benedictus in æternum Deus. Opus namque magnæ fortitudinis est, talem in seipso experiri rebellionem, & continuò per gratiam Dei de se conari habere victoriam. *Exod. 3.*

6. Vt verò certior sit hæc victoria, fuga est assumẽda; his tanto magis, qui infirmiores se cognoscunt. Nec imputandum inertiæ hominis & pusillanimitati talis occultatio, cùm vtique magnanimus dicendus sit, qui festinus effugerit, & cautius ignes lubricos declinando deuicerit. Hoc in Ioseph patriarcha castissimo adolescente factum legimus, cùm impudens femina oculos in lucidissimum pudicitiæ speculum iniecisset: quia fugit Ioseph, & exiit foras. Multum itaque circumspectus, & pauidus esse debet, qui in carne fragili beatius castiusque viuere disposuit. Paueat, & se custodiat omnis iuuenilis animus; quoniam magnæ insidiæ & multa pericula consurgere aduersus eum consueuerunt. Incerta victoria, & molestiora probantur certamina. Fuga conducit ad custodiam castitatis. *Gen. 39.*

7. Nulla ætas, nullus quoque sexus libertatem sibi castitatis audeat polliceri. Cogitandus est frequenter Sansonis sanctificati hominis lamentabilis laqueus; qui cùm funibus & catenis vinciri non posset, vnius mulieris blandimento superatus est, & hostibus traditus. Qui statim eruerunt oculos eius, & vinctum perduxerunt in ciuitatem suam; quia mens carnis dissoluta blanditiis, potestati traditur diabolicæ ad illudendum; ac illi per suggestionem cupiditatum & voluptatum sæcularium, eius spiritualem euertunt intentionem; cordis scilicet oculum, & vinctum ad sæculum pertrahunt, aut (quod desperatius est) Tartari tandem claustris mancipant. Doleamus, & timore soliciti de nostra infirmitate nunquam erigamur; quando sanctus Dauid rex & propheta Dei dejectus est voluptate carnis: & qui terrena mente pura sæpissimè calcabat, flebiliter (vt dicimus) ad illicita opera quando- *Iudic. 16.* Samson captiuus, vinctus & excęcatus quid significet. *2. Reg. 11.*

2. Reg. 12. quandoque cecidit. Pro qua enormitate criminis, aduersa illi multiplicia suscitauit omnipotens Deus, iustè puniens hoc grande facinus, ad terrorem cuiuslibet præuaricatoris. Sapientissimi quoq; Salomonis lapsus profundiùs intueamur, ampliusq; diuinum metuamus iudicium, quòd talis ac tantus vir (de quo legitur, quòd Dominus dilexit eum, & appellatus sit amabilis Domini, & quia fecit illum excelsum præ omnibus regibus Israel) ad hanc corruit mentis insaniam, vt idola adoraret, quia mulieres euerterunt sensum eius. Quis igitur non pertimescat de se, etiam si fuerit iam castus & sanctus in operibus suis, audiens viros tam fortes & illustres cecidisse? Idcirco nemo se fiducia non bona erigat, quamdiu eum grauat corruptibilis huius vitæ incertitudo; sed tanto magis se humiliet & deprimat, quia qualis illum tentatio apprehendere possit, ignorat; & quis eius finis sit, prescire nõ valet. *Multi* enim *sunt vocati: pauci verò electi.* Adhibenda est ergo cautio magna, pro perseuerantia & custodia castitatis; ne vmquam callido tentatori, foris aut intus, pateat vel minimus accessus.

2. Reg. 12. 3. Reg. 11. & 16. Matth. 20.

8. Nullus tamen quamuis imbecillis frangatur laboribus aliquibus, aut tentationibus perturbetur; sed meminerit, quòd tanto illi erit corona preciosior, quanto fuerit in resistendo conflictus maior. Neque videri posset, cur castitatis victoria haberetur meritis maior, & laude sanctorũ insignior, si non grauioribus ac tantis probaretur tentationum incursibus. Lętificare ergo nos debet, illa beatissima felicitatis æternæ repromissio: & erigere ad laborem certaminis, spes coronæ immarcessibilis; qua laureatę lętantur sanctorum animæ cum Christo sine fine, pro leuissimis laboribus. Ad quam nos exules perducere dignetur Iesus Christus, spes & corona sanctorum omnium, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus, per omnia sæcula sęculorum. Amen.

SERMO VI.

Contra carnalia tentamenta.

1. DE re quidem necessaria & vtili sæpius tractare, nec superfluum putari debet, nec infructuosum. Quid ita necessariũ, quid tã vtile saluti omnium, sicut mortiferis mederi passionibus animarum? Nil itaque sic morbidum, sic contagiosum inuenitur in homine; sicuti concupiscentia carnalis & indomita libido, quæ totam corrumpit animæ pulchritudinem. Supra namque pauca de laudibus castitatis egimus; deinde subsequenti sermone de eius obseruatione nonnulla remedia protulimus: restat ergo nunc adhibere aliquod salutiferum cauterium: vt qui neque

decore

decore neque amore trahuntur castitatis, vel terribili metu gehennæ terreantur ab æstu libidinis. Diuersis diuersa conueniunt, & non omnes vno ordine imbuendi sunt.

Impudicum omnia damnant.

2. Aduerte igitur detestabilis assensor libidinis: Proferam contra bestialem vitam tuam, cælum & terram; inducam iudices damnationis tuæ, Angelos & Archangelos; dabo testes verissimos concremationis tuæ, vniuersum cœtum sanctorum. Nouissimè ipse creator & rector omnium seculorum, sententiam inferet incommutabilem: & armabitur vniuersitas creaturę, in vltionem pessimæ turpitudinis tuæ. Sed & ipsi maligni & teterrimi spiritus, incentores & fautores tui, rugient super te, & cruciabũt carnes tuas ignitis fuscinulis suis; & parabunt focum sulphure & pice plenum animæ tuæ, qui in æternum non extinguetur. Reuelabunt cæli iniquitatem tuam, quia cùm illi legem naturæ, qui sine sensu sunt, numquam amiserint; te, qui legem Dei transgressus es, & precioſam imaginem eius maculasti, iudicabunt, & suis coniungi habitaculis nequaquam patientur. Itaque cælo indignus eris, immundissime peccator. Clamabit etiam aduersus te terra, inter alia elementa humillima, quia cum illa fructum suum reddere mortalibus consueuerit, tu carni obediendo factus es indignior terra; vtpote, qui fœtorem libidinis sectatus es, pro sanctitate. Non ergo te terra suscipiet, nisi ad operiendum miserabile corpus tuum; eritque cibus vermium, donec in nouissima tuba tremefacta illud eijciat, vt in inferno submergatur cum anima tua. Ibi erit habitatio tua, & claudêris velut in puteo bullienti, à quo nulla erit redemptio. Ibi cruciaberis die ac nocte pro delectationibus tuis; & nemo tibi propitiabitur, quia corrupisti corpus tuum, & confudisti animam tuam. Glorioſos amicos Dei & luminaria cælorum, angelos videlicet & archangelos, erubescere feciſti. Quia cùm illi præcipuo puritatis candore fulgescant, tu omni tabe fœculentior, turpissima facie denigrata, longè ab eorum aspectibus detraheris: & flammigeris dæmonum fornaculis sociaberis, quorum facies super nigredinem carbonum & fauces insatiabiles, & oculi proterui & horribiles nimis. Propter indomabilem libidinem tuam & abominabilem concupiscentiam, quam voluisti ad tempus exercere, cogeris sine tempore infernalia tormenta pati. Nam ignis infernalis ardebit in amatores libidinis; ita vt neque mare, neque omnis aquarum abundantia illam flammam sufficiant extinguere. Quapropter exhorresce peccata carnalia, si vis æterna euadere incendia. Noli perdere precioſam animam tuam, quam Christus redemit sanguine suo. Noli contristare Angelos sanctos, & Deum inhonorare. Metue Dominum, & carnem tuam ne ita dilexe-

Rom. 8. dilexeris, vt pro illa perpetuam damnationem incurras. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. O quàm citò transit delectatio, & quàm longa instabit cruciatio! O quàm citò pœnitebit stultè egisse, quàm grauis remorsus erit pro scelere.

3. Eia, quantum lætabuntur, qui non consenserunt operibus nequam? Quanta etiam fiducia expectabunt iudicij diem, qui non inquinauerunt vestimenta sua! Tunc stabunt iusti, qui piè, sobriè, castèque vixerunt, in magna constantia aduersus dæmones: qui tunc eos tentabant, & ad opera nefaria instigabant; & aduersus omnes, qui eis occasiones criminũ præstruebant. Tunc item stabunt ad sinistram iniusti, adulteri, incestuosi, incontinentes, qui deliciis & comessationibus vacabant: atque præ nimia confusione contremiscent à facie iudicis cœli & terræ, ab auditione illa seueriſsima: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Tunc eiulabunt, & clamabunt: Væ Matth. 25. væ, quid vnquam egimus? Vt quid nosipsos in tam breui momento perdidimus? Ah ah, damnati sumus. Heu, quòd vnquam nati fuimus. Tardè, tardè iam pœnitemus, frustra est clamor & dolor noster: quia sine mutatione manebit sententia, quam accepimus. Nulla suffragia Sanctorum, nulla nos valebunt adiuuare beneficia amicorum. Ecce æternæ noctis & perpetuæ oblitioni traditi sumus.

4. Speculamini igitur vos, ó filij hominum, in damnatorum pœnis & opprobriis, ne fortè veniat repentina mors, & calamitas inferni vos opprimat, & non sit qui liberet. Conuertimini & agite pœnitentiam, qui cum morte fœdus inistis. State innocentes, & pugnate iuuenes contra libidines; ne dederitis membra vestra arma iniquitatis peccato, quia peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortẽ. Æternum ignem cogitate, & de cordibus vestris concupiscentiæ ignem exufflate. Quis ex vobis habitare poterit cum igne deuorante? Præmia sanctorum considerate, & æternam gloriam perdere pro immunda delectatione dispicite. Sensus & oculos vestros ab impudico visu claudite, & Deum gemitibus exorate; vt vos intactos custodiat, & perseuerare vsque in finem laudabiliter concedat, Amen.

Rom. 6. Iacobi 1. Isaiæ 33.

SERMO VII.

De dono solitudinis, exemplo Christi & sanctorum Patrum.

1. FOns & origo profectus spiritualis, est libenter in cella residere, & in solitudine sub silentio se tegere; vt possit Dei seruus sæculo mori, & Christo tantùm viuere; & cum Apostolo dicere:

dicere: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et iterum ab eodem audire: *Mortui enim vos estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Solitudo corporis & cordis pariter quærenda est & custodienda. Nam corporis bona est & tuta, sed cordis melior & tutior. Qui tamen primam abijcit, alteram non inueniet; quia vna est alterius custodia, & hęc duo confouentur mutuo. Hęc solitudo est verè deuotis singulare confugium. Hęc docet (vt iam dictum est) mori sæculo, & exterioris curæ non inquinari sorde, atque sanctis inhærere meditationibus, etiam cælestibus nonnunquam appropinquare spiritibus. *Gal. 6. Colos. 3.*

2. Hanc Christus verbo & exemplo docuit, quando in nocte solus in oratione pernoctauit, & orantibus cubiculum intrare iussit. Est enim nocturnum tempus aptum sæpe pro deuotione, & pro sacra meditatione non paruum subsidium. Maximè autem formam vitę solitariæ exhibuit, quando quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, & in deserto eremita fuit, ibique (vt Euangelista refert) cum bestijs erat. Quod propter nos agere dignatus est, vt etiam nosipsi libenter soli simus, & quātum in nobis est, illi semper vacare velimus. Hanc amauit Propheta, qui dicebat: *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Et alius quidam sedebat solus & tacebat, & leuabat se supra se. Verè in solitudine aliquid magni latere videtur, quæ à plerisque sanctis tam ardenter est amplexata Nam ipsa solet incipiētibus, à multis esse protectio periculis, & diuersis vmbra tentationibus. Perfectis verò & spiritualibus, quorum conuersatio est in cęlis, qui etsi corpore in terris sunt, in bonis æternis tamen mentem ardenter figere cupiunt; solitudo quasi locus & paradisus voluptatis est, & tanquam hortus deliciarum amœnissimus. Quodammodo enim serui Dei seipsos inueniunt, cùm in cubiculo solitarios se conspiciunt. *Luc. 6. Matth. 6. Matth. 4. Marci 1. Psal. 54. Thren. 3.*

3. Cunctis igitur proficere cupientibus, amor solitudinis videtur vtilis, & satis necessarius. In illa sæpe dolore cordi tacti præterita mala plangimus, præsentia discernimus, & futura cautiùs præuidemus. Itaque apparet, quia in solitudine salubrē animæ fructum afferimus; modò mala nostra deplorando, modò cōtra tentationes & vitia nos exercendo: modò remedia passionum exquirendo; modò in profectu virtutum nos consolando.

4. Ibi etiam deuotionem cordis faciliùs accendimus, & ne tepescat vel extinguatur, meliùs custodimus. Verumtámen, ne grauis vel magna videatur nobis nostra solitudo, ad sanctorum patrum pergamus interioris solitudinis loca. Quæramus Paulum primum eremitam: quæramus Antonium vel Macharium, si fortè occurrat aliquis, qui hominem infra annos viginti vel

triginta vel ampliùs non viderit ; & tunc , quàm exiguum sit tempus, quo latere solemus, apparebit. Et si adhuc plures cernere delectamur, videbimus non modò viros , sed & feminas atque virgines huius solitudinis consortes , & tam arduæ vitę & verè spiritalis militiæ seruasse semitas . Horum igitur omniũ exẽplis edocti, amplius nostræ solitudinis latibula adamemus; & apparere foris , qua possumus diligentia, deuitemus. Et erit nobis tanto Christus familiarior , cordibus que nostris ipsius amor suauior, quanto huius seculi aspectus atque affectus fuerit rarior. In qua solitudine nos dignetur custodire, qui solus in corpore potuit sine culpa viuere, Iesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO VIII.

De bono silentij, & fructu eius.

Thren. 3. 1. SIlentium, amica solitudinis est , sicut quidàm custos eius sapiebat, & dicebat, *Sedebit solitarius, & tacebit.* Nam rarò bene, nisi in solitudine custoditur , sed & faciliùs ibidẽ tenetur, quia absentia occasionis multoties est victoria tentationis . Istud silentium obseruare cupiebat sanctus , qui dicebat : *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea .* Et rursus orabat : *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis .* Sed & Dominus noster Iesus Christus , silentium nos amare docuit, dicens: *Sit sermo vester , est est , non non: quod amplius est, à malo est.* Quibus verbis diserte nos instruit, vt necessaria tantum & vtilia loqui curemus, superflua verò & inutilia declinemus . Non enim seruus Dei silentium ita reputare debet, quasi loquendum nunquam sit , sed suo tempore & loco verba sua, sicut dispensator bonus, distribuere sciat. Vnusquisque perpendat, quid sibi salubrius existat, quia quibusdam magis expedit silentio intendere, alijs econtra, non nimiùm taciturnitati se dare.

Psal. 38. Solitudo silentij parens & alumna. *Ibid.* *Matth.* 5.

2. Qui autem silentio vult studere , inspiciat Christum, quomodo ab iniquis accusatus, nihil respondit: ita vt Pilatus miraretur vehementer. Vnde & iterum scriptum est : *Iesus autem tacebat.* Sed & beatissima mater eius virgo Maria, paucis vtebatur verbis. Et sicut dicit beatus Bernardus, quater eam (vt ex Euangelio colligitur) locutam fuisse legimus. Propter hoc nobis valdè expedit, quatenus tam exemplo eius quàm filij eius, obseruemus omnia verba hæc, conferentes ea in cordibus nostris . Igitur sit omnis seruus Dei velox ad audiendum , tardus ad loquendum, & feruidus ad proficiendum . Attende , si non silentium totius boni interioris custos est & incrementum . Vide etiam , si non thesaurus

Mariæ tantũ quater in Euãgelio locuta. *Lucæ* 1. *Ioan.* 2.

thesaurus cælestium bonorum in his cordibus requiescit.

3. Beatus, qui silentium diligit & custodit: nam in custodia illius, magnæ deuotionis fructum sibi accrescere sentiet, dummodo in alijs solicitus & ipse fuerit. Parum enim valet custodia oris absque custodia cordis, & diligentia cuiuslibet boni operis. Propter hoc, qui silentio & luctu salutari gaudent, hi præcipuè sciunt precium eius, quia virtus & sanitas eorum versatur in linguis eorum. Et profectum quem inde sentiunt, sæpiùs experiuntur, quia leuitatibus subdi noluerũt. De his aptari potest, quod in Psalmo legitur: *Non est ruina maceriæ*, (scilicet spiritualis ædificationis,) *neque transitus, neque clamor in plateis eorum*: hoc est, in latitudine cordis eorum, non est vllus sæcularium actuum concursus, nec inutilium etiam cogitationum strepitus. Et quia Deo intus coniuncti sunt, ideo à mundanis desiderijs sæpè silescunt. Beatum ergo dixerunt populum, cui hæc sunt; quia Dominus Deus protector eius est. *Psal. 143.*

4. O si daretur famulo Dei, interdum experiri silentij ac solitudinis suæ spirituales delicias, quàm meritò ex abundantia suauitatis earum in hæc verba prorumperet! Ecce quàm bonum & quàm iucundum est, sedere solum, & tacere, & leuare se supra se, & aduentum præstolari dilecti amici Iesu Christi? Quis talem dubitet fore felicem, & optimã cum Maria partem elegisse? Qui potest accipere, capiat, sed non omnes ad hoc tendunt, neque per sanctum desiderium ad interna bona se accendunt. Qui sunt de mundo, (ait sanctus Ioannes) de mundo loquuntur, & mundus eos audit: & qui est ex Deo, verba Dei audit. Verè precioſum, verbum nunquam proferre ociosum: & valdè iucundum, in cunctis verbis suis fore solicitum. Vnde beatus Iacobus hunc asserit perfectum, qui verbo non offendit, quia lingnam nemo hominum domare potest. Sed quia apud Deum omnia possibilia sunt, id quod proprijs viribus non valemus, eius munere fieri potest; quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Sed nos miseri nosipsos decipimus, quia remedia contra consuetudines malas non quærimus. *Luc. 10.* *Iacobi 3.* *Marci 10.* *Luc. 1.*

5. Quis non est expertus, quàm graue sit silentij claustrum intrare, post inutiles aut prolixas fabulationes? Beatus, qui malæ conscientiæ flagellis, pro incontinentia silentij edoctus, de cætero cautior inuenitur, ne in idipsum, aut in deterius rursus corruat. Amator verò silentij & custos castæ conscientiæ, bonum quod intus sentit, non ignorat, quia in pace factus est locus eius. Et si est interdum conflictus ei, vt se comprimat; succedit tamen postea pax magna, quia hostibus restitit, & sibi ipsi vim intulit. Timet etiam frequenter iste, ne inuentum thesaurum per incu-

riam aut leuitatem amittat; quem magis abscõdere quàm effundere Domini cõsilio debet. Videte (inquit Christus) ne quis sciat. Vnde sicut auarus nũmos, ita religiosus verba sua trutinare debet; ne inutiliter aut sine lucro, verbũ aliquod dicat. Religiosorum etenim & deuotorũ est, vacare, silere, orare, & præter Deum nil velle scire. Locus enim in quo religiosus stat, sanctus est. Vt quid etiam terram hanc optimam occupat, si fructus bonos non germinat? bonus homo, ait Dominus Iesus, de bono thesauro (hoc est, de puro corde) profert bona, & malus similiter mala. Loquamur ergo de Deo, si tempus fuerit, aut differamus propter Deum: de mundanis omnino rebus taceamus.

6. Nec sit tibi graue (homo Dei) paruo tempore in hoc sæculo silere; quia si feceris, cum Angelis poteris in ęternũ gaudere. Hoc igitur modò age in terris, quod sancti Angeli seruauerunt in cælis. *Factum est* (ait Euangelista Ioannes) *silentium in cælo.* Hoc Lucifer quia non tenuit, propterea cũ omni comitatu suo, de cęlo cecidit. Dixit enim: *In cælum conscendam, ponam sedem meam ad aquilonem: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* O miser, quid loqueris? Vt quid cogitationes istę ascẽdunt in cor tuum? In illo summo monasterio, vbi perpetuum silentium ab omni malo, statutum est ab illo supremo abbate: tu quomodo loqui nõ timuisti? An nesciebas, quia in his, quæ præcepit tibi Deus, oportet te esse? Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris? Turbasti cælum superbia tua, non seruasti disciplinam Dei Patris; sed transgressus es statuta summi abbatis. Meritò proinde expulsus es, nec potuisti stare, quia silentium in cæleśti monasterio confregisti. Cauendum omnino à tali præsumptione & locutione: & ad illud properandũ silentium, quod à tantis casibus potest præseruare animum. De quo scriptum est: *Probibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.*

Apoc. 8. Lucifer quia silentium non tenuit, corruit.

Isaiæ 41.

Psal. 33.

7. Est tamẽ quoddam silentium, quod tam Angelis quàm hominibus non conceditur, immo & nusquam admittendum videtur, hoc est, silere à laude Dei, à deuotione, & gratiarum actioné. De quo Propheta ita meminit: *Vos, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Et ne viderentur inobedientes, clamabant voce magna dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra, maiestate eius.* Et nos similiter clamemus in cælum, & miserebitur nostri. Laudemus etiam eum in terris, quem laudant omnes Angeli in cælis. Sed quia longè sumus ab illo loco, vbi nemo verbo offendit, reuertatur vnusquisque ad cor suum, sileat à malo, sileat etiam cum Propheta quandoque à bonis propter melius.

Nunquam silendum à laude Dei.

Isaiæ 62.

Isaiæ 6.

Psal. 38.

8. Ad exemplum silẽtij, propone tibi (serue Dei) sæpe facta antiquo-

antiquorum patrum. Perge si vis, perge mente ad tabernacula illorum, si fortè inuenire possis abbatem Agathonem, qui iam tribus annis lapidem in ore, pro rigore silentij portauit. Et magnũ illum Arsenium si inueneris, illo tacente loqui forsitan non audebis. Et alios perquã multos si quæsieris, in cubiculis & in speluncis terræ, solitarios & silentio deditos, potiùs reperies, quam foris vagantes. Propterea non illud segniter debes tenere, vnde tam preciosa religionis studia possunt tibi oriri. Quia per solitudinem & silentium, multi sanctorũ ad quietem cordis perducti sunt; & mihi multoties didicerunt, quicquid alijs salubriter tandem prædicauerunt. Sic Antonius primò latuit, post verò glorioſus & magnus monachorum pater apparuit. Sic Benedictus abbas; sic fecit in monasterio suo sanctus Gregorius; ita & consequenter deuotissimus Bernardus, cum multis alijs viris perfectis. Et horum vitam si inspicis, inuenies, quid imitari debeas. Nam viuendi speculum, opere & verbo facti sunt.

Patres Eremi prodigiosę taciturnitatis.

Sancti in solitudine didicerũt, quod alios post docuerunt.

SERMO IX.

De solitudine cordis, in qua supra se leuatur anima.

1. DE interiori solitudine, iã pauca videamus. Hanc quærere & amare debet, quisquis vniri Deo cupit. Hæc mẽtis solitudo dicitur, & longè dignior & vtilior corporis solitudine esse creditur. Hæc enim nisi menti insederit, corporis etiam solitudo multitudo fit. Hæc est, quæ totũ interiorem hominem, ab omni seruat vitio purum; & contra suggestiones Satanæ, reddit cor valde securum. Nam quamuis diuersis cogitationibus mens ista concutitur, introire tamen hostis aut præualere vltra cõsensum, propter hanc solitudinem, non permittitur.

2. Laudabilis & prædicanda ista solitudo, quia magna mentis est fortitudo, qua cuncta superantur in hoc seculo. Hæc est, quæ in multitudine multa nescit: quia alibi occupari se potiùs debere dicit, cũ citò pertranseat, quicquid hîc stare aut florere videtur. Et vbi cuncta moribus suis inseruiunt, hæc vni immobiliter quod tantum necessarium est, inhærere summopere quęrit. Qui hanc intrat solitudinem, quamuis foris laboret, eius tamen mens intus orare non cessat. Et si horam inde videtur distrahi, mox in idipsum redire festinat: quia intus habet, qui quotidie clamat: Redi ad cor: ecce adsum: ecce venio citò. En sto ante ostium, & pulso; aperi mihi soror mea, quia concupiui speciem tuam. Beata anima, quæ ad hanc vocem semper vigilat, quia super omnia bona præsentia constituetur.

3. Idcirco enim vox dilecti hanc inuitat ascendere, ne infimis rebus possit in debito amore retineri. Qui istis caducis tenetur, valdè intus distrahitur; & ad solitudinem cordis, in qua Deus hominibus loquitur, tardiùs venit: ideoque visitatione eius multoties carebit.

4. Hanc discipuli illi in monte Thabor intrauerant, qui neminem nisi Iesum tantùm, post mentis excessum videbant. In hanc quoque Moyses ascendit, quando solus in monte cum Deo, quasi vir cum amico suo loquebatur: vbi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sine humano solatio fuit. De qua, plura dicere quis poterit, nisi vberiùs expertus, & ab omni seculari strepitu alienus? Nam dulciùs est, longeque nobilius, interiora bona experiri quàm inde quicquam definire, vel à quocunque iusto tantùm labiorum vocibus percipere.

5. Qui tamen hæc experiri desiderat, cor à fæce secularium desideriorum emundet, concupiscentias proprias mortificet, de terrenis consolari rebus metuat; sed in Domino Deo consolari & gaudere semper quærat. Et tunc cognoscere potest, quoniam suauis est Dominus; Beatus vir, qui sperat in eo. Tunc etiam in solitudine interiori libens commorabitur, & de bonis sempiternis frequenter meditabitur.

TOMI

TOMI PRIMI PARS ALTERA,

ANTE PRIMAM EDITIONEM typis non euulgata.

In hac parte secunda Tomi primi, continentur tum conciones, tum meditationes admodum vtiles & piæ. Cõciones sunt eiusmodi, vt meditationes esse videantur. Similiter meditationes ita scriptæ sunt, vt ex ijs conciones haberi possint.

CONCIONES ET MEDITATIONES XXXVI. VTILISSIMÆ.

PRIMA.

De Incarnatione Christi secundùm testimonia sacrarum Scripturarum, veteris & noui testamenti.

1. *Crutamini Scripturas*, dicit Dominus. O dulcissime Domine Iesu, cõcede mihi indigno famulo tuo, incarnationis tuæ mysterium deuotè pensare, sagaciter inuestigare, sublimiter intelligere, nõ intellectum humiliter venerari, & tibi semper gratias agere, pro dignatione tanta & charitate tam ineffabili. Hoc enim mysteriũ me magis delectat considerare, & inter cętera mirabilia tua suauiùs sapit, vehementiùs afficit, fortiùs astringit, & totum spiritum meum in te rapit. Da ergo mihi in hoc frequentiùs versari, & qualiter à sanctis Prophetis prænotum ac prædictum fuerit, diligentiùs speculari. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Tu etenim cõditor legis: Tu inspirator & instructor Prophetarum, quorum oraculis miris & multiplicibus mo- *Ioan. 5.* *Psal. 118.*

dis prænuntiatus es & præfiguratus; nunc apertè, nunc obscurè, sicut euidenter inspecta tota veteris Testamenti series protestatur. Nil quippe in ea vacat à mysterio: sed tam diuinitatis tuæ quàm etiam humanitatis, fidelissima ibidem testimonia continentur. Et quamuis hominis testimonium tibi necessarium non fuerit, qui veritas es: & homines, cùm volueris, Prophetas facis: propter nostram tamen eruditionem & fidei confirmationem longè hæc antè voluisti, per sanctos tuos prædici & conscribi, atque tantam etiam authoritatem illorum eloquijs tradere, quibus nulla ex parte auderet quis contradicere. Quatenus & cùm præsens adesses in carne, Rex Israel, & Saluator mundi posses agnosci, quem tot scripturæ commendauerant aduenturum. Et hoc est, quod præsentialiter legis doctoribus non credentibus, sed curiosè te obseruantibus & callidè tentantibus, respondisti: *Ioan. 5.* *Scrutamini Scripturas*, in quibus vos putatis vitam æternam habere. *Illa enim sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

Patriarchę. 1. Abrahã. 2. Perhibent Patriarchæ, perhibent Prophetæ, & cæteri iusti testimonium incarnationi tuæ. Nam Abraham Patriarcharum primus, ob fidei suę meritum & perfectæ obedientiæ opus, tale susceptit promissum: *Gen. 22.* *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* In quo nimirum semine, tu designatus es & prophetatus, qui de Maria Virgine natus, veram de carne Adam, veramque de stirpe Abraham originem duxisti. Qui etiam cunctis per orbem Gentibus, hanc benedictionem transmisisti, dicens: *Marci 16.* *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hæc inquam benedictio non terrena, sed cælestis est promissio: non transitoria vbertas, sed perpetua felicitas, vita immortalis cum Angelis, non longiturnitas temporalis. Quæ sicut fideli Abrahę promissa est, ita & per te ipsi donata est, & omnibus veram fidem sectantibus. Non enim, qui secundùm carnem ex Abraham nati sunt, hi tantùm filij promissionis censendi sunt: sed qui vestigia fidei eius imitantur, in benedictione deputantur: siue ex eo carnaliter editi, siue ex gentibus cęteris spiritaliter fuerint regenerati. Et ideo dictus est pater multarum gentium, non Iudæorum tantùm, sed omnium in te credentium per orbem nationum.

2 Isaac. *Gen. 21.* 3. Perhibet quoque præclarum testimonium tibi Isaac filius Abrahæ gestis suis. Eius siquidem natiuitas ab Angelo prædicta, tuæ natiuitatis gerit præsagium; quæ longè tamen superexcellit omnium natorum modum. Ille per promissionem Angeli de sterili matre editus est; sed tu ab initio mundi promissus, pro salute nostra ineffabiliori ordine, de virgine matre natus es. Ille genitus gaudiũ fecit parentibus & amicis: tu verò natus gaudium magnum Angelis fecisti & hominibus. Dat credulitatem magnam

Virginei

Virginei partus, ipsum miraculum factum in vtero senectutis. Qui ergo hoc egisti in seruulo tuo, profectò mains potuisti in temetipso. Conditor enim cùm sis naturæ, omnia sub potestate habes, nec vllius lege stringeris aut iure. Lucet etiã in eo passionis tuæ figura, quando à patre iussus est immolari, diuino ad se responso per Angelũ prius facto. Ille ligna portauit holocausti; tu lignum crucis baiulasti, ad delendum chirographum primordialis delicti. Ille ligatus mox aræ imponitur; tu ligatus & fortiter cæsus, tandem in cruce ex altaris, vt omnia ad te ipsum traheres. Ille obediens fuit Abrahæ patri suo: & tu obedisti vsque ad mortem crucis Deo Patri tuo. Ille immolatur, sed nõ occiditur: quia ille figura, tu veritas: ille signum, tu verum sacrificium. Ille mori non debuit, quia redemptor mundi non fuit: tu verò mori debuisti: non tamen ex proprio, sed nostro pro delicto; quia verus Redemptor mundi in hoc natus fuisti, & hoc mandatum à Patre accepisti.

4. Perhibet quoque Iacob Patriarcha, testimonium verissimum tibi. Hic prophetico spiritu doctus, multa filijs suis ventura prædixit. Nam tribum, de qua nasciturus; & tempus quo esses aduenturus, innotuit, cùm benedicens Iudam filium suum, inter alia diceret: *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Iuda, & dux de femoribus eius; donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* Quod quidem testimonium sanè intellectum, constat sine dubio in te completum, qui de tribu Iuda ortum dignissimum habuisti: & illo in tempore hanc lucem mundi intrasti, quando legitimus dux in Iudæa defecerat, & rex externę nationis Herodes, illuc arcem principatus tenebat. Non ergo expectaris, vt delirat Iudæus, sed iã veniisse crederis in carne Deus, sicut profitetur Christianus, vt docet catholica fides. Defecit certè dux in Iudæa, desijt lex in ea, sacerdotium conticuit, tẽplũ cecidit, regnum perijt, gens illa dissipata est per mũdum: vt cognoscat totus mundus, quia tu saluator Israel, expectatio gentium, & desideratus earum aduenisti. Cessare igitur lex vetus debuit, postquam noua gratia & veritas te apparente illuxit. Quoniam omnis illa antiqua institutio, ad perhibendũ tibi testimonium, ministra fuit.

3. Iacob. Gen. 49. Gen. 49. Agg. 2.

5. Huic concordant voces Prophetarum, qui aduentum tuum præscientes, dies gratiæ in quibus stamus prænunciarunt. Dicit namque Moyses, legislator & doctor populi Israel, testimonium credibile nimis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Rudi populo locuturus Moyses simpliciter te Prophetã nominauit, qui fortassis altius de te capere nomen necdum idoneus inueniebatur. Quod etiam ex

Prophetæ. 1. Moyses. Deut. 16.

Euange-

Euangelio satis colligitur, vbi facto signo de quinque panibus &
Ioan. 6. duobus piscibus, vox populi talis ferebatur: *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Nos verò certiori iam veritate & altiori intellectu fidei imbuti, non solùm Prophetam, sed & Dominum te Prophetarum verumque Dei filium, veraciter confitemur & credimus. Nec mirum, si illi populo multa per Moysem seruum suum obscurè, & nobis per teipsum plura manifestiùs sis loquutus: quia sic congruebat ordini iustitiæ, sic legi, denique & gratiæ. Hic itaque Moyses, desiderio aduentus tui, orauit & dixit: *Obsecro, Domine mitte, quem missurus es.* Iste est Moyses, qui ad liberandos filios Israel in Ægyptum dirigitur: cui etiam potestas faciendi signa & prodigia pariter condonatur. Fecit magna & insolita, quę audita vel lecta, admirationem non paruam habent. Sed mysticè intellecta, & ad te debitè relata, pijs ac fidelibus mentibus altiorem sensum & salubriorem fructum ingerunt. Ille eduxit filios Israel de terra Ægypti: tu electos tuos de vita veteri, de captiuitate diaboli, de claustris inferni exemisti. Ille per mare rubrum, submerso Pharaone, eos fecit terram ingredi promissionis: tu fideles tuos per aquam baptismi, extincto originali peccato, regnum facis intrare supernæ mansionis. Ille in monte Sinai legem decalogi in Tabulis lapideis exaratam suscepit, ac populo custodiendam tradidit: tu noui Testamenti mediator effectus, legem gratiæ discipulis in monte prædicasti, quam & eorum cordibus per amoris spiritum arctiùs impressisti. Ille quadraginta annis in deserto, cum filijs Israel ambulauit, multis signis & prodigijs inter eos emicuit: tu triginta & tribus annis in terris visus & cum hominibus conuersatus, tam multa signa diuinæ potentiæ tuæ exhibuisti, vt ea vix capere mundus sufficeret, si cuncta scripta fuissent. Ille agebat tanquam fidelis seruus: tu operatus es sicut Dominus, & vnicus patris filius, cui Pater omnia dedit in manus. Ideo nec ille potest comparari tibi, sed nec quisquã Angelorum vel hominum. Omnibus enim datus est spiritus ad mensuram, tibi autem cum Pater manet æqualis semper potestas: Manet & longè à cæteris sanctis, secundùm humanitatem, excellentia singularis dignitatis, nulli creaturæ communicabilis. *Cui enim Angelorum aliquando dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genuite?* Aut quis sanctorum Patrem loquentem sibi audiuit: *Sede à dextris meis?* Magnum est Angelo, vt sit minister. Magnum cuilibet sanctorum ad mensam sedere, in regno Patris tui: tibi autem data est omnis potestas, in cælo & in terra. Etsi in substantia nostræ carnis, mortalis apparuisti; es tamen super omnia Deus incommutabilis, nostra suscipiens & propria non amittens.

Ioan. 21. Ioan. 3. Hebr. 1. Ibid. Psal. 109. Matth. 28.

Indubi-

Indubitanter ergo & constanter te confitemur Christum, Dei vnigenitum, mundi saluatorem, ac sanctum sanctorum in lege promissum, à Patriarchis desideratum, à Prophetis præuisum & prænuntiatum. Quorum testimonijs si quis credere hesitauerit, seipsum veritatis luce priuat, non seruans fundamentum, quo fidei pedem ponat: nec intendens lucernæ lucenti in caliginoso loco. Lex enim lux est, & prophetia preciosa lucerna, perducens nos ad te verum animæ lumen, in quo credentes, per fidem salui fiunt. Sine fide namque & agnitione nominis tui, nulla spes vitæ, nulla acquisitio salutis inuenitur. Tu equidem salus nostra, spes & redemptio nostra, quem expectabant priores sancti, qui hanc acceperant promissionem. *Hebr.* 11.

6. Multis autem rerum significationibus, multis & mirandis etiam visionibus, salus hæc de te promissa, diu præcessit & latuit: Sed celebrato incarnationis passionisque mysterio, hæc secreta patefacta sunt, & completa. Te igitur, agnus ille paschalis, qui singulis annis in memoriam priscæ liberationis ex Ægypto, iussus est immolari, præsignauit. Te vitulorum & arietum oblatio: te thymiamatis incensio: te varia sacrificiorum celebratio ac sanguinis crebra aspersio præfigurauit. Tu in candelabro aureo, septem lucernis ornato: tu in Pontifice magno, qui in sancta sanctorum semel ingreditur in anno, mysticè præsignaris. Sed hæc omnia legis sacrificia, vnico corporis tui sacrificio, semel in ara crucis oblato, plenè consummasti. Ideo nec vlla iam in priorum cultu remanet vtilitas: quia quod illa significabant, innotuisti nobis æterna veritas. Leguntur autem à fidelibus doctoribus spiritualiter discussa, & ad ædificationem nostram vtiliter proferuntur: placetque eorum intellectus mysticus, sed obseruantia literalis non admittitur. Et si olim tibi placuere talia sacrificia, hoc occulta egit fides, quę reuelanda erat. Sed nunc vetera illa finem acceperunt, quia verum sacrificium iam venit, quod fidei deuotione, sancta per orbem frequętat Ecclesia. *a* Te etiam petra, dulces aquas sitienti populo manans. *b* Te manna pastum miserabilem esurientibus præbens. *c* Te serpens æneus exaltatus, infectos à morsu sanans. *d* Te virga Aaron sacerdotis florens nucésque producens, pulchrè prænonstrauit. *e* Te Iosue, nobilis actu & nomine. *f* Te Gedeō victoriosissimus, Te Sampson fortissimus. *g* Te Samuel Propheta fidelissimus. *h* Te Nazaræorum & Iudicum singulorum laudata virtus, mirificè expressit.

Figuræ de Christo.
Agnus Paschalis. *Exodi* 1.
Vitulorum oblatio. *Exodi* 29.
Cādelabrū aureum. *Exodi* 25.
Summus Pontifex. *Hebr.* 9.
a Petra deserti. *Deut.* 8.
b Manna. *Deut.* 8.
c Serpens æneus. *Num.* 21.
d Virga Aaron. *Num.* 17.
e Iosue. *lib. Iosue.*
f Gedeon. *lib. Iudicum.*
g Samuel. 1. *Reg.*
h Nazaræi, Iudices. *Num.* 6.

7. Te Dauid Rex & Propheta eximius, electus secundùm cor Dei, egregiusque psalmista patenter canit, deuotè exorat, ardenterque desiderat dicens: 1. * *Domine inclina cælos tuos, & descende.*

Prophetæ.
1. Dauid
* *Psal.* 143.

Excita

a Psal. 79. b Psal. 84. c Psal. 88. a *Excita potentiam tuam, & veni vt saluos facias nos.* b *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* c *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid seruo tuo?* His & alijs deprecationibus, desiderium pectoris sui psallendo sæpe aperit. Sed & altiora horum reuelatis cordis oculis, in testimonium tibi asserit. Hic est Dauid sanctus, cui incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestati: & quòd de eius stirpe incarnandus esset promisisti. Hic est Dauid forma decorus, manu validus, consilio prouidus, sapiens in verbis, in iniurijs mansuetus, in oculis suis humilis, cultor sacræ legis, præcentor Euangelij, verax testis aduentus tui. Hic de natiuitate, passione, resurrectione, & ascensione tua plenissimè vaticinatus est. Tu es ergo, de quo ait:

Psal. 50.

Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum; & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius; & occursus eius vsque ad summum eius.* Tu veritas de terra orta. Tu iustitia de cælo prospiciens, quæ nos Deo Patri, post lapsum reconciliauit. Tu speciosus forma, præ filijs hominum: in cuius labijs diffusa est gratia, imò à quo omnibus misericordia profluxit & gratia. Tu Deus rex noster ante secula, qui operatus es salutē in medio terræ. Tu homo natus in Iudæa, cuius nomen permanet ante secula. Tu sicut pluuia in vellus descendisti in Mariam: & sicut stillicidia stillantia super terram, salutarem Euangelij sparsisti doctrinam. Tu ex Patre ante Luciferum genitus, & vestes nostræ mortalitatis indutus, Sacerdos manes in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, à Deo constitutus. Tu de torrente in via bibisti, pro nobis indignam mortis passionem, sicut verus viator patiendo. Propterea in die resurrectionis, indutus es fortitudinem & decorem. Nec nostro more vidisti carnis corruptionem; sed ipsam eandem in qua passus es carnem, resuscitasti ad vitam immortalem: cum qua lætantibus Angelis ascendisti in jubilo, reuersurus in voce tubæ, die nouissimo. Sicque impleta sunt carmina Dauid fidelia, in diuersis psalmorum passibus conscripta.

Psal. 84. Psal. 44. Psal. 73. Psal. 71. Psal. 109. Ibid. Ibid. Psal. 46.

2. Isaias. Isaia 7. Isaia 9. Isaia 11. Ibid.

8. O Iesu, vnicum desiderium Prophetarum: Tu es Emanuel, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit. De quo Isaias luculento sermone prophetauit: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus eius super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Tu radix Iesse, qui stas in signum populorum, quem Gentes deprecabuntur: cuius sepulchrum vsque hodie cernitur glorioſum. Tu flos de radice Iesse ascendens, super quem requieuit spiritus sapientiæ & intellectus,

lectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Tu agnus dominator terræ, missus de petra deserti ad montem filiæ Sion. Tu mons domus Domini, præparatus in vertice montium, eleuatus super colles: ad quem omnes gentes confluunt, vt de plenitudine tua accipiant. Tu lumen Hierusalem & gloria Israel, cuius ortus & splendor illuminat mundum. Tu lapis probatus, angularis, precios us, fundatus in fundamento Sion. Tu germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis: sedens nunc ad dexteram Dei Patris, subiectis tibi principibus & potestatibus vniuersis. Hæc Isaias, qui spiritu magno vidit futura, & consolatus est omnes lugentes Sion aduentu tuo; vnde & dicit, *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Dominus Deus vester: quia ego ipse, qui loquebar, adsum*. O quàm ardenti desiderio optauit impleri promissum incarnationis tuæ, cùm impletus spiritu audaciæ clamaret: *Vtinam disrumperes cælos & descenderes, à facie tua montes defluerent*. Qui ardorem desiderij sui temperare non valens, sed omnibus palam insinuare curans, rursus aiebat: *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam: donec egrediatur vt splendor iustus eius; & Saluator eius vt lampas accendatur*. Et quis indagare sufficit omnes mysticos eius sermones, quos de tua præcipuè incarnatione, passione, glorificatione, & iudicij expectatione; nec non de Gentium vocatione, & sancti Euangelij prædicatione, digessit? Sic narrat futura, quasi essent præterita: & sic singula enumerat, tanquam oculis cõspexisset vniuersa. Veruntamen vidit, sed intellectualibus oculis, non carnalibus. Spiritualibus enim oculis cernuntur diuina mysteria, quæ animalis homo percipere non potest. Vnde Pharisæi, qui solùm exteriùs considerabant præsentiam in te corporalem, non potuerunt ad diuinitatis maiestatem assurgere. Sed Isaias cælitus illuminatus & subleuatus, de vtraque natura protulit testimonia veritatis. Nam de diuinitate sic dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius*. De humanitate verò sic: *Vidimus eum, & non erat aspectus. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est, propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*.

Isaiæ 16.
Isaiæ 2.
Isaiæ 60.
Isaiæ 21.
Isaiæ 4.
Isaiæ 49.
Isaiæ 64.
Isaiæ 62.
Isaiæ 6.
Isaiæ 52. & 53.

9. Similiter & Ieremias Propheta sanctissimus, testimonium tibi perhibet, cùm magnum hæreditatis mysterium, hoc modo describit: *Quia creauit* (inquit) *Dominus nouum super terram, femina circumdabit virum*. Quid tam nouum Domine Iesu, sicut conceptio tua de Spiritu sancto, natiuitas ex virgine? Hæc est nouitas à sæculo inaudita: quæ nec primam similem visa est, nec

3. Ieremias. Ierem. 31.

nec habere sequentem. O verè beata nouitas, qua vetus expulsa est iniquitas, & noua introducta sanctitas. Eia noua mater, gaude Maria: Tu es benedicta illa femina, de qua loquitur ista prophetia, quæ & huius nouitatis felicissimo partu lætificari meruisti. Eum namque, quē omnis creatura non capit, tu omnibus creaturis celsior facta, immaculata aluo circundedisti. Et quamuis paruulum ac teneris indutum membris, intra virginea viscera diu clausum gestasti, erat tamen vir etiam Iesus nondum natus, sed virtute non corpore; perfectione sapientiæ, non ætatis dimensione: imò mox vt conceptus est, plenus gratia & veritate. Sic ergo intelligendo, magnum fuisse probatur mysterium, ex ore Ieremiæ prædictum.

4. Baruch. *Baruc. 3.* 10. Hinc & in Baruch, illud memorabile testimonium ponitur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

5. Ezechiel. *Ezech. 1.* *Ezech. 9.* 11. Ezechiel Propheta, qui multa de cælestibus viderat, hoc notanter de te commemorat, dicens: *Et super similitudinem throni, quasi aspectus hominis desuper.* Et item: *Vir quoque vnus in medio eorum, vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius*, Tāgit & sacratissimæ natiuitatis tuæ mirabile sacramentum, cùm de porta orientali, diuinum meruit audire responsum. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa principi.* Tu es Princeps iste, Maria quoque clausa porta, quæ in concipiēdo & pariendo, mansit semper virgo intacta.

Ezech. 44.

6. Daniel. *Dan. 2.* 12. Daniel vir desideriorum, & sublimium secretorum cognitor, cùm Regi Nabuchodonosor somnium suum prudēter edisserit, tuum profectò aduentum fideliter prædicit: *Videbas*, inquit, *ita, donec abscissus est lapis de mōte sine manibus, qui percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Lapis autem, qui percussit statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Tu per lapidem istum signaris, qui de monte, hoc est de regno Iudæorū abscissus es: sine manibus, id est, sine maritali opere de virgine procreatus. Qui percussisti statuam in pedibus eius, qui statum mundani culminis, ad obediendum fidei, verbis & signis, etiam inter bella persecutionum mirabiliter incuruasti. Et factus es sicut mons magnus, implestiq; vniuersam terrā. Quia qui priùs apud Iudæam paucis notus eras, postmodū coruscante Euangelij gratia, toti mundo teipsum reuelasti. Aliud testimonium idem Daniel profert dicens: *Aspiciebam in visu noctis, & ecce cum nubibus quasi filius hominis veniebat: & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & lingua*

Dan. 7.

lingue ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Quid hoc clarius teſtimonio, in quo vterque aduentus tuus in carne & ad iudicium, manifeſtè prædicatur.

13. Micheas tale dat teſtimonium, quod neque Scribę & Phariſęi requiſiti poterāt reticere. Nā ſciſcitāte ab eis Herode rege, vbi Chriſtus naſceretur? Illi reſpōderunt, ſecundùm verba huius Prophetæ: *In Bethleem Iudæ.* Sic enim ait idem beatus Propheta: *Et tu Bethleem Euphrata paruula es in millibus Iuda. Ex te enim egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* In quibus planè verbis, vtriuſque natiuitatis tuæ contexitur veritas: dùm vnus egreſſus æternus ex Patre, alter tēporalis ex matre denunciatur. 7. Micheas. Micheæ. 5.

14. Abacuc Propheta ſuper cuſtodiam ſuam ſtat, & gradum figit, vt audiat, quid ſibi de futuris dicatur, ac te in cruce ſpeculetur. *Quia adhuc*, inquit, *viſus procul, & apparebit in finē, & nō mentietur. Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit:* Et de paſsione tua ſic: *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Iſtę præ cæteris Prophetis, ſpecialiter exprimit dulciſsimū nomen tuum, quod eſt ſuper omne nomen, ita inquiens: *Ego autem in Domino, gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* 8. Abacuc. Abac. 2. Abac. 3. Ibidem.

15. Sophonias cōſolatoriam texit prophetiam, & ad ſpiritalem lætitiam erigit mentem, longa expectatione iam feſſam. *Lætare*, inquit, *filia Sion; iubila tu Iſrael. Lætare & exulta in omni corde filia Ieruſalem. Rex Iſrael Dominus in medio tui, ipſe ſaluabit.* 9. Sophon. Soph. 3.

16. Aggæus quoque prædixit: *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus.* 10. Aggæus Agg. 2.

17. Zacharias lætabundo corde, & quibuſdam rerum indicijs teſtimoniū perhibet, dicēs: *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.* Et iterū: *Exulta ſatis filia Sion, iubila Ieruſalem. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcēdens ſuper aſinā, & ſuper pullum filium aſinæ.* Hāc prophetiam tunc impleſti, quando Ieroſolymam humilis aſelli tergo inſidēs perrexiſti. Et ne dubitet quis de te iſta prædicta, additur, vnde nō ſit dubitandum, quia iā tenetur eius experimentum. *Et loquētur*, inquit, *pacem gentibus; & poteſtas eius, à mari vſque ad mare.* Quod per prędicatores ſacri Euangelij fideliter actum cōſtat, qui pacē annunciauerunt his, qui propè, & his qui longè erant. Dehinc ad paſsionē ſe conuertit, oſtendens quia ſanguine tuo redempturus eſſes mundum. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos* 11. Zachar. Zach. 2. Zach. 9. Ibid. Ibid.

tuos

tuos de lacu, in quo non erat aqua. Et alia quidem multa idē Prophēta & cæteri Prophetæ protulere teſtimonia, è quibus non pauca nouo ſunt inſerta Teſtamento. Nec infideliter mouere debet legentem, ſi interdum aliter apud Euangeliſtas & aliter apud Prophetas, quædam audiat teſtimonia recitari. Euangeliſtæ etenim breuiter & clariùs aſſerunt, vtpote liberiori Spiritus ſancti inſtitutione formati, quod Prophetæ longo ſæpe ſermone & obſcurè prælibarunt.

Contra Iudæos.

18. Tantis igitur auditis aſſertionibus veritatis, noli vltra diffidere Iudæe vel Gentilis. Agnoſce Chriſti incarnationem, per ora Prophetarum prædictam & completam. Et ſi noſtris literis non credis, tuos conſule codices, & profectò ita inuenies. Tantum carnalem remoue intellectum & nudam literam noli inſano auſu defendere, ſpiritum inquire, & ad myſteria Chriſti cor conuerte, ſi vis ſanam in ſcripturis ſanctis habere intelligentiā. Alioquin, ſi præter Chriſtum in lege gloriaris aut Prophetis, inanis eſt gloriatio tua: & cæcus intellectus, quem ſequeris. Non tibi proderit Moyſes; ſi Chriſtum non audis, de quo ſcripſit Moyſes. Nec Prophetæ tibi proficient, ſi Dominum Prophetarum non receperis. Fruſtra per legem iuſtificari quæris, quando & multi patres ante datione legis inuenti ſunt iuſti. Ex fide Noë dictus eſt iuſtus. Et Abraham credens Deo, etiam ante circunciſionem iuſtitiæ laudem accepit. Non igitur te iactes de nobilitate generis, non de patrum virtutibus, nec de diuinis tibi traditis eloquijs cæleſtibus promiſsionibus refertis; quia Deus corda humilium reſpicit, & fidem rectè credentium attendit. Atque idcirco glorioſus, & Deo acceptabilis eris, ſi in Chriſtum credendo, priorū patrum fidem moreſque fueris imitatus. Qui vtique iuſtitiæ meritum, non de legis obſeruantia, non de multitudine victimarum, nec de proprijs actibus ſperabant, ſed de ſola gratia ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Sic enim promiſit Deus per Iſaiam

Iſaiæ 52. Prophetam: *Gratis venūdati eſtis, & ſine argento redimemini.* Reſpice Iudæe, reſpice, & ad verum lumen mundi Ieſum Chriſtum

Malach. 3. conuertere. Ipſe eſt dominator Dominus & Angelus teſtamenti, ſicut ait Malachias. Ipſe venit ad ſaluandum omnes gentes, tibi ſpecialiter miſſus. Sed proh dolor, à multis filijs tuis nec agnitus nec ſuſceptus. Enimuero ſi credis, quia venit, ſaluaberis: ſi non

Ioan. 8. credis, veniet contra te, & damnaberis. Ait enim: *Si non crediderītis, quia ego ſum moriemini in peccato veſtro.* Quam excuſationē poteris afferre, ad defenſionem erroris tui? Habes legem & Prophetas, ſed accuſatores potiùs quàm defenſores, qui contra te ſtabunt in teſtimonium, quia credere noluiſti. Moyſes dicit:

Num. 20. *Audite rebelles & increduli. Adhuc enim viuente me, & ingrediente vobiſcum,*

vobiscum, semper cõtentiosè egistis contra Dominum, quanto magis cũ mortuus fuero? Perseuerat hæc obduratio vsque hodie in te, & in semine tuo. Cùm conuersus autem fueris, repropitiabitur tibi Deus, sicut & cęteris Gentibus. Conuertere, conuertere ad Dominum Iesum Christum Israel, & non eris vltrà opprobrium in Gentibus. Duo sunt enim, quæ te præcipuè in perfidia detinent, amor temporalium, & carnalis sensus in scripturis. Attamen, leua Hierusalem in circuitu oculos tuos, & vide Israel numerum Christi fidelium, per totum mundum dilatatum: & erubesce erroneus semper inueniri, qui credendo poteris perpetuam salutem adipisci. Non te offendat multitudo malè viuẽtium, qui pœnitendo possunt citiùs corrigi: sed bonorum magis Christianorum exempla intuere, quorum millia etsi humanos oculos latent, nunquam tamen in Ecclesia deficient. Causę perfidiæ Iudæorum.

19. Sed iam dimissa turba Iudæorum, ad Christum conuertere anima mea, quia ipse salus & redemptio tua. Si credere nõ vult Iudæus, tu fide sta: quia est filius Dei, cui testimoniũ perhibent omnes Prophetæ, diuinitus præmoniti & inspirati: quibus si crederent Iudęi, crederent & Euangelio Christi; sicut illis dicebat: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: Ille enim de me scripsit.* Ioan. 5. Sed non mirum, si credere ei detrectant carnales, sola visibilia sequentes, cùm lex spiritalis sit, & neminem ad sui intelligentiam, nisi spiritalem intromittat. Quia verò humilis venit Dominus Iesus Christus, non est cognitus ab eis: quanquam & taliter venturũ legant in Prophetis. Sed offenderunt miseri in lapidẽ offensionis, & petram scandali; humilem contemnentes, ac diuina operantem blasphemantes. Hæc audiens anima mea, esto velut apis prudentissima perfidorum vesaniam detestando, & piorum semper fidem humilibus gressibus sectando. Nec te terreat multorum prauitas, & paucorum pietas; cùm Domini sententia sit, multos esse vocatos, paucos verò electos. Nec ad te pertinet ista inuestigatio, quia soliùs Dei est hæc discretio. Ad te oculos reflecte, & quanta tibi à Deo donata sint, attende: atque pro tua vocatione & illuminatione, quibus vales gratijs referendis insiste. Lætare, & toto corde exulta in Deo salutari tuo, qui te visitare dignatus est, oriens ex alto. Nam totum gratiæ fuit, & eximiæ dilectionis indicium, quòd sic venire voluit, qui potuit subuenire. Etsi debitorem in promittendo se fecerat, non tamen liberalitatis gratiam sibi idcirco abstulit: quia sine omnibus præcedentibus meritis, eius dona extiterunt. Matth. 20.

20. O verè magnũ venerandumque mysterium, à seculo absconditum, multis præcurrentibus testibus promissum, diu expectatum, ardenter desideratum, & tandem mundo exhibitum, &

fideliter commendatum! Hoc magnum incarnationis sacramentum, pauci vulgares intellexerant: & penè soli Prophetæ visi sũt penetrasse intima eius, quibus de speciali reuelationis munere concessum est, prænoscere & scribere. Illi enim, sicut electi amici Dei, tam cęlestis cõsilij secretum intrare sunt permissi: vt intelligerent humanum genus ob primæ pręuaricationis culpam, in tantam cecidisse miseriam, quæ aliter aboleri nequibat, nisi per mediatoris gratiam; quo incarnato & passo, redemptionem acci-
1. *Cor.* 10. peret homo. Hoc lucidè aures populares, quibus omnia in figuris contingebant, comprehendere non valebant. Ipsis magnum erat, si quod terrenæ promissionis donum acciperẽt. Prophetis nil magnum & lętabile videbatur, nisi quod æternæ beatitudinis dulcedinem redolebat. Vnde vnus ex summis Prophetis, cũcta terrena superuolitans, quid peculiariùs amaret, ostẽdit
Psal. 72. dicens: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Sed hic amor cælestium atque spes futurorum, non omnibus inerat: & quid inter vmbram & veritatem differret, multi ignorabant; donec de cœlo pax vera descenderes, & in hanc mundi vallem pro illuminandis hominibus, (Iesu bonè) introires. Postquam ergo Verbum caro
Ioan. 1. factum legeris, atque inter homines creator hominis dignatus es apparere, quod clausum diu latebat, manifestari per te cœpit: & quod intellectu difficile, factum est capabile: & quod multis incredibile videbatur, ex tua salutari præsentia reddidisti visibile, & quodammodo (vt ita dixerim) manibus palpabile.

De sensu scripturarum. 21. Deinde quædã, sicut ad litteram sonant, humiliter implesti, ostẽdens quia de te scripta erant. Quædã verò non literaliter obseruasti, sed ad mysticũ sensum meliùs retulisti: docens non omnia ad literam accipienda prophetarum esse oracula, quæ tamen secundùm spiritualem intellectum, semper salua sunt & integra. Siquidem testante Euãgelista, literaliter hæc in te completa est
a *Exod.* 12. & *Ioan.* 19. scriptura, de agno paschali: *a Os non confringetis ex eo.* Spiritualiter autem ista, quę dicit: *b Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus.* Nam agnus sine macula, te innocentem designat &
b *Exod.* 12. sine omnimoda culpa. Apertis ergo prophetijs simplices erudis ad fidem, obscuris verò dictis subtiliores ad alta quærenda mysteria suspendis. Aperta prophetia est: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Occulta est; *Ego sum vermis & non homo.* Aperta prophetia est: *a Videbunt, in quem transfixerunt:* Occulta est: *b Super lapidem vnum, septem oculi sunt.* Secũdùm hunc modum, & alia multa inueniuntur testimonia de te verisimè prædicta, quæ destruere non poterit Iudæorum fallacia. Ipsi enim conabantur falsum inducere contra te testimoniũ,

Psal. 21. *Ibid.*
a *Ioan.* 19.
b *Zach.* 3.

&

& non erat conueniens testimonium eorum. Væ tibi perfide, qui eligis potiùs perire quàm credere. Esto consentiens sermonibus veritatis, ne tibi dicatur, quod Saduceis carnaliter in lege & Prophetis caligantibus dictum est: *Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei.* Omnis enim prophetia ad Christum tendit, & in Christo consummationem accipit.

12. Veruntamen Domine Iesu, non tãtùm Iudeorum salutem præsens in carne cogitasti, sed & omniũ qui in te crediturí erant, per sacram Apostolorum prædicationẽ, quos specialiter ad hoc opus elegisti. Qui licet primùm simplices & sine literis homines fuerint, tua tamen quotidiana alloquutione, & largiori postea Spiritus sancti infusione, vt eis promisisti, in omnẽ inducti sunt veritatem, ita vt totius scripturæ caperẽt plenitudinem. Et tanto magis admiranda eorũ prędicatio, & certior fides eis adhibenda; quanto veriùs constat, quòd tãta magnalia ex seipsis nullatenus patrassent, nisi eos omnipotentissima manus tua roborasset: cùm omnino arduum sit & verè opus diuinũ, sacris fidei legibus totũ subdidisse mundum. O sapientia Dei, quæ ex ore Altissimi prodiisti: quãta pro nostra salute egisti, vt illuc nos reuocares, vnde cecidimus. Præmisisti Patriarchas & Prophetas, qui tuum nobis aduentum prænuntiarent. Dehinc Apostolos & Euangelistas destinasti, qui omnia esse completa docerent. O ineffabilis misericordia tua Domine, quæ supra id quam cogitari potest, declarata est. Nã nescientes te, solicitè quæsisti: deserentes te, nõ deseruisti: peccantibus tibi, benignissimè indulsisti: auersis longiùs à te, viã ostendisti æternæ salutis. Si tam pius factus es inimicis, quid eris amicis? Certè omnia in omnibus, vt nil desit tecum epulantibus & gaudentibus in regno Patris tui. Amen.

Sequuntur testimonia noui Testamenti, de eadem incarnatione Christi.

13. SEd iam ex nouo Testamento, pauca sunt etiam requirenda testimonia. Cuncta quæ inibi scripta lego, tua esse testimonia inhæsitanter credo. Et nõ sicut olim in figuris & ænigmatibus, sed planis ac potentibus verbis, te Christum Dei filium prædicãt. Testatur hoc primò Angelus Gabriel, missus ad Mariã virginem, dicens: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Testatur & Angelus loquẽs pastoribus: *Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid*, Testantur & illi deuotissimi Magi, qui ab Oriẽte venerant Hierosolymã, à qua in Bethleẽ directi, mystic is honorare muneribus, quẽ præuiderant in sydere. Testatur hoc idem memorandus ille Simeon, iustus

Testimonia ex nouo Testamento.

1. Angelus. *Luca 2.*

2. Magi sancti. *Matth. 2.*

3. Simeon iustus.

Luca 2. iustus & timoratus, qui expectabat consolationem Israël. Hic enim accepto responso à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, in spiritu venit in tẽplum. Accipiens ergo infantilis corporis tui membra in vlnas suas, sed maiestatem intus cognoscens, cum gratiarum actione deotè

Ibid. canebat: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Quo expleto cantico, ait etiam ad venerabilem matrem tuam: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* O deuota & sincera fides huius beatissimi senis! Ipse namque te adorauit infantem, quem Scribæ & Pharisæi contempserunt miracula facientem. Ipse te verum Deum confitetur, & hominũ illi seductorem vocant, & dæmonium habentem. Propterea iste veneratione & laude dignus habetur, & illi tanquam filij perditionis meritò refutantur. Testatur & venerabilis Ioannes

4. Ioannes Baptista. *Matth. 3. Lucæ 3. Ioan. 1. Ibidem. Ibidem.* Baptista, qui ad perhibendum tibi testimonium, diuinitus directus est in mundum. Et clamabat dicens: *Post me venit vir, qui ante me factus est, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Videns autem te inter homines conuersantem, sed ab omni peccatorum labe innocentem, ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ille erat lũcerna ardens & lucens, sed tu lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ille præco, sed tu Iudex. Ille humilis seruus, & tu omnium Dominus. Ille amicus Sponsi, tu Sponsus Ecclesiæ. Ille Prophetu Altissimi, tu vnigenitus filius Dei, coæternus Deo Patri. Ille tãquam Lucifer matutinus te præcessit, viam præparando, tu sicut sol rutilans, sequutus es, omnem iustitiam implendo. Qui & beatos Apostolos tuos, tanquam solares radios, misisti in orbem vniuersum ad prædicandum fidei lumen cunctis Gentibus in salutem. *a* Habes adhuc aliud testimonium, maius Ioanne. Pater

5. Trinitas *a* Deus Pater. *Lucæ 3.* enim de cœlis testatur dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* *b* Spiritus sanctus in columbę specie apparens,

b Spiritus sanctus *c* Filius. super te descendit ac mansit. *c* Tu præsens in carne, quantę gloriæ esses ac potentiæ, fidelissimo amico Ioanni, altiùs declarasti; ita vt præ magnitudine tunc sibi factæ reuelationis, priorem tui cognitionem, quam acceperat, potiùs ignorantiam reputans, diceret: *Et ego nesciebam eum.* O virum sanctitate excellentissimum, ad tam singulare altissimumque intuendum mysterium Trinitatis prælectum: cuius vita & mors, baptismus & prædicatio, tui aduentus in carne verissima extitit testificatio.

Ioan. 1.

6. S. Petrus. 24. Veniat nunc beatissimus Petrus Apostolus, feruidus amator

tor tuus, & deuotus confessor veritatis: quid sentiat, & qualiter in te credi oporteat, suppressis errantium opinionibus, palam edicat: *Tu es* (inquit) *Christus filij Dei viui.* O verè Apostolica confessio, quàm caro & sanguis nõ docuit: sed cælestis reuelatio filio columbę inspirauit. Ideoque ob firmitatem fidei suæ, meruit & Petrus à petra dici: quia tibi tanquam solidę petræ, omnibus relictis adhæsit. Si miratur quis rudem piscatorem, Apostolici ordinis factum Principem; miretur & Moysem ducem populi, & Dauid Regem, priùs aliquando pastores ouium fuisse. Qui ergo Moysem in Prophetam, & Dauid de postfœtantes suscitauit in Regem, ipse profectò beatum Petrum quondam piscatorem, totius Ecclesię suæ promouit in Principem. Procedat iam Paulus, magister Gentium, & doctor orbis, vas electionis & lumen Ecclesiæ vniuersalis, ad dandum tibi testimonium. *Vbi* (inquit) *venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Hic est ille glorioßissimus Paulus, cui de cælo loquutus es: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Hunc de persequutore prædicatorem, de Pharisæo Apostolum fecisti: iubens vt nomen tuum, quod antea persequebatur, per totum veheret mundum: nec timeret illud portare coram Gentibus, & regibus, & filijs Israël. Qui strenuè Apostolatus sui implens officium, ac per diuersas mundi discurrens partes, Euangelica cecinit tuba: peruenitque sonus nominis tui in fines orbis terræ, per os glorioßissimi Pauli. Iã enim non est in orbe Ecclesia, quę beati Pauli non fulciatur doctrina, sub pace Catholica. Cõfudit Iudęos, & vehementer eos authoritate sanctarum scripturarum conuicit, affirmans quoniam tu es Christus filius Dei. Gentiles conuertit, idola nihil esse docuit, Barbaros subiugauit, Philosophos confutauit, & omnes pariter ad fidei lumen traxit. Hic est ille diuinus Paulus, qui ad cœli tertij secreta raptus, Euangelium quod prædicauit, non ab homine neque per hominem, sed per reuelationem tuam (Iesu Christe) didicit. Ideoque confidẽtiùs illud prædicare, & magnificentiùs de eo scribere potuit, sicut & fecit. *Magnum est*, inquit, *Sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

Matth. 16.

Ibid.

7. S. Paulus. *Galat. 4.*

Actor. 9.

Ibid.

2. *Cor. 12.* *Galat. 1.*

1. *Tim. 3.*

25. Dicat & Andreas frater Simonis Petri, ardẽtißimus amator crucis, vnus ex discipulis beati Ioãnis: sed postea te sequutus, à quo etiam in Apostolum est electus; dicat inquam testimoniũ tibi, vt audiamus & credamus. *Inuenimus*, ait, *Meßiam, qui dicitur Christus.* O simplex & constans fides, cunctis imitanda Christianis. Simplici etenim corde te sequutus, deuota oris professione.

8. S. Andreas. *Ioan. 1.*

Simoni fratri suo mox pãdere curauit, quàm à te fonte veritatis hauserat fidem. Et adduxit eum, videlicet Petrum, ad Iesum. Hoc est enim verè te inuenisse, fraternæ saluti consulere, eique iter cœlestis vitæ ostendere. Non sic Iudæi qui tentantes dicebant: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Vę vobis Scribæ & Pharisæi, qui nec signis nec verbis Christi credidistis. Andreas homo sine literis, audiens Christum semel loquentem, sequutus est eum & credidit. Vos scientes legem & Prophetas, insuper audientes veritatem ex ore Christi, videntes quoque signa & mirabilia eius, quæ nemo alius fecit, necdum credidistis ei. Propterea grauius accipietis iudicium, & iudicabit vos pia simplicitas fideliũ, cum ijs qui dixerunt: Non est Deus, & vani sunt, qui seruiunt ei.

Ioan. 10.

9. S. Ioãnes Euãgelista.

26. Loquatur & ille prædilectus Apostolus Ioannes, *a* qui in cœna supra pectus tuum (Domine Iesu) recubuit. *b In principio* (inquit) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum.* Et infrà: *c Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenũ gratia & veritatis. d Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius.* Sed ô dulcissime Ioannes, quæ est causa huius Euangelicæ descriptionis? *Hæc autem scripta sunt, vt credatis: quia Iesus est Christus, filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* Hic est Ioannes, quẽ sæpe sibi socium adsciuit Petrus, ac pari constantia principibus & magistratibus restitit. Qui ab eisdem etiam cæsus non tacuit, sed pro nomine tuo (Iesu) contumelias atque verba gaudens sustinuit. Missus exinde ab Apostolis cum Petro, promptu Samariam adijt; vt credentes Spiritum sanctum acciperent, orauit, & impetrauit. Hic est Theologus Ioannes, Summæ Trinitatis limpidissimus inspector ac relator, colũna primitiuæ Ecclesiæ, rector ac fundator totius Asiæ: qui propter verbum Dei & testimoniũ Iesu, in exilium trusus Apocalypsis librum, cælestibus visionibus plenum, in eodem loco conscripsit: perhibens in principio & in fine, quia spiritus prophetiæ eius, est testimonium Iesu. Hic in epistolis suis, charitate diuina flagrantibus, pulcherrima quædam de incarnatione testimonia internectit: *Omnis spiritus*, inquiens, *qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est.*

a *Ioan.* 13.
b *Ioan.* 1.
c *Ibid.*
d *Ioan.* 21.

Ioan. 20.

1. *Ioan.* 4.

10. S. Phili. *Ioan.* 1.

27. Delectat & testimonium Philippi audire, qui inueniens Nathanaëlem dicit ei: *Quem scripsit Moyses in lege & Prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Sic enim adhuc à multis patiebaris te dici & putari, priusquam temetipsum mundo reuelares. Reuera autem nõ filius Ioseph, sed filius es intactæ puerperæ, perpetuæ virginis Mariæ, de qua Spiritus sancti conceptus es ope-

opera, & sine omni labe peccati procreatus. Huic veritati altiùs testimonium perhibet Nathanaël verus Israëlita, in quo dolus non est, & ait: *Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Si etiam legislatoris testimonium quæritur, adest Nicodemus princeps Iudęorum dicens: *Rabbi scimus, quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Iam nunc perpendite, ô Iudæi, & videte, quot testes habet Christus, quem vos negare non timuistis. Si adhuc plures desideratis, arguet vos fides Latronis, & cõfessio Cẽturionis, quorum vterque Christum cognouit: ille in cruce pendentem, iste cum clamore expirantem; & ait: *b Verè hic homo filius Dei erat.* Falsa est ergo obiectio vestra, quàm aduersus Christum tulistis, dicentes: *c Tu de te ipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum.* Quoniam quidem Christo non desunt testes, nec in veteri nec in nouo Testamento, si ea recipere velletis. Sed quia vobis charitas deest, nec habetis verbum Dei in vobis manens, propterea nulla vos potest authoritas informare. Quid mihi & Iudæis istis? Quæ pars fideli cum infideli? Non plus, quàm lucis conuentio ad tenebras. Attamen, dum eorum manifestus error conuincitur, nostra fides, in te (Domine Iesu) amplius solidatur. Prodest mihi stulta eorum interrogatio ad cautelam. Prodest multo fortius tua dulcissima responsio, ad doctrinam veram: Dixisti itaque eis: *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Libenter audio Prophetas de te loquentes, sed dulcius mihi insonat verbum ex ore tuo. Gratum est testimonium prophetarum, sed gratius accipio testimonium à te prolatum. Si enim testimonium hominis accipitur, testimonium tuum maius est; quia veritas es, quæ non fallit: sapientia quæ omnia nouit. Propter nostram tamen imbecillitatem firmandam adhibuisti prophetas, qui nobis profuere, non tibi. Sicut etiam quibusdam respondisti: *Non propter me vox hæc venit, ſed propter vos.* Gaudeo igitur (amantissime Iesu) in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. Exulto & in his, quæ Apostoli nobis tradiderunt & Euangelistæ. Quorum omnium vna fides, vnus spiritus fuit & intellectus, summè sibi concordans. Spiritus enim sanctus adimpleuit corda eorum, vt præteritorum simul & futurorum caperent arcana. Quæ dum lego vel audio, tota fidei deuotione amplector, & in tui nominis amore, quamuis indignus peccator, accendor. Mihi deseruiunt Prophetarum eloquia, eorum visiones, & cælestes alloquutiones. Mihi Euangelistarum proficiunt scripta, atque discipulorum tecum conuersantium corporalis aspectus, auditus, & tactus. Pro me viderunt, qui digni fuerunt.

11. Nathanael. *Ioan.* 1.
12. Nicodemus. *Ioan.* 3.
13. Latro Centurio.
a *Luca* 25.
b *Matt.* 27. *Marc.* 15.
c *Ioan.* 8.
2. *Cor.* 6.
Ioan. 8.
Ioan. 12.

Pro me audierunt, qui enarrare debuerunt. Pro me tetigerunt, qui me in fide confirmaturi erant.

Martyrum testimonia de Christo

28. Perhibent consequenter glorioſiſsimi martyres tui, valiſsimum testimonium tibi. Hi namque, non tãtum oris confeſſione, ſed & precioſi ſanguinis ſui effuſione teſtimonium reddidere: quos nec pœnarum acerbitas, nec blandimentorum mollities, potuit à vera fide vllatenus deflectere. S. Stephanus protomartyr tale perhibet teſtimonium: *Ecce video cælos apertos, & filiũ hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* B. Laurentius martyr, cùm eſſet in tormentis, hæc verba loquutus eſt: Domine Ieſu Chriſte, Deus de Deo, miſerere mei ſerui tui: quia accuſatus, non negaui nomen ſanctum tuum: Interrogatus, te Dominũ confeſſus ſum. B. Vincentius Leuita, martyrque magnanimus, licet toto extenderetur corpore, non eſt tamen confractus corde: ſed viua voce audacter exclamauit: Hęc eſt gloria nominis Chriſtiani, paratus ſum Chriſti ſeruus ad omnia. S. Ignatius B. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, plumbatis cæſus, vngulis laceratus, viuiſque carbonibus traditus, magnum fidei dedit teſtimonium: & quantum in eius corde exarſerat fortis, vt mors dilectio, feruenti indicauit reſponſo dicens: Nec ignis ardens, nec aqua ebulliens, poterit in me Ieſu Chriſti extinguere charitatem. O inſignem martyrem, cuius conſtantia ad admirationem duxit Traianum Imperatorem! Quis, inquit, Græcorum tanta toleraret pro Deo ſuo? Eia, quàm maximè decet eum venerari, ac deuotis laudum præconiis vbique proſequi; qui inter tot tormentorum genera, nunquã ab inuocatione dulciſsimi nominis tui (Domine Ieſu) legitur ceſſaſſe. Super quo requiſitus ait: Hoc nomen cordi meo inſcriptũ habeo, & ideo ab eius nominatione ceſſare non valeo. Quod poſtea ab eius corpore extractum atque per medium ſciſſum, inuentum eſt habuiſſe, Ieſus Chriſtus, aureis literis inſcriptum. O bone Ieſu, quàm amabile & iucundum eſt nomen tuum, in corde te diligentium! O quàm ſummè etiam mihi neceſſaria eſt frequens inuocatio melliflui nominis tui, inter tam multimoda tẽtamenta verſanti. Dignare igitur Domine Ieſu, dulciſsimum nomen tuum tanquam memoriale perpetuum, cordi meo inſcribere: & tam forti zelo charitatis illud accende, quòd nec triſtia nec læta me queant ab amore tuo ſeparare.

1. S. Stephanus. *Act. 7.*

2. S. Laurentius.

3. S. Vincẽt.

4. S. Ignatius.

Ieſus Chriſtus, literis aureis ſcriptum.

Cõfeſſorũ & doctorũ teſtimonia de Chriſto.

29. Perhibent etiam venerabiles confeſſores atque doctores, geſtis & doctrinis ſuis, multa laudabilia teſtimonia tibi. Hi enim ſunt, qui ſe murum pro eccleſia poſuerunt, & fortiſsimos contra hæreticorum verſutias dedere latratus. Ex his eſt glorioſus Hieronymus presbyter, egregius doctor Ambroſius, beatiſsimus præſul Auguſtinus, dulciſsimus Papa Gregorius, Venerabilis Beda,

da, deuotisimus Bernardus, cæterique huiusmodi nominati ac famosi viri, strenui opere, eloquentes sermone, fide catholici, scientia diuites, se & alios quàm plurimos ædificantes; ac posteris suis dignam memoriam diuinæ eruditionis relinquentes. Ait namque glorioſus pater Hieronymus, cùm positus in extremis sacram esset accepturus communionem: Tu es ille, qui cùm Deus esses solus ante omnia tempora, & sine principio genitus à Deo patre æterna & inuestigabili generatione, intra vnius puellæ, id est, virginis glorioſæ corpusculum, te clausisti factus homo. Sic enim in virginali vtero hominem suscepisti, quòd nec sine homine Deus es, nec sine Deo homo. Tu certè vita es, qua omnis viuit creatura, & sine qua moritur. Tu es vita vitalis dulcis & amabilis, atque iucunda. Odoris tui suauitas ægros recreat & debiles quos tuos facit sapor salubres ac fortisimos. Dicit hymnidicus orator Ambrosius: O mira circa nos tuæ pietatis dignatio. O inæstimabilis dilectio charitatis; vt seruum redimeres filium tradidisti. Ait eruditisimus doctorum Augustinus: Redemptor & conditor noster, Filius Dei, ante secula existens; filius hominis factus est, in fine seculorum: vt qui per diuinitatis suæ potentiam creauerat, ad perfruendam vitę beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret, ad percipiendam quam perdidimus vitam. Hic est sublimis ille contemplator Augustinus, cuius cor charitas Christi ita vulnerauerat: vt eius verba, quasi sagittas acutas, in visceribus gestaret: qui in primordijs conuersionis suæ, non satiabatur dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij diuini, super salute generis humani. Vnde & desiderio diuinæ cognitionis accensus, cùm supra se incommutabilem veritatem inquireret, hanc in vocem iubilationis erupit: O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas. Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Dicit præclarisimus Papa Gregorius: Venit inter homines mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, ad prębendum exemplum vitæ hominibus simplex, ad non parcendum malignis spiritibus rectus, ad debellandam superbiam timens Deum, ad detergendam verò in electis suis vitę immunditiam, recedens à malo. Idem: O quanta est misericordia conditoris nostri. Serui digni nō sumus, & amici vocamur. Origenes: Vnigenitus Filius Dei, qui ante secula ineffabiliter ex solo Patre natus est, iam seculi appropinquante fine, ex voluntate Patris, in humano corpore, sancto cooperāte Spiritu, inter homines venit. Isidorus: Cernēs Deus, quòd nec errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Filium suum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, & peccatores sanaret. Leo Papa: Ingreditur hæc mundi infirma

1. Hieron.
2. Ambros.
3. August.
4. Gregor.
5. Origen.
6. Isidorus.
7. Leo Papa

Filius

Filius Dei, de cæleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens, noua ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuiſibilis in ſuis; viſibilis factus eſt in noſtris. Incõprehenſibilis, voluit comprehendi: ante tempora manens, eſſe cœpit ex tempore. Maximus Epiſcopus: Saluator mundi per matrem naſcendi tempus accepit, qui de patre naſcendi non habet tempus. Habitator cæli venit ad terras, qui terrarum incolas euocaret ad cælum. Verbum caro factum eſt, non vt Deus vacuaretur in hominem, ſed vt homo glorificaretur in Deum. Fulgentius Epiſcopus: Chriſtus Dei filius de Deo vero Deus verus, & vnus cum Patre naturaliter Deus, ſemper ex ſeipſo ſanctos Angelos paſcit, ſed tamen Angelicam naturam Dei filius non accepit. Vt autem ſuam charitatem Deus commendaret in nobis, filius eius naturam noſtram ſuſcepit ex nobis; vt Deus vnigenitus, qui panis eſt Angelorum, vt etiam homini ſeipſum faceret panem, ſimul hominis & animam ſuſcepit & carnem. Accepit vtramque veram, vtramque ſanctam, vtramque mundam. Accepit animam noſtram ſine iniquitate. Accepit carnem noſtram cum mortalitate, vt ſecundùm ipſam morieus mortem vinceret. Accepit animam iuſtam, per quam noſtris animabus iuſtitiam redderet. Chryſoſtomus: Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, patrare diuina: accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates. Suſtinuit has neceſsitates, vt homo verus humanis actibus probaretur. Beda: *Verbum caro factum eſt*, id eſt, Deus homo factus eſt *& habitauit in nobis*, vt per cognatum nobis hominis habitũ, nobis conuerſando congruere, nos alloquendo inſtruere, nobis viuendo viam præbere, pro nobis contra hoſtem confligere, noſtram mortem moriendo ac reſurgendo poſſet deſtruere. Bernardus: Vnigenitus Dei, ſol iuſtitiæ, tanquam immenſi & præclari luminis cereus, huius mundi carcerem illuminaturus eſt accenſus: vt omnis, qui illuminari voluerit, accedat ad illum, illique iungatur, vt nihil medium ſit inter illum & ipſum. Idem: Ego arbitror inuiſibili Deo fuiſſe cauſam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus conuerſari: vt carnalium videlicet, qui niſi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones traheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritalem.

8. Maximus Epiſcopus

9. Fulgentius Epiſcopus.

10. Chryſ.

11. Beda. *Ioan 1.*

12. Bernar.

Mulierum teſtimonia

1. Maria Magdal. *Luca 7.*

20. Perhibent quoque illuſtriſsimum tibi teſtimonium Maria & Martha ſorores Lazari, quæ vnica deuotione tibi adhæſerunt in carne cõuerſanti. Maria hæc eſt deuotiſsima lotrix pedũ tuorum, quę non externas aquas, ſed contriti cordis ſui lachrymas

ad

ad abluendum obtulit, capillos ad extergendum expandit, labia ad osculandum præbuit, manus & brachia ad vngendum parauit. Totum quippe ad pietatem conuertit, quicquid priùs seculi vanitate contraxerat. O felix huius mulieris contritio, quam mox sequitur omnium peccatorum remissio. Nam quæ anxia venerat, libera redit in pace. Hæc iustior Pharisæo, fidelior Simone leproso: qua ille dubitat, ista credit; ille reprehendit, ista veneratur & diligit. Ille falsam iustitiam prætendit, ista veram humilitatẽ vbique ostendit. Hæc est gratissima & familiaris amica tua, quæ post multa humanitatis obsequia, etiam testis resurrectionis tuæ fieri meruit, & nuntia prima. Martha autem soror eius, satagens circa frequens ministerium, perfectæ fidei tibi reddit testimonium. *Ego*, inquit, *credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Hęc est illa dilecta hospita tua, quæ honorificè te sæpius in domum suam recepit corporaliter: sed intra domum mentis suæ, gratiorem parauit locum mansionis: vbi fide, spe, atque dilectione congaudente, spiritaliter recubuisti. Huius quoque perfectam fidem æmulata mulier quædam de turba, sublimi voce clamabat: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier fuisse cognoscitur, quæ Scribis & Pharisæis te blasphemantibus, tanta incarnationis tuæ mysterium sinceritate confitetur.

Ioan. 20.

2. Martha.

Ioan. 11.

3. Mulier Euãgelica *Luca* 11.

31. Perhibent etiam sacrę virgines testimonium tibi, quarum Sponsus & consolator dignatus es fieri. B. Agatha, ingenua virgo & spectabilis genere ait: Mens mea solidata est, & in Christo fundata. Hæc est, quæ latissimè & glorianter pro nomine tuo ibat ad carcerem. Hæc post torturam & abscisionem mammillarum suarum, nullum carnale medicamen quęsiuit. Sed habeo (inquit) Dominũ meũ Iesum Christum, qui solo sermone restaurat vniuersa. Lucia virgo deuota, iucundum tibi habitaculũ in sua virginitate præparans, magnam fidei suæ ostendit virtutẽ, dicens: Ego per tres annos sacrificaui Deo viuo. Iam quia nihil supereſt, meipsam offeram in sacrificium Deo hostiã viuentem. Et cùm incendio traderetur, orando vim ignis repressit, dicens: Rogaui Dominum meum Iesum Christum, vt ignis iste non dominetur in me. Agnes virgo beatissima, tua specialis & dilecta sponsa, tam euidens tibi perhibet testimonium, vt non humanum sed diuinum videatur fuisse oraculum, omne quod dixit. Naturam & ætatem superat, quod hęc nobilis virgunc-ula, de fide & castitate, de amore & pulchritudine Sponsi sui proferebat. Amo (inquit) Christum, in cuius thalamum introiui, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit. Ipsi soli

Virginum testimonia 1. Agatha.

2. Lucia.

3. Agnes.

soli seruo fidem; ipsi me tota deuotione cõmitto; cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Et gloriabatur, sicut dignum omnino erat, dicens: Annulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus, & tanquam sponsam decorauit me corona. Cæcilia virgo clarissima, in pectore suo gerens Euangelica verba, tibique soli placere desiderans, nulli animum voluptati dedit nec vanitati: sed ieiunijs & orationibus intenta, in corde suo decantabat dicens: Fiat Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, vt non confundar. Interrogata autem de fide, magna constantia respondit: Nos scientes sanctum nomen, omnino negare non possumus. Similiter & cæteræ sacræ virgines, Catharina, Barbara, Vrsula, & Christina, in fide constantes, in amore tuo feruentes, lenocinia carnis calcantes, Angelicam puritatem diligentes, sexum vicêre in seculo, & nomen sempiternum meruerunt in cælo.

4. Cæcilia.

5. Catharina, Barbara, Vrsula, Christina.

32. Perhibent etiam testimoniũ tibi ipsa elementa, quę condidisti. Dignum quippe fuit, vt & irrationales creaturæ suum cognoscerent creatorem: & quem vocibus nuntiare non poterant, eximijs signis declararẽt. Tibi enim sicut creatori suo, omnis tenebatur famulari creatura. Præbens ergo insolitæ nouitatis obsequium, factis sine dubio ostendit se cognouisse Dominum. Nam cælorum te esse Dominum cæli cognouerunt; quia in ostẽsione natiuitatis tuæ, *a* stellã protinus miserunt. *b* Terra cognouit, quæ quatriduanum mortuum Lazarum, ad vocem clamoris tui reddidit. Sed & in passione tua, mota est & cõtremuit. *c* Mare cognouit, quia solidum iter pedibus tuis præbuit, ac Petro Apostolo viam ad te meabilem fecit. *d* Aër cognouit, quia à duris flatibus, te iubente mox siluit. *e* Sol quoque cognouit, quia passionis tempore radios sui luminis subtraxit, ne morientem cerneret, quẽ suæ pulchritudinis fabricatorem intellexit. *f* Petræ & saxa cognouerunt, dũ eadem hora ad compassionem scissa sunt. *g* Nubes cognouerunt, quia ascendentem in cęlum susceperunt. Cùm ergo omnia hæc elementa, Deum ac Dominum suum in carne venisse proclament, noli tu homo rationalis creatura dubius esse aut segnis, ad confitendum mysterium incarnationis Christi, pro tua præcipuè saluatione gestum, plenum diuinis miraculis, firmatum vndique scripturarum testimonijs: ne fortè insensatis insensibilior, aut iumentis stolidior fias. Quemadmodum contra Iudaicam perfidiam, intonat per Isaiam Dominus: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel me non cognouit, populus meus non intellexit.* Sed his iam sub moderamine perscrutaris, sint gratiæ & laudes tibi (Domine Iesu) infinitæ, atque in nomine tuo flectatur omne genu, cælestium, terrestrium,

Elemẽtorũ ac creaturarũ rationis expertium testimonia.

a Cæli. *Matth. 2.*
b Terra. *Ioan. 11.*
Matth. 27.
c Mare. *Ioan. 6.*
Ioan. 2.
d Aer. *Matth. 8.*
e Sol. *Luca 23.*
f Lapides. *Matth. 27.*
g Nubes. *Act. 1.*

Isaiæ 1.

Phil. 2.

strium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria Dei patris. Amen.

SECVNDA.

De desiderio Prophetarum, & deuota præparatione erga aduentum Christi.

1. ECCE *veniet desideratus cunctis gentibus.* Attendite & auscultate omnes fideles & deuoti, quid de Christo loquãtur Prophetarum libri. Decet namque nunc in tam sacro tempore aduentus Domini specialem habere memoriam, de prophetijs incarnationis Iesu Christi. Idcirco enim nobis quotidie sãctorum prophetarum scripta de Christo palam recitantur: quatenus audita voce præcedentium patrum, magis ac magis in amore Verbi incarnati, totus affectus cordis nostri accendatur. O quanto desiderio olim ardebant sancti Patriarchę & Prophetæ, de sola futura promissione. Pudendum nobis valde est, si minori nunc flagremus desiderio, ad exhibitã Christi in carne præsentiã: quãdo illi ardebant, ad solam Verbi incarnandi memoriam. Exultauit Abraham pater omnium credentium, vt videret diem Christi, quem in spiritu de sua stirpe nasciturum præuiderat. Et gauisus est gaudio non modico, propter certam spem, quam de Christo nascituro acceperat. Similiter autem & alij multi antiqui sãcti, id ipsum frequenter desiderauerunt, qui per spiritum hoc præsciuerunt cupientes tam magnum citiùs impleri mysterium, quod nos iam gaudemus esse completum. Quod satis euidenter Dominus ostendit, cùm præsens in carne discipulis suis ait: *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* *Aug. in.* *Ioan. 8.* *Luæ 10.*

2. Paruum igitur amorem videtur habere ad Christum, quisquis in desiderio animæ suę non recogitat, quàm diuinũ sit mysterium, quàm magnum beneficium homini collatũ, quòd Christus incarnari voluit. Attamen, libenter pius Dominus, de se meditantibus gratiam deuotionis dare consueuit, qui ad dandã benedictionem in hunc mundum venit. Quia sine vnctione non est Christus, nec sine dulcedine cogitatur Iesus. Neque enim dubitandum, quin studiosis mentibus multæ latæ ac pulchræ sanctæ meditationis occurrent materiæ, quę desidiosis & negligentibus velatæ sunt & remotæ. Quia Christi mysteria intelligere digni non sunt, qui ea cum humilitate & desiderio nõ requirunt. Hinc ad discipulos ipse dicit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* *Luca 8.*

3. Trahit autem vehementer amor Iesu amatores suos, ad ruminandum

minandum melliflua verba ex ore eius procedentia, & ad cogitandum diuina eius opera in carne patrata: ad quæ dignè pensanda, nulla sufficiunt tempora vel momenta. Talibus enim familiare est, in quibuslibet necessitatibus suis & causis, ad dilectissimum amicum & consolatorem suum Iesum recurrere. Quia ipse fons omnium gratiarum & virtutum, qui solo verbo & vnico nutu cuncta potest indispositа reformare. Diuersis autem modis, ab ipso consolationem recipiunt, & interdum valde magnas mentis illuminationes merentur, qui sic deuotè ac humiliter ad ipsum confugiunt. Et quanto intimiùs se ad ipsum conuertunt, tanto altiores mentis excessus ab ipso visitati incurrunt. Danda est ergo magna opera his deuotis diebus, & semper aliquid salutare in corde versandum, de lege & Prophetis, de desiderio antiquorum patrum, de cælestium profunditate mysteriorum, de reuelatione futurorum, ampliùs autem de adimpletione omnium promissorum.

4. Frequenter etiam & instanter est orandum, vt affectus noster ad Christum intimè trahatur: & intellectus spiritualium rerum, cum Prophetis nobis aperiatur. Sic enim in agnitione filij Dei proficere poterimus, & in virtutibus ampliùs crescere, qui pro nostra salute dignatus est homo fieri. Quam excusationem poteris anima mea prætendere, si tantam neglexeris gratiam cogitare? Quid inquam Christo in futuro respondebis, si non fueris grata tantis beneficijs, quibus te prærogauit præ multis gentibus & linguis? Quanti enim fuerunt, qui Christum non cognouerunt, nec de illo audierunt? Quanti etiam, qui contempserunt & credere noluerunt? Tibi autem datum est non solùm credere & audire, sed etiam quę de Christo scripta sunt & prophetata, legere ac intelligere. Sis igitur de exhibitione talium beneficiorũ Deo grata, & inconsideratione operum diuinorum studiosa. Totum vtique est plenum spiritu & veritate; totum plenum amore & suauitate, quicquid de Christo scribitur vel cantatur. Non deest materia exercendæ deuotionis, nec tempus sacrę medita-

ibri etiam aperti sunt, & sermones sanctorum multiplicaomnia bene ordinata à patribus, in agendis diuinis officijs. Quid igitur habes dicere, non sum valens pro bona meditatione, cùm tanta sint præparata, in cunctorum fidelium consolationem? Tempus etiam hoc hyemale aptum satis est, pro deuotione exercenda & vnione cum Domino possidenda. Quamuis enim frigidum sit, tamen interni amoris incendium impediri non potest, nec extingui. Sed & noctes solito longiores, diutiùs orandi atque psallendi tribuunt facultatem. Nec nõ asperitas imbrium,

ven-

ventorum vis & algor, euagãdi tollunt opportunitatem. Omnia enim videntur nunc dicere. Maneat vnuſquiſque apud ſe, & occupet ſe tantùm cum Ieſu die ac nocte. Nullus egrediatur extra oſtium tabernaculi ſui, quia tempus non patitur: ſed ſabbatizet ſabbatum mentis, & præparet Domino locum pulcherrimæ in ſe manſionis. Nam quanto ſenſus exteriores magis reſtricti ſunt & vniti: tanto ſpiritus intus liberior fit, & ad diuina cõtemplanda potentior. Sed iam nil reſtare videtur, quàm gratia & virtus Spiritus ſancti: ſine qua inops eſt vita noſtra, & infra iacens hominis quælibet diligentia. Hęc autem ſi adſit, citò ad ſuperiora rapit: & ſatis eſt amanti, etiam ſi literas neſciat. Scienti autem literas, ad intellectum neceſſarius eſt ſpiritus; quia ſine ſpiritu, literæ caſſæ ſunt, ſicut & preces inſipidæ omnes.

6. Inſiſte igitur deuotioni maiori, in tam ſacro tempore aduentus Domini: ab eo autem ſpecialiter die, quo cantatur. O ſapientia, in feſto beatę virginis Luciæ. Tunc ſurſum cor & anima, ad Chriſtum affectuoſiùs ſunt ſubleuanda: quia ipſe eſt, quẽ aduenire deſiderat ſancta mater Eccleſia. Hęc ſiquidem exclamatio ſanctorum Prophetarum, deſiderium ingens inſinuat, nec non cuiuſlibet fidelis animæ affectum Chriſti optantis aduentum. Tanquam inter votiuas preces diceret: O bone amantiſsime Ieſu, vera & æterna ſapiẽtia Patris, qui nos mirabiliter creaſti, veni & ſalua iam lapſos mirabiliori ordine, quo id agere diſpoſuiſti. Veni ad viſitandum nos in ergaſtulo carnis, naſcẽdo ſine contagio carnis: vt liberentur electi tui, quos pondus peccatorum grauat, & horror mortis grauiter affligit. Veni ad illuminandum mundi tenebras, & tenebroſas expurga conſcientias: quatenus peccatorum vinculis abſoluti, in tua miſeratione lætemur: atque gratia tua erecti, ſpe æternorum bonorum conſolemur. Per te Ieſu Chriſte, verum animæ lumen, ex Patre ante ſæcula genitum. Amen.

TERTIA.

De occurſu & ſuſceptione cæleſtis regis.

1. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.* Olim Deus loquens Patribus & Prophetis, multos teſtes ſuę incarnationis præmiſit, & nunc ſub eiſdem penè verbis, cuilibet animę fideli ſui aduentus tempus denuntiat. *Dicite*, inquit, *filiæ Sion*. Vos qui ſpiritales eſtis, & prophetiæ ſpiritum habetis: Aut vos, qui Prophetas legiſtis, & ſcripturas noſtis, dicite inquam animæ expectanti & meum aduentum plurimum deſideranti, vt oculos fidei ſuę aperiat, & me ſtatim adeſſe cognoſcat. Nam talẽ animam quæro, quæ me videre deſiderat, & de me frequenter cogitat. *Matth. 21.* *Ibid.*

Huic

Huic mando & remando, ne tædio torpeat: sed euigilet, surgat, & expectet. Oret proindè, & legat literas meas de cęlis sibi destinatas, intendat eis frequenter; & donec veniam, recreet se in eis, & consoletur valenter; nec desistat à precando & desiderando, quia veniens veniam, & non tardabo. Longam satis moram protraxi, repentè venire nolui: plures tamen & solennes nuntios præire feci, frequenter per illos mandaui & annuntiaui, vt desiderium excitarem, & gaudium de aduentu meo magnificarem.

Abac. 2.

2. Nam magnus rex alicubi venturus, magno desiderio est suscipiendus. Qui ergo vehementer me desiderat, magis de præsentia mea, cùm venero, gaudebit. Qui autem mundo deditus est, me desiderare non potest. Qui verò omne mundi solatium spernit, ac distractiones cordis fugiens, se in intimis recolligit, æterna desiderans, præsentia fastidiens, ipse diē visitationis meæ, & horam aduentus sancti sanctorum, cælestis quoquè regis gloriosam præsentiam, accelerare deprecatur, dicens: Veni Domine, visitare me in pace, vt lætèr coram te corde perfecto. Veni desideriū cordis mei, lumen oculorum meorum, & pax. Tu spes mea, expectatio Israel. In te speraui, ne confundas me ab expectatione mea, quia ad te animam meam cum desiderio leuaui. Tali animæ sic desideranti, & me de die in diem quærenti citò apparebo, & meipsum manifestabo. Ego enim sum Dominus Deus eius, qui loquutus sum in Prophetis. Et vsquè nunc loquor omnibus, sed specialiùs tamen amicis meis fidelibus; singulariter autem ei, qui præ cæteris me magis affectat, atque reuerentiùs suscipere, & ad se introducere concupiscit. Et nunc propè sum, dicit Dominus. Iam tempus meum impletum est, vltrà non morabor. Implebo verbum meum quod dixi, satisfaciam promissioni meæ, non differam desiderium animæ: erit, quod petiuit; fiet, quod optauit: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.

3. Gaude & lætare anima fidelis, quia venit tibi rex de cęlis. Hic est Dominus Deus tuus, conditor & redemptor tuus, diu expectatus, ardenter desideratus, & ad veniendum iam paratus. *Nolitimere filia Sion ecce rex tuus venit.* Ecce cælum, vnde egreditur. Ecce mundus, quem ingreditur. Ecce in dextera eius ignea lex, in sinistra eius diuitiæ & gloria. Ecce in circuitu eius Angeli & Archangeli, ante eum Prophetæ, iuxta eum Apostoli, post eum innumerabiles sanctorum chori. Ecce quantus hic, qui ingreditur; cui Dominationes occurrunt, & omnes virtutes cælorum famulantur. Ecce venit pius & māsuetus, pauper & humilis rex in humanitate, qui iudicaturus est orbē terræ in æquitate.

Matth. 21.

Beati

Beati oculi, qui ista vident, & æterni regis opera ad suam ædificationem considerant. Quia non in eis pompam huius mundi videbunt, sed omnem humilitatem & mansuetudinem, in tanti regis aduentu inuenient. Beati omnes, qui spiritualis intelligentiæ oculos habent, & in lumine fidei æternæ veritatis lumen aspiciunt.

4. Videtur mundus iste visibilis oculis carnis, etiam ab infidelibus & paganis; sed ipse inuisibilis conditor orbis, oculis cernitur mētis ab vniuersis Christi fidelibus, ex totis prę cordijs Christum amantibus. Nam credere in Christū, mente cernere est: & ardenter amare, ipsum tenere est. Sic enim videbant eum sancti Patriarchæ & antiqui Prophetæ, qui longè antè aduentum eius prædixerunt, & multa de eo prophetarunt. Prophetæ namque olim vocabātur videntes, quia quem cæteri nesciebāt, præuidebāt: & alijs indoctis, verbis & scriptis suis insinuare curabāt. Sic anima & nos Christum videmus, qui post eius incarnationem ad fidem venimus: quia cuncta, quæ de eo legimus vel audimus, firmiter animo retinemus: & à Prophetis veraciter prædicta, & ab Apostolis fortiter confirmata confitemur, laudamus, & prædicamus. Beati ergo oculi eorum, qui licet Christū in carne non viderunt, tamen fideliter in eum credunt, deuotè venerantur, castè diligunt, ardenterque suscipere desiderant. *Ioan. 20.*

5. Ecce Rex noster aduenit de cælis, læti occurramus ei, & deuotis illum amplexibus suscipiamus. Lætentur cæli, id est, alti cōtemplatiui; & exultet terra, id est, simplices, actiuæ vitæ dediti, ante faciem Domini: quia venit, quoniam venit saluare nos, & dare se nobis. Iubilate montes laudem, & stillate doctores verbi dulcedinem, & fluant colles lac & mel ad omnium nostrū spiritualem consolationem. Canite tuba in Sion, excitentur omnes torpentes, dispersi congregentur in vnum, confortentur pusillanimes, consolentur tristes, erigantur infirmi: omnes conueniāt, singuli de locis suis properent; quia magnus dies in Israel, dies sanctus Domini, dies festus regis æterni appropinquauit. Lætare Hierusalem, & conuentum facite cuncti fideles, qui diligitis Iesum Christum, gaudium omniū se amātium. Quia non in tumultu, nec in apparatu visibili apparebit: sed in spiritu lenitatis & māsuetudinis, illum ab intus videbitis. Gaudeāt igitur, & præparent se vniuersi populi, tribus & linguæ. Sed tu anima deuota, filia Sion, cuius tota intentio ad Deum conuersa est: tu, inquam, magis exulta. Tibi enim per Prophetam à Domino dicitur, tibi specialiter mandatur: tu ex nomine amicabiliter vocaris, vt audias & videas, qualis est, qui ad te vēturus est. Ecce Rex tuus venit tibi. Ecce Rex tuus, non terrenus, nō temporalis, nec morta-

lis: sed cælestis, æternus & immortalis. Ecce venit, nõ regnare in mundo, sed saluare mundũ sanguine suo: Ecce Rex, nõ Rex Romanorũ, aut Francorum: sed Rex Regum, & Dominus omnium dominorum. Per hunc Reges regnãt in mundo, & sine eo, nemo coronabitur in cælo. Rex cæli est iste, & venit non terram accipere, sed regnum dare cæleste. Qui ei seruire voluerit, faciet illũ secum regnare: & quicumque sibi obedire contempserit, à regno eius excluſus erit. Ecce Rex tuus, quem desideras, quem amas; in quem credis, & in quo speras. Omnibus quidem creaturis rex est generalis, tibi autem per amorem specialis, sicut proprius sponsus & amicus familiaris. Tuus inquam, quia pro te solicitus amplius: tibi vigilantiùs intentus: tibi affectuosius inclinatus propiorque coniunctus; ita vt dicere verè possis: *Rex meus & Deus meus.* Nam ab æterno te dilexit, & nunc vt te liberet & saluet, de cælo à regalibus sedibus venit. In quo si gloriari volueris, nescio, quomodo poteris contristari vel desperare.

Ps. 5. & 83. Sap. 18.

7. Ipse enim Rex & gubernator omnium, & quę potenter fecit, sapientissimè regit: vt meritò Rex & Dominus dici debeat vniuersorum, & tuus tamen ex speciali gratia donorum. Ab ipso dependet cælum & terra, & eius imperio regitur omnis creatura. Huius potentiæ nemo resistere potest, eius sapientia disponuntur vniuersa. Sapientia & virtus eius cum ipso, & ipse fecit omnia, & non est finis magnitudinis eius. O quàm excelsus & immensus est iste, præ cunctis regibus & principibus, de quo loquitur Propheta in psalmo: *Deus autem Rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ.* Ecce venit: Venit non in auro & argẽto, nec indutus purpura & byssо: non in equis phaleratis, aut armis splendentibus non in clangore buccinæ & cytharæ; sed in humilitate & paupertate; in mansuetudine & charitate; vt amaretur potiùs, quàm timeretur; vt attraheret magis ad se peccatores, quàm fugaret.

Psal. 73.

7. Sed propter quid venit? Venit propter nimiam suam charitatẽ, qua te dilexit; vt redimeret, quem perditum sciebat. Venit propter tuam necessitatem & defectibilitatem, quæ multiplex & magna nimis erat. Venit à peccatis te liberare, & precioſi sanguinis sui effusione purgare. Venit ignorantiam tuam illustrare, & viam veritatis ostendere. Venit infirmitatem tuam adiuuare, & tolerantiam in aduersis docere. Venit à terrenorum appetitu reuocare, & ad cælestia amanda sustollere. Venit virtutes prędicare, & finem vitijs imponere. Venit gratiam infundere, & cęlestiũ consolationum dulcedine lętificare. Venit omnibus bonis te replere, & ab omnibus malis eripere. Venit æternam beatitudinem tibi donare, & pro te temporalem miseriam sustinere. Ve-

Ephes. 2.

nit

nit omnia sua tibi conferre, & super omnia dona seipsum tibi in perpetuum fruendum prębere. Vt enim tu æternaliter gauderes, venit ipse laborem & dolorem susc ipere. Vt tu ditescerés, venit depauperari. Vt tu regnares, venit exulare. Venit ad errantẽ via, ad ignorantem veritas, ad mortuum vita, ad cæcum lumen, ad infirmum medicus, ad desolatum consolator, ad damnatum liberator, ad seductum consiliator, ad desperatum Saluator. Ecce propter quid venit, & quantum tibi suo salutari aduentu contulit.

8. Non misit Angelum, non Archangelum, non Patriarcham, non Prophetam, sed venit ipse Rex Angelorum, & Dominus Prophetarum ad liberãdum te; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, qui fecit te. Siquidem omnes reges & Prophetę, qui ante eum fuerunt non potuerunt quemquam de manu mortis liberare, neque ad ęternam vitam perducere: sed iste rex potentissimus & magnificus per sæcula, de manu mortis populum suum liberabit, vincula inferni destruet, & in paradisum electos suos perducet.

9. O si bene intelligeres ac diligenter animaduerteres, qualis ac quantæ maiestatis sit iste rex glorię, attolleres vtique portas cordis tui affectuosissimè; & introduceres ad te regem perennis gloriæ. Quia cum summa exultatione, cum ingenti honore & solemni præparatione, decet talem ac tantum Regem suscipere. Si enim mandasset tibi rex aliquis terrenus, aut vnus ex principibus eius: Cras veniam ad te, para mihi hospitium, volo apud te mansionem facere; qualem putas haberes solicitudinem, quantamque duceres admirationem? Nunc ecce mandat tibi rex, de cœlo loquens per Prophetam: *Præparare in occursum Deitui Israel, quia ego veniam, & habitabo in medio tui.* Amos 4. Idcirco ad hunc suscipiendum hospitem, cordis tui adorna thalamum: quia non solũ ad te venire, sed etiam in te habitare desiderat, & tanquam in thalamo suauiter requiescere. Fęlix anima, quę in se huius tanti hospitis meretur aduentum: & quem omnis creatura dignè non capit, ipsa amatiuis desiderijs, in secretissimum trahit secretum: vt tanto fælicius intus quiescat, quanto exterius nihil eam delectat. Beata planè, ad quam venire dignatur altissimus de cælis, rex regum Dominus: non vt iudicet aut terreat, sed vt piè eam tanquã bene cognitam & sibi prælectam visitet & consoletur. Venit enim rex mansuetus visitare & consolari omnes lugentes Sion, dare pacem habitantibus in terra, differre districtum iudicium, prerogare misericordiam, veniam tribuere peccantibus, suscipere pœnitentes, nulli denegare gratiam: & postremò omnibus expectantibus se in salutem, gloriam præstare sempiternam. Amen.

QVARTA.

De Natiuitate Christi: & de festis anima.

Ista cuius festo aptari possunt.

Ioan. 3. 1. LVX *venit in mundum.* Adiuua me omnipotens Pater, vt secundùm desiderium cordis mei, dulcis aliqua & deuota materia, de solemnitate hodiernę festiuitatis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi; mihi meditanti occurrat, quę ad deuotionem & gratiatum actionem meum torporem excitet. Illustra cor meum inuisibili luce sapientiæ tuæ, qui hãc sacratissimã noctem veri luminis ortu feci sti clarescere, & hunc diem solemnem festiuis gaudijs sanxisti celebrandum. Neque enim quicquã iucundum erit mihi aut festiuum, nisi tu ipse mentem meam priùs illustraueris; quatenus ab omni vitiorum tumultu serenata, in tanta solemnitatis contemplatione rapiatur. Felix festiuitas, quando & mentis iucunditas sentitur, & spiritalibus epulis anima à te inuitata largè reficitur. Non enim festum mihi est, si in corde non est. At verò idcirco sæpe exteriùs recolitur, vt grauiùs & iucundiùs intus celebretur. Nam exteriora festa, internorum sunt incitamenta festorum, & æternorum quædam prę sagia gaudiorum. Quando igitur exterioribus festiuitatibus interior homo meus bene concordat & congaudet, non mihi iam simplex, sed duplex festum esse videtur: quia quod foris agitur, ab intus priùs tenetur.

2. Est etiam maius duplex festum, est & solemne. Quæ anima spiritalis & deuota meliùs intelligit, quę talia in spiritu & veritate celebrare consueuit. Spiritualis enim omnia iudicat. Et quãtum vnum festum cordis ab altero differt; atque iucunditate speciali præcellit; ipsa, ad quam Iesus venire, & se in die festo manifestare dignatur, suaui docta experientia satius nouit. Ipse est enim, de quo prę cipua festa solemnizantur; & beata, cui occurrit, ac sese lætanter videndum concesserit. Æstimo autem, quòd non semper vno eodemque deuotionis affectu anima ad Deum trahitur, nec pariformiter à suo dilecto visitetur. Et ideò secundùm minores & altiores visitationes, potest non inconuenienter festorum discerni varietas; ita vt tunc duplex festum in anima sit,

Psal. 33. quando secundùm Prophetam Dauid, cor & caro pariter in Deo viuo exultant. Dum tanta lætitia cordi infusa sentitur; vt exterioribus eam vocibus & motibus prodere oporteat, ac Deo deuotè iubilare hymnis & canticis delectet. Tunc autem maius duplex agitur, quando tanta est interioris hominis inebriatio, & exterioris sensibilis quædam iucunditas, vt hanc capere & sufferre

ferre (præ æstu amoris) humana nequeat infirmitas: sed neque per aliqua verborum signa exprimi potest, quæ anima secum geri, in tali festo à Deo visitata, sentit. Silentio magis contegenda sunt, siquando aliqua huiusmodi diuinitus sentiri donantur. Soli autem Deo secretiùs illa confert, qui eam in silentio suo, & sine voce meliùs intelligit. Oportet enim tunc omnem silere creaturã, quando Deus loquitur animæ supra naturalem intelligentiam. Et tunc optimè docetur, quando sic sermo cum solo Deo habetur. O doctor veritas, quàm citò & perfectè imbuitur, cui te ipsum manifestas. In hoc festo, aperiuntur tabulæ altaris, & sanctorum reliquiæ ostenduntur: quia huic amanti animæ abscondita scripturarum panduntur, & secreta cælestis patriæ, sanctorum status, ac præmia æterna pro speciali consolatione reuelantur.

3. O magnum & iucundum festum, non omnibus sed paucis ad celebrandum concessum! Quàm longè sunt hæc sancta celebria à dilectoribus mundi, qui terrena tantùm sapiunt, & ad sola exteriora respiciunt. Stultum est illis, & propè nihili esse videtur quicquid exterius non fulget. Mirantur plerumque, quomodo boni Deo vacare possunt, & à voluptatibus carnis abstinere: quia ignorant, quantam intus consolationem spiritus habent & sentiunt, qui pro amore Dei cunctis voluptatibus mundanis renuntiant. Ignorant autem tales & errant, qui sola visibilia sequuntur & diligunt.

4. Sed quando solemne animæ festum agitur? Vtinam sit, qui dicat, & ad me peruenire faciat: si tamen dici valeat, quod tam altum est secretum, vt ab omnibus precedentibus modis sit remotum. Si quando igitur in excessu mentis anima posita, omnium præsentium & sui pariter oblita, solius Dei memor extiterit: atque ab omni corporea imaginatione libera, in diuini luminis abyssum transierit speculando æterna: quis hanc neget solemne festum agere, quę æterni solis radijs illustrata, supra cuncta creata stat tam eleganter suspensa? Hoc autem totum magis spectare videtur ad æternæ beatitudinis gloriam, quàm ad prę sentis vitæ miseriam. Nomẽ igitur & memoriam solemnis festi nũc potiùs quàm veram experientiam habemus, quia perfecta eius claritas sanctis reseruatur in cælis. O festiuitas festiuitatum, vbi homines & Angeli congregati, pariter Deum laudãt trinum & vnum. O quàm solemniter ibi cantant, quàm dulciter iubilant, vbi Deum semper præsentem habent, clarè intuentur, iucundeque speculantur. Nimirum ex memoria illius iubilationis & perpetuę cælestis solemnitatis, dissonat mihi omnis iucunda festiuitas præsentis temporis,

5. Ad illud igitur solēne & æternum festum, quod pro sui magnitudine nec concipi potest, nec dici, totus affectus nostræ deuotionis vehementer aspirare debet & incitari, quotiescumque in terris festa solenniter celebrantur. Vnde omnia festa nostra, potius sunt illius æternę festiuitatis quędam præambula, quàm vera festa dicenda. Hic tamen in lumine fidei inchoantur, sed illic in luce gloriæ cuncta perficientur. Ibi est enim angelica laus, & animarum sanctarum concentus suauissimus. Ibi in præsentia conditoris, cuncti lætantur vnanimes. Nobiscum verè bene agitur, si quid parum inde aliquando sentire donatur. Quem non delectaret hymnidicis angelorum choris interesse? Vbi nulla vocum dissonantia, nulla leuitas dissoluens, nulla occupatio impediens, nulla necessitas perurgens; nulla infectio inficiens, nulla imaginatio distrahens; nulla materia turbationis, nulla occasio tentationis; nulla negligentia, nulla confusio, nullus labor, nullū tædium, nulla fatigatio: sed summa pax & tranquillitas; summa lætitia & dulcedo melliflua; summa concordia & Deifica claritas, plena fœlicitas & perfecta securitas.

6. O quàm breue est & modicum, quod nos celebrando agimus, quàm imperfectum & obscurum, quod nos recolimus. Quamdiu enim corruptionis nostræ tenebras patimur, quamdiu mortale corpus gerimus, vix clarè aliquid de immortalitatis luce, & incircumscripto spiritu, comprehendimus. Nam vna penè nocte ac die nostra decurrit solemnitas, quia nec diu in deuotione, potest nostra subsistere infirmitas. Et vtinam maior pars tēporis spiritualibus expenderetur harmonijs, & minus haberet de externis frequentiis. Liquet satis considerata veritate, quòd imperfecta sint nostra hîc solemnia, quantumcunque altè cantetur vel pulsetur: quantumcunque interius iucundetur aut iubiletur: quia cito præsens lætitia, per diuersa distrahitur obstacula. Nec tamen id nimis mirum, cùm aduenæ simus & peregrini super terram, & totum tempus nostræ peregrinationis, luctui magis aptum sit quàm lętitiæ; & festa celebrare potius spectet ad cæli ciues, quàm ad exules filios Euæ.

7. Sed ne propriis miseriis deiiciamur & grauemur, & diuinorum beneficiorum immemores efficiamur, prouidit ęterna Dei sapientia, & sancta mater instituit ecclesia, quatenus in desiderio animæ singulis annis, Christi & sanctorum eius agantur solemnia; vt deuotio excitetur, fides incalescat, & charitas augeatur. Nam tanto deuotiùs quis festa celebrat, digniusque in sanctis suis Deum honorat: quanto in spiritu plus proficit, & ad amorem æternitatis se latius extendit. Propterea enim venit lux in mundum, vt viam nobis demonstraret ad cælum. Vt cor nostrum in

sui

sui amorem accenderet, & à cunctis terrenis extraheretur. Vt nobis lumen daret sapientiæ, & tenebras fugaret ignorátiæ. Vt nos vnum secum efficeret, participes regni, filios gratiæ, consorteſque æternæ gloriæ. O gloriosa lux, de Patre nata. O inclyta Dei sapientia, de virgine hac nocte procreata. Da deuotè ac dignè tibi gratias agere. Da nomini tuo altissimè psallere, reuerenter inclinare, humiliter genu flectere, honorificè adorare, atque cum Angelis sanctis gloria in excelsis, tibi solemniter decantare. Te enim decet laus & honor Domine, qui pro nostra salute dignatus es incarnari. Amen.

QVINTA.

In nocte natiuitatis Christi, de quarendo paruulo Iesu.

1. QVærite *Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum* Isaiæ 55. *propè est.* Surgite vniuersi Christi fideles, concurrite ad hãc solemnitatem dominicæ natiuitatis. Adest namque nox sacratissima, in qua redemptor mundi Iesus Christus, nasci voluit de gloriosa Virgine Maria. Surgite igitur omnes, & vigilate: prępa-rate corda vestra, & orate. Dominus venit, venite, & adorate. Quærite Iesum, & inuenietis: pulsate ad ostium, & aperietur vobis: intrate domum, & videbitis. Rex noster aduenit, Christus natus est nobis. Venite, adoremus & procidamus ante eum: quia ipse est, qui fecit nos. Venite Angeli & Archangeli, cantate, & exultate, & psallite. Gaudete iusti in Domino, hymnũ dicite Deo nostro, annuntiate inter Gentes opera eius. Dominus nobiscum, nolite timere. Venit Deus in carne, nobiscum est humanitate, qui nusquam deest diuinitate. Venite paruuli & magni, senes & grãdæui, iuuenes & virginis; cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia hodie fecit. Leuate corda vestra cum manibus ad cœlum, & super omnem exultationem date gloriam laudi eius. Dominus nobiscum, nolite contristari. Induite vos electi Dei vestimentis iucunditatis & lætitiæ: abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis: sicut in die clara, sic in nocte hac sancta vigilemus, Gaudeamus & exultemus, cantemus & hymnizemus, iubilemus Deo salutari nostro. Offeramus ei vota nostra, præbeamus illi oris nostri obsequia. Dominus nobiscum, nolite recedere, nolite attædiari: sed state viriliter, & psallite ei alacriter.

2. Quis potest iam dormire, quando Angeli cantant in cælo, & vox laudis resonat in excelso? Quis maneret in strato suo, quando omnes gestiunt esse cum Iesu in iubilo? Quis nõ surgeret hac

nocte cũ desiderio, quando omnia videntur esse in gaudio? Propterea gaude & lætare filia Sion, iubila Hierusalem: quia hodie pax vera descendit de cœlis, ad pacificandum, & instaurandum, quę in cælis sunt, & quæ in terris. Hodie lux vera illuxit super terram, vt omnem hominem illuminaret in se credentem. Hodie facta est lætitia magna in Israël, quia natus est Christus in Bethleem. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli, quia ex ore doctorum emanant sermones suauissimi; vnde recreantur infirmi, consolantur deuoti, instruuntur ignari, excitantur pigri, animantur fideles, & confunduntur increduli.

3. Hodie exultant Angeli, lętantur Archangeli, & omnes iusti in deuotione sunt & gaudio spiritali. Hodie nox conuersa est in diem & claritatem magnam, quia exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors & miserator Dominus. Sit nox ista in perpetuum benedicta, & inter dies solennes computata. Benedicant ei, qui benedicere solent diei: & laudent eum omnes filij lucis; quia natus est in ea Christus filius Dei, lux æternæ lucis. Non sit hęc nox solitaria, nec à laudibus aliena. Non sit obscura, sed illustretur lumine desuper, atque in vniuersa Ecclesia accendãtur luminaria multa. Nil in ea prætereatur, quod ad decoremeius pertinet: sed vsque ad ortum surgentis auroræ, laus eius perseueret. Cumque dies inclaruerit, luceat sol iustitiæ, qui natus est in cordibus omnium se amantium: & rursus noua oriatur deuotio, in mentibus omnium celebrantium. Dies sanctificatus hodie illuxit, gaudeant omnes fideles; quia Deus olim prædixit; Fiat lux, & facta est lux. O verè beata nox, veri luminis illustra natali, atque Angelicis adornata fulgoribus: quorum canticis & laudibus, gaudiosior effecta est cunctis per orbem fidelibus. O verè beatissima nox, clarior omnibus seculi noctibus, quæ scire meruit tempus & horam, quando de virginali vtero, egressus est Dei filius, nostræ fragilitatis corpore indutus. O sacra & illibata natiuitas, quam dedit virginalis fæcunditas. O supra naturam fœcunditas, quam ornauit virginea puritas; & summa elegit maiestas, vt saluaretur humana mortalitas. O benedicta & gaudiosa natiuitas, quæ maledictionem primorum parentum nostrorum, in cælestem conuertit benedictionem; & eorum mœrorem, in gaudium mutauit sempiternum. Meritò hæc nox venerabilis est, & amabilis omnibus hominibus; in qua Christus nasci dignatus est, pro omnibus liberandis.

4. Benedicta sit ergo sancta Trinitas: cuius bonitate & consilio, hominis dignitas est reparata, & diaboli decepta calliditas. Benedico te Pater cælestis, qui dilectum filium tuum ad nostram redemptionem in mundũ misisti. Benedico te Fili Dei vnigenite

te Iesu Christe, qui propter nos homines redimendos, naturam nostram assumpsisti. Benedico te Spiritus sancte paraclete, qui cuncta redemptionis nostræ sacramenta, ab initio vsque ad finẽ; gloriosè & mirificè perfecisti. Sit tibi infinita laus & gloria, sit honor tibi & imperium, ô summa sempiternaque Trinitas; cuius prouidentia & ordinatione, facta est nobis tam iucunda & solemnis festiuitas. Amen.

SEXTA.

De deuota visitatione nati pueri Iesu.

1. NVM, *quem diligit anima mea, vidistis?* Vobis loquor Angeli sancti: dicite mihi de Iesu meo, quod nostis. Vbi est paruulus, qui natus est nobis? Indicate mihi, quẽ diligit anima mea. Quòd si mihi indicare non vultis, dicite saltem per eos, quos dignos iudicaueritis. Vobis loquor pastores, dicite mihi de Iesu meo, quod nostis. Vbi est paruulus, qui natus est nobis? Quid annũciauit vobis Angelus? *Annuntio* (inquit) *vobis gaudiũ magnum, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Et quod vobis signum dedit? *Inuenietis* (ait) *infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Et quid cantauerunt Angeli sancti? *Gloria in excelsis Deo cantauerunt.* Et post hæc, quid vos fecistis? Statim cum festinatione & gaudio trãsiuimus vsque Bethleem, & inuenimus Iesum in præsepio iacentem. O mi, quid audio; quàm dulce est & iucundum, quod percipio. Sufficit mihi modò: vadam, & videbo hunc puerum, antequam moriar. Expectate tamen paulisper, ibo vobiscum, & hospitiũ vnum erit omnium nostrũm. Et vos Angeli Dei omnes concurrite, & recto itinere ad præsepe Christi me perducite.

Cant. 3. *Isaiæ 9.* *Luca 2.* *Ibid.* *Ibid.* *Ibid.*

2. Aperite mihi Ioseph & Maria, aperite ostiũ dilecti mei: vt ingressus tabernaculum eius, adorem sancta vestigia eius, Omnes reges terræ desiderabant videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius, *& ecce plusquam Salomon hic.* Sinite ergo me introire, vt deosculer scabellum pedum eius. Hic est enim de quo præloquuti sunt Prophetę, quem annuntiauerunt Angeli, quem visitarunt pastores alacres & deuoti. Hic est, quem quęro, quem amo, quem videre desidero.

Matth. 12.

3. Quid trepidas anima mea? Clama, pete, pulsa, donec aperiatur tibi ianua. Ingredere *locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.* Accede fiducialiter, & iunge te paruulo recens nato cordialiter: quia nõ abijciet te nec fugabit, sed silẽter admittet, & gratiã suam tibi ostendet. Ne timeas à facie vagiẽtis in præsepio, plangit tua peccata, non sua incommoda. Venim enim te quærere, non perdere. Venit te saluare, non iudicare. Venit te soluere,

Psal. 41.

non

non ligare. Venit mala pati, non irrogare. Cupit te liberare, non incarcerare.

4. Quid trepidas ad pauperculum puerum? Deus est (inquis) & in manu eius potestas & imperium. Verum est. Sed non modò venit, vt iudicet, sed vt peccata dimittat. Prætendit misericordiã, suspendit vindictam. Offert gratiam, differt iram. Ostẽdit amorem, excludit timorem. Appetit magis amari, quàm timeri. Dic ergo: Saluator meus & redemptor meus es tu, Domine Deus meus, bene aduenisti hodie. O desiderabilis & nimis amabilis puer, ostende mihi misericordiam tuam, qui nondum idoneus sum videre gloriam tuam. Porrige mihi dexteram tuam, qui non sufficio portare iustitiam tuam. Propter immensam charitatem tuam, dele omnẽ iniquitatem meam. Infirmus sum & vlcerosus, sana animam meam. Cæcus sum & nudus, illumina tenebras meas, & orna me virtutibus veris. Aridus sum & claudus, irriga faciem meam lachrymis, & dirige omnes gressus meos in semitis tuis. Tibi dicit cor meum, exquirit te facies mea, faciem tuam (Domine Iesu) videre desidero, & cum Angelis & pastoribus deuotè visitare. Tu es enim salutare vultus mei, & Deus meus verè super omnia mihi amandus.

5. Nemo te pulchrior, nemo amabilior; nemo te nobilior, nemo te sanctior. Tu omnibus sapientibus sapientior, omnibus ditior, omnibus maior. *Tui sunt cæli, & tua est terra, mare & omnia,* Psal. 88. *quæ in eis sunt. Tuus est dies & tua est nox*, Psal. 73. æstatem & ver tu plasmasti, & omnia certis temporibus ordinasti, qui in obscura nocte & hyemali frigore nasci voluisti. O mira & ineffabilis dilectio Dei, & Domini mei Iesu Christi vagientis in præsepio, quẽ laudant & adorant omnes Angeli in cœlo! O quã magnas gratias teneor retribuere amantissimo Domino meo, Saluatori ac Redemptori meo, pro salute meo nato: qui in stabulo coram animalibus non refugit hospitium, quasi pauperculus homo. Certè nil dignum laudis habeo, sed tamen voluntatem bonam libenter tibi offero, in signum charitatis & gratitudinis. Quid amplius? Cantabo cum Angelis sanctis? An plorabo ex compassione, recogitando lachrymas pueri vagientis? Vtrumque placet, vtrumque agere delectat: & cum Iesu plorare, & cum Angelis Iesum laudare. Et hoc totum ad gloriam Dei opto facere: atque meipsum coram oculis maiestatis eius humiliare, qui seipsum vsque ad formam paruuli pueri humiliauit.

SEPTI-

SEPTIMA.

De mansione apud venerabile Christi præsepe.

1. O *Quam reuerendus est locus iste. Non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli.* Intra, intra anima mea, hoc Regis pauperculũ domicilium. Pete hîc hodie hospitium, colloca hic mãsionem tuam; mane apud Iesum & Mariam, & celebra cũ eis festiuitatẽ hodiernam. Noli alibi diuertere, sed sta hic hodie, aut sede humiliter prope præsepium. Bonum est tibi hîc esse: & multo melius, quàm in auratis Regum domibus habitare. Multum tibi placere debet habitatio huius domunculæ, & societas istorũ trium simul hic commorantium. Quia etsi offendunt parietes propter suam vilitatem, sunt tamen incolę eius valde nobiles, propter suam patientiam & virtutem. Hic ergo hodie habitabis, hîc subsistes, hîc perseuerabis. Gen. 28.

2. Ingredere tamen meliùs, & contemplare structuram huius loci diligentiùs. Inquire & inspice, vbi positum sit illud venerabile præsepium, continens creatorem mundi, seruans Deum puerum, cœlestem thesaurum, redemptionis precium, Angelorum gaudium & hominum. Vide, quomodo Deus homo natus, iacet ligatus in cunis & tacet: quàm absconditè & pauperrimè degit in alienis, qui cuncta largitur cum Patre in cælis. Amplectere hoc nobile præsepium amorosis brachijs, & osculare illud frequentibus osculis; dehinc & Iesu pedibus humiliter prouoluaris. Hic Deum adora, hîc ex deuotione plora. Hîc vigila, hîc ora, hîc lege, hîc canta. Hîc psalle, hîc iubila, hîc toto corde tripudia. Huic puero manifesta, si quid triste habes vel graue: huic desideria tua expande, & cum eo cuncta pertracta. Dulcis & amandus puer, docebit mites vias suas, & humilium suscipiet preces. Ipse nouit curare infirmos, sanare cõtritos corde, & alligare cõtritiones eorum; dare remissionẽ lugentibus, & liberare ab omnibus passionibus. Da huic cor tuũ, & pete, vt in eo scribat dulcissimũ nomẽ suum. Da ei totum, quod habes, & esto eius totus, amodo & vsque in sempiternum. Amor Iesu æternus & immensus faciet hoc, vt teipsum relinquas, & Iesum super omnia diligas.

3. Vide nunc anima mea, & considera, quantę hîc sint diuitiæ & gloria. Non noto gazas perituras, nec seculares lætitias; sed incarnatam Dei sapientiam, virginem puerperã, Ioseph ministrantem, & Angelicam turbam concinentem. Verè Dominus est in loco isto: & ego suadeo tibi, nullatenus hinc recedere. Vbi inuenies, quod hîc repertum habes? Si vniuersum lustrares mundum,

dum, non inuenires talem societatem, tam sanctum conuentum, tam vnanimem congregationem. Sanctissimi in cœlo & in terra sunt hîc congregati; licet à mundanis valde neglecti sint, & quasi nihil reputati. Nam in toto orbe non sunt facta tanta mirabilia, nec tam rara noua visa, nec tam iucunda audita gaudia, sicut in hoc breui tugurio; vbi degunt Ioseph & Maria, & Iesus infans positus in præsepio. Coniuncti sunt hîc Deus & homo, mater & virgo, senex & puer.

4. Pensa, quid sibi velit ista dignatio, tanta pietas, tanta dilectio, tanta humilitas, tanta paupertas, tanta dulcedo, tanta gratia, & tam abundans misericordia. Reuolue omnia antiqua gesta de Christo prophetantia; & vide, quomodo hodie adimplentur scripturarum testimonia, & Sanctorum Prophetarum deuota desideria. Intuere etiã beatissimæ Virginis Mariæ pia obsequia, quàm ingens ei sit exultatio cum nobili prole sua: quàm sublimis contemplatio, videre Dei filium de se genitum, ante se in præsepe locatum. Sic omnia pertracta & considera, tanquam singulis præsentialiter interesses. Non enim minor debet esse affectus & deuotio ad ista cogitanda, quæ iam actu transierunt, quàm si eadem coram te hodie fieri cerneres. Maneat ergo apud te recordatio sancta, renouata per singulos annos: imò non tantùm semel in anno recordetur Iesus natus, & in præsepio collocatus, sed sæpiùs tuis exercitijs interseratur. Magna ab hoc puero discitur sapiẽtia, magna puritas & patientia, quę totã vitam tuam ædificare sufficiant. Omnis siquidem Christi actio, tua est instructio: & omnis eius passio, tua est consolatio. Ipse enim factus est tibi & omni populo, salus & redẽptio. Docet te exemplo suo magis, quá verbo; efficaciùs persuadet factis proprijs, quàm actibus alienis.

5. Semper ergo noua tibi sit sacra Christi natiuitas; nec vnquá sine attenta consideratione pertranseat tã honoranda festiuitas. Etsi exterior veneratio transit cum tempore, non tamen diligens consideratio transibit à mente. Non sis igitur paupercula anima mea Deo pro hac gratia ingrata; quæ tam solicitè es quæsita, tam misericorditer attracta, tam benignè vocata, tam dulciter visitata, tam copiosè hodie lætificata. Non enim fas est te esse in tristitia, vbi natalis est vitæ, nam vbique dies agitur lætitiæ. Tibi hodie paruulus Iesus natus est, tibi datus est filius: vt cum paruulo paruula fias, cum paupere pauper, cùm humili humilis, cum patiente patiẽs, cum miti suauis ac mitis. Inclina te ergo illi humiliter, submitte te libenter: vt sic merearis cum eo exaltari ęternaliter, qui pro paruulis colligendis, descendit ab altis cœli sedibus Iesus Christus Dei Filius.

Collige nunc in hoc breui temporis spatio, quæ per totam vi-

tam

tam tuam tibi proficiant. Quid scis, si hoc vltimũ festum tuum sit in mundo? Et vtinam tam deuotè hoc modò celebres, tam studiosè recolas, vt magnam erga Iesum fiduciam concipias; quatenus & in extremitatis tempore, ad æternum festum merearis cum ipso transire. Nec dubium, quin à tè districtè exigetur; quãtum te illi in vita conformaueris. Cùm ergo tempus adhuc supereſt, & exercendi studium iuuat, age vt infructuosè non transeat: sed talem cum eo amicitiam ineas, quatenus inter electos amicos eius cognoscaris. Si Christo placuit hæc pro tua salute exhibere, non sit tibi pigrum de his intentiùs cogitare. Tacet Christus ore, sed loquitur opere. Tacet lingua, sed fantur tenera membra sua. Loquitur eius humilitas, loquitur & magna eius indigẽtia. Tacet etiam beata Virgo Maria, sed non tacente elementa. Absconditur in præsepio, sed manifestatur ab Angelo. Vilis & abiectus apparet in pannis, sed precioſus declaratur in signis. Turbatur Herodes, sed requirunt eum pastores. Dedignantur Scribæ & Pharisæi, sed adorant eum beati tres Magi.

7. Considera itaque in eo non solùm magna & sublimia, sed etiam parua & humilia: quia in vtraque natura apparet magnus Dominus & laudabilis nimis, excelsus super omnes Angelos, & humillimus inter homines. Coniuncta sunt humana diuinis, sũma imis, precioſa vilibus, magnifica paruis, digno honore cunctis simul veneranda fidelibus. Non ergo te scandalizent panni, qui humilitatem prædicant filij Dei. Nec te conturbet pauperculum præsepium, quod sibi elegit rex regum & Dominus Angelorum. Vide, non quid oculis carnis sit nitidum, sed quãmagnũ salutis hic agitur mysterium. Inspice Iesum & Matiam, Dominũ mundi & Dominam, quia non habent aliquam cum secularibus curam. Non sunt hic magna palatia, sed cœlestia solatia. Nõ hic resonat clangor tubæ aut citharæ, sed audiuntur voces cœlestis militiæ. Vtinam in spiritu sentias te omnibus istis interesse, nec alibi posse durare. Propè est nunc verbum Dei ori tuo, tantũ recto si quæsieris corde. Nam inuenitur in gremio matris, qui ante secula erat in sinu Patris. Tam propinquus factus est tibi Deus, vt possit teneri tanquam puerulus, portari vt infantulus: quoniã *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Ecce, quem totus mũdus non capit, vt pauper in præsepio iacet. Et qui omnia verbo virtutis suæ portat, ipse à matre portatur. Quem laudãt Cherubin atque Seraphin, modico lacte alitur. Quid horum non mirabile? quid non amabile? *Ioan. 1.*

8. Quid vis amplius habere? Quomodo potuit tibi propinquior & similior esse? Ecce os tuum & caro tua: Deus tuus factus est frater tuus. Quis vidit huic simile? Aut quis audiuit vnquam tale?

le? Væ tibi, si ab illo recesseris: & bene tibi, si toto corde ad eum
Col. 2. accesseris. Accede cum fiducia, ad thronum gratiæ eius: quia licet pauper sit rebus, sunt tamen in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi. Para proinde labia munda ad osculandum, oculos laua lachrymis ad videndum, purga manus ad tangendum; expande brachia ad amplexandum, flecte humiliter genua ad adorandum. O si haberes nunc scrinium mundum, pulchrè auro ac gemmis vndique decoratum, vt in eo reponeres Deum puerum natum: Sed nullum est scrinium tam aptum & dignum, ad recipiendum Deum puerum, sicut cor tuum ab omni malitia purum. Ipse enim non requirit exteriorem ornatum, sed quod exterioribus ornamentis mysticè signatur, hoc est sibi valde charum & gratum.

9. Sed quomodo apta eris, ad dignè recipiendum eum? Nigra es & deformis, & ille pulcher nimis & decorus. Quid facies? Recedere ab eo nõ expedit, & accedere illota facie non decet. Quomodo mundaberis, multis irretita vitijs? Sed noli nimis vereri, nec de plagis tuis desperare. Displiceat tibi, quòd talis sis. Defle maculas culpæ. Ablue intima contritione reatus conscientiæ, & pete ab eo oleum misericordiæ, largitionem plenæ indulgentiæ, ac restitutionem nouæ gratiæ. Non eris desperata, quamuis valde maculata. Puer iste scit immunda purgare, nigra candidare, turbulenta serenare, amara dulcorare, grauia leuigare, & omnia vitiosa extirpare, gaudium & pacem cordis citò præstare. Talis est, qui maculari non potest: cuius attactu morbidi sanantur, & conualescunt infirmi. Nunc ergo para illi ab intus pulchrum præsepium, in quo reponas Iesum Dei filium.

OCTAVA.

De gaudijs huius diei, & deuoto obsequio Iesu.

Abac. 3. 1. GAVDENS *gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Iesu meo.* O dulcissime Iesu & amantissime puer, gaudium meum & corona mea, tibi cãtare & iubilare desiderat anima mea. Sine me vnum lætum diem tecum peragere, & spiritalibus gaudijs hunc sanctum diem expendere. Licet enim breuis sit dies & transitoria nox natalis tui, materia tamen exercendę deuotionis magna est, & velut indeficiens ignis in altari. Opto ergo hunc diem fore longiorem, & me solito in eo deuotiorem: vt feruor non transeat cum tempore, sed magis augeatur sedula meditatione. O dies lætitiæ, dies Regis æterni; noli me tam citò relinquere, sed esto mihi causa gaudij perpetui. O quando veniet dies illa, cui nox non succedit, quæ tẽporum vices nescit, sed semper lucet & diescit. V-

bi

bi facie ad facie videtur Deus. Vbi perfectè amatur & laudatur Iesus. Vbi nunquam distrahitur ab illo cogitatio, nec inquinatur cordis affectio, sed est ipse omnia in omnibus. Propter illam æternitatis diem, ista temporalis colitur: & vt ibi semper cum Iesu viuerem, voluit ipse hic vnus esse mortalium.

2. O venerande & summe amande Iesu: O dulciter amplectẽde, digne adorande, & semper prædicande puer illustrissime: Tu es vnicus dilectus meus, prę omnibus & super omnia exquisitus. Cui me debeo totum, & quicquid adijcere vel desiderare possum, non est satis ad votum. Tu enim excellis totum. Et quicquid capere possum vel dare, penè nihil est, & minus quàm modicum. Ego scio & credo fideliter, quia propter me huc venisti, propter me hic poni humiliter voluisti. Feciſti enim hęc omnia propter meã æternam salutem, & propter tuam immensam charitatem mihi chariùs commendandam.

3. O quantum te teneor diligere; quantum laudare & benedicere, cum Angelis & Archangelis, cum sanctis & omnibus bonæ voluntatis hominibus: quia pro me incarnatus es, & homo factus. Mirum, si vnquam poterit à te cogitatio mea auolare: & post tuæ dulcedinis gustum, ad aliud quicquam diuertere. Verè tu es manna absconditum, omne habens in se delectamentum, & omnem vincens alienam suauitatem. Tu paradisus voluptatis. Tu hortus delitiarum. Tu fons sapientiæ, sol iustitiæ, lux mundi, gaudium cæli, pax cordis, solatium animæ; spes in tribulatione, refugium in tentatione, auxilium in omni necessitate. Tua præsentia, gaudium mihi facit, tua absentia luctum sæpe parit. Hoc autem totum amor facit, qui extra non sinit amantem quiescere; sed aut lætari in te, aut dulciter pro te flere compellit. Quis me huc adduxit, nisi amor? Et quis de cælo te traxit, & ad me inclinauit, nisi amor? O amor & amor, quàm dulcis & fortis est hic amor! Inde fit tam ingens intus clamor, & tam vehemẽs nascitur ardor: cui nihil sapit nec libet, nisi Iesus æternus amor. Iste facit mundum contemnere, & omnia tanquam nihilum reputare. Iste facit propria relinquere, & sub iugo obedientię viuere. Iste facit delicias carnis respuere, & laborem pœnitentiæ ardenter appetere. Ille facit tumultus sæculi fugere, & Deo in silentio vacare. Iste facit mundo mori, & soli Deo viuere.

4. Amor Iesu trahit cor meum ad præsepium, & vult, vt ei exhibeam deuotum obsequium. Et nunc quid faciam dilecto puero Domino Deo meo, paruulo pro me facto? Nunquid mei indiges, qui cælum & terram ad nutum possides? Etsi mei seruitij nõ eges, ego tamen tui indigeo; cui seruire teneor pro posse; cũ mihi

gratia

gratia & virtus ſemper ex te creſcat, & totum bonum meũ ex te pẽdeat. Vtinam poſſem aliquid agere tibi acceptabile, hoc enim mihi eſſet valde deſiderabile. Etſi in carne tibi miniſtrare non potui, nec ad hoc dignus fui admitti; in ſpiritu tamẽ cũcta agere poſſum affectu cordis, & ſtudio bonæ voluntatis. Nã & fratribus meis, pro nomine tuo ſeruiendo, multa implere poſſum pietatis opera, quæ tu reputas quaſi tibi facta.

5. Siquidem deuotionem meam, erga tuam ſacram infantiam, excitare cupio verbis amatiuis. Certè ab hinc non ibo, ſed hîc iuxta te ſedebo, & contemplabor interdum amabilem faciem tuam, vt ſic meliùs meam obliuiſcar miſeriam. Hic meditabor in mandatis tuis, & exercebor in mirabilibus tuis. Hic ſubleuabor à terrenis, & cęleſtibus aſſociabor. Hic cogitabo dies antiquos, & annos æternos in mẽte habebo. Hic cõſiderabo nouiſſima mea, & annos meos in gemitibus. Hic placabo faciem tuã precibus, & iudicem meum deprecabor. Hic memor ero operum tuorum, & innumerabilium beneficiorum humano generi collatorum. Hic inueniam cor meum; hic relinquam me totum. Melius eſt enim; vt cor meum Ieſus habeat, quàm ego; quia cum illo eſt in pace, mecum autem in inquiete. Hic dormiam, hic requieſcam, & ſuauis erit ſomnus meus. Hic media nocte ſurgam ad confitẽdum tibi, & pro delictis meis deprecabor. De manè euigilabo ad te, & nomini tuo cantabo tota die. Si exiero dicã. Citò reuertar? & ſi diu tardauero, veniam impetrabo. Iterum orabo, & faciem tuam placabo, nec gratias agere ceſſabo. Surgam in admiratione magna, & laudabo melliſluum nomẽ tuum benedictum in ſecula. Sedebo iterum in paupertate mea, ſciens quòd nõ ſum dignus nec ſufficiens cogitare tam ineffabilia bona, ſuper omnia deſiderabilia mundi ſuauia. Deinde reuerenter te adorabo, & omnia bona tua tibi præſentabo: volens & cupiens, vt omnia opera tua te laudent, quamuis plenè te laudare nequeant. Propterea rogo, vt te ipſum tu ipſe laudes: quia niſi te ipſum laudaueris, nunquam eris plenè & dignè laudatus. Lauda nunc anima mea Dominum, lauda Deum tuum Sion. Lauda Ieſum ſaluatorem, & ſi perfectè laudare non potes, tamen ex parte pro viribus tuis laudare ne ceſſes.

6. Laudabo te Ieſu bone, dulcis puer & amande in vita mea: pſallam Deo meo, quamdiu fuero. Tu enim inuitaſti me ad tuũ ſanctiſſimũ præſepe, in quo dignatus es pro me indigno iacere. Quis me hinc poſſit abducere? Nemo Domine Ieſu: quia dilectus meus es tu, à quo nolo ſeparari in ęternũ. Manebo igitur hic in ſeruitio Domini mei, & Dominæ meæ ſanctæ Mariæ, & sãcti Ioſeph nutritoris tui, ſi forte opus ſit aliquid miniſtrare. Faciam

ignicu-

igniculum, conflabo diligenter, parabo mensam, & aquam apportabo. Mundabo aream, scopabo domunculam, rimas obstruam & foramina, propter vim ventorum & pluuiam. Sternam hoc nobile & regale præsepium, componam decenter in eo fenum vel stramina, quia non sunt hic aliqua preciosa linteamina. Dehinc rosas colligam & lilia, flores afferam & gramina; adornabo hoc sanctum cunabulum, quod mihi non sordet vt stabulum, sed magis delectat, quàm imperiale palatium. Aperiam etiam fenestram, vt claritas diei intus fulgeat, & sancti Angeli desuper inuolent; atque totam hanc domũ dulci iubilatione repleant. Ianuam cautè custodiam, ne Herodes intret ad perdendum puerum, quem suscepi fideliter custodiendum. Nam prius me paterer occidi, quàm sacrilegas manus in illum mitti. Et si necesse fuerit fugere, & ille sic voluerit habere, ero paratus etiam in Ægyptum transire.

7. Veniẽtibus autem pastoribus cum gaudio eis aperiam, & in hãc summi regis aulã introducã. Ipsi sunt enim quibus Angelus istud mysterium nuntiauit, & ad visitandum direxit: quos deuotio adduxit, & diuina laudatio reduxit. Dehinc aduentantibus sanctis Magis ab Orientis partibus, alacriter occurram tam honestis hospitibus, regibus & comitibus; salutatisque reuerenter (vt decet) omnibus, inuitabo eos ad ingressum huius curiæ, ad videndum faciem regis & reginæ, cuius signum fulget in cælo mirabile. Cum intrantibus introibo, cum adorantibus adorabo, cum offerentibus me ipsum offeram ex toto; & quicquid habere potero, hoc totum dabo in holocaustum Domino. Illis autem reuertentibus ad propria, ego manebo hic in curia, & seruiam Domino meo regi, suæque benedictæ matri perpetuæ & gloriosæ Mariæ virgini. Nullus me de hac curia reuocare poterit, nulla bulla, nulla authoritas, nulla dona vel promissio auertere. Hic statuam testamentum meum, hic firmabo pactum æternum, hic viuam, hic moriar, & erit totum factum.

8. Placeat tibi obsecro Domina mea sancta Maria, vt sim in obsequio tuo filijque tui Domini mei, cum omni deuotione & reuerentia. Magis enim delector hic esse, & vobiscum mendicare quàm cum regibus & mundi principibus delitiari. Quod si necesse fuerit etiam mendicare, exibo protinus, & sufficienter mendicabo nobis. Et si nemo voluerit aliquid dare, rogabo sanctos Angelos suppliciter, & illi nobis de cælo ministrabunt sufficienter. Nam pro pane terreno, pluet nobis manna cæleste. O Iesu manna cordium, habens in se omne delectamentum. Tu es cibus noster, & solatium. Affectus deuotionis hic loquitur, & optimè sapit amanti, quicquid hic coquitur. Obsecro quoque te

venerande pater Ioseph, (qui ita appellaris pro dignitate ministerij tui, & occultatione sacri secreti) quatenus me digneris in adiutorium admittere, iube aliquid afferri pro solatio matris & pueri, ego ero paratus ad obsequia huiusce modi.

9. O si sciuissem quando huc primum venistis, iuissem vtique vobiscum, & bouem vel asinum duxissem. Mantellum Dominæ meæ, vel sacculum Iosep, per tantum viæ spatium libēter portassem, aut etiam hospitium procurassem. O vtinam tam propè fuissem, vt sanctos Angelos cantare audiuissem, & hoc gaudium magnum mihi nuntiatum fuisset. Eia, quàm lætanter & festinanter vsque Bethleem transissem, & ipsos pastores si potuissem, citiùs præcucurrissem; vt sic Dominum meum natum primus videre meruissem: & si illi reuerterentur ad gregem suũ, ego tamen permansissem apud Deum puerum. Maluissem omnes oues relinquere, quàm Iesum meum deserere; aut etiam totum gregem vendere, vt inde Dominum meum cum sua familia pascerem. Sed non est omnibus datum videre Verbum Dei incarnatum, & tam innocenter in præsepio collocatum. Omnibus tamen pro nunc est prædicatum, & toti mundo propalatum: ita vt si quis credere voluerit, & saluari petierit; atque integro & puro corde ad hunc puerum accesserit, omnium peccatorum suorum remissionem ab eo accipiet, & vitam æternam post hanc mortalitatem (ipso donante) possidebit. Amen.

NONA.

De desiderio videndi & osculandi Iesum.

Cant. 2. 1. O *Stende mihi faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Hęc sunt verba amantis animæ ad te, dulcissime Iesu Christe. Sed obsecro te puer bone, vt mihi peccatori cõcedas, etiã hæc verba in desiderio animæ dicere. Quando enim potero satiari, de te cogitare & loqui? Tu enim salutare vultus mei, & Deus meus. Ostende ergo mihi faciem tuam, & salua erit anima mea. Quotiescunque tristis fuero, aspice in me, & consolabitur anima mea. Tu enim spes mea, à iuuentute mea, & vsque in senectam & senium, ne derelinquas me. O quàm amabilis & suauis factus es hominibus, pro quibus dignatus es puer paruulus fieri. Nam tali amore me trahis ad te, & constringis vehementer in tua dilectione.

2. O dulcissime & amantissime puer Iesu, dignare mecum hodie parumper solatiari. Anima mea diligit te, quia tu priùs dilexisti me. Propter nimiam enim charitatem tuam, & incomparabilem dulcedinem quam ad me gessisti de illa occulta habitatione cælesti, ad visitandum & consolandum me, in carcerem

huius

huius mundi descendisti. Et nunc bene feciſti veniendo; & multum ſapienter & dulciter egiſti, tali modo apparendo. Formam pulcherrimi pueri aſſumpſiſti, naturã humanam induendo, qui in diuinitate purus & ſimplex, ſine omni figura permanens, omnem intellectum excedis. Sed ego rudis, talem ſubſtantiam, omnem formam excedentem, capere non valui: ideo condeſcendẽdo mihi, naturam meam tibi vniſti, notam proponens hominis formam: vt ſic propinquitate naturæ maiorem affectum oſtenderes; & per viſibilem aſpectum hominis, ad inuiſibilem deitatis ſubſtantiam manu duceres.

3. O dulciſsima incarnata Dei ſapientia, quàm dulciter & ſapienter me allicis tua amabili infantia! Conuerte nunc faciem tuam ad me Ieſu bone; & noli me reprobare à pueris tuis, ſed iucundum præbe mihi aſpectum: vt te viſo lætetur cor meum, & nouum ſentiat exinde gaudium. O felix hora, quando pietatis tuę oculis me intueris, & gratiã defideratam mihi oſtendis. Hoc enim ſignum clemẽtię eſt, hoc mihi fiduciam præbet & ſolamen. Hoc etiam inuitat accedere ad oſculandum pedes, manus, & os tuum benedictum. O ſacri & omni amplexu digniſsimi pedes, Domini mei Ieſu Chriſti parui & teneri, intra præſepis anguſtias arctati; qui pro me adhuc ambulabitis, & ſępe fatigati eritis? Heu frigus non modicum ſuſtinetis, quia ſufficiens tegumentum ad induendum, & ignem ad calefaciendum forſitan non habetis. Iſti ſunt tenelli & dilecti pedes Domini mei ſaluatoris, adhuc in cruce acutis clauis perforandi. Et tunc vehementer cruẽtabitis, qui modò validum gelu patienter ſuſtinetis. Iſti ſunt pedes, ad Euangelizandam pacem rectiſsimi, ad calcandum iter aſperum prępărati, ad oſtendendam viam perpetuæ ſalutis mundo deſtinati. Iſti ſunt pedes miſericordiæ & iuſtitiæ, ante quos procident Æthiopes, fugient dæmones, & adorabunt Reges & Principes. Tunc accedent peccatores pœnitentiã agentes, & deuotè eos deoſculantes, veniam conſequentur & gratiam. Pedes pueri Ieſu.

4. O amande puer, non tantùm pedes, ſed & manus & caput ac cætera membra præbe mihi ad oſculandum, benedicendum, & laudandum. O pulcherrimæ & mundiſsimæ manus verè tornatiles, nihil ſuperfluum vel diminutum habentes. Iſtæ ſunt manus tuæ Domine, quæ me fecerunt & plaſmauerunt, & nunc ad reparandum me venerunt. Iſtæ me iuuabunt operari fideliter, & confortabunt contra varias tentationes viriliter. Iſtæ ſuſtentabunt me in bono, ne corruam: & erigent à malo, ne deſperem. Iſtæ benedicent paruulis, & donabunt ſanitatem multis infirmis. Iſtæ contra diabolum pugnabunt, & omnem virtutem eius ad nihilũ deducent. Iſtæ poſt multos annos cruci affigentur, & tunc Manus pueri Ieſu.

latos sanguinis riuos emittent. Istæ in cruce extensæ pro me supplicabunt, & peccatorum mihi indulgentiam vulneratæ impetrabunt. Istæ portas paradisi aperient, valuas inferni destruet, & vinctos eius inde liberabunt. Istæ in iudicio cum suis cicatricibus hominibus apparebunt: & quanta Deus pro salute eorum operatus sit & passus, patenter demonstrabunt. Sit hæc læua sub capite meo, & dextra ista amplectatur me. O si tantum bonum meruero, quàm felix & lætus ero.

Cant. 2.

Os pueri Iesu.

5. Ex hoc iam fiducialiùs ad oris osculum audebo accedere, & labia mea sanctis labijs tuis ausu charitatis imprimere. Et si terret altitudo diuinitatis, prouocat tamen maximè similitudo humanitatis, & mira suauitas infantilis paruitatis. O sacrum & illibatum os Domini mei, plenum sapientia & gratia. Tu me docebis vias vitæ. Tu me replebis iubilo. Tu me consolaturus es sermone bono. Si enim gratus est nonnunquam hominis docti sermo, quanto magis sapiet verbum gratiæ ex ore tuo? O mellifluum os Domini mei: quàm pulchra sunt labia tua; quàm candidi dentes tui, quàm suauiter stillabit eloquium tuum. Hoc ergo os Domini loquetur iudicium & iustitiam; percutiet labijs suis impium, & conteret scelestos de terra. Aperiet abscondita Scripturarum, & arcana cælestia referabit. Manifestabit consilia cordium, & hominum sapientiam destruet atque consilium. Tacebunt ad te insulæ, & mirabuntur reges & principes terræ. Conuertentur nobiles & ignobiles, & literati ori suo silentium imponent. Quia loquente Deo, obmutescet terra & orbis; & omnis virtus cælorum, oris tui obediet imperio.

Quis dignus sit osculo pueri Iesu.

Cant. 1.

6. O precioſum & aureum os sancti sanctorum! Quis dignus erit vel semel te osculari, aut tui capitis verticem tangere? Nimirum anima pura & sancta, quę ait: *Osculetur me osculo oris sui.* Quæ diligit, osculum petit: quæ autem timet, veretur accedere. Nil sic reconciliat, nil sic Deum placat, sicut purus amor Dei & contemptus sui. Obsecro te puer bone, Iesu dulcissime, puer parue & magne; fac misericordiam hanc cum seruo tuo, vt patiaris te humili dignatione tangi, amplecti, & osculari amoris osculis; quamdiu paruulus es, & in præsepio iaces. Nam sic dulciùs amaris, chariùs teneris, leuiùs portaris, & minùs formidaris. Sed vir factus, non sic agere licet, sed ad maturiora transire oportebit.

Eccli. 3.

Omnia tempus habent. Nunc tempus est amplexandi, postea erit tempus plangendi; quando pro osculo oris, dabitur tibi poculum amaræ confectionis. Nunc meliùs sapit gaudium natiuitatis, sed postea sentietur maior dolor compassionis; quando extenderis nudus in cruce, qui modò fascia cinctus poneris in præsepe.

7. Di

7. Da mihi puer amantissime charitatis tuę osculum, & recipe humilitatis meæ obsequium. Intuere meum desiderium, & præbe sacrum oris tui osculum: & sit mihi hoc pacis signum, ac mutuæ dilectionis indissolubile vinculum. Scio & credo, quia tactus tuus sanat, amplexus vnit, osculum amorem imprimit. Quem tangis intus, ab affectu carnali sanas: quem amplecteris, tibi coniungis: quem tuo amore feruere facis, dulciter oscularis. Nunc dicito mihi, quid tibi videtur; & fac me experiri, quod dicitur. Accipe (inquit puer iste) osculũ, & intellige mysteriũ: quia nemo scit, nisi qui accipit: nemo accipit, nisi qui in spiritu ambulare didicerit. Tunc osculor te, quando donũ amoris mei tibi infundo. Tunc te amplector, cùm omnes affectiones cordis tui ad me traho: ita vt nil in creaturis sit, quod te abstrahere aut allicere possit. Sed tũc tu me oscularis, cum sincero amore compungeris, & de nulla creatura solatiũ requiris. Oscularis pedes meos, si humilitatis meæ vestigia, ex amore magis quàm ex timore sequeris. Oscularis manus meas, si cuncta bona opera facta aut faciendа, non tibi sed mihi totum ascribis. Et tũc me amplecteris, quando intimo cordis affectu, te mihi vnitum sentis; & tam ardenter astringis, vt totus meus esse velis, & nihil tibi de priuato amore reseruas. Tunc poteris cum sponsa in Canticis dicere. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*. Si te sponte relinqueres, & omnia terrena vilipẽderes; ego te in meum familiarem reciperem, & in virtutibus diu item facerem. Qui enim mihi deuotus fuerit & totus deditus, ego ero illi rursum totus ex toto apertus. Quia ideo sum Deus homo incarnatus, vt homo in me esset perpetuò beatus. Dedi me totum homini, vt homo totus esset deditus mihi. Nam *delicia mea esse cum filijs hominum*, quibus veni dare etiam regnum cælorum; & per contemptum mundi, perducere ad æternum consortium Angelorum.

Puer Iesus loquitur. *Apoc. 2.*

Cant. 2.

Prou. 8.

DECIMA.

Ad beatam Virginem, vt ostendat nobis Iesum filium suum.

1. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Exulta hodie sancta Maria, nouæ salutis pariens gaudia. Exulta mater intacta, quia tibi perseuerat virginitatis florida gloria. Exulta virgo puerpera, quia à maledicto & opprobrio mulierũ es libera. Meritò exultare potes in Iesu salutari tuo; quia quem cęli non capiunt, tu foues in gremio, & sanctis manibus tuis ipsũ collocas in præsepio. Meritò adoras ex te in tempore natum, quem super te scis habere Deum Patrem. Meritò illi exhibes matris officiũ, qui tibi inuiolabilis generationis dedit effectum. Meritò in illo

Luca 1.

super omnia exultat spiritus tuus, cuius gratia facta es tã sublimis & cæleſtis. Laudẽt te cælũ & terra, & omnis ornatus eorũ gratiarũ tibi referat actiones. Laudet te anima mea Domina chariſsima, & omnia interiora mea iubilẽt corã te cũ sũma reuerẽtia. Nõ sufficit lingua tua enarrare præconia, nec mẽs meditari tua magnalia. Ideo cũ humilitate prępcipua tibi inclino, alma Dei genitrix Maria. Suſcipe vota mea, & pio affectu attende cordis mei deſideria.

2. Quærit anima mea videre Ieſum, quia ſcio ipſum eſſe bonum meum. Oſtende mihi theſaurum abſconditum, quem apud te habes reconditum. Credo Ieſum filium Dei eſſe vnigenitũ, & tuæ fecundæ virginitatis primogenitum. Ipſum confiteor Deum meum, creatorem ac redemptorem meum, pro mea ſalute hodie natum. Ipſum per te quæro videre, & reuerenter adorare. Tu pánis eum inuoluiſti, & ideo facilè nõ poteſt intueri, nec ab extraneis agnoſci. Niſi enim tu, mater ſancta, ipſum dignaris oſtendere, quis merebitur inſpicere? Per te enim acceſſum habemus ad filium, & per filium ad Patrem. Oſtende ergo illum mihi, & ſufficit pro primo mihi. Non peto nec quæro aliud ſolatium, niſi Ieſum filium tuum, meum ſpeciale refugium, tuum ſingulare gaudium. Domina mea ſancta Maria, magno deſiderio deſidero Ieſum videre, quem ſcio te præ omnibus & ſuper omnia diligere. Cor meum Ieſum deſiderat, affectus meus poſt Ieſum clamat. Si vis (ait) Ieſum videre; tunc oportet te puros & claros oculos habere. Si vis Ieſũ videre, ſtudeas te deuotè & humiliter in omnibus habere. Si vis Ieſũ videre, debes omnia terrena relinquere, & teipſũ deſpicere. O dilectiſsima Maria, ſcio me nimis impurũ, & ad videndũm filium tuum nimis indignum. Sed tamen nequeo quieſcere, niſi prius videam illum. Non poſſum omnino tacere, ſed ex nimio affectu cogor inſtantiam facere. Scio, quia ipſe vult rogari, & tu libenter vis orantem iuuare, ideo non debeo faciliter à petendo ceſſare.

3. Ieſu filij Dei, miſerere quæſo mei: oſtẽde te animæ quærenti, & vultum tuum cernere cupienti. Quare voluiſti in mundum venire, ſi non vis ab hominibus videri? Quare dignatus es naſci, niſi velles etiam agnoſci? Et quare hic elegiſti poni, niſi vt poſſet meliùs inueniri, & manifeſtiùs videri ac teneri? Non potui ad te aſcendere in cælum, vt te viderem: & ideo tu veniſti ad me in mundum, vt te coram me haberem. Noli ergo te mihi negare, alioquin me cogis plorare. Si non vis videri, quare te paſtoribus reuelaſti? Nam illi venerunt feſtinantes, & viderunt. Si vis latẽre, cur Magos ab Oriente, ad tuũ cunabulum ſtella præeunte vocaſti? Sed vis vtique videri, quia facis te à multis inquiri. Volo ergo & ego videre. Et licet non ſum paſtor aut rex, ſum tamen

vnus, qui libenter essem de ouibus tuis, & regi cupit à prælatis suis. Nisi enim te videro, non quiescam: & nisi teneam, non tacebo. Concede ergo te mihi videre, & videbis me in pace silere. Tu es enim dilectus ille, quem cupio videre. Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, non curo aspicere, vt te vel semel possim inspicere. Omnia mihi angusta sunt & parua comparatione tui, donec te merear videre ac frui. Semel dico, sed semper noto. Modicum peto, sed longum esse cupio. Nunc ergo satisfac voto meo, & imple me lætitia cum vultu tuo. Si mihi hoc denegas, scito, quòd non modicum me contristas. Et si tu me contristas, quis est qui me consoletur? Nonne, vt à te consolarer, veni, vt te viderem, & ex tua visione multum gauderem?

4. Veni (ait) desiderator bone, veni & vide. Ego sum Iesus, quem quæris. Si ergo me quæris, sine omnia alia abire. Applica cor tuum, & vide Dominum tuum. Vide in spiritu, quemadmodum olim sancti Prophetæ viderunt, qui fide illuminati, de virgine me nasciturum prædixerunt. Nam cordis oculus hic requiritur, & talis oculus me intuetur: sed corporis oculus non est hic necessarius, qui plerũque nociuus inuenitur. Qui enim credit in me, videt me: & qui diligit me, habet me. Ergo credendo, videbis me: & amãdo, habebis me. Vide nunc diligenter & considera, & consolabitur anima tua. Vide humilitatẽ meã & paupertatem, & inuenies ædificationem magnam. Vide omnia, quæ circa me sunt, & nulla curiosa reperies. Vide, quia cùm essem diues & plenus, propter te factus sum pauper & egenus. Vide, quia tanquam peregrinus, hospitor super terram: nec in propria domo, sed in diuersorio sum natus. Vide bene hæc omnia.

5. Eia Domine Iesu, vnde & cõpatitur tibi anima mea, visa egestate tua: & arguitur satis cõsciẽtia mea, super impatiẽtia & superfluitate mea. Si sic est initiũ tuum, qualis erit adhuc finis. Sed qui pati veni sti, paupertatẽ & abiectionẽ pro diuitijs & honoribus elegisti. Vide insuper manus meas & pedes, quia ligatus sum sicut homo impotẽs, sub matris cura manẽs, & quasi vnus ex filijs hominũ plorans. Quomodo potes tu ridere, qui cogitas Deũ pro te plorare? Vide faciẽ meã pulchram, iucũdam, gratiosam, omnẽ valẽtem expellere tristitiã & turbulẽtiã. Noli tamẽ istã exteriorem tantùm cõsiderare pulchritudinẽ quę à bonis & malis equaliter potest videri, & quæ ab inimicis adhuc deturpabitur, sed ad interiorẽ & permanentem pulchritudinem cordis dirige visum. Vide igitur qualem charitatẽ ad te habui, qui pro te homo mortalis fieri volui. Vide sapiẽtiam meam, quam seruaui; quia naturã sine vitio assumpsi, & pœnã sine culpa subiui. Vide plenitudinem gratię, quã mundo attuli; & supermirabilẽ lucem, quàm omnibus

credentibus infundere concupiui. Nullus sanctorum aut hominum tantum desiderium ad incarnationem meam habuit, quantum desiderium ego habui ad incarnandum. Nam mox, vt tempus præordinatum aduenit, Angelo edocente & Maria consentiente, sine mora Deus homo conceptus fui. Vide ergo inestimabilem dilectionem meam, quia pro salute & redemptione hominis totus exarsi; & nihil vtile aut necessarium, sibi denegare potui.

6. O si nunc ardentissimum cor meum videres, & saltē in modico diuinū illum amorem, quem ad te gero, sentires: nunquam ab amore & laude cessares, nunquam tuum laborem vel dolorem ponderares. Vide internis fidei oculis, humanam & diuinam naturam in vnam cōueniſſe personam, & inseparabiliter permanere hanc excellētissimam vnionem: & speculare de vtraque natura, quantum placet, & possibile est. Nam in me absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ Dei; & præter me, non est salus cuiquam viuenti, nec spes æternæ vitę morienti. Sint ergo oculi tui semper ad me, & cor tuum maneat apud me, & super omnia desiderabilia requiescas in me. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui feci te: & naturam tuam assumpsi, vt traherem te ad me. Veni securè ad me, frater tuus sum, mori etiam paratus pro te. Quid moraris? Accede, festina; & dimitte omnia aliena abire, quæ te possunt impedire. Si sic feceris, inuenies dilectum tuum, in quo felicissimè exultabis, & omnia onerosa facilius portabis. Caueat principuè, ne quid deuium vel lubricum in cor tuum veniat, quod te lædat aut perturbet, aut vanè occupet, vel intus obscuret. Inter me & te, nihil mediare debet, quod vnionem impedit, aut charitatem minuit, aut libertatem diripit, aut puritatem maculat, aut cordis secretum inquietat. Et quis istud apprehendet Domine? Qui nihil sibi sufficere credit, nisi summum bonum, quod ego sum; à quo omne bonum, in quo omnia bona in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Qui me vnum solum ante omnia & super omnia quærit, & mente semper gerit: qui despicit se propter me, & diligit me purè propter me; iste potest contemplari, & me laudare, & cum Maria in Spiritu sancto exultare, nunc & in æternum. Amen.

VNDECIMA.

De perditione & inuentione Iesu in templo.

Luc. 10. 1. REmansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Audisti anima fidelis, quòd ante paucos hos dies, amabilis Iesus se reuelauit pastoribus & regibus, & quanta lætitia

eunc

tunc fuit parentibus eius: sed & tibi non modicum accreuit gaudium, ex tot bonis auditis. Sed heu, hodie res nimis infortunata & dolorosa accidit, quæ meritò corda concutit, & auditores omnes stupidos reddit. Refertur enim, quòd dilectus Iesus à parentibus sit perditus, & eo, proh dolor! tempore, cùm ad templum festiuitatis gratia parentes eius ascenderunt. O subita mutatio dexteræ excelsi! Nam si perditus est Iesus, quę tunc lætitia poterit esse in corde hominis? Qui enim perdidit Iesum, perdidit plusquam vniuersum mundum. Nonne melius fuisset domi remansisse, quàm Iesum in via perdidisse? Heu, qualis est hęc festiuitas, quam obscurat tãta calamitas? Nam nulla maior grauitas, quàm vt perdita dicatur mœrentium iucunditas. Nemo piorum dubitet, quin Maria in ista perditione filij sui, multũ contristata fuit. Nonne gaudentiùs in Nazareth latuisset, quàm in Ierusalẽ hodie comparuisset? Sed voluit sancta mater sacræ legis consuetudinem obseruare, & perfectæ obedientiæ exemplum omnibus dare. Ideo domum ac ciuitatem suam reliquit, & templum Dei cum filio & Ioseph visitauit. Verùm pro ostensione patientiæ eius, & pro magna vtilitate nostra Deus hæc fieri permisit; vt Maria filium perderet, perditum dolens quæreret, atque post triduum in sancto templo inueniret, inuentumque thesaurum lætior secum referret.

2. Sed ô boni parentes, quomodo istud potuit euenire, vt tam dilectum puerum permitteretis à latere vestro discedere? Vbi erant oculi vestri, quando non erant in Ierusalem defixi? Quomodo excusabo vos dẽ negligentia tanta? Nonne meritò perdidistis, quem minùs cautè custodistis? Sed rursum, qualiter audeam vos in aliquo reprehendere, quos noui in omnibus sanctos & deuotissimos esse? Et quomodo audebat etiã bonus hic puer, sine scitu vestro, & absque licentia quoquam ire? Nonne videtur occasionem vobis dedisse ingentis tristitię, cùm se absentauit tamdiu ab oculis reuerentiæ vestræ? An ei licuit facere omne, quod voluit, quia omnia cum Deo egit? Placet mihi, quia sic voluit; quoniam Deus est, quem arguere nemo potest. Non enim potuit æterna Patris sapientia aliquid insipienter agere, qui orbẽ terræ disponit in æquitate. Bene ergo omnia fecit, non solùm prẹsentiam suam amicis reuelando, sed etiam quandoque ex certis causis faciem suam dilectis occultando.

3. Ascendit autem Iesus ad celebritatem festi legalis, non vt secundùm legem se sanctificaret, aut precibus conscientiam mũdaret, qui sanctus natus erat: sed vt indulgentiã nobis impetraret, & Ecclesiam frequentãdam esse doceret, pro donis cẹlestibus adipiscendis. Intrauit templum ad audiendum magistros & docto-

doctores, qui fuit omnium magister & Dominus. Vt discãt pueri & iuuenes, à primæua ætate literas legere, scholas frequentare, doctrinæ intendere, magistris audientiam præbere: non vagari per plateas, nec vanis lusibus occupari. Ornat namque valdè iuuenilem ætatem ardor discendi artes, quibus iuuatur intellectus, ad proficiendum in scripturis diuinis. Quatenus hinc amplius ametur Deus, quo sæpius fuerit sermo Dei auditus: & per doctores clariùs expositus, atque bonæ memoriæ libro firmiùs commendatus. Dedit ergo puer Iesus exemplum pueris & senibus, ad continuandum studium sapientiæ salutaris. Vt nemo ocio torpeat, nemo ad inania auscultet: sed pueri humiliter magistros suos audiant, diligenter quęrãt, & cum omni disciplina discant. Senes verò, secundùm datam sibi gratiam, & iuuenum capacitatem, prudenter doceant; & regulas fidei, à sanctis Apostolis & Prophetis traditas, fideliter tradãt; vt Iesum in medio doctorum sedentem, omnes verbi auditores cognoscant, & in melius semper proficiant; ac Deum, qui talem gratiam doctoribus contulit, deuotè collaudent. Et sicut doctrina & sapientia magistri cæteros præcellunt, ita vitę merito & morum disciplina, omnes præire debent. Studeant ergo docti pariter & indocti, tam sanctę humilitatis & obedientiæ exempla Iesu Christi imitari, atque diuinæ se subdere voluntati. Exemplificauit enim vtrumque in se Christus, puer duodennis & doctor cęlestis; dum more paruulorum, magistris aurem præbuit, & reuerenter caput inclinauit: atque à beatissima matre benignissimè correptus, sponte mox paruit parentibus, & iuit cum illis: sicut tractabilis moribus, ita & subiectus legibus, tam diuinis quàm humanis, prout oportuit ac decuit, in agendis & dimittendis.

4. Vtinam Domine Iesu, mihi concedas huius facti tui historiã diligentiùs speculari. Nam sentio mecũ in spiritu frequẽter actitari, quod præsens in carne semel cum matre egisti, cùm ab ea perditus esses & reinuentus. Heu quoties te perdo, peccatis meis exigentibus, quã tristis incedo, cùm fuero à gratia tua desertus, & propriæ paupertati sine consolatione relictus. Quid mirum, si tũc doleo & grauiter ingemisco, tua salutari dulcedine orbatus, & penè omni spe recuperandę suauitatis destitutus? O quàm longa mora & molesta hora mihi videtur, carere consolatione diuina: quia abest dilectus Iesus, consolator meus; & nescio, quando iterum sit venturus. Quid faciam? Aut quo vadam, ad quęrendum Iesum, quem diligit anima mea? Vbi est ille modò, qui me lętificare solet gaudio magno? Scio scio, quia si se occultare voluerit, nemo eum inueniet, nemo attinget, nemo apprehendet, quia nondum venit hora eius. Et si se dignatur reuelare, statim

adest

adest in foribus, intrat ianuis clausis, visitat domum mentis: & manifestat se indicijs tam certis, vt non sit opus interrogare, tu quis es? Quia ignis amoris cordi infusus declarat, quòd Iesus venit, & ipse fecit hæc omnia. In hoc probationis articulo, sæpius conturbor & affligor in memetipso: & satis admiror super occulta dispensatione tur Iesu dulcissime. Cur quæso me sic probas in certamine tam sæpè & improuisè, cùm tamen sis totus suauis & sine amaritudine? Norunt experti, quod dixi: experientur & breui, quicũque cupiunt esse discipuli tui. Nõ venit hoc ex dolo, nõ de ignorantia, sed ex bono zelo pro occulto profectu nostro. Ideoque, quod plenè non capio, totũ potiùs tuæ sapientiæ committo; quæ nihil agit sine certa ratione, licet causa mihi sit ignota. Habeo tamen in hoc cardine rerum, non modicum miseriæ meæ solatiú: quia & dulcis domina mea Maria perdidit aliquando Iesum, & doluit valdè amisisse filium: nec erat contenta redire ad domũ, donec inuenisset Iesum singulare gaudium suum. Quẽ cum non inuenisset, vbi æstimabat; inuenit, vbi non coniecturabat. Si enim sciuisset eum, cum tãta admiratione, inter doctores sedentẽ: aut minùs doluisset de euentu tali, aut cõgratulata fuisset de actu tam solemni, in responsis sui beatissimi filij. Itaque Iesus non semper ibi inuenitur, vbi quæritur: sed sæpe ibi existit, vbi minimè putatur.

5. Nemo ergo de se præsumat, quasi Iesum solus habeat. Nemo alium despiciat: quia nescit, quantũ quis Deo in occulto placeat, licet homines lateat, & abiectus deforis videatur. Nã & ipse Iesus tunc multis incognitus erat, & qualis ac quantus esset, paucis innotescebat. Quibus voluit, se prodebat; & quando voluit, se abscondebat; cuncta autẽ dispẽsatiuè & vtiliter faciebat. Cùm ergo perdidero Iesum, non est mirũ nec nouum: sentio tamen id mihi fore nociuum, & cordi meo valdè doloroſum. Me autem fateor reum, & plagis grauibus dignum, quia non custodiui satis bene cor meum: sed nimis tepidus & negligens incessi, ideo gratiam Iesu perdidi: & nescio, quis restituet eam mihi, nisi ipse dignetur iterum pauperis sui misereri. Huic calamitati meę succurre, clementissima mater Dei: Subueni domina mea, adesto charissima virgo Maria, ianua vitæ, nunc porta. Solatium quæro, auxilium à te posco. Tu melius nosti, quanti doloris sit Iesum perdidisse, quãtæque lętitiæ Iesum inuenisse. Si sic tibi (ô beatissima virgo) contigit, quæ sine culpa fuisti; quid mirandum, si mihi peccatori, eius gratia pro voto non adsit, qui in tam multis offendo? Quid ergo faciã, vt eum iterum inueniam? Si enim est aliqua spes inueniendi, erit vtique per consiliũ tuum: fiet & meritis tuis, quæ propinquior es & charior vniuersis. Doce ergo modum recuperandi

dilectum,

dilectum,& comitare mecum, vsque dum inueniam illum. Quo viso & reperto, cantabo tecum in iubilo: Congratulamini mihi omnes, quia inueni, quem diligit anima mea. Ipse est enim, quem tu peperisti, castissima virgo Maria.

6. Ad hæc illa: Audi consilium bonum, imitare exemplum meum, & consolabitur anima tua. Si quando perdideris Iesum, noli diffidere, noli turbari nimium: noli pigritari, noli ab oratione cessare, noli ad consolationes terrenas exire. Sed quære secretum, plange teipsum, & inuenies Iesum in templo cordis, quem amisisti peccatis tuis,delectando in rebus vanis. Non enim inuenitur Iesus in plateis ciuitatis, nec in cœtu ludentium, neque in terra suauiter viuentium; sed in congregatione iustorum, & in Ecclesia sanctorum.

7. Cum gemitu est quęrendus,qui per dissolutionem est amissus. Cum magna cautela est seruandus, qui per incuriam est elapsus. Cum timore & reuerentia est supplicandus, qui pigros detestatur & ingratos. Cum summa humilitate est reuocandus,qui per elationem est fugatus. Cum crebra & intenta oratione est placandus, qui propter euagationem mentis non audit susurrantes. Cum ingenti gratiarum actione est laudandus, qui gratiam suam dare est paratus. Cum ardentissimo amore est amplectendus, qui omnibus parcit, omnibus miseretur: qui gratis dona sua largitur, & nemini se quærenti deesse probatur. Quòd si quandoque tardat, perseuerantem tamen in oratione non relinquit. Sed etiã dum nescit, reuisitat,clariùs illuminat, & cautiùs informat: ne vnquam de se præsumat, sed in eo humiliter & deuotè confidat. Si igitur hæc bene attendis, Iesum citò placabis, Iesum in Ierusalem inuenies: quia in pace factus est locus eius. Iesus in templo cordis tui, sacra oris sui verba prędicabit. Iesus tecum tota die, sicut in thalamo morabitur. Iesus docebit te de omnibus,quę sunt salutis. Cuius est vtique totum, quicquid est gratię & virtutis in Angelis & hominibus, quicquid etiam boni relucet in creaturis. Iesus ergo semper inuocandus est, semper quærendus, semper desiderandus, semper memorandus, semper laudandus, semper venerandus, semper amandus,nec in aliquo offendendus: sed in omni sanctitate & puritate colendus & adorandus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

DVODECIMA.

De quatuor modis videndi Iesum, secundùm deuotionis affectum.

Luca 10. 1. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Hoc dulce verbum Domini Iesu Christi,sæpius est ad memoriam reducẽdum: ad quem interiores oculi mentis, in spiritu sunt subleuandi; in quem

quem Angeli desiderant prospicere. Nam eius visio, super omnia lætificat: eius fruitio, omne desiderium animę implet: eius facies, omnes sanctos in cælo beatificat. Sed quid facient, qui adhuc peregrinantur in terra, nec valent perfrui æternæ claritatis gloria? Videbunt eum, sed non modò. Videbunt eum à longè, sed nondum propè. Vident enim eum nunc per fidem, sed necdum per speciem. Vident etiam nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Vident nunc raptim, tunc autem continuè. Vident nũc imperfectè & obscurè, tunc autẽ clarè & apertè. Vidẽt nunc verè, quia credunt firmiter & bene: tunc autem videbunt sine velamine omnia plenè. Beati ergo oculi isti, qui Iesum nunc intuentur in lumine fidei, vt postea eum videant in regno suo cum Angelis Dei. Horum autem conuersatio est in cęlis secundùm spiritum, quamuis corpore teneantur adhuc in terris.

2. Sed nunc dicito mihi, anima deuota & fidelis, quæ Christũ toto affectu cordis diligis, & Christi vestigia sequi niteris; dic inquam mihi, si tibi optio daretur, & possibile foret, in quali forma Iesum videre velles & optares. Quid tibi magis placeret, si eum videre liceret, vtrùm in præsepio iacentem, an in medio doctorum sedentem; vel populis prædicantem, aut etiam in cruce pendentem? Quid horũ plus affectas? Quid dulciùs sapit? Quid mouet ampliùs? Nolo (inquit) in hac parte eligere: nolo mei iuris esse: nolo meã inclinationem sequi, nec proprijs motibus duci: sed volo omnimodè Domini mei Iesu Christi beneplacito contentari, qui nouit cordis mei secreta rimari ac inuisibiliter penetrare: vt ipse sit mihi omnia in omnibus, secundùm exigentiã meæ fragilitatis. Quod sibi magis placuerit, hoc liberè agat: qualem se voluerit demonstrare, talem se mihi exhibeat, gratum enim erit omne, quod fecerit. Totus est mihi in singulis, cùm rectè attendo: nec vlla varietas formæ vel ætatis, mutabit fidem veritatis: quia indiuisus est Christus, in omnibus his modis verè adorandus. Sentio enim mihi fore tutissimum, eius arbitrio sine meo volito standum. Habeo tamen desiderium incessabiliter feruidum, ad ipsum amabiliter intuendum. Magnum vtique & pretiosum gratiæ donatiuum, si vel vnum istorum, quod petiui, concesserit mihi speculandum. In hic præaccepto suum velle & nolle, vt fiat mihi secundùm verbum suum, in omni re desiderabili vel contristabili absque delicto. Tantũ velit, & seipsum mihi indicet: non causabor de qualitate formæ humanæ, dummodo liceat illum cernere in deitate. Sed quia hoc genus speculandi altissimum est & beatorum; contentabor interim omnium fidelium more, si Iesum videre merear in humanitatis effigie, prout interdum aliquibus deuotis se reuelauit in secreta visione. Itaque

si se

si se paruulum in cunabulo iacentem exhibuerit, adorabo prorsus Deum puerum in carne pro me exinanitum. Laudabo & gratulabor, de tantæ pietatis ac paruitatis suæ munere à seculo inaudito, omni dulcedine & gaudio pleno. Quem enim non delectaret tam gratiosum videre infantulum, Angelicis laudibus celebratum: tam sanctum amplecti puerulum, ab omni contagio purum, à sanctis pastoribus visitatum, à nobilissimis Magis venerabiliter adoratũ? Ecce hoc sapit dulciùs, & afficit teneriùs. Hoc informat chariùs primordia mea, præ cæteris actibus eius & signis, quibus claruit in mundo verus Deus & homo, vagiens in præsepio paruo. Ad huiusmodi conspectũ requiritur oculus mũdus, mens humilis, fides firma, cõscientia pura: vt videatur Deus gloriæ in fragili carne; & in forma serui, creator cœli & terræ.

3. Quid autem in medio doctorum audiẽs illos, & ad quæsita respondens æterna sapientia Patris? Certè intueri libet pulcherrimum adolescentulum, duodecim annorũ ætatem habentẽ, omni honestate morũ florentẽ, à planta pedis vsque ad verticem nulla macula fuscum: qui iam perfectè loqui potest, & responsa dare, & ingenuæ probitatis indicia declarare: ita vt cunctorum oculi, præ admiratione subita in eum essent defixi, & omnes cuperent eius præsentia ac dulcibus colloquijs recreari. Idcirco & ego aliquantulum curiosiùs, in faciem Christi Iesu affecto intendere; & quæ ædificationis sunt, ex eius ore verba prudentiæ notare.

4. Ecce sedet in medio doctorum puer Iesus, Dominus Angelorum. Audit magistros in terris, qui docet Angelos in cælis: interrogat seniores, vt discant omnes iuniores coram maioribus tacere, & reuereri. Habet se valdè modestè, sedet quietè, tacet verecũdè. Cùm interrogatur, respondet discretè, nil leuitatis gerit actu vel sermone: & inter sapientes, perfectæ maturitatis imaginẽ in annis pueritię repræsentat. Si quis totam Ierusalem perlustrasset, putas talẽ puerum, tam decorũ & sapiẽtem, inuenire potuisset? Minimè. Sed neque in omnibus finibus Israel talis, etiãsi Salomon, & omnes filij regum affuissent. Verè non est similis ei, neque in cælo, neque in terra, neq; in cũctis legislatoribus & magistris. Quapropter nõ erat mirũ, si Maria doluit multũ, cũ perdidisset tã dilectũ filium, præ filijs hominũ decoratũ. Facies nãque eius mira iucũditate serena, oculi clari, labia pura, eloquium dulce, responsio sapientia plena. Dum tacet, ædificat: cùm respõdet, instruit: virtutis est, omne quod agit & dicit: Si tam dulces fructus emittit in flore, quantos producet in messis vbertate?

5. O quàm delectabile est amanti animæ contemplari Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo, signis & prodigijs coruscantem in populo, ac verba vitæ, super mel & fauum dulciora, disci-

discipulis prædicantem. Si mibi vno tantùm die datum esset cum Domino meo conuersari in mundo, felicem me putarē: nec vnquam huius diei obliuiscī deberē, propter eminentem doctrinam & humilē conuersationem Filij Dei, cum filijs hominū: qui nullum pauperem vel debilem vitauit, sed etiam cum publicanis & peccatoribus manducare solebat. Heu quantum delirat, qui ab hoc sanctissimo exēplari in mundo accenso, vel ad momentum breue cordis oculū deflectit. Æstimandū est, quòd diu indoctus & insipiens manebit, qui vitam suā ad humilitatem humilis Dei non conformat. Optimè sensit & scripsit magnus Paulus, à Deo illuminatus dicens: *Mihi Christus viuere est, & mori lucrum.* Igitur ad Dominum meū Iesum Christum oculi mei semper, quoniam ipse est regula mea & sapiētia mea. Nam perfectio omnium virtutum relucet in eo tanquam in speculo mundo: nec potest aliquid melius & perfectius, in omni libro & scientia inueniri & sciri & contemplari, quàm in hoc libro vitæ, & lumine vero omnem hominem illuminante: & præcipuè pauperem spiritu, in amorem sui transferente. *Phil. 1.*

6. Super omnia autē preciosa vnguenta fragrat passio Domini mei Iesu Christi: continens in breui summa, omniū gratiarū apothecam. Ideo summè delectat, vidēre Iesum pendentē in cruce, atque sacrosancta corporis sui vulnera mihi demōstrantē; dolore quidē liuida, sed amore fulgida, præ omnibus gestis eius cōpunctiua: vt præter Iesum Christum, & hunc crucifixum, nil libeat menti meæ cogitare, nec legere, nec loqui, neque audire. Hæc faciat mihi Deus, & hęc addat: qui misericordiā peccatoribus non negat, & deuotorū affectibus piè adest & fauet: vt nunquā à memoria mea sacratissima passio Domini mei Iesu Christi recedat; sed dolor & amor amātissimi crucifixi, cor meū penetrent & vulnerent, ac firmissimè vniant & accendant: vt totus mundus mihi vilescat, & Iesus crucifixus, solus super omnia sapiat, atque ad intima passionis suæ secreta, secretiùs me & frequentissimè inducat.

7. Potest & alijs multis modis, pro desiderio amātis animæ, dilectus Iesus se mirabiliter reuelare: & de sanctissima vita sua, & preciosa morte, ac resurrectionis gloria pleniùs informare. Vt quæ sacra Euangelia docent & pandunt verbis exteriùs, aduenīente Spiritu Iesu spiritaliter & sagaciter ipse aperiat intus sine strepitu verborū, cùm multa illuminatione summæ veritatis, ad capiendum etiam gloriam deitatis; prout potiri conceditur purgatis mentibus quandoque per excessū spiritus, pro consolatione humanę fragilitatis; secundùm quod ipse benedictus Iesus promisit dicēs: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.* Amen. *Ioan. 10.*

DECIMA-TERTIA.

De sacra institutione ieiunij, secundùm formam Iesu Christi.

2. Cor. 6. 1. *Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Aduenit sãctũ. Quadragesimę tẽpus, salubriter ab Ecclesia institutum omnibus Christi fidelibus (maximè autem religiosis) deuotè susscipiendum. Præpara ergo te serue Dei, in hoc tempore, ad emendatiùs viuendum, ad strictiùs ieiunandum, ad frequentiùs orandũ, ad diligentiùs psallendum: quatenus & in die Dominicæ resurrectionis, tãto ampliùs cum Domino, merearis gaudere, quãto nunc abstinentiùs vixeris. Suscipe lætanter crucem Domini quam sponte pro te Saluator mundi susscepit. Nã crux est omnis afflictio carnis, & quęlibet mortificatio sensualitatis; quæ sẽper edomari debet, ne aduersus spiritũ prævaleat. Hanc crucem leuẽ ac dulcem, facit amor & gratia Christi, qui suo & suorum exemplo sanctorum, formam tradidit abstinendi. Ne ergo timeas homo fragilis, nec ad ieiunandum pusillanimis existas. Christus in causa est, Christus exemplum dedit, Christus etiam ad perficiendum bene iuuabit, qui tam sacras obseruantias instituit. Nam pro te est, quod agis: pro tua salute laboras, cùm ieiunas.

2. Quid trepidas caro & sanguis? Habuerunt etiam carnem & sanguinem sancti homines priores, multis temporibus in abstinentia viuentes. Si non esset afflictiuum corpori, nec onerosum naturæ, quomodo diceretur & esset tẽpus pœnitentiæ? Pœnitentiam ergo agere debes, in hoc breui spatio Quadragesimæ, ad redimendas negligentias vitę præteritæ: & pro Deo animam tuam affligere in compensatione diuinæ iustitiæ, in vigilijs, in ieiunijs, in orationibus & laboribus, in silentio & custodia cellæ; nec non in alijs obseruantijs sacris, secundùm morem Ecclesiæ, quæ macerationi carnis ampliùs nunc insistit. Nam vbique vigilias nunc protrahit, cantum multiplicat, preces prolongat, genu flectit sæpiùs, inclinat profundiùs, celebrat feruentiùs, adorat reuerentiùs, ieiunat prolixiùs, legit studiosiùs, prædicat instantiùs. Grauitatem assumit, pietatem exhibet, honestatem seruat, disciplinam custodit, & omnem obseruantiam sanctitatis adauget. Omnis enim anima, quæ non fuerit afflicta die hoc, peribit de populo suo; quia non est digna in sanctorum cœtu computari, qui noluerit sanctorum vitam per abstinentiam imitari.

3. Nunc totæ antiqua vita in melius est commutanda, & dignis castigationibus caro refrænanda: quatenus resurrectionis tempore, reflorcat in nouitate vitę. Redimendi sunt dies negligẽtiæ nostræ,

nostræ, & exigendum aliquid amplius in feruore spiritus pro afflictione carnis. Nam spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam: id est, delectatio carnis. Iacta itaque cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, magis verbo quàm ferculo. *Non in solo pane* (inquit) *viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Timor, quem sentis, amor tui ipsius est, plus pauens quàm oportet. Sæpe magis affligit timor nimius, & solicitudo cordis pro defectu corporis, quàm præsens ipsa fatigatio laboris. Si aliquantulum laboriosum non esset, quid tunc magni esset? Viuere secundùm commodum naturæ, non est vita pœnitentiæ. Feruenti verò spiritui & viriliter agere cupienti, modicum videtur totum, quod agit. Appetit enim non solùm superflua & noxia resecare, sed à multis etiam licitis abstinere. Sit ergo animus fortis & voluntas prompta ad ieiunandum: habes enim multa exempla tecum pariter ieiunantium. Propone nunc vnum diem, & cras alterum deuotiùs adiunge, sicq; in Dei nomine reliquos consummabis. Nónne pro regno Dei & amore Christi, totum leue ac breue ducendum tam sanctum ieiunium? Non est declinandi locus, & multum inde solicitari quid importat? Sufficiat vnicuique diei solicitudo sua, vt non duplices tibi mala, magis autem te præpara ad subeundum arctiora. Quanto promptior fueris, tanto leuiùs tibi facis, & Deo erit magis acceptum. Fortè vltimum erit ieiunium tuum in hac vita, & magnum gaudium dabit bene consummatum. Quanti anno præterito ieiunauerunt, qui modo ex hoc mundo migrauerunt? Gratum omnino Deo erit, si sponte & hilariter fiat, quod tamen fieri ex necessitate oportet. *Matth. 4.*

4. Igitur abiecto timore carnali, viriliter & alacriter aggredere ieiunium salutare. Ambula in spiritu libertatis, & solicitudo non occupabit carnis. Intuere diligenter exempla sanctorum Prophetarum, Moysis & Eliæ & Danielis; quorum mira fuit abstinentia victus, & amica solitudo multis temporibus. Attende & beatissimum Ioannem Baptistam, optimæ conuersationis puerum, quem Spiritus sanctus ex vtero matris repleuit, ducens illum in tenera ætate ad eremum, vbi in magna abstinentia & austeritate vitæ solitariè diu vixit. Deinde Dominum nostrum Iesum Christum præ cunctis sanctis intuere, ac pro singulari exemplo abstinentiæ tibi antepone: qualiter ipse sanctus sanctorum, rex regum, & conditor seculorum, sacrator & institutor omnium temporum, ieiunium quadraginta dierum, totidemque noctium, nihil interim manducando peregit: suo sanctissimo te docens exemplo ieiunare, & contra diaboli tentationes fortiter certare. Quid enim non tolerabile? Quid non amabile illius fieret exemplo, qui vtique magis pro te quàm pro se creditur ieiunasse? Et

non tantùm ieiunium eius considera, sed longam etiam solitudinem eius studeas tibi in exemplum trahere: quomodo secretè in deserto latuit, cum bestijs mansuetissimè vixit, & à diabolo tripliciter tentatus sit: præbens formam solitariæ vitæ, fugam mundi, vitationem tumultuum, frequentiam orandi, aptitudinem contemplandi, vacationem Dei, inclusionem & custodiam tui.

5. O si aliquanto illic tempore cum Domino Iesu stetisses, ab omni humano consortio separatus; nônne tibi prædulce fuisset, nil manducasse illis diebus? O quàm felix fuisses, si cum filio Dei eremitare potuisses, & illius consortio perfrui, cui deseruiebant Angeli! Vbi putas erat domuncula eius, aut spelunca protegens illum: vel qualis matta substrata corpori eius? In terra sedet, in terra dormit & quiescit, qui cælũ terramq; regit. Adspice nunc sedentem, nunc stantẽ, nunc genua sua in oratione flectentem ad Deum Patrem suum omnipotentẽ. Aſſociare igitur ei deuotionis gratia, & libenter esto solus cum solo, habendo Iesum tantùm pro solatio: quia melior est tibi solus Iesus pro socio, quàm totus Angelorum chorus in cælo. Reuera numquam est solus, nec totus derelictus, cum quo dulcissimus est Iesus. Nam sine Iesu, totus mundus tædium est & onus. Disce ab illo, quàm patiens sit & mitis in hac vasta solitudine, quàm lucidum iter pandit Religiosis ad locum secretum: ostendens priùs Deo & sibi fore vacandum, antequam in publicum sit procedendum.

6. Interroga tamen ab eo huius vitæ causam, & dic: Quid hic agis Domine Iesu? Quare homines fugis, qui ab hominibus impediri nescis? Quid turbas deuitas, qui à nullo turbari vales. Vt quid etiam tam districtè ieiunas, & sanctam carnem tuam sic castigas; cùm in te nihil sit, quod refrenari debeat? An propter nos & nostram salutem ista facis? Reuera ita est. Propter electos meos, omnia facio & patior, vt & ipsi salutem consequantur. Veni enim dare omnibus exemplum viuendi, demonstrans in memetipso, qua via, quanto labore, quo etiam fructu, perueniatur ad regnum meum sine fine gaudendi.

7. Sed obsecro te Domine, noli me deserere in deserto huius seculi; sed esto mihi nubes per diem in vmbraculum ab æstu tentationum; & columna ignis per noctem ad depellendam mentis caliginem. Præcedat me Dominus meus, aut Angelus eius semper inducatque in terram lacte & melle manantem: hoc est, ad internam gustandam suauitatem. Ego (inquit) faciam petitionem tuam, si tu meam fueris sequutus conuersationem. Ostendi pœnitentiæ viam, per quam itur ad æternam gloriam. Sequere me per laborem & tribulationem, si vis habere requiem & consola-

solationem. Ieiunaui, esuriui, tentatus sum, & restiti: contempsi mundum & gloriam eius: vici diabolum & consilium eius: vt & tu meo exemplo discas ieiunare, vigilare, & orare, mundum contemnere, diabolo resistere, carnem subiugare, & vsque ad mortem in obedientia perseuerare. Si ego pro salute tua tantùm laboraui, & tantam abstinentiam peregi, qui sine peccato fui & vixi: quanto magis tu qui in peccato natus es, & peccati fomitem adhuc habes, carnem tuam debes macerare, & omnem peccandi occasionem amputare? Stude igitur pro modulo tuo, iniunctam explere ieiunij regulam: plus execrando ventris concupiscentiam, quàm naturæ necessitatem. Ego libenter spontaneam oblationē tuam suscipiam: & licet modicum sit, quod agis, humilis tamen & munda oblatio mihi semper grata existit.

DECIMA-QVARTA.

De feruentiori emendatione nunc assumenda.

1. *Aduenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata & saluandas animas.* Benedictus Deus, qui contulit nobis tempus & formam ad faciendam aliquam pro peccatis pœnitentiam. Sic enim meremur eius misericordiam, nec non gratiam vberiorem atque gloriam. O sacrum pœnitentiæ tempus, datum in salutem omnibus hominibus, finem indicens vitijs, parans virtutibus iter, compunctionem ingerens, deuotionem nutriens, torporem exuens, feruorem renouans, & ad omne bonū incitans. O feruor deuotionis! o desiderium emendationis! Iam nunc ostende virtutem tuam, appareatque in opere, quòd prius concepisti in mente! Vtinam modò vel vnum vitium perfectè superes, aut aliquam malam consuetudinem dediscas. O si vel vnū gradum virtutis iam ascendas, aut aliquam specialem gratiam à Domino apprehendas! Si modò non laboraueris pro profectu, quando tunc proficies, & quando emendabis te in aliquo defectu? Rarò namque alio tempore religiosus demonstratur, quisquis hoc tempore religiosior non inuenitur. Alio tempore cauere illicita, laudabile est: modò non continere à licitis, vituperabile. Sanctum tempus, sanctam conuersationem requirit; & multa millia exempla fidelium, ad imitandum magis accendunt. Si omnem Christianum decet nunc sanctiùs viuere, quanto magis religiosum, qui debet alijs exempla sanctitatis & abstinentiæ præbere? Assumenda est ergo noua deuotio, & maior sensibus adhibenda custodia, ac totius hominis interioris & exterioris perfecta emendatio sectanda. Sit mens deuota, oratio pura; frequens

meditatio, intenta lectio ; sermo rarus & vtilis, solitudo grata & stabilis, labor in manibus, pietas in intentione, Christus semper in corde. Vigilandum enim nunc est solicitiùs contra inimici insidias, qui acriùs solet iam deuotos impetere & tentare : si forte tepidos eos reddat, aut impatientes, vt fiat labor eorum inutilis aut pœnitentia grauis, & chorus tædiosus. Nec mirum, si nos tentare audeat, qui Christum Dominum tentare non timuit. Sed miser ille victus est, & confusus abscessit; vt nobis spes vincendi daretur, & ne diabolum timeremus, qui nobiscum Christum victorem habemus. Viriliter igitur resistamus, & constantes in omnibus aduersitatibus maneamus.

2. Sine causa vtique tam crebrò in Ecclesia non canitur; Commendemus nosmetipsos in multa patientia per arma iustitiæ virtutis Dei. Est nũc valde necessaria patientia: quia multa occurrũt naturæ contraria, quæ bene portari nequeunt sine interna gratia. Alius tamen hoc, alius illud amplius ponderat, secundum quòd suæ naturæ aut consuetudini magis aduersari sentit. Ideoq; beatus & sapiens, qui iam virilis est & patientia præmunitus. Nam optimum remedium est non cedere timori, nec terga aduersario dare: sed viriliter agere, & libenter etiam velle arctiora pro Domino subire. Sic enim fecerunt sancti viri, glorioſi patres nostri, diuino amore accensi, qui hæc instituerunt, & nobis similiter agenda reliquerunt. Denique Christus Iesus Dominus noster, grauia crucis supplicia subijt, & patientiam suam nobis in consolationem & perpetuam imitationem præmonstrauit. Quisquis igitur deuotius se modò in cunctis gesserit, non dubium, quin iucundius sanctum Pascha suscipiet. Quicumque nunc abstinentior & solicitior ad profectum interiorem fuerit, lætior vtique Domino resurgente cum ipso iubilabit.

3. O Iesu bone, dulcis hospes & amice fidelis, adesto desiderijs & gemitibus meis. Conforta me pusillum in hoc sacro ieiunio, à te legitimè consecrato. Da robur mentis, & gratiam internæ pinguedinis : vt hęc corporalis ieiunatio, peccatorum meorum fiat expurgatio. Da sic ab escis corporalibus abstinere, vt ab omnibus vitijs & passionibus ieiunem in mente. Custodi me à callido inimico, qui omni modo nititur conceptum propositum impedire, & à sancto feruore retardare. Da dexteram tuam Iesu bone, vt sine elatione, sine tædio, sine distractione cordis, in conspectu tuo his sacris diebus in choro psallam: ac tota fidelitate, decimam dierum meorum deuotus tibi offeram, Amen.

DECI-

DECIMA-QVINTA.

De ascensu Moysis in montem Sinai.

1. *Ascendit Moyses in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Exodi 26. Quid putas sanctus iste homo ibi egit cum Domino? Quis indicabit mihi secretum istud? O si interfuissem, vt Moysem loquentem cum Domino audire meruissem. Nam Moyses loquebatur, & Dominus respondebat. Fruebatur ergo ibi solus colloquijs diuinis longè abstractus ab hominum consortijs. Ibi legem Decalogi suscepit, ibi secreta Dei & multa mysteria fidei nostræ perspexit. Didicit ibi in abscondito, quæ postmodum docturus erat in populo. Ibi instructus est de factura tabernaculi, de ritu sacrificij, de ordine sacerdotali. Ibi in spiritu cognouit & intellexit, quid ista exteriora & visibilia instituta significabant, & quid de futuris mysticè prænuntiabant. Ibi ab omnibus mundialibus curis liber vacabat, & videbat quàm suauis est Dominus; quam beatus vir, qui requiescit in monte sancto eius. Ibi nullum tædium corporis passus, pane vitæ & intellectus est refectus. Ibi in silentio venas diuini susurri suscepit, & spiritu sapientiæ impleri meruit. Vnde ex longa cohabitatione & frequenti colloquutione cum Domino in monte, illud mirabile ei accidit, vt splendida facies eius ex intuitu Dei fieret, & cornuta inspicientibus videretur; ita vt non possent filij Israel in eum intendere, sed territi abscederent; donec ille velamen sibi superimponeret, ac sic inspicientibus claritatem sui vultus temperaret. O virum Dei glorioſum & inclytum, lumine diuinæ claritatis intus & foris perfusum & penetratum!

2. Sic etiam quidam deuoti amatores Christi, quando sunt in secreta contemplatione cum Domino, nonnumquam in nouę vitæ claritatem transformantur: & tantam secum gratiæ copiam reportant, vt cæteris admirationi sint & timori, propter zelum feruoris, & affluentiam doctrinæ cælestis, quam producunt. Sed ne nimiùm importabiles videantur infirmis, prudenter gratiam supernæ visitationis contegunt: solùm quæ prodesse possunt, & melius comprehendi, humiliter dicunt: quæ autem obscura sunt & alta clauso pectore seruant, soli Deo & sibi hęc cognita esse cupiunt, cui & gratias maximas ex intimo referunt.

3. O si posses & tu cum sancto Moyse in montem virtutum ascendere, & nunc in hoc sancto tempore, aliquantulum ibidem cum Domino moram trahere, ad audiendam vocem Dei loquentis, de medio nubis & caliginis: forsitan & tibi donaretur aliqua specialis diuinæ agnitionis gratia, & illustratio mentis, qua

inebriatus & impletus cuncta terrena negligeres, & supercælestia tantùm amares: ita vt de esu corporali modicum pensares, sed potiùs experimentaliter in te gustares, quàm verus sit ille sermo Moysis dicentis: *Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Deut. 8. Matth. 4.

4. Sed quid est, quòd solus Moyses iubetur ascendere, & pauci cum eo seniorum Israël? Nimirum paucitas perfectorum, & altitudo vitæ contemplatiuæ in hoc exprimitur: quoniam maxima multitudo hominum, circa terrena & sensibilia magis amat conuersari. Nullus tamen verticem montis ascendit, nec medium caliginis, in qua Deus erat, intrauit: nisi solus Moyses, speciali gratia à Domino vocatus, & ad se introire iussus. Cui dicitur: *Ascende ad me in montem, & esto ibi.* Vocatur per gratiam, ascendit per obedientiam, manet per stabilem perseuerantiam. Non expedit ascendere, nisi præueniente gratia, quæ mentem ab omni infima delectatione leuet: & tunc oportet tractum gratiæ sequi, vsque ad finibilem vnionem Dei: & ibi ab omni consideratione quiescere, donec iterum Domino præcipiente, ad charitatis opera descendatur. Nam & ipse Moyses, post diutinam cum Domino habitationem, propter populi instructionem iubetur descendere, cui per pastoralem præerat solicitudinem. Vt ostendatur, quia omnis, qui sublimiter ac suauiter Deo vacat, post expertam suauitatem, vtiliter ac humiliter ad pia rursus opera redire debet. Et sic ascendendo ac descendendo, profectum semper inueniet: ita vt numquam ociosè resideat, sed aut intus Deo, aut exteriùs vtilitati proximorum intendat.

Exodi 24.

5. *Descende,* inquit Dominus, *peccauit populus tuus.* Deuotio apud Deum eum tenebat, periculum populi redire ad externa cogebat. Ascendit per contemplationem, descendit iterum per compassionem. Charitas Dei sursum trahebat, charitas proximi deorsum reuocabat. In monte tantummodo cælestia cogitabat, inferiùs lites & contentiones compescebat. Ibi Dominũ clarè cernebat, hic rarò à tumultu populi liber erat. Ibi supra se in spiritu rapiebatur, hic magno tædio sæpius propter eos vexabatur. In spiritualibus delectabatur, hic à carnalibus grauabatur. Ibi diuinas reuelationes suscipiebat, hic inferiùs murmurationes frequenter audiebat. Ibi deuotus & quietus erat, hic mitis & patiens esse studebat. O quàm bonũ & iucundum est, esse cum Domino in monte, & de nullis forinsecis rebus curam habere! O quàm miser & miserabilis ille status, rumoribus seculi interesse, & transitoriis occupationibus implicari! Felix mens, quam nulla actio secularis retinet, nec vlla affectio carnis inclinat, sed semper pura intentio ad Deum sine tardatione leuat.

Exod. 32.

DE-

DECIMA-SEXTA.

De verbis Iesu, & munditia cordis.

1. VErba, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Si sacra Iesu verba capere desideras, ad interiora te conuerte, & disce in spiritu ambulare. In Iesu enim verbis viuitur, & in talibus vita spiritus tui. Est siquidem Iesus ignorantiæ lumen, & vnicum doloris solamen. Audi ergo verbum, quod egreditur de ore Dei, & de labijs benedicti Iesu. Ait namque mundissimus Iesus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Altum versus bum, quia ab Altissimo prolatum. Magna promissio, sed à summa veritate firmata. *Matth. 5.*

2. *Beati mundo corde.* O dulce dictum, quod meritò inuitat animum ad beatitudinis promissum. Nam Deus est præmium, & nihil hic sonat terrenum. Si placet beatitudo promissa; placeat & cordis munditia, vt videas Deum Deorum in Sion. Ad cor mundandum tota vigilet intentio, & crebra feruescat oratio. Habet enim cor serenum, infinitum bonum sibi promissum. Sperne igitur mundum, & obtinebis cælum. Relinque creaturas, & inuenies creatorem. Define temporalia, & dabuntur tibi sempiterna. Non possunt simili lance pensari cælum & terra, neç potest pariter frui Deus cum creatura. Qui creatis rebus innititur, Deo vacare impeditur. Mundus à mundanis, & liber à passionibus, cælesti visione fit dignus. Quanto enim quis mundior, tanto Deo gratior. Deus lux est, & lucidos amat. Deus puritas est, & impuros reprobat. Fragilis est amor mundi, insatiabilis vsus omnium rerum: quod autem manet in æternum, hoc animæ verum bonum. Crescit amor summi boni, omni re mundana contempta. Orietur tibi gaudium intrinsecus, si fortiter vitijs reluctaris: dumque foris nil transitorium appetis, splendor lucis æternæ clariùs infulget. Sancto viro grauis est naturæ necessitas: carnis verò voluptas casto cordi infernalis calamitas. Nihil enim aliud pariunt carnales illecebræ, quam incendia æternæ gehennæ. Det Deus hęc pręcauere, & angelicæ puritatis dignitatem seruare. *Ibidem.*

3. Iuuant maximè ad cordis munditiam, perfectus contemptus seculi; abnegatio sui propter amorem Christi, & frequens meditatio Verbi incarnati. Munda itaque speculum cordis, si Deum intueri concupiscis. Delectabilissimũ est, veritatem atque æternam sapientiam speculari. Ad statum purioris vitæ, perducit interioris hominis reformatio sana. Seducit autem & confundit

mentem curiosa sectatio sensibilium. Trahat te auidè ad interna gustanda, optabilis mentis tranquillitas: qua suauiter fruuntur, qui in puritate vitam agunt. Si huius puritatis gestis habere delicias, caue turbationes, atque turbationum resera materias. Nil altum, nil delicatum, nil curiosum, nil transitorium concupiscas, & maximas inquietudines amputasti. Siquidem ab omni temporalitate remotus, liber pergit ad Deum. Qui enim à nullo tenetur, cælum facilè conscendit, dum orat. Nec mundi moles, nec carnis mollities, hunc retardare potest. Penetrat & aëreas potestates securus, puræ conscientiæ custos. Multum desideranda est hæc cordis puritas, quæ Deum & Angelos sibi facit amicos. Pro hac beatitudinis gratia luctandum fortiter, orandum frequenter, operandum non segniter. Beatitudo munditiæ in humilitatis valle fundatur, precibus acquiritur, fletibus enutritur.

4. O quàm gratiosa & decora est hæc virtus, quæ omnes passiones transcendit, & impassibili Deo optat vniri. Puritati namque cedit omne nefandum, subest illi omne creatum. Agit enim cum Deo integrè & sincerè, ideo vinci non nouit, sed in omnipotente omnia excedit. Famulantur huic superiora, & infima cooperantur ad bonum. Hanc fugiunt dæmones, hanc zelant Angeli, verentur carnales, amplectuntur spirituales. Sanctus Dauid post humilem peccatorum confessionem, petit sibi cordis præstari munditiam, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* Deflet delicta peracta, arguit se insipienter egisse, precatur carnis exuri lapsus: vt possit in conspectu Dei iterum mundus inueniri, & salutari lætitia repleri, nec vmquam ad illicita gesta deuolui.

Psal. 50.

5. Hæc cordis munditia scala est rectissima, clarissima, firmissima; attingens cacumen cæli, & perueniens ad intuitũ gloriæ Dei. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius:* O pulcherrime Iesu, author omnis puritatis, qui mundis corde æterna promisisti gaudia; da mihi hanc electam & preciosam virtutem, gemmis & auro clariorem perpetuò possidere: vt omni peccati contagione remota, libera mente in fragili carne tibi gratè deseruiam; & quicquid puritatẽ impedire potest, funditus abijciam: totisque desiderijs tibi nitar adhærere, quamdiu inter mundi turbines viuo miserellus, donec me iubeas aspectibus tuis assisti: tuncque secundum magnam misericordiam tuam, propitius mihi esse digneris.

Psal. 144.

DECIMA-SEPTIMA.

De amore Iesu, & abnegatione sui.

Ioan. 12.

1. QVI amat animã suam, perdet eam. Hæc loquitur amãtissimus Iesus, volẽs te separare à mũdi curis & illecebris. Ecce amor, & per-

& perditio. Æternũ Patris Verbũ id dicit, non te fallit, sed saluti tuæ consulit. Amor mundi, perditio : amor Iesu, animæ redemptio. Amor carnis, stultitia: amor Iesu, sapientia. Amor creaturæ minuit creatoris amorem : amor creatoris dat omnibus creaturis abeundi licentiam. Non enim similia sapiunt, nec meritò conueniunt. Amor sui, plenus timore & angore: abnegatio sui, ineffabilis libertas. Amor sui, intestinum malum: qui rarò vincitur, nisi Deus perfectè diligatur. Contemptus sui, salutis indicium, & qui à contemptu incipit, in amore Iesu perficietur. Amor sui cor obscurat, parit rixas, tollitque profectum. Qui autem propter Iesum se abnegat, liber fit & pacatus. Amor Iesu tutus & fortis nescit molles & seipsos quærentes. Amor Iesu dat totum quod est & habet: nec quærit, nisi quod nouit Deo placere.

2. Si vis plenè purgari & in spiritu clarificari, contemne te ipsum & omnia propter Iesum. Omne magnum in mundo, nihilum tibi sit, omne iucundum amarescat : vt solus Deus, & dulcis Iesus, super omnia tibi dulcescat. Quid est in veritate amor Iesu, nisi contemtus tui ipsius & omnium, propter amorem suum ? Et hic est, qui inuenit se, & omne bonum in Deo. Saluare vis animã tuam, contemne nunc vitam præsentem. Si tenueris modò asperam viam, ibis in vitam æternam. Durus videtur carnalibus & sæcularibus sermo abnegationis, & perditionis vitæ præsentis: sed amantibus Christum, super mel & fauum sapit dulcius : quia æternum præparat regnum verax abnegatio sui propter Deum. Amor Iesu scit pati mala præsentia, & valet disrumpere commoda temporalia. Non timet vilipendi, nec affectat honores. Scit tacere ad iniurias, non cogitat reddere vicem lædentibus.

3. Amor Iesu habet consolationem inuisibilem expectat fructum immarcesibilem. *Ego* (inquit) *elegi vos de mundo*, per gratiam meam vocando: *vt eatis* à vobis ipsis propriam voluntatem deserendo ; *& fructum* charitatis *afferatis*, me super omnia diligendo : *& fructus vester maneat*, in æterna benedictione mecum regnando. Fructus autem carnis mors est, quem vermis non moriturus sequitur, & ignis æternus. A quo nos custodiat, qui mundum contemnere & carnem domare docuit Iesus Christus, amor & redemptio nostra. Amen. *Ioan. 15.*

DECIMA-OCTAVA.

De paupertate Christi sectanda, & cura temporalium abijcienda.

1. *VVlpes foueam habent, & volucres cæli nidos ; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Hic sermo Iesu tibi frequenter pensandus est, & diligenter cordi inserendus, qui religiosam *Luca 9.*

gioſam affectas ducere vitam. Commendat tibi Ieſus ſanctæ paupertatis ſuæ nobilitatem, qua regnum cæleſte emitur: quam & ipſe in mundo pauper elegit, ac ſtrictiſsimè ſeruauit. Imò nullâ te vult quærere conſolationem terrenam: quia nec ipſe temporalem hic habuit requiem, nec materialem ſibi ſtatuit in terra domum ad commorandum. Habent animalia ad latitandum latibula, & volatilia ad quieſcendum nidos vel foramina: ſed Ieſus nulla penitus ſibi erexit tabernacula, nec per interpoſitâ perſonam ædem procurauit aut menſam. Vixit autem, vt pauper mendicus: pertranſijt viam mundi, velut peregrinus feſtinus: receſsit, vt hoſpes alienus. Non domũ manufactam, æterna ſapientia ſibi ędificauit in vicis vel vrbibus, nec extra vrbem conduxit in locis vberrimis: ſed communi contentus amicorum diuerſorio, ſimplicitatem egenorum ſectatus eſt in omnibus, nuſquam delectatus altis tabernaculis peccatorum. Quæ autem ſibi ſuſtentationis gratia dabantur, hæc in communi conferebat, & alteri deferenda cõmittebat. Nil proprium pro ſe habere volebat: parcè autem vſus eſt his, quæ naturalis neceſsitas poſcebat. Si quid fortè ſupererat in denarijs aut cibarijs, hęc pauperibus erogari faciebat. Proinde ſuperfluam rerum curam, perfectis ſectatoribus ſuis interdixit: infirmioribus autem fratribus, neceſſaria vitæ clementi bonitate conceſsit.

Matth. 17. 2. Suadebat aliquando ei Petrus tria fabricari tabernacula, cum in monte cæleſti viſione frueretur ſtupidus præſentia Ieſu clariori, & ſanctorum Moyſis & Eliæ conſortio delectatus. Sed in hac petitione, quia minus congruentia petebat, non eſt exauditus. Quia Chriſti & beatorum habitatio non in terrenis tabernaculis, nec in corporeis imaginibus conſiſtit, ſed in cæleſtis regni manſione felici, quæ omnem ſenſum & mortalium cognitionẽ excedit. Et quidem poterat fabricator cæli & terræ, Ieſus fabri filius dictus, facilè condere domum vel templum nomini ſuo, etiam abſq; ſecuri & aſcia: ſed cæleſtis magiſter & artifex omnium virtutum, non propter corporalia reformãda deſcendit ad ima: quoniam non de lignis & lapidibus, non de bobus & pecudibus, non de prædijs & redditibus illi cura extitit: ſed de animabus curandis, inſtruendis, ac redimendis. Declarauit autẽ potentiam ſuam factis potioribus, ſanitates perficiendo tactu leui aut vnico verbo. Sapientiam quoque docuit opere & ſermone bono, loquens de regno Dei, diſſuadens cæli gaudia peritura. Collegit humiles & ſimplices, ac faſtidioſos diuites dimiſit inanes.

3. Depone ergo & tu omnem inutilem ſolicitudinem rerum temporalium, de futuris prouentibus penitus te exoccupando: iacta autem cogitatum tuum in Domino, cæleſtia meditando.

Nec

Nec pro necessarijs vitæ auarè labores, vt abundes in posterum. Permitte & alios pro se laborare, vt habeant vnde viuant. Potiùs labora pro anima tua, & pro gratia acquirenda, quàm vt caro bene pascatur vermibus corrodenda. Vide ne nimiùm pro temporalibus desudes, & in spiritualibus exercitijs te negligas. Bonum est quærere commune bonum, sed spiritale magis quàm terrenũ. Bonum est in sudore vultus edere panem, sed noli obliuiſci panis cælestis. *Vtere labore tuo in diebus vanitatis tuæ.* ait Sapiens, *ne fortè homini ocioso & ingrato omnia dimittas.* Non vales tu solus omnes posteros ditare, nec cuncta damna præcauere. Stude potiùs post te relinquere exemplum virtutis, quam sufficientiam terreni census. Quid scis, an expediat tibi & alijs amplius habere? Noli multa desiderare; nam desiderio numquam satis erit, nec extinguitur cupido precio rerum. *Eccli. 2.*

4. Tu paupertatem Christi sectare, & modicitate naturæ esto contentus ob amorem eius qui nec prędia, nec redditus, nec cistas, nec domos habere voluit. Proh dolor, multi tempora sua cassa solicitudine consumunt, parum vel rarò ad interiora se conuertũt, & valdè insensibiles intus fiunt. Erige cor sursum, noli cum bestijs inhærere terrenis. Angelorum esca nutriendus es, verbum Dei animarum est cibus. Iste est panis vitæ, quem dabit tibi Dominus Iesus, ne in deserto deficias. Bonus & pius Dominus, qui promisit æterna, non negabit temporalia. Tu quære cælestia, & ipse absque dubio adijciet necessaria, quamdiu es in hac vita.

DECIMA-NONA.

De fatigatione Iesu, & salutari eius doctrina.

1. *IEsus fatigatus ex itinere, sedebat super fontem.* Patientissimus Iesus pro nobis fatigari dignatus est. Non vehiculo, non curru, non equo vsus est, dum ambularet per terram, sed in nomine Domini pedester incessit. Semel legitur asinum ascendisse, & per modicum spatium asinasse; magis ad exemplum humilitatis, quàm ad vsum commoditatis. Non ad captandum honorem, sed ad explendum propheticum sermonem. Exemplum igitur bonum sanctis prædicatoribus & religiosis personis ostendit, ne pompaticè equitent, nec sumptuosas expensas in itinere faciant: ne secularibus scandalum, & conuentibus suis occasionem murmuris generent. *Ioan. 4.*

2. Attende hic frater religiose, Iesum fatigatũ ex itinere, non transeuntem spatiari pro recreatione. Quòd si recreari opus est, non palam nec longè abeas, ne tua euagatione alios offendas. Declina autem in partem fortis sanctorum, vbi verbum Dei audias,

audias, vel sanctitatis exempla conspicias. Malè tendit recreatum, qui conscientiæ perdit iucunditatem. Valde vacuus intus est & modicæ deuotionis, qui ad excursandum facilis inuenitur. Esau vir gnarus venandi, dum moratur foris in agro, priuatus est iure paterno. Iacob autem homo simplex, & habitans in tabernaculo; dum matri humiliter obedit, & ab euagatione pedes restrinxit, benedictionem patris mira celeritate accepit. Fallitur astutus in vijs suis, spem habens in arcu & pharetra: adiutus est in opportunitatibus suis vir simplex, Deo intentus, homo sine querela. Solent ad exitum & seculi negotia pigriores existere, qui circa interiora sua diligentius curam gerunt. Desides verò mentes quotidie defluunt, & ad impotentiam sui, vsu curarum aut violentia turbationum, ducuntur. Volens ab hac euagatione sanari & lumen cordis recuperare, strenuus sit ad custodiam, penset dierum suorum finem & districti iudicij horam.

3. Disce, disce & in hoc opere Iesu, virtutem cum discretione paritèr esse seruandam. Fatigari namq; labore cõmuni, charitate suadente, vel obedientia dictante, insigne virtutis est meritique non parui. Pausare autem tempore competenti, & corpus reficere cibo, aut animam lectione sacra instruere, vtriusque hominis discretiua gubernatio est. Tolerabilis itaque defatigatio pro nomine saluatoris, nec abhorrenda deuotis, cum pro mundo fatigantur penè innumerabiles. Discretus tamen labor sit, ne corrumpat infirmum, aut ad diuina reddat ineptum. Nam quod moderatum est, melius perseuerat. Bene licet pro reparatione virium, quandoque modicum ire sessum, & propriæ fragilitatis esse memorè. Ipse enim Iesus, post itineris fatigationem, residebat super fontem expectans cibum, & humiliter postulans aquæ potum.

4. Est etiam in hoc fontis loco, consideranda doctrina Iesu, vtilis vitæ mortali. Instruit te, quid agere debeas, cum à labore desistit, & qualis sit recreatio appetenda. Neque enim, si diutius laborare nequeas, decet intendere fabulis, aut somno delectari, aut extra vagari per officinas Sed quid? Super fontem sedeas, solatium spiritus quæras, & dona sapientiæ salutaris cum Samaritana auidè petas. Scripturæ sanctæ fluentis intende, lectaque reuolue: vt animum repares, vt torporem excutias, vt otium vites, & compunctionem nouam acquiras. Sileat lingua foris, vt mens pascatur interiùs. Non pigeat sæpiùs orare, & de pio Iesu meditari. Disce de materialibus rebus ad interna transire, & de creaturis ad creatoris ascendere laudem. Fecit etenim & sic ipse Iesus. Nam ex occasione huius terreni fontis, & interrogatione mulieris aduentantis, verbum cœpit prædicare salutis, & haustum gratiæ propinare cælestis. Aquam fontis illa quæsiuit, sed doctri-

nam

nam vitæ de cæleſti riuo gaudens reportauit. In tantum recreata eſt & lætata ſermone melliflui Ieſu, vt oblita vaſculi ſui, curreret ciuibus nunciare miranda opera Dei. Et hoc eſt ſignum magnæ adeptæ gratiæ, cum quis legendo, orando, & meditando ita compungitur: vt immemor commodi præſentis, totus feruescat in amore fontis viui. De quo ſanctus Dauid, ſitibundo pectore ita pſallit: *Sitiuit anima mea, ad Deum fontem viuum.* Pſal. 41.

5. Rurſum, venientibus de ciuitate diſcipulis, cùm ad manducandum hortarentur Ieſum, ipſe obedientiæ panem, qui animam Deo ſubiectam gratioſiſsimè paſcit, oſtendit omni corporali cibo eſſe præferendum. Nullus quippe potus dulcior gratia cæleſti, qui lauat inquinatum, potat aridum, refrigerat tentatum. Nec ſapidior vllus guſtatur cibus, nec pinguior menſa amantis oculis præponitur, quàm impletio mandati cæleſtis: ſicut ipſe obedientiſsimus Ieſus effatur. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius,* Ioan. 4. *qui miſit me.* Nam inquirere beneplacitum Dei in agendis, ſuper omnia ſapit amanti, & bene enutrit obedientem diſcipulum, ac gaudio refouet ſpiritali, propter obedientiæ meritum. Sic Elias 3. Reg. 19. deſerti vaſta penetrans, & apud ſe liberè commorans, ab Angelo admonitus ſurrexit & comedit: & dum implet verbum Angeli, ambulauit in fortitudine cibi illius, vſque ad montem Dei. Ducit enim vera obedientia per breuem laborem ad perfectionis culmen, & ad montem quietis æternæ. Vbi plena ab omni æſtu & labore refectio, ac totius beatitudinis poſſeſsio, in præſentia Patris & Filij eius Ieſu Chriſti cum fruitione Spiritus S. Amen.

VIGESIMA.

De ſcriptura Ieſu, & miſericordia eius in peccatricem.

1. *Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* Amabilis Ieſus, doctor pius, magiſter verax, iudex iuſtus, & miſericors Saluator ſcriptor eſſe refertur; qui non atramento, ſed digito ſcribebat in terra. Bonus ſcriptor, qui miſericordiam pauperi aſcripſit, & peccatrici veniam indulſit. Nec cõtra legem fecit, quando legis rigorem temperàuit. Egent enim miſericordia miſeri, & verè pœnitentibus meritò debet ignoſci. O quàm pulchra ſcriptura, & quàm artificialis iſte digitus Dei, cum peccatricem contritione madidam, verbis lenit clementibus: & malitioſos inſidiatores, pronos ad vindictam, duros ad miſericordiam, ſapienter conuicit: ac confuſione dignos, ſuis vocibus oſtendit dicens: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Hoc Ibidem. contra accuſatores, & pro liberatione pœnitentis ab ore luporum.

2. Et

2. Et nunc bone Iesu, quid dicis mulieri? Expectat rea criminis verbum bonum; dic sentire tuum, submittit se iudicio tuo; da responsum solatiosum. Sicut consueuisti semper esse misericors, ita & nunc. *Nec ego te*, inquit, *condemnabo*. Quid clementius & copiosius ad indulgentiæ largitatem? Consolare rea conscia, audito tantæ pietatis verbo. Si Deus pro te, quis stabit contra te? Christus Iesus qui iustificat, quis est qui condemnet? Et quid vltra facies? Quid in recompensatione delicti offeres? Pœnitet te sceleris perpetrati, sed adhibenda est cautela maior futuris, antequam recedas. *Vade*, ait clementissimus Iesus, *& iam noli peccare*. Quid breuius & plenius ad absolutionem, & ad perfectæ pœnitentiæ satisfactionem? Qui corda nouit, sciebat quantam contritionem peccatrix habuit Vsus est ergo Iesus abundantiori clementia, ne absorberetur grauiori tristitia: quæ publicè accusata, passa est magnum pro culpa sua ruborem.

Ibidem.

Ibidem.

3. Audisti clementiam Saluatoris, cum multa consolatione peccatorum: stude & tu culpas tuas agnoscere & dignè deflere antequam deprehensus à nequissimis spiritibus, cogaris in iudicio futuro de omnibus rationem reddere. Dic cum publicano; *Deus propitius esto mihi peccatori*. Nec dubites de misericordia redemptoris, dummodo de cætero velis ex totis viribus perpetrata cauere, & perfectè vitam emendare.

Luca 18.

4. Considera & in hoc opere Iesu, quid egerit scribendo. Nec mireris, si scribere nouerat: nec quæras cum Iudæis, vnde sciuerit legere vel scribere, cùm ab homine literas non didicerit? Stulta est huiusmodi interrogatio, & mendax fabulosa confictio de schola Iesu. Quoniam sapientia Dei non eguit magisterio humano, qui ad illuminandum omnes filios hominum, magister natus est in mundum. Cui non solùm promptum fuit per se legere & scribere, sed etiam homines sine literis, Apostolos scilicet, in omni linguarum scientia peritissimos absque verborum strepitu repentè efficere. Et quid mirabile, si characteres à mortalibus inuentos, author vitæ lucidè agnouit; qui secretissima cordium, & abscondita à sæculis mysteria, semper clarissimè intuetur. Delectat tamen audire, quia Iesus legere nouerat, & scripsit; vt ars scribendi ac ardor legendi sacros codices magis placeat. Quam artem multi sanctorum didicerunt, & ore ac manu diligentissimè exequuti sunt; dum in carne viuerent, & sanctam ecclesiam scriptis suis maximè illustrarunt. Fuit ergo Iesus doctor magnificus, prædicator optimus; scripturarum author & amator; exemplaris moribus, ædificatiuus verbis, atque mirificus signis. Placet igitur tibi Iesum imitari legendo, scribendo, & alia sanctæ religionis instituta seruando: vt cæteros ædifices dignè Deo viuendo, qui

Ioan. 7.

idoneus

idoneus non es ad prædicandum.

5. Valdè bonum opus est scribere libros, quos amat Iesus, in quibus ipse agnoscitur, legitur, & prædicatur. Nec dubium, quin ab ipso amaberis, & copiosè remuneraberis; si diligenter ad honorem Dei & vtilitatem proximorum, libros ecclesiasticos scripseris. Si mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ sitienti porrigit; quantam mercedem recipiet, qui animæ perpetuæ victuræ salutaris sapientię aquam scribendo ministrat? Quot enim literas debitè formas, tot Deo hostias laudis offers. Meritorium est ergo & deuotum scribendis libris operam dare, & eos in magna reuerentia ac diligenti custodia seruare; quibus diuinum officium quotidie celebratur, & multiplex eruditio inde seminatur. *Matth. 10.*

6. Sunt namque libri sacri arma clericorum, ornamenta Ecclesiarum, diuitiæ & thesauri doctorum, tubæ sacerdotum, solatia religiosorum, epulæ deuotorum, testamenta sanctorum, luminaria fidelium, seminaria virtutum, organa Spiritus sancti. Scribere ergo libros, opus Deo acceptabile, legere vtile, docere commendabile, prędicare salubre. Quis autem legeret vel prædicaret, nisi sanctorum scripta nosset; & nisi scriptor priùs scripsisset? Benedicta ergo manus scribentis, & benedicti digiti in tali opere occupati. Exemplo suo te docet Iesus digito scribens in terra, quatenus & tu libenter scribas Dei verba; quæ dum alius legit, alius etiam prædicat, præmium maximum de multiplici fructu laborum manuum tuarum consequeris: præstante Domino nostro Iesu Christo, omnium bonorum remuneratore, apud quem omnes capilli capitis numerati sunt, & singulę literæ scriptæ non poterunt deperire. Eia feliciter, Amen.

VIGESIMA-PRIMA.

De custodia humilitatis, & consideratione propriæ fragilitatis.

1. *CVm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Præsens Domini Iesu sermo multum nos informat ad humilitatis custodiam, & ad exclusionem omnis vanæ gloriæ & tumoris. Præcipuè admonet altitudinis cupidos, vt propriæ fragilitatis & negligentiæ sint memores; nec de operibus suis, licet humano iudicio bene gestis, se extollant: sed Dei iudicium supra se metuentes, misericordiam ipsius humiliter potius deprecentur, quàm de suis meritis pręsumant. Ita namque sanctus & humilis Dauid, pauidus ad Deum clamat: *Non intres in iudicium cũ seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Ecce, *Luc. 17.* *Psal. 142.*

quàm

quam viliter tibi sentiendum est de teipso; quàm grauiter expauescendum tibi supernum iudicium, qui longè distas à sanctitate Dauid magni regis & prophetæ. Neque tu rex, neque propheta, neque sanctus, neque electus secundùm cor Dei, sicut & ille, meruisti aliquando appellari. Impleuit tamen ipse sermonem Domini, inutilem seruum se confitendo; etiam culicem canem, ac vermem se nominando, nil elatum post mirifica gesta de seipso sentiendo.

2. Reduc ad memoriam mala præterita, vitia præsentia, pericula futura: & nequaquam elatè senties; sed magis timebis, & vilem atque inutilem te pronuntiabis. Non indiget Deus seruitio tuo, etiamsi rectè egeris; nec ei dignè placebis, nisi te indignum & inutilem seruum cognoueris. *Cùm feceritis*, inquit, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Si hoc dicere debes omnibus mandatis expletis, nec ius habes in aliquo gloriandi; quàm viliter & indignè sentiendum est tibi, cùm in tam multis quotidie deficis & delinquis, & penè nihil ad perfectum ducis? Quando potuisti per vnam diem vel horam ita probè & custodite coram Deo & hominibus conuersari, vt nihil eorum negligeres, quæ te facere oportuit & sicut decuit? Tanta est infirmitas humana, vt contagione non careant, etiam quæ humano iudicio tamquam iusta laudantur. Depone ergo omnem vanam complacentiam & arrogantiam, atque propriæ inutilitatis attende multitudinem.

Luæ 17.

3. Discute cogitationum tuarum prauitatem & instabilitatem & inuenies te non solùm inutilem ad bona, sed multis malis obnoxium, dignumque contumelijs & pœnis. Hoc autem vnicum est remedium & solatium contribulati spiritus, vt pro tam innumeris negligentijs & maculis peccatorum, in veritate se quilibet humiliet: atque omnibus inferiorẽ se reputet & ineptum: nummo confessionis & scuto bonæ voluntatis, peccata præterita & negligentias quotidianas solicitè redimendo, ac deuotis orationibus frequenter insistendo. Igitur contra irruentia vitia viriliter te oppone: quia tanto quisque in virtutibus proficit, quanto acriùs sua vitia odit ac vincit. Et licet sæpius tentaris & cadis, tamen iterum debes niti resurgere, & bonum propositum cum maiore cautela arripere, & cum Propheta dicere; *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Quotiescumque ergo ab incepto proposito deficis, & vires perficiendi non habes, nequaquam desperes, nec te deijcias: sed in Domino confidendo, cum omni humilitate & instantia magna clama, & ora: *Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.*

Psal. 118.

Ibidem.

VIGE-

VIGESIMA-SECVNDA.

Dominica in passione.

De planctu super passionem Domini.

1. O *Vos omnes, qui transitis per viam, attẽdite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Agitur nunc memoria dominicæ passionis in sãcta Ecclesia: & dignũ est, vt filij Ecclesiæ suo Domino cõpatiantur, qui pro ipsis mori dignatus est corporaliter, vt ipsi corpore & spiritu simul viuerent æternaliter. Nõ ergo ingrati sint, aut alienos se reputent: sed piè meminerint, quia ipsi Ecclesia & sponsa Christi sunt, qui filij dicũtur: si tamen filiali amore & vnica fidei deuotione Christo adhæserint. O quanta charitas summi Patris, quanta dilectio vnigeniti filij Dei, quanta benignitas Spiritus sancti, superabundauit in omne genus humanum! Quid dicis ad hęc anima mea? Nunquid ingrata eris, aut immemor esse poteris tantæ charitatis? Quomodo poteris negligere eum, à quo tam diligenter quæsita es? Quomodo non reamares eum, qui te tam ardenter amauit? Ama amantem, & tam validè te amantem: vt potiùs eligeret mortem subire, quàm te perire. Hæc fuit charitas, qua nemo maiorem habuit, & ideo plenè pro omnibus satisfecit. *Thren. 1.*

2. Sed quid facies, & quid Domino pro morte sua retribues? Aliquid agere oportet, quamuis dignam illi retributionem redonare nó vales. Omnis enim creatura & omnes sancti Dignè Deo regratiari pro morte sua non sufficiunt, quam ille sponte pro te suscepit. Recordare igitur sanctæ passionis eius, & pro modulo tuo studeas eam imitari: quia hoc est illi magnas gratias agere, libenter pro eo velle tribulationes sustinere. Ab exterioribus itaque curis mentem abstrahe, & totum cogitatum tuum in crucifixi Domini tui imaginem conuerte. Per hunc enim poteris alienas imagines à mente meliùs excludere; nec non huius sanctæ imaginis impressione, quoslibet etiam corporis dolores mitiùs sufferre. Et quia iam secundùm tempora Ecclesiæ, conuenit de passione Domini cogitare, ideo ad eam exercitia tua intentiùs debes dirigere. Si præcedentes ieiunij dies negligentiùs transierunt, saltem nunc in hac quindena, ob Christi passionem noua deuotio te reaccendat. Et si quid bene egisse te recolis, adde meliora prioribus. Esto solicitior & feruẽtior modò, sic enim requirit specialis memoria dominicæ passionis, & generalis Ecclesiæ assumpta compassio pro morte sui redemptoris.

3. Non sit onerosum nec pigrum, amarath Christi passionem

percogitare, quam ille paratus fuit pro te sustinere. Per singulos dies istos, de vinea Domini Sabaoth collige & exporta fasciculũ myrrhæ, quem inter vbera tua pro custodia cordis recondas, quia ex eo odor vitæ exhalat; & si bene masticaueris, mirabilem confortationem inter aduersa & opprobria percipies. Siquidem probatum est à multis & gustatum, quòd exercentibus se frequenter in passione Saluatoris, sanctæ plagæ eius & benedicta vulnera, tam dulciter sapuerunt, vt ex vehementi dolore lachrymis fluerent: & præ nimio desiderio amoris & compassionis, etiã ad tolerandas contumelias & pœnalitates, pro Christi amore validè accenderentur. Quid dicam, quòd quidam extra se educti, & à proprio amore totaliter immutati, cupiebant in intima Iesu pergere, ad sentiendum eius exinanitionem vsque ad mortẽ crucis; optantes corde tenus humiliari, & vilipendi ab omnibus creaturis: vt solus Christus in eorum cordibus magnificaretur, & ipsi tantummodo despicerentur.

4. Ita ignitus est sanguis Christi ex amore fusus, quòd intimè meditantem fortiter ardere facit; & sui ipsius in tãtum obliuisci, vt contemptum gaudium deputet; & quæ corpori pœnalia sunt, pro minimo ducat. Sic enim vehemens amator, suo dilecto amatori configurari per passiones incipit: dum se totaliter ac liberè illi tribuit, qui pro se redimendo in nullo sibi pepercit. Hinc maxima oritur dilectio, recipitur gratissima consolatio; excrescit singularis deuotio, moritur carnalis affectus, eleuatur in Deo spiritus; illuminatur intellectus, & gustatur verbum Prophetæ di-
Psal. 22. centis: *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est.* Sed quia hoc valde magnum est & arduum, nec alicui per se attingibile, propterea pete, quære, & pulsa anima mea, quatenus benignissimus Iesus plenus Spiritu sancto & virtute, diues in omnes qui inuocant illum, hunc optimum thesaurum, quem in se reconditum habet, misericorditer tibi aperiat: ac preciosissimum deuotionis vnguentum, ex sacris stigmatibus suis, in te emanare faciat: vt discas & tu sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo:
Deut. 32. quod superbis absconditur, sed humilibus deuotisque cordibus aperitur; carnalibus & terrena sapientibus velatur, sed puris & simplicibus sæpiùs degustare conceditur. Hæc est mirabilis Dei dispensatio, vt mites & humiles capiant, quod elati & curiosi capere non valent.

5. Vides, quàm multi multa legunt, alta scrutantur, & sublimia quærunt: sed paruam aut penè nullam deuotionem erga Christi passionem habent: quia ad exteriora se fundunt, & in terrenis cõsolari quærunt: & ideo aridum & insipiens factum est cor eorum interiùs, & quæ Iesu Christi sunt sentire non possunt. Occupantur

tur multis, & ædificantur in paucis. Negligunt vtilia, omittunt necessaria; amant subtilia, despiciunt simplicia; rapiuntur in diuersa, & noua quæque rimantur; & nec sic quidem inueniunt requiem, neque auditis rebus satiantur. Quia quamdiu Iesum per passionem & crucem non quærunt, ad veram internam dulcedinem & ad Deitatis eius cognitionem nequaquã peruenient. Solus enim Iesus præstat, per suam sanctissimam humanitatẽ, aditum ad diuinitatem. Quod bene sapuit B. Paulus, cùm diceret: *Quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscõditi;* Col. 2. & ideo prætermissis mundanæ sapientiæ verbis, in Christi se exercebat vita & passione, dicens: *Nihil enim iudicaui me scire inter* 1. Cor. 2. *vos, nisi Iesum, & hunc crucifixum.*

6. Animaduerte hæc anima mea: & omissis curiosis & vanitatibus vniuersis, ad Iesum crucifixum interiorem cordis oculum dirige. Vigila pro nunc solicitè, & cum Iesu in mõte Oliueti ora Patrem: vt sicut ei datus est calix benedictę passionis ad bibendum, ita & tibi donetur ardens affectus, ad amorosè sibi compatiendum. Plus enim inuenies in vulneribus Iesu Christi, quàm in possessione totius mundi. Et in ampliorem mentis stuporem adducet te vnica Christi passio, quàm omnium rerum conditarum speculatio. Hoc ideo dico, vt erga passionẽ Christi amplius feruescas, intentius inde cogites: immo nullam horam nec diem sine eius recordatione prætermittas. Nam quicquid in alijs dictis vel factis sanctorum legis & audis, hoc multo copiosiùs & saporosiùs in vita & passione Christi inuenies. Excellit siquidẽ Christi veneranda passio, omnes sanctorum passiones multis modis. Quia omnium sanctorum passiones, ex sola Christi passione sanctificatæ sunt, & ideo acceptabiles atque meritoriæ per mortẽ ipsius effectę. Ipse est enim sanctus sanctorum, qui habet potestatem dimittendi hominibus peccata eorum, qui gratificat cuncta bona opera ipsorũ: ac semetipsum dedit in oblationem sanctam Deo in redemptionem omnium peccatorum.

7. Tribus autem specialiter modis superexcellit Christi passio electorum suorum passiones, dignitate scilicet, & acerbitate, ac fructu seu vtilitate. In dignitate, eminet persona patientis, quia filius Dei erat. In acerbitate cõsideratur grauissima læsio corporis, quia nobilissimę ac tenerrimæ complexionis fuit. In fructu verò apparet humani generis redemptio, quia per mortem suam, quam sine culpa pertulit, ab æterna nos morte liberauit, & cælestis beatitudinis introitum & gloriam nobis promeruit. Ideoque per Prophetam, omnes fideles suos ad considerandam magnitudinem doloris sui ita alloquitur, dicens: *O vos omnes, qui transitis* Thren. 1. *per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.*

8. Heu Domine, quàm multi inconsideratè corã te transeunt! siccis oculis & incompassibili corde imaginẽ tuam pertranseũt! Vix à longè crucifixum intuentur, sine reuerẽtia & genu flexione per Ecclesias discurrunt. Festinant magis exire, quàm intrare: plus libet fabulari, quàm orare: suauiùs trahit mundus ad forum, quàm diuinus & cælestis cantus ad chorum. Vix valẽt modico tempore in laude tua consistere, cùm tu longo horarũ spatio, pro ipsorum salute, in cruce repletus multis doloribus & opprobrijs pependisti. Vbi sunt oculi nostri Domine, & aures quò dimisimus, vt te non attendamus? Conuerte nos ad te, quia valde citò auertimur à te. Citò obliuiscimur magnę charitatis tuæ, quam nobis in benedicta passione tua exhibuisti. Tanta passus es, tam grauia, tam indigna, & sine omni noxa, ab hominibus pro hominibus quos ipse creasti; à propria gente & populo, quibus tam multa beneficia à diebus antiquis & in præsens præstitisti; & adhuc duri remanemus & ingrati. Commota quidem sunt in morte tua insensibilia elementa, & non commouentur filiorum hominum corda.

9. Heu me miserum & infelicem, super sterilitate & insensibilitate cordis mei: quod tam celeriter moueor ad modicã iniuriam, & ad tantas contumelias Domini mei Iesu Christi nihil permoueor. Paruam corporis læsionem sentio, & grauissimas Domini mei pœnas non pondero. Quàm exigua charitas apparet, quia caput grauiter pungitur, & cor inde non dolet. Si sumus inuicem membra, cur non compatior? & quare cor dolore non scinditur? Domine mi, quid ad hæc dicam? & quid miser faciam! Cur citiùs moueor quandoque ad hominem mortalem, quàm ad te creatorem meum Sponsum immortalem? Cur me ampliùs stimulat vanarum rerum curiositas, quàm tua pro me in cruce suspensio? Propter hoc doleo vehementer, quia ista non magis ad cor transeunt: nec totaliter me conuulnerant, sicut meritò deberent. Proh pudor, quòd tam facilis sum ad risum, tam sensibilis ad proprium damnum, & tam tardus & aridus ad Domini mei plangendam amarissimam passionem. Quòd si aliquando compunctionem induo, nimis citò iterum remitto: ideo non proficio, nec ad interiorem saporem perfectè venio. Ah Deus meus, quòd tanta de te bona audio, & nihil dignè ago. Tam grauia te perpessum lego, & adhuc plus me durum quàm emollitum sentio. Non est hoc signum perfecti amoris, nec indicium amorosæ compassionis. Vsquequo insensibilis ero, & cum patiente non compatior?

10. O nunc dilectissime & fidelissime Iesu, pallens ac pendẽs in cruce, spes vnica animæ desolatæ, concede mihi in tam sanc-

cto tempore, passionis tuæ memoriam dignè peragere, atque per amorosam compassionem in aperta vulnera tua transire: vbi mei oblitus & tui solius doloris memor, in nulla tribulatione vltrà deficiam, sed me ad tuam voluntatem liberè resignem. Quomodo possum scire aut æstimare, quòd te diligam, nisi ex sufferentia tribulationum pro nomine tuo? Nam ex amore libenter pati, & sine querimonia omnem grauitatem posse portare, charior est retributio, quàm homo potest tibi exhibere. In hoc enim cognoscuntur veri amatores crucis, videlicet, in voluntaria perpessione cuiuslibet grauitatis. Et quãuis iam impassibilis sis, & nullis obnoxius passionibus, sed gloria & honore coronatus, & super omnes cælos eleuatus; mihi tamen proficit & multum iuuat, quòd in passionibus meis, tuæ benedictæ recordor passionis: quòd te tanquam in carne adhuc passibilem attendo; videlicet captum & ligatum, vestibus exutum, derisum, consputum, colaphizatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, cruci affixum, felle & aceto potatum, lancea perforatum, cum latronibus condemnatum, obloquutum, blasphematum, despectum, derelictum, reprobatum ab omnibus, & tandem in cruce mortuum, & lamentabiliter sepultum. Non debeo præterire vel vnum punctum, sed de silua Euangelica, omnia verba & facta tua, fideliter congregabo: & non tantùm mirabilia opera tua considerabo, sed multo chariùs passiones & vituperia tua percogitans amplexabor, quia hæc mihi necessariora sunt ad salutem.

11. Signa tua inclyte Iesu, ad fidē & sancti nominis tui venerationem, me informant: vituperia verò tua & dura verbera pro me susceptа, ad piam sufferentiam, ad humilitatem & charitatem perfectam, me magis prouocant & accendunt. Cauendum autem ei est valde, qui signa tantùm veneratur, & magna in te solummodo considerat: ne ex confideratione ignominiosæ mortis tuæ, scandalum sumat. Admirandus quidem es in operibus diuina virtute patratis, & de his super omnia laudandus: sed tamen improperia ac maledicta patienter ferre, non es dedignatus, atque eo amplius adamandus.

12. Animaduerte igitur hæc anima fidelis, & esto Deo grata pro his omnibus. Cõsolari te debet in omni pressura & tribulatione tua, pauper & humilis Iesus; qui à Deo & hominibus fuit in maxima necessitate derelictus. Non es maior Domino tuo serue piger & inutilis, nec innocentior Christo Christiane. Si ille tãta pro te pertulit, quid pro te ipso facies, & quid illi dignè referes? Si sic etiã derelictus est & cõtemptui traditus, qui filius erat charissimus; quid grauaris, si aliquando derelinqueris & despiceris, qui tam indignus es seruus. Aspice exemplar tuum cæleste, me-

morialeperpetuum. O specioſe & percharisſime Ieſu fili Dei quid magis in te admirabor? Alta vel humilia? Et quid plus mirabo? Digna an indigna? Sed vtraque ſimul melius & verius. Formoſum & altum te conſpicio in natura diuina, deformem verò & deſpectum in ſpecie humana. Hoc ſemper manes, iſtud ad tempus paſſus es. Inſuper & ſpiritui meo pulcher es intus & amabilis, purus & inuiolabilis, quia ab omni delicto alienus, licet abextra multum deturpatus & plagatus videaris. Propter peccata mea denigratus, & percuſſus es, & crucifixus.

13. Scandalizantur forſitan oculi corporei inſipientium & ſuperborum, non autem amantium atque piorum: magis autem compatiuntur & plorant, qui in veritate te diligunt. Cum talibus viuere deſidero, qui te toto corde diligentes, vſque ad ignominiam crucis ſequuntur. Non es ſcandalum mihi, ſed maximus honor & gaudium. Nam deformitas tua, mea eſt pulchritudo: plagæ tuæ & ſingula vulnera ſanitas animæ meæ: & mors tua, vita mea. In his viuo, & in talibus vita ſpiritus mei. Corripies me ſi non meminero tui, ſi non propoſuero paſsionem tuam in principio lætitiæ meæ. Scio enim, quis ſis, ſanctus Dei, qui hęc pati voluiſti: & credo, quia pro peccatis meis libenter iſta pertuliſti.

14. Plorans igitur plorabo die ac nocte, & lachrymæ meæ in maxillis meis ſuper contritione & amara Domini mei paſsione. 2. Reg 1. Planxit Dauid planctu magno ſuper Saul & Ionatham filium eius, & ego non plangam mortem Domini mei regis mei? Videns Iacob veſtimenta Ioſeph filij ſui, ſcidit veſtimenta ſua cum fletu: & ego ceſſare potero à fletu, conſiderata Domini mei morte dolorosa? Gen. 37. Videns etiam Ioſeph, Beniamin fratrem ſuum vterinum coram ſe ſtantem, ſtatim commota ſunt viſcera ſua, feſtinauitq; & ploranit, nec ſe poterat à lachrymis continere: & ego audiens Dominum meum atrociter occiſum, ſine lachrymis ero? Gen. 35. Nemo mihi hoc perſuadeat, nemo me à dolore & planctu prohibeat, alioquin plus me cruciabit. Fudit Dominus meus pro me preciosum ſanguinem ſuum, & ego non fundam pro eo planctum modicum? Vtinam poſſem ſic plangere, vt etiam ſufficerem omnes homines mecũ commouere. Non eſt omnium flere, ſed religioſæ mentis eſt, ex interna compaſsione pro Domino plangere; non ad propriam captandam placentiam, ſed ad ipſius promerendam gratiam ampliorem.

15. O præcordialiſsime dilecte Ieſu, ſplendor æternæ gloriæ, quomodo ſic occumbis ſol iuſtitiæ? Cõpatiatur tibi anima mea, & ex magno compaſsionis affectu ſcindatur cordis mei duritia, ſitque hodie cum memoria paſsionis tuæ ſeriosè occupata: In ſpiritu humiliratis & in animo contrito tibi fideliter aſsiſtat, & in

omni loco passionis tecum vadat, atque omnia, quę pateris, dolenter attendat. Tecum etiam pati & cõmori tibi ardenter concupiscat, pensans quid Dauid de filio suo Absalon dicebat. *Quis* (inquit) *mihi det, vt ego moriar pro te fili mi Absalon, Absalõ fili mi?* Prævaluit in Dauid pius affectus super interitu filij sui se persequentis: ita vt eius mortem vehementer lugerer, & pro illo mori optaret, qui suam conabatur vitam auferre: quãto magis in me prævalere debet dolor eximiæ compassionis, super innocente morte tua, pro me in cruce consummata? Plus me mouere debet, quòd pro me crucifixus es & mortuus, quàm si totus mundus mihi datus fuisset, & pro me expensus. 2. Reg. 18.

16. Moriatur ergo anima mea morte beata, & fiant nouissima mea Domino meo similia. Da Domine felicem mortis horã, & beatam tecum inuenire requiem. Feliciùs mihi erit tecum iam mori, quàm vna hora sine te diutiùs viuere. Quod si negatum fuerit, faciam quod deuotus affectus facere consueuit. Secretum petam, & ob hoc præcipuè, vt liberiùs plangam. Mortis tuæ Domine recordabor, & omnium vulnerum tuorum cicatrices, intimis cordis oculis, crebriùs oculabor. Nemo me hodie alloquatur, nemo mihi de aliquo solatio molestus sit, nec aliquam leuitatem innuat: quia non accipiam ab aliqua creatura consolationem, ne impediar lugere Domini mei amarissimam passionem. Recedite, recedite domestici & externi, dimittite me solũ & desolatum sedere, vt plangam paululum dilectum meum pro me crucifixum. Præ dolore deficiant lachrymæ in capite meo, & nõ sit, qui abstergat, nec qui me consoletur, nisi ille quem plango. Lachrymate mecum sol & luna, & lugete mecum omnes creaturæ, quoniam occisus est Dominus noster hodie. Et dignũ est, vt omnia sint in mœrore, vbi author patitur naturę; & omnes induant tristitiam, vbi filius Dei tantam sustinet miseriam. Non libet ampliùs loqui, sed tantum flere mihi libet, quia Deus meus clamans voce magna expirat. Exite, exite lachrymę vberrimæ, & vsque ad fundum excurrite. Cadit super dilecti Domini mei corpus occisum, & promeremini mihi interiorem cordis visum: vt illum merear aliquando videre gaudiosum, quem nunc plangõ affectuosis luctibus crucifixum. Sit mihi sepulchrum illius, locus pacis & requietionis: vt gloriosa eius resurrectio, finis doloris omnis fiat atque mœroris. Amen.

VIGESIMA-TERTIA.

De cruce Iesu, quam pro nobis ipse portauit.

1. *SVscepérũt autẽ Iesũ, & eduxerunt: & baiulãs sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locũ.* Libet doloroſum hũc Domini Ioan. 19.

transitum considerare, & pio mentis oculo, tam flebile hoc spectaculum intueri. Ecce innocens Iesus, graui sarcina crucis oppressus, inter duos latrones educitur, & heu ad publicum suspendium cum clamore trahitur. Amplectitur ipse contemptibile lignum, charitatis suæ brachijs: supponit ei dorsum flagellis cæsum, & humerum sanctum, omnes quoque corporis sui debiles artus. Effert onus immeritum, iugum tollit insuetum: ducit illud ad locum sibi deputatum, vt gignat salutis nostræ fructum, contra æternæ mortis venenum.

2. Grande ludibrium impijs, sed sacrum mysterium fidelibus cunctis. Malis est testimonium perditionis, quia innocentem crucifigunt: bonis saluationis est signum, quia compatiũtur ei, & plangunt. Illorum risus vertetur in fletum, horum gemitus erit in gaudium. Incedit igitur mansuetus Dominus, per viam confusionis valdè mansuetè. Vadit vltroneus extra portam Hierusalem, super quam fleuit in die palmarum. Fert patiẽter suę suspensionis derisum, à propria gente sibi illatum. Non reclamat de iurijs sibi factis, nec recalcitrat violenter retro stimulatus. Non conuocat Angelos in auxilium, nec amicorum requirit succursum: sed pergit indilatè, & obedit maleuolis promptè. Solus gestat onus grauissimum, solus confusionis patitur opprobriũ: sed non vult solus honoris gaudium, quia cunctis in se credentibus desiderat donare passionis suæ meritum. Non retrahitur abitinere crucis affectu matris, nec charorum impeditur fletibus. Nõ inquietatur occurrentium tumultibus, nec malignantium mouetur stridoribus. Non fatigatione corporis ab incepto opere retardatur, nec scandalorum obruitur procellis. Vnus idemque cõstantissimè perdurat, liber & quieto corde ad supplicij tenditagonem: sicut mundi gloriam paruipendens, ita & ignominiam æqualiter ferens. Semper in æterni Patris laude persistens, nullũ à sua charitate excludens: sed ardenti desiderio cupiens præceptum Patris, ab æterno dispositum adimplere: & opus humanæ restaurationis sibi iniunctum, per passionem & crucem consummare.

3. Iam in hoc præclaro exemplo demonstrat, quod priùs salubriter docuit verbo. Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me. Ecce habes præcessorem asperioris viæ, Iesum filium Dei, ducem ac præceptorem Gentibus, vt liberet eas. Sequere ergo serue fidelis Dominũ: sequere discipule magistrum: imitare caput egregium fragile membrum, vt eo duce peruenias ad æternæ felicitatis regnum. Si prospera appetis & iucunda, ne formides aduersa. Sequere peccator iustum, homo Deum, creatura creatorem, exul redemptorem.

rem. Abijce timorem terrenum, indue fortitudinem; certa vt bonus miles vincendo naturam. Per crucẽ itur ad salutem, per pœnam peruenitur ad coronam. Noli erubescere Christi ignominiam, si vis Christi contemplari faciem glorioſam. Pro te portat hanc crucem, pro te subit & crucis mortem. Dat tibi exemplum sustinendi, complanat pedibus suis asperitatis semitam: ostendit crucis ignominiam non fugiendam, sed amplexandam. Baiulat humilis Iesus crucem suam pro impijs, vt sanctificet impios: patitur pro vilibus seruis dolores, vt regni sui faciat cohæredes. Quis non concupiscat iam sustinere conuitia & contemptus hominum, cùm innocens Christus pertulerit ab hominibus tam grauia & indigna sine culpa. Leuiùs namque fert miles, quod regem facere cernit. Ascendit itaque rex nobilis, rex regum, omnium Dominus, contra principem mundi bellaturus, non clypeo protectus, nec ferro munitus, sed cruce armatus & vallatus, cruci affigendus, in cruce denique pro amicis suis moriturus. Veniens igitur ad locum Caluariæ cum crucis vexillo, elegit ibi nominis sui erigere titulum, & nostræ salutis operari mysterium: prænoscens locum confusioni deditũ, mirificis signis illustrãdũ, atque crucis suæ patibulum, in honorem conuertendum: in breui quoque tempore per mundum prædicandum, & à regibus & principibus terræ adorandum.

4. Est quippe crucis venerabile signum in Christiana militia, decus insigne, & super omnia armorum genera munimen singulare, atque contra diaboli sæuitiam & terrorem inexpugnabile scutum. Ibi ergo Iesus vexillifer crucis, omnium cruciferorum princeps & patronus, stetit in medio horrendi fœtoris; qui propter cadauera interfectorum, valde despectus fuit & immundus. Ibi mox suis expoliatur vestibus, & nudam crucem nudus ascendit, & pro crucifigentibus se exorauit. Ibi omnipotens, tanquam nullius potentiæ esset, in modũ crucis se permisit extendi, clauis affigi, lancea perforari, & à malignis derideri. Ibi omni humano solacio priuatus, perfectę abnegationis formam & extremæ paupertatis exemplum reliquit. Ibi sacræ carnis suæ attactu lignum vitæ sacrauit: & precioſi sanguinis sui effusione, aram crucis dedicauit. Ibi omnia veteris Testamenti sacrificia, passionis suæ figuratiua consummauit; & semetipsum hostiam Patri, pro salute mundi, in odorem suauitatis obtulit. Ibi vitam suam felici agone, per obedientiam in cruce terminauit; mortem moriendo deuicit, paradisi portam aperuit: & latronem serò pœnitentem, secum ad gaudia promissa perduxit.

5. Quia ergo Iesus crucem suam proprijs humeris portauit, qui absque peccato fuit; porta & tu crucem tuam, quia grauiter

&

& sæpè peccasti,& æternam pœnã iustè meruisti. Videtur infirmis mentibus,via crucis amara esse & grauis:sed finis eius lætus est & fructuosus,atque amantibus dulcis & salutaris. Nõne melius est modò, lugubrem & laboriosam ducere vitam pro Christo & compati crucifixo; quàm post modicum corruptibilis vitæ gaudium,cum diabolo ęternaliter cruciari in inferno? Tanto enim eris Deo acceptior,& ampliori gloria dignus in regno cælesti; quanto pro nomine Iesu,grauiores nũc pertuleris dolores & labores: non respiciendo ad temporales cõsolationes, sed ad Christi passionem ac duras sanctorum vias, qui transierunt per tribulationes multas. Trãsit velut vmbra citò omnis temporalis pœna & iniuria illata, sed permanet in cælo perennis mercedis gloria; quæ pro bona patientia in fine tibi reddetur,Christo annuẽte. Stude ergo viam sanctæ crucis tenere, & dolorosam imaginem crucifixi Iesu in corde portare, atque in fragili corpore pro posse viriliter imitari. Libenter temetipsum resigna, atque diuinæ voluntati omnia tua fidenter committe,qui tanta pro tua salute fecit & pertulit, quòd nunquam poteris ei, pro minimo puncto passionis suæ dignas gratias reddere, etiam si omnium sanctorum martyrum passiones & labores posses sustinere. Sed heu, quòd tam tepidè dominicam crucem sequeris: quòd non intentiùs doloribus Christi compateris: quòd non feruẽtiùs illi seruis,& indesinenter gratias agis;qui tam charum te æstimauit, & præ cæteris creaturis dilexit, vt mori pro te non renueret,sed sua innocenti morte ab æterna morte liberaret. Fuisses enim æternaliter condemnatus,nisi Christus pro te crucifixus fuisset & mortuus. Quis enim potuit pro omnibus peccatis hominum satisfacere,nisi Iesus Christus,filius Dei,agnus immaculatus?

VIGESIMA-QVARTA.

De merito Dominicæ passionis, & dignitate sanctæ Crucis.

Galat. 6. 1. *NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi,in quo est salus,vita,& resurrectio nostra.* Hæc verba in sancta Ecclesia de sancta cruce leguntur & cantantur,in quibus meritũ dominicæ passionis commendatur; quæ omnibus sacrificijs legalibus,& omnibus laboribus ac virtutibus sanctorum,dignissimè præfertur. Nã in passione & cruce Christi, vera salus nostra & redemptio humani generis pleniſſimè cõstat;per quam Christus nos redemit, & pro peccatis nostris Deo Patri satisfecit, & paradisum nobis deuicta morte reserauit. Hoc pater in latrone
Luca 23. pendente in cruce, cui dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso* O

mira

mira Dei clementia! O suauissima responsio! O salutaris crucis benedictio, quæ latronem ab omni reatu absoluit, & inter Christianos, ipsum priorem in paradisum introduxit!

2. Dicãt ergo grates Christo omnes fideles, signo sanctæ crucis signati, Christi sanguine loti & mundati, Christi passione redempti, Christi morte viuificati, Christi vulneribus sanati, Christi doloribus mitigati, Christi opprobrijs honorificati. Dicant omnes, dicant singuli deuoto corde & ore consono, ad honorẽ crucifixi, ad confusionem diaboli, ad exaltationem sanctæ crucis, ad consequendam spem æternæ salutis, ad habendam firmã fiduciam in hora mortis: dicant, legant, cantent, resonent, cogitent & ruminent verba suauissima, & verè sanctissima, atque super omnia aromata Deo gratissima. *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Galat. 6.

3. Felix anima, cui ad cor transit acerbissima passio Christi; & in illa quotidie se exercet, meditãdo, legẽdo, orando. Beata, quæ crucem suam tollit, omnibus terrenis renuntiando; & quicquid aduersitatis sibi intus, vel foris occurrit, hoc totum patienter pro Christo sustinet & tacet. Nam hoc est gloriari in cruce, propter Christũ in tribulatione gaudere, à delictis carnis abstinere, honores fugere, propriam voluntatem relinquere, & vsque ad mortem humiliter obedire. Hæc agere, est Christum per crucẽ imitari, & veraciter eum amare. In hoc enim Christus cognoscit, quis ad eum pertinet, & quis eum amplius diligit: si non sola cogitatione, sed quotidiana mortificatione, passioni eius se nititur conformare.

4. Et ad hæc quis idoneus? Putas inuenietur aliquis crucem tollere paratus? Magnum & profundũ mysterium verbum crucis, quod non capiunt omnes; imò quàm plurimi abhorrent & fugiunt crucem, ipsa tamẽ ducit in viram æternam. O verè beata crux, quantam habes intus dulcedinem: & quàm magnam efficaciam præstas contra omnium vitiorum languorem & cordis dolorem! O lignum vitę precioſum, decorum, salutiferum, & super omnia ligna paradisi benedictum: honorandum ab Angelis, adorandum ab hominibus, osculandum labijs deuotis, amplexandumque brachijs extensis! Propter te facti sumus liberi & Deo reconciliati, qui eramus natura filij iræ & serui damnati. Propter te venit gaudium in mundum, tristitia & luctus in infernum. Tu salus credentium, gloria Apostolorum, clypeus martyrum, laus confessorum, diadema virginum, solamen viduarum, fortitudo senum, disciplina iuuenum, speculum religiosorum, refugium tribulatorum.

5. O crux splendidior astris, pulchrior luna, cãdidior sole; cælum

lum illustrans, tartarum penetrans, dæmones fugans; homines protegens, malos terrens, bonos lætificans, superbos deprimens, humiles exaltans! O crux glorioſa, signũ mirabile, vexillũ insuperabile, scutum impenetrabile! O dulce lignum, omni honore dignum! Tu regem cælorum portasti; & inter brachia tua Dei filium morientem sustentasti. Propter te omnia signa crucis, de quacunque materia facta, & in quocunque loco posita, in honore sunt & reuerentia. Tibi inclinant reges & principes, dominus & domicella, seruus & ancilla; diues & egenus, monachus & clericus, magister & discipulus; omnis ætas, omnis sexus fidelium te adorat, laudat, & benedicit propter Christum, qui in te pependit, & omnes redemit.

6. O crux benedicta! Per te namque omnia sacramẽta Ecclesiæ benedicuntur, sacerdotes consecrantur; infirmi inunguntur, defuncti muniuntur; imagines sculpuntur, parietes pinguntur, altaria decorantur.

7. O crux speciosissima in corpore Christi dedicata, & ex mẽbris eius tanquam margaritis ornata, roseo sanguine rubricata, clauis transfixa, profundo terræ infixa! Tu per quatuor mundi climata expandis tua cornua, omnia ad te trahens & amplectens, quæ in cælo sunt & in terra.

8. O crux nobilissima, super omnia armorũ genera fortissima, mundum vincens & dæmonia, ad nulla pauens mortis supplicia! Tu in omni angustia & necessitate, tam in vita quam in morte, iuuamen es tutissimum & solatium singulare.

9. O crux amantissima, à Christo præelecta, atque in humeris eius ad locum Caluariæ baiulata, nec ante mortem ab ipso separata: iuxta quàm stabat mater Iesu Maria dolore plena cũ dilecto discipulo Ioãne & pia Magdalena! Obsecro te, assiste mihi, & protege me semper hîc & vbique, die ac nocte: ne prævaleat contra me inimicus malignus insidiator animarũ, sed sacrosancto potentiæ tuæ signaculo me defende & corrobora: quatenus in fide recta, spe firma, atque charitate perfecta perseuerem, propter eum qui mortuus est in te propter me.

10. O crux virtuosissima, & omni honore dignissima! Ecce ante te tremunt impia tartara: sub tua quoque potestate curuãtur imperia: tibi flectunt genua cęlestia & terrena. Nam in tua virtute fiunt in multis locis signa & miracula, cedunt fulgura & tonitrua. In bellis quoque & locis obscuris, in periculis maris & aëris optima es custodia, & firmissima tutela.

11. O crux sanctissima, summè veneranda, dignè recolenda, intimè amanda, cordi inscribenda, fronti ac pectori imprimenda! Rogo piè, peto sedulò, adesto mihi in omni tribulatione mea.

Salua,

Salua, libera, benedic, sanctifica omnia membra mea; rege sensus meos, omnia verba mea & opera, quamdiu sum in hac vita. Vt per te me recipiat, qui per te me redemit, Iesus Christus Dominus meus pro me crucifixus.

12. O crux arbor salutifera, super omnes arbores eleuata! Tu cedro altior, cypresso redolentior; palma pulchrior, balsamo preciosior; oliua pinguior, vitæ fœcundior; ficu dulcior, buxo viridior, rosa rubicundior; omnibus aromatibus & speciebus salubrior; omnibus medicamentis & emplastris efficacior. Tu animas sanas & corpora. Tu dolores mitigas, & lachrymas consolaris. Tu spem miseris donas, & iustis præmia spondes. Tu pœnitentibus veniam præbes, & omnibus ad te confugientibus gratiam & misericordiam impendis. Tu largam benedictionem deuotis infundis, errantibus lumen aperis, corda compungis; & cunctis per orbem fidelibus consolationis oleum ferre non cessas: & vsque in finem seculi, fructum æternæ vitæ germinare non cessabis: per virtutem Domini nostri Iesu Christi, pro salute mundi crucifixi.

13. O crux dulcissima, fronde latissima, flore vernantissima, fructu fertilissima! Tu primatũ tenes & dignitatẽ, super omnes imagines sacram passionem Christi repræsentantes, vbicunque fuerit nomen Christi auditum vel prædicatum. Ideoque propter reuerentiam diuinæ potentiæ in te latẽtis, dignè ab omnibus adoraris, coleris, & honoraris. Tu in Ecclesijs & capellis, in claustris & castellis, in vrbibus & villis, in portis & ianuis, in parietibus & fenestris, in turribus & tectis, in pauimentis & sepulchris, in altaribus & laquearijs, in casulis & stolis, in cappis & mantellis, in frenis & vexillis, in libris & chartulis, in tabulis & scabellis, in cameris & cellis, in varijs ædificijs & picturis, signaculum virtutis tuæ imprimis & inscribis. Tu etiã auro & argento, gemmis & lapidibus preciosis, decenter adornaris. Tu purpura & byssо, syndone & serico, floribus & rosis, reuerenter circumponeris & inuestiris, propter insignem redemptoris nostri imaginem in te triumphantis & pendentis. Hæc omnia deuota obsequia tibi à fidelibus dignè exhibentur, pro eo quòd magnam confusionem & derisionem in passione Christi à perfidis Iudęis sustinuisti. Iustum igitur est, ô bona & sancta crux, vt sis socia honoris & exaltationis, quæ fuisti particeps confusionis & mœroris. Nemo tamen mortalium sufficientem laudem & honorem poterit dignitati tuæ exhibere, etiamsi omnium Angelorum virtutibus emineret, aut sanctorum miraculis coruscaret. Omnis laus & honor inferior est; & lõgè minor in verbis, quàm dignitas tua requirit. Quia ex beneficijs Christi nobis copiosè collatis, & ex tua perseueran-

seuerantia adhæsione in mortis articulo cum Christo, ampliora tibi laudum præconia iure debentur.

14. In hoc maximè fidelitas amicitiæ cognoscitur, cùm quis amico suo in vltima necessitate astat, & condolet, & obsequitur, & vsque ad vitæ exitũ, indiuiduus comes perseuerat. Ita certè egisti, ó fidelissima crux, cum Saluatore Domino nostro Iesu Christo; qui te primùm in humeris suis patienter portauit, & conversa vice, creatorem tuum dignanter inter brachia tua accepisti. Sed nec ipsum amatorem tuum finaliter reliquisti, à quo tam clementer amplexata es, & longè deportata. Vnde & veris Christicolis & cruciferis speculum tolerantiæ in castigatione carnis es effecta: sed & omnium laborum victricem & æternorum præmiorum donatricem, te laudant crucis amatores: sicut in B. Petro Apostolo & S. Andrea clarè satis apparet, qui ambo per crucem ad Christum peruenerunt.

15. O nimiùm felix, & super omnia deuota solatia, crux amanda, semper in mente habenda, semper oculis aspicienda! Tu reclinatorium sancti sanctorum; qui cùm non haberet, vbi caput suũ dolens & infirmum reclinaret, tũ puluinar eius extitisti. Tu lectulus vlceroſi dorsi Saluatoris nostri, nõ mollis nec floridus, sed rigidus, asper & nimis angustus. Tu neminem tecum morari, nec quiescere, nec appodiare inter brachia tua permisisti: nec sanctũ deificum corpus Iesu de virgine natum, à quo in diuersis locis precioso sanguine eius meruisti tangi, aspergi, & consecrari. Tu scabellum sanctorum pedum filij Dei, in agone constituti. Tu altare summi sacerdotis, in quo Christus semetipsum obtulit pro peccatis nostris, hostiam Deo in odorem suauitatis. Tu arca federis Domini, continens conditorem vtriusque Testamenti. Tu vrna aurea, habens manna absconditum, verum corpus Christi pro nobis immolatum. Tu altissimi regis gazophylacium, cælestibus thesauris plenum: in quo continentur sacratissimæ reliquiæ totius orbis terræ, corpus scilicet dominicum, claui cruenti, spinea corona, & omnia vulnera precioſa.

16. O crux verè sancta, quàm magnificè meruisti à Deo decorari, ditari & honorari! Nam tantis bonis ac reliquijs sanctis adornaris; vt nulla arca, nulla apotheca, nulla aula regia, nulla domus eburnea, nulla colũna marmorea, tuæ dignitati sit comparãda. Meritò ergo & iustè, tota deuotione omnis terra adoret te, & psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo in seculũ seculi, ad honorẽ crucifixi. Legat itaque, & ruminet frequẽter omnis anima fidelis verba de sancta cruce scripta: & dicat cum B. Paulo Apostolo, & tota sãcta Ecclesia: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.* Amen. *Galat. 6.*

VIGE-

VIGESIMA-QVINTA.

De multiplici fructu, ex recordatione dominicæ passionis, & de gratitudine eius.

1. RECogitate Dominum Iesum Christum, qualem sustinuit à peccatoribus, aduersus semetipsum, contradictionem: vt non fatigemini animis vestris deficientes. Multa bona confert homini passio Christi, ad memoriam reducta: & quanto sæpiùs & intentiùs de ea cogitatur, tanto dulciùs sapit, & vehementiùs compungit. Est enim incentiuum diuini amoris, est doctrina patiētiæ, est solatiū in tribulatione. Est fuga dissolutionis, est materia sacræ compunctionis, est exercitium internæ deuotionis. Est exclusio desperationis, est certa spes remissionis peccatorum, est vtilis recuperatio temporum malorum præteritorum. Est optima fiducia in mortis articulo, ne homo desperet de semetipso. Est reconciliatio diuinæ districtionis in iudicio futuro. Est mitigatio anxiæ turbationis, est sustentatio durę increpationis. Est expulsio peruersæ cogitatis, est repressio carnalis tentationis. Est informatio humilis subiectionis, est consolatio corporalis ægritudinis. Est refutatio secularis honoris, est vituperatio abundantiæ temporalis. Est consultatio voluntariæ paupertatis, est abdicatio propriæ voluntatis: est refrenatio superfluæ necessitatis. Est excitatio tepidæ conuersationis, est inflammatio feruidæ emendationis. Est impetratio gratiæ amplioris, est inductio cælestis cōsolationis, est comprobatio fraternæ compassionis. Est præparatio diuinæ contemplationis, est augmentatio futuræ beatitudinis. Est alleuiatio pœnæ præsentis, est purgatio ignis sequentis, est magna satisfactio pro peccatis quotidianis. His & alijs quàm plurimis bonis redundat & floret passio Christi deuotè pensata, frequenter lecta, intimè masticata. Hoc meliùs nouit & sapit anima Deo dedita, mundo aliena, solitudinis amica, oris sui custos, corde humilis, & quieta à curis. Ista sancta recordatio summè Deo placet, Angelos lætificat, homines ędificat, cōscientiam purificat, tædium repellit, dolores lenit, amaritudines dulcorat, iram reprimit, cōcupiscentiam frenat. Reuera passio Christi, est thesaurus Dei absconditus, plenitudo omnis virtutis, perfectio religiositatis, summa totius sanctitatis. *Heb. 12.*

2. Sed heu quanta est ingratitudo hominis, quāta desidia cordis humani, quanta negligentia in recordatione beneficiorum Dei: quę tāta sunt, tā magna & preciosa, vt nec æstimari queant, nec ab aliquo plenè explicari. Redi ergo ad cor tuū, ô serue Christi: & omissis vanis & caducis rebus, recole beneficia Dei, & præcipuè

cipuè de passione Christi frequenter & seriosè meditare: quatenus ex hoc, ad amorem ipsius feruentiùs accendaris. Tunc eris Deo acceptus, & in corde tuo valde lætus & quietus; si memor fueris beneficiorum Dei, & gratias ei deuotè referas, à quo omne bonum accepisti. Tunc tempus tuum fructuosè expendis, cùm de malis tuis doles, & de donis Dei gratias agis. De hoc autem multum doleas, quia nunquam dignas Deo gratias, pro tam immensis beneficijs suis exhibuisti. Sed nec adhuc satis regratiaris potes, etiamsi ad aliud nihil vacares. Debes tamen cor tuum ad Deum nitì erigere; & quantum prævales, Dei beneficia cum magna attentione pensare.

3. O quantum te dilexit, qui tanta mirabilia in pulchritudine creaturarum ostendit: vt haberes promptam materiam ex sensibilibus mundi rebus, semper regratiandi Deo, qui te & ista bona creauit. Quapropter stude cum summa reuerentia ei seruire in lætitia cordis, sicut Angeli sancti in cælis; prout possibile est in fragili corpore, & statu vitæ præsentis; qui comparatione futuræ beatitudinis, carcer animæ potiùs est appellandus. Propter hoc enim Deus dignatus est homo fieri, pati, crucifigi & mori; vt per passionem, crucem, & mortem suam, tibi monstraret, quantum te diligeret; pro quo tantum laborauit & sustinuit. Non sis ergo ingratus, nec obliuiscaris omnium eorum, quæ fecit Dominus Iesus in terris: sed diligenter retracta magna opera Dei, toto generi humano largifluè data. Qui adhuc multo maiora bona promisit, & certissimè reddet tibi in cælis, si tamen gratus fueris de præsentibus bonis, & vsque ad mortem permanseris in modico fidelis.

4. Magnum vitium est ingratitudo, & apud Deum & homines vituperabile nimis. Indignus est enim beneficio diuino, qui gratias non agit Deo corde deuoto. Nec ampliora meretur accipere, qui se extollit in aliquo, aut negligenter operatur, vno tãtùm sibi talento concesso. Magnum vtique est, quòd Deus dignatur homini aliquid dare. Nec paruũ debet reputari, quòd tã magnus Dominus & excelsus super omnes, dat homini pauperi & peccatori, qui nil dignum habet ad retribuendum. Multum ergo Deus ametur, semper laus eius in ore versetur, & paruum pro magno capiatur. Totum illi retribuatur, totum ei ascribatur; qui totum vtique dedit, & indigno benefecit. Nec aliud Deus requirit, nisi vt purè ametur, & pro omnibus dignè laudetur: quatenus eum super omnia amando, laudando, honorando, & gratias agendo, homo in Christo perpetuè beatificetur. Amen.

VIGE-

VIGESIMA-SEXTA.

De vtili exercitio, in Christi paßione.

1. EGo dilecto meo & ad me conuerſio eius. Inter dilectos mutua placet ſermocinatio, & ſecretum diligitur conſilium: quale & ſæpè agitur, inter animam deuotam & Ieſum crucifixum. Hæc ergo dicit: Ego dilecto meo ſum id quod ſum; & præter ipſum non curo alium. Ipſi ſoli cupio intendere, ipſi me totaliter commendo; quia ipſi cura eſt de me, & ad me ſine dubio conuerſio eius. Nolo ergo, vt oculi mei alicubi diuertantur; ſed vt totum cor meum in dilectum meum conuertatur, qui pro me paſſus eſt, & crucifixus: imò totus ex amore vulneratus, & vulneribus ſauciatus. Olim quæſiui paruulum vagientem in præſepio, ſed nunc cupio aſpicere pendentem in patibulo. Sicut enim tunc me conuerti ad adorandum paruulum natum, ita & nunc me conuerto ad ipſum, vt plangam pro me neci datum. Vox animæ. *Cant. 7.*

2. In omnibus his mihi dilectus eſt, qui totus mihi datus eſt: pro me verè natus, pro me verè paſſus & immolatus. Fudit quandoque compaſsionis lachrymas, nunc autem precioſum dat ſanguinem. Ecce quomodo amabat me, qui ſe tradidit in mortem; vt me liberaret à morte. Nonne meritò cęteris neglectis ad hunc dilectum quærendum, habendum, & amplexandum, me conuertere debeo, cuius inenarrabilis me indeſinenter reſpicit dilectio? Fit autem ſpecialis ad me conuerſio eius, quãdo internis amoris ſtimulis, ad recolendam paſsionis ſuæ memoriam me excitat, & ſibi regratiari ac intimè conformari poſtulat, quia in nulla re tãtum pro me laborauit. Ibi redemptionis myſterium mihi aperit; & ad ſapiendum quæ Dei ſunt, pleniùs inſtruit. Nam ſupra hominem eſt hæc ſapientia, quæ de ſurſum venit; docens & ſuadens non aliunde gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti; in quo tota ſalus & redemptio mea conſiſtit. Per quem etiam mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; vt fiducialiter dicere ad eũ libeat. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Multa mihi dulcedo in hoc verbo clauſa videtur: etſi non capio omnia, non tamen deſpero vel minima accipere. Tantùm dilectus ad me conuertatur, & dicat quodcumque placuerit; ſcio, quòd non fruſtra loquetur. *Galat. 6.* *Cant. 7.*

3. Dic mihi dilecte Ieſu, verbum myſterij tui, verbũ paſsionis tuæ & crucis, quod in carne manifeſtò geſsiſti. Non enim omnes capiunt verbum crucis: quod alijs quidem ſcandalum videtur, alijs autem ſtultitia eſt; mihi verò Dei virtus & ſapientia, ſalus quoque mundi & vita æterna. Si quis aliter ſapit, infidelis eſt & Vox animæ.

desipit, & iudicium Dei aduersum se portabit.

Vox Christi. 4. Passio mea, ait dilectus, est tanquam nobilis quędam herba aromatica, optimi odoris, dulcissimi saporis: quæ diligenter in corde pręcogitata, tanquam in mortariolo bene trita, fortissimũ spargit odorem, omnium vitiorum morbum sanans & languorem. In hac siquidem inuenies medicamentum animæ tuæ, & plenum solatium cuiuscunque pressuræ. Sed oportet, vt frequenter in ea te exerceas, & ex toto corde te illi studeas conformare. Tunc etenim religiosè viuere incipies, & veraciter in virtutibus proficies, atque securè morieris; si me in vita & in morte per passionem & crucem fueris imitatus. Sed proh dolor, ego sum abiectus in domo mea, & retrorsum proiectus. Nam valde alienus & exclusus videor à multorum cordibus, quibus vita mea non sapit; quos passio mea nõ mouet, nec trahit, neque eis ad cor trãsit, vt deberet, sed vanis & superfluis rebus implicantur. Suam quotidianam miseriam & necessitatem studiosè pensant, & qualiter mala temporalia declinent solicitantur: sed quãta pro ipsis passus sum, rarò vel modicum recogitant. Miseri sunt & miserabiles, pleni curis & querelis, qui modicum pro me pati possunt, multum autem agere pro sua voluntate concupiscunt: quin etiã pro suo explendo desiderio nullum penè laborem sentiunt. Heu tales ex passione mea fructum salutiferum non trahunt: sed propter suam nimiam mollitiem, quam ad seipsos habent, grauem animæ pernicię incurrunt. Si enim perfectè sanari vellẽt, & à passionibus liberari, tota humilitate ad vera animę remedia in passione mea abscõdita cõfugerent: & ex merito & virtute passionis meæ fortiores fierent, & omnia cõtraria patiẽter ferre discerent. Non sapit passio mea nisi morosè & seriosè eam meditantibus, & feruenter cupientibus eandem imitari. Lignum vitæ est apprehendentibus eam; & qui bene sequitur eam, beatus in facto suo erit. Nam & in præsenti maiorem gratiam, & in futuro ampliorem obtinebit gloriam.

Vox Christi. 5. Recollige ergo sensus tuos, & maneas apud temetipsum, omnem excludendo tumultum. Dehinc breuem assume ex passione particulam, & diligenter eam percogita, secundùm tempus & horam. Hæc siquidem diebus singulis ad memoriam reducta, magis ac magis sapiet, confortabit, & accendet meditãtem. Omnis namque spiritualis profectus & perfectio in ea reperitur, sed non nisi ab amantibus & desiderantibus eam æmulari hæc bona gustantur. Carnalibus & secularibus videtur amara & dura, sed pijs & deuotis dulcis est atque solatiosa. Qui enim tendunt ad honoree, vel ad terrenas captandas facultates, quærentes vbique propria commoda; isti passioni meæ non congruunt, nec eius internam

ternam suauitatem attingere possunt. Qui verò mũdum quærit contemnere, nec non carnem suam cum vitijs & concupiscentiis eius crucifigere; hic maximam repperit consolationẽ, & singularem in passione mea sẽtiet deuotionem. Tali etenim animæ ego loquor: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauernis macerię.* Cant. 2. Huic & illud frequenter ingero, quod cuidam dilecto dixi discipulo: *Mitte manum tuam huc, & cognosce loca clauorum meorũ,* Ioan. 20. & noli esse pusillanimus & trepidus, sed fortis & magnanimus in passionibus meis imitãdis. Habebit & vnicum refugium in dextri lateris mei aperto vulnere, quicũque se nititur abnegare, & ab omni creaturarum affectione expoliare. Fiet quoque eo liberior ad inuisendum me in profundo amoris vulnere, quo nulla ei iam cura est de creato solamine. Ego enim traho omnia interiora eius ad meipsum, vt sese non sentiat, qui vulneratũ cor meum sentit. Fac ergo te alienum ab omni occupatione terrena, vacuas postpone solicitudines, elonga te ab amicis & notis, serua te purum & liberum ab omnibus, vt possis intrare ad dilectum per ostium lateralis vulneris. Talem indue affectum, qualem habuerunt melieres sanctæ; quæ me pendentem in cruce conspexerunt, & sicut vnigenitum filium suum amarissimè deplanxerunt. Tunc enim poteris verè cognoscere & sapere, quantum passio mea in corde emantis valeat, si dilectæ matris viscera indueris: si nil ita diligendum sicut me, ex toto corde tuo censueris: quia ex magnitudine amoris trahitur magnitudo compassionis.

6. Bene & optimè placent mihi verba tua, Domine Iesu Christe. Vnde rogo te, vt quamuis in omnibus non valeo te perfectè imitari, concede tamen exiguè tibi compati. Leuabo igitur oculos cordis mei, ad Dominum meum in cruce nudè suspensum. Attentè singulas plagas & puncturas corporis tui cõsiderabo, atq; vnica deuotione vulneratas manus & perforatos pedes cum suis clauis amplexabor & osculabor. Dehinc, & in apertum vulnus lateris tui, tanquam in cameram dilecti mei dormientis introibo. Vbi absconditè viuam, & ab omni nocumento protegar, ac felici quiete in pace diuina repausem. Non timebo mala, quæcunque mihi illata fuerint: nec quæcunque de me dici vel sẽtiri despectiuè potuerint: dummodo tu mecum sis, mecumque permanseris. Ego ero fidẽs in te, & in latere tuo die ac nocte morabor. Tu fidelior es amicus, quàm totus hic mundus. Tu fortior ad muniendum murus, quàm omnis angelorũ exercitus. Et ideo nunquam tui immemor esse debeo: sed quantum possibilitas permittit & infirmitas, tuę amarissimæ passionis dolens recordabor. De qua tamen satis cogitare, loqui, & scribere, nulla creatura plenè & dignè sufficit, etiam si ad aliud nihil omnes vacarent: Vox animę

quia omnem creaturæ comprehensionem excedit, quod tu Deus, creator omnium homo fieri, & pro hominibus mori dignatus es.

7. Oro igitur suppliciter te Domine, vt me peccatorem misericorditer respicias: & per ineffabilem gratiam tuam interiùs illumines, frequenter visites, lachrymis irriges, compunctione cõteras & emundes. Vt quem precioso sanguine tuo redemisti, sedula passionis tuæ meditatione renoues & accendas. Concede mihi in ea deuotè proficere, & cunctarum passionum mearum salutaria remedia exinde semper suscipere. Vtinam magis & profundiùs mihi ad cor transeat, quàm hactenus fecit: & sic me afficiat atque informet, quemadmodum multos sanctos & sanctas sæpius accendit & compunxit. Quatenus etiam in vita mea, similitudo mortis tuæ resultet, per operationem spiritus & mortificationem carnis: possimque illud memoriale verbum Apostoli
Galat. 2. dicere: *Quia Christo confixus sum cruci.* Et illud æquè amantissimum verbum contra omnes carnales & vaniloquos mundi sa-
Galat. 6. pientes prædicare: *De cætero, nemo mihi molestus sit: Ego enim stigmata Iesu in corpore meo porto.* Portabat B. Apostolus Paulus gloriosa & preciosa stigmata tua in corpore suo; cùm præter quotidianam passionis tuæ memoriam, toto cordis affectu, exteriùs affligi & vilipẽdi pro nomine tuo gaudebat: Et quicquid corporaliter graue vel spiritaliter molestum sentiebat, hoc totum leue & multum tolerabile ex amorosa consideratione vulnerum tuorum ducebat. Et ideo hortabatur omnes fideles amatores tuos,
2. Cor. 4. dicens: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferamus: vt & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur.* Stude & tu anima mea hoc ipsum iam facere, his præcipuè diebus, quibus in Ecclesia venerabilis memoria dominicæ passionis agitur, ac lugubri mente & deuota attentione illuc oculum speculationis dirige, vbi Iesum noueris in grauioribus pœnis pro te fuisse. Dic affectuosè cum sponsa, memor semper Sponsi tui, ex amore crucifi-
Cant. 7. xi: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

VIGESIMA-SEPTIMA.

De septem notabilibus punctis cogitandi, de passione Christi.

Thren. 1. 1. *ATtendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* Super omnia Dei beneficia humano generi impẽsa, passio Christi altiùs eminet, & corda plus compungit. Ideo ad tam magnum beneficium memorandum mens euigilare debet: & cum magna cordis cõpassione, de amaritudine passionis Christi sedulò pensare: quia hoc est Deo placitum, & salubre cogitãti. Nam singu-

la vulnera, medicamina sunt animarum: & dura flagellorum verbera, diuini amoris sunt indicia, & peccatorum nostrorum purgamenta. O quantas gratias teneor Christo reddere, pro quolibet verbere ac duro vulnere quæ in corpore suo pertulit, pro me vili peccatore.

2. Pensa igitur primò, quis est, qui hæc patitur: secundò, à quibus patitur: tertiò, quanta patitur: quartò, pro quibus patitur: quintò, quàm longo tempore patitur: sextò, in quibus locis patitur: septimò, in quibus membris patitur. Multum enim iuuant ad intimam compassionem, si hæc septem notabilia per ordinem considerentur. Nam si personã patientis attendis, nulla dignior, nulla maior, nulla sanctior, nulla excellentior est. Siquidẽ filius Dei est iste, qui patitur; vnigenitus Dei Patris, primogenitus virginis matris de Spiritu sancto conceptus; sanctitate & gratia plenus, signis & virtutibus clarus, in mundo sine peccato conuersatus. Ipse est verus agnus Dei absque macula, in lege prefiguratus, à Prophetis prænuntiatus, à multis regibus & iustis desideratus; à Patre in mundum, pro salute mundi passurus destinatus; ad crucẽ & mortem spõte paratus, pro peccatis nostris in ara crucis Deo Patri immolatus. Hic ergo talis ac tantus verus Sacerdos & summus Pontifex, sanctus, innocens, immaculatus, rex regum, Dominus, creator omnium rerum, Angelorum conditor, hominum redemptor; non refugit ab hominibus despici, capi, ligari, flagellari, crucifigi, mori, sepeliri, sicut docet textus sacrę passionis eius apertè. 1. Quis patitur.

3. O lamentabile spectaculum omni transeunti per viam huius vitæ, ad inspiciendum foris expansum; & ad imitandum intus omnibus fidelibus in exemplum datum: Quæso diligenter perpẽde singula verba ac verbera in passione descripta; quia pro tua salute omnia sunt gesta. Nam maximam charitatem Christi tibi cõmendant, & patientiam in omni tribulatione seruandam ostẽdunt. Certissimè constat, quòd in comparatione dolorum & opprobriorum Christi nullius ponderis sunt angustię tuæ, quas pateris. Bonum est ergo tibi hîc oculum frequenter habere, & in dolorosa passione Christi solatium quærere, & tanquam columba in foraminibus petræ habitare, & pro pœnis Iesu gemere. Plus enim consolabitur te solus Iesus in meditatione suæ benedictæ passionis, quàm totus hic mundus in omnibus honoribus & diuitijs suis. In passione Christi inuenies, quod te ædificet, & conscientiam purificet: sed in dilectione mundanorum, breuis est lætitia, & sordida remanet conscientia. Omne enim, quod de Deo non est, vanitas est, & pro nihilo reputandum. Passio autem Christi viuus sermo est, & efficax lectio ad instruendũ, & ignien-

dum,& purificandũ. Atque omni gladio acutior, pertingit vsque ad intima cordis. Nam negligentiam increpat, duritiam emollit, ad compassionem cor amãtis scindit, atque ad fletum sæpissimè mouet. Toties enim anima deuota compungitur, & quodammodo intus vulneratur: quoties passio Christi legitur aut prędicatur; vel quando crux aspicitur, aut Iesus Christus & hic crucifixus nominatur. Et hoc est animæ magnum solatiũ, si de passione Christi cogitans, dolorem eius sentit in mente; quem Christus passus est, & sensit multipliciter in corpore.

Dignitas personę patientis.

4. Nunc ergo attende, & quasi præsentem intuere Christũ, qui pro te ista patitur. Primò cogita dignitatem personæ, & cõtristare vehementer, quia Deus in carne tam contumeliosè tractatur. Ecce altissimus super omnes, infra omnes deprimitur: nobilissimus dehonestatur, speciosissimus sputis inquinatur, sapientissimus deridetur, potentissimus ligatur, innocentissimus flagellatur, sanctissimus spinis coronatur, mitissimus colaphizatur, ditissimus depauperatur, largissimus spoliatur, castissimus denudatur, dignissimus blasphematur, optimus vituperatur, doctissimus fatuus reputatur, amantissimus oditur, veracissimus abnegatur, dulcissimus felle potatur: benedictus maledicitur, pacificus molestatur, iustus accusatur, innoxius condemnatur, medicus vulneratur; Dei filius crucifigitur, immortalis occiditur Dominus pro seruo suspenditur. O facinus inauditum! O horrendũ & execrabile maleficium Iudæorum! Quòd tamen Deus, per suã pijssimam misericordiam & sufferentiam, conuertit in tam magnum bonum, scilicet in salutem omnium credentium. Nam vnde ad horam lux mundi extinguitur, inde æterna lux in mentibus fidelium reparatur; & vnde ad breue tempus vita moritur, inde æterna mors in electos trucidatur. Denique ex passione Christi, diabolus vincitur & confunditur, infernus despoliatur, latro conuertitur, mundus redimitur, iustorum animæ de limbo liberãtur, portæ cæli aperiuntur; Angelorum ruinæ restaurantur, salus æterna per Christum facta, toti mundo declaratur.

2 A quibus Christus patitur.

5. Secundò pensa, à quibus hæc mala Christus patitur. Certè à propria gente, à populo peculiari sibi dilecto, à cognatis suis secundùm carnem, ab Israelitis Abrahæ filijs; quos olim tam multis beneficijs ditauit, tot priuilegijs sublimauit, præceptis ac legibus & cæremonijs præ cæteris gentibus instruxit: ab hominibus, quos ipse condidit, quibus optimam terræ partem tradidit, propter quos in mundum venit, & saluare desiderauit. Ab his igitur tam magnificè beneficiatis & exaltatis, Christus iniquè spernitur, inuidiosè accusatur, sine causa affligitur; & tandem morte turpissima condemnatur. Non fuerunt memores multitudinis miseri-

misericordiarum suarum, quæ à seculo sunt; neque mirabilium operum suorum, quæ ostendit eis, etiam postquam offenderunt in multis. Non attenderunt, quàm humiliter inter eos vixit, quã salubriter eos docuit; quomodo paupertatem amauit, & diuitias contempsit: quomodo honores fugit, & humiles ac simplices elegit: quàm multos infirmos sanauit, cæcos illuminauit, dæmones eiecit, leprosos mundauit, ac alijs multis glorioſis signis clarens, factis Deum se probauit; & necessitatibus corporis nostri fruens, verum hominem se esse monstrauit. Pro istis vtique bonis & eximijs virtutibus, diuina potentia patratis, non contumeliam meruit, sed gloriam; non pœnam, sed gratitudinem; non odium, sed amorem; non derisum, sed magis honorem recipere ab omnibus debuit. Sed proh dolor, peruersi & increduli, ingrati omnibus beneficijs extiterunt: & pro multis bonis, multa mala reddiderunt. Nec non alios quàm plurimos, pro augenda malitia sua, ad idem facinus instigarunt, minis & clamoribus morte innocentis petierunt. Nam persuasione principum & sacerdotum agitatione, populi commoti sunt, omnes Christo aduersantur, senes cum iunioribus clamitant terribilibus vocibus; *Tolle tolle, crucifigatur.* Versa est omnis anterior laus & honor in lamentum; omnis plausus & cantus Hebræorum puerorum, in vlulatum sæuientium luporum. Nulla ætas defuit, nullus sexus conticuit, nullus status prætermissus est; omnes prauicordes Iudæi & Gentiles concordant & consentiunt, vt Iesum morti citò tradũt, & innocentem animam in cruce suspendant. Quapropter omnes isti efficiuntur æternę damnationis rei, in morte Christi. Verè maligni homicidæ, & crudeles nimis deicidę, qui filio Dei in nullo pepercerunt: sed omnia mala quæ potuerunt, in eum perpetrarunt. Nã finxerunt falsa, & bene ac inclytè gesta peruerterũt. O mira Dei clementia! O inæstimabilis Christi patientia, quæ tãtis iniurijs commoueri non potuit, nec pœnis superari! Exemplum enim optimum, & fortissimum solatium, omnibus iniuriam patientibus in hoc articulo dedit: vt saltem pauca verba volantia sustineant, qui dura verba nequeunt adhuc sustinere. *Ioan. 19.*

6. Tertiò pensare debes, quanta Christus patitur, & à quàm multis multa mala sibi irrogantur. Constat profectò Euangelio teste, quia primò pro parua pecunia, à proprio discipulo vẽditus fuit: postea osculo fictæ pacis, hostibus traditus est: à sacerdotibus grauiter obiurgatus, à põtifice blasphemus vocatus, à scribis & Pharisæis diffamatus, à maioribus ciuitatis accusatus, à ministris iudici præsẽtatus, ab Herode spretus & illusus, à Pilato morti adiudicatus, ab armigeris captus & ligatus, à militibus flagellatus & coronatus, à seruis conuitiatus, consputus, & colaphizatus, ab ancillis 3. Quanta Christus patitur.

Matth. 26. ancillis abominatus, ita vt Petro dicerent: *Verè ex illis es: Et tu cum Iesu Galilæo eras.* Vix aliquis tam inops & vilis est inuentus, qui de pœnis Iesu non est gauisus. O dolor super dolorem! O paupe-rem & humilem Iesum, non habentē consolatorem, nec adiuto-rem à filijs hominum! Noti recesserunt, amici longè steterunt: fiere poterant, adiuuare nequibant. Inter hostes nequissimos Ie-sus est derelictus, à maiore vsque ad minorem fuit ad mortem postulatus. Cum confusione & clamore extra ciuitatem ductus, ligno crucis oneratus, vestibus suis spoliatus, inter latrones nu-de suspensus, clauis affixus, felle & aceto potatus. Grauia fuerunt impia verba, grauiora dura verba, grauissima horrida crucis supplicia. In tenerrimo, sanctissimo, purissimo, ac speciosissimo virgineo corpore, exercuerunt tam ignominiosa tormenta; vt à planta pedis vsque ad verticem, nulla esset sanitas corporis, sed tanquam leprosus appareret omnibus intuentibus. Vide ergo nunc, & considera, si est dolor similis dolori eius, quem patitur pro te Deus tuus. Numera, si potes, omnia verba, omnia vulne-ra, omnes plagas, omnia improperia, omnia inquinamenta, à multis sibi inflicta: & compatere corde compassiuo, omnia ista æquanimiter patienti. Describe ea in tabula cordis tui, pro me-moriali perenni: & in omni tribulatione tua, dirige oculum men-tis ad Iesum pendentem in cruce. Hæc enim crucifixo fuit Chri-sto, post tam multas pœnas sibi incussas, ignominiosissima ama-rissima, & grauissima. Fuit etiā tristissima sibi, ex parte amico-rum à longè stantium & lugentium vberrimè; quia eorū luctum & gemitum, suum reputabat dolorem. Fuit quoque crudelissima, ex parte aduersariorum ipsum deridentium, conuitiantiū, & gra-tulantium de interitu eius; qui nulla miseratione, de tantis pœ-nis & malis mouebantur. Ecce iam audisti, quanta & à quantis passus est Christus: cui meritò compati debeat omnis Christia-nus. Si quis videret patrem suum, aut aliquem charissimum ami-cum, ante se tot pœnis cruciari, & in publico patibulo ante por-tam suspendi; nonne statim quasi amens effectus, præ dolore ta-bescceret & deficeret? Multo magis ergo passio Christi debet inti-ma viscera tua penetrare, & ad saluberrimum luctum prouocare. Stude igitur omnem carnalem amorem à te abijcere, omnem va-nam lætitiam excludere: quatenus inter deuotos amatores Chri-sti merearis computari, qui quotidie in passione dominica se ex-ercent: & omnes dolores Christi ita in se trahunt, vt de propris læsionibus & iniurijs parum vel nihil ponderent. De quibus ait

Phil. 2. B. Paulus Apostolus, dominicæ passionis amator: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem crucis.*

7. Quar-

7. Quartò pensabis, pro quibus passus est Christus, & qua de causa tam amaram mortem pertulit Deus. Vtique pro peccatis nostris, quæ à parentibus nostris contraximus: & quæ etiam singulari propria iniquitate perpetrauimus, in qualicumque ætate, vel statu, vel ordine, vel officio. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, ait Apostolus: siue Iudæi, siue Gentiles; siue serui, siue liberi; siue pauperes, siue diuites; siue reges, siue principes; siue clerici, siue laici, siue sacerdotes, siue doctores; siue prælati, siue subditi: omnes inquam filij Adam, omnes filij iræ, per naturam geniti: sed per gratiam Christi liberamur, per baptismũ Christi mundamur, per mortem Christi ab æterna morte saluamur. Siue ergo dicatur passio Christi, siue sanguis Christi, siue crux Christi, siue mors Christi, ad idem valet, & hoc totum simul nobis proficit ad salutem: quia in Christum credendo, & Christum amando, Christo incorporamur & viuimus. Caput enim pro mẽbris passum est, caput pro membris doluit, caput pro mẽbris in cruce orauit, & veniam impetrauit. Igitur pro omnibus mortuus est Christus, vt gustata morte temporali, vinceret mortem æternam, & de peccato damnaret peccatum: hoc est, per pœnam passionis suæ, solueret omnia debita peccatorum nostrorum. Hinc quoque B. Petrus, gratiam Christi & meritum passionis eius cõmendans, ait: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autẽ spiritu.* Hinc etiam in Apocalypsi legitur, quòd sanctorum animæ, cum magna gratiarum actione, ante thronum Dei cecidêrunt: & coram agno laudes pro sua redemptione cantauerunt, dicentes: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* Hinc quoque est, quòd sancta mater Ecclesia, in litanijs sanctorum, quando pro diuersis necessitatibus & periculis orat, hanc petitionem specialiter ad Christum dirigit: Per passionẽ & crucem, per mortem & sepulturam tuam, libera nos Domine. Talis enim oratio maximè Deo placet, & ampliorem fiduciam præstat veniam impetrandi, propter meritum passionis Christi. Est autẽ passio Christi thesaurus Ecclesiæ, qui non potest exhauriri nec consumi, sed est infinitæ virtutis & dignitatis. Per hanc quippe omne debitum soluitur, omne peccatum dimittitur; & pœnitentibus regnum cælorum promittitur ac donatur, quod per multa millia annorum clausum tenebatur. O suauissima reconciliatio, ad placandam faciem diuinam! O dignissima oblatio, ad recuperandam gratiam amissam! O plenissima satisfactio, ad abstergẽdam omnem maculam peccatorum filiorum Adam, in quo omnes peccauerunt & ceciderunt! Quia ergo Christus nullum à pecca-

4. Pro quibus Christus patitur.

Rom. 3.

1. *Pet. 3.*

Apoc. 5.

peccato liberum reperit, ideo liberandis omnibus venit, pro omnibus ex charitate satisfecit; ex pietate voluit, ex diuinitate potuit, ex humanitate opus redemptionis impleuit. Vnde B. Paulus 2. Cor. 5. aiebat: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi:* obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce habes & audisti, pro quibus passus est Christus, & qua de causa hanc mortem pati dignatus est: quia pro omnibus hominibus, cuiuscumque ætatis & sexus, ex Adam origine natis.

Quã longo tempore Christus patitur.

8. Quinto pensabis, quàm longo tempore Christus passus est, & quamdiu in pœnis fuit: quia hoc ad longanimitatem patientiæ eius pertinet, & notabilem confortationem pusillis ac tristibus præbet. Attende & diligenter perlege omnes sancti Euangelij libros, & apertè inuenies, quia tota vita Christi, ab initio nativitatis suæ vsque ad exitum vitæ, in magna paupertate, in persequutione & tentatione, in labore & fatigatione, in despectione & obloquutione prauorum, exercitata fuit, ac tandem in crucis mortificatione consummata. Sicque nullum tempus absque tribulatione pertransiit, quamdiu in seculo vixit. Sed considerando certũ diem & horam passionis suæ, tunc à vespera sacratissimæ cœnæ, tristitia imminentis doloris ac futuræ mortis incepit: quando cœnantibus adhuc discipulis eis prædixit, quòd eadem nocte ab vno eorum tradendus esset in manus peccatorũ: & durauit vsque post horam sepulturæ eius, imò vsque ad tertium diem, in quo resurrexit à mortuis: tunc enim apparuit discipulis suis viuus, lætus, & gloriosus. Graue igitur fuit peccatum hominis, quod tanto tempore & tantis doloribus vix expiari potuit: pro quo & Dei filium crucifigi ac mori necessarium fuit. Vnde, quia fragilitas humana est valde magna, & ad malũ prona ab adolescentia sua: insuper & ex multis occasionibus & tentationibus, contingit homines peccare diuersis temporibus & horis, tam diurnis quàm nocturnis, sæpe etiam scienter, sæpe ignoranter: ita vt vix aliqua dies vel hora prætereat absque delicto & Dei offensa. Idcirco, ne homo propter nimietatem delictorum suorum desperet de venia consequenda, saluator noster Iesus Christus passus est pro omnibus nobis grauissimos dolores longo tempore & in diuersis horis: quia per totam noctem & diem pro peccatis filiorum hominum laborauit sustinendo, sepissimè precioſum sanguinem suum effundens. Tunc etiam veraciter in his temporibus, septem horas Canonicas, ad laudem Dei Patris sui compleuit: non canendo, sed patiendo, & orando pro nobis. Quapropter omnes religiosi exemplo Christi informati, debent has septem horas quotidie Deo persoluere: quia Christus semetipsum holocaustum Deo in odorẽ suauitatis in ara crucis obtulit, & tanquã electus aries, inter

De septem horis Canonicis.

ter vepres peccatorum pendẽs, pro Isaac, id est, pro omnibus electis immolatus est, de quo B. Petrus Christi fidelibus scribẽs, ad gratitudinẽ eos hortatur, dicens: *Non enim corruptibilibus argento vel auro redempti estis, de vana vestra cõuersatione paterna traditionis; sed precioso sanguine, quasi agni immaculati Iesu Christi.* 1. Pet. 1. Voluit ergo redemptor noster Dominus Iesus Christus, tam longo tempore, tam multas pœnalitates in suo sanctissimo corporẽ sustinere, ad delendum chirographum damnationis nostræ; ad excitandum nos ad feruorem strictæ pœnitentiæ; ad dandum exemplum magnæ patientiæ cunctis diebus vitæ nostræ. Et verè patientia est nobis omnibus summè necessaria, quamdiu degimus in hac misera vita tentationibus plena. Quia nemo securus, nec vna quidẽ die aut hora à laqueis diaboli & ruina peccati, in quocunque loco fuerit, aut ordine, aut officio constitutus; nisi gratia & misericordia Dei fuerit omni hora desuper respectus & munitus. Sed inter hæc mala & pericula confugiendum est præcipuè ad passionem dominicam: & sub arbore crucis, tanquam sub vmbraculo diuinæ protectionis, latitandum & pausandum: atque de patientia Christi intimè & sæpè meditandum; quia ipse habet virtutem sapidissimam, dulcorandi & mitigandi omnes amaritudines passionum nostrarum; & alleuiandi grauamina, à quocumque homine vel spiritu fuerit aliquis exacerbatus.

9. Stude igitur exẽplo Christi & sanctorum eius, æquanimiter vitæ huius aduersitates sufferre, & patientiam pro armis tenere. Noli conqueri de longitudine temporis, nec de acerbitate afflictionis: sed pensa, quia Christus grauiora diutiùs pro te pertulit, & ideo iustum est, vt eandem viam sequaris. Nam patiendo pro Christo, multum promereris, & multa bona exinde consequeris. Primò quidem, Deum altiùs honorificas, si de manu eius quælibet cõtraria beneuolè capis. Angelos lætificas, qui de tua tolerãtia gaudẽt in cælis. Proximũ ædificas, si iniurias tacitè feras. Diabolũ cõfundis, si læsus & contẽptus gratias agis. Coronã tuã duplicas; quia hîc maiorẽ gratiã & in futuro altiorẽ gloriã recipies. Siquidẽ omnis præsens labor paruus est, & breuis hæc vita: sed merces sequens grandis est & requies infinita. Reuera toties martyr Dei efficeris, quoties pro Deo pœnã libenter pateris. Nõ ergo æstimes Deum tibi aduersari, si in hoc mundo molestaris & deprimeris. Gaude potiùs: quia hîc humiliaris & flagellaris, vt postea cum Christo in æternum glorificeris. Sæpe enim plus nocent prospera, quã aduersa: & citiùs decipiunt blanditiẽta, quàm amara vituperia. Noli ergo deficere in tribulatione tua, pro Christi nomine & amore, sed cõstanter patiẽti animo omnia sustine, sicut Christus & omnes sãcti fecerunt, qui dolores sustinẽdo hostem

De laude patientiæ.

stem vicerunt. Nam aduersa patiendo fit homo melior, auro pu-
chrior, vitro clarior: à vitijs purgatior, virtutibus perfectio-
Christo acceptior, sanctis similior; hostibus fortior, amicis ama-
bilior. Fit etiam quisque ad custodiam sui cautior, ad cõpassio-
nem promptior; ad humilitatem profundior, ad discretionem
prudentior; ad orandum feruẽtior, ad cælestia paratior, ab infer-
no securior. Hæc sunt bona germina sanctæ patientiæ, quę ma-
ximè relucent in Christi amarissima passione: & hæc omnibus
nobis proponitur imitanda. Ipsa nãque sacratissima passio, cun-
ctis sanctorum passionibus fuit dolore acerbissima; humilitate
profundissima, charitate excellentissima, obedientia perfectis-
sima, patiẽtia fortissima, puritate innocentissima, vtilitate salu-
berrima; meritis dignissima, remedijs efficacissima, satisfactione
pro omnibus sufficientissima, placatione aptissima, reconcilia-
tione gratissima, oblatione acceptissima, redemptione fructuo-
sissima, mysterijs plenissima, omniũ virtutum suauitate redolẽ-
tissima, omnibus scientijs, artibus, & medicinis præferenda. Tã
magna, tam alta, tam longa, tam profunda: tam dulcis, tã deuo-
ta: tam cõpunctiua, tam amorosa: tam feruida, tam solatiosa, tã
sapida, tam virtuosa est passio redemptoris nostri, vt nullis voci-
bus humanis valeat plenè commendari: nullis Angelicis linguis
dignè queat explicari: sed semper noua est & viuida, semper
reficit & confortat, instruit & accendit; sed præcipuè eos, qui
contemptis omnibus in vulneribus Iesu Christi solatium suum
quærunt.

In quibus locis Christus patitur.

10. Sextò, notabis omnia illa loca, in quibus Christus passus
est pro te aliquas contumelias vel pœnas. In monte siquidem
Oliueti ter orauit: ibi præ tristitia & pauore sanguinem sudauit,
& oratione facta, in voluntatem Patris sui perfectè se resignauit.
In horto, à Iudæis quæsitus est inuentus; non fugit ab eis, sed ob-
uians processit. A Iuda proditus est, & ore ficto osculatus. Ab ar-
matis ministris captus & ligatus. A praua cohorte, tanquam pes-
simus latro, in tenebrosa nocte cum facibus & laternis ad ciuita-
tem violenter est tractus & ductus: & ne euaderet, vel ab aliquo
eriperetur, cautissimè custoditur. In domo Annæ primò examinatur, & quæritur ab eo de doctrina sua & discipulis eius. Et cùm
ad hæc bene respondisset, ab vno ministrorum in maxilla duriter
est percussus. In domo Caiphæ pontificis, vbi multi congregati
erant contra eum, multis iniurijs & ludibrijs vexatur, facies eius
obuelatur, sputis inquinatur, colaphis cæditur, & vt reus mortis
proclamatur. Manè autem facto, vinctis manibus, publicè per
plateas ad prætorium Pilati dicitur; & tanquam transgressor le-
gis & populi subuersor, grauiter accusatur. Deinde ad consisto-
rium

rium Herodis transmittitur, à quo derisus & alba veste indutus, velut fatuus reputatur, & ad Pilatum remittitur. Vbique illusus, vbique exprobratus; nullibi tutus, nullibi quietus, omnibus odiosus, omnibus abominabilis factus. Foris audit clamores, intus patitur dolores. Et post sæua verbera, & multa vulnera accepta, quasi vita ista indignus, extra ciuitatem cum contumelioſa cruce educitur; atque inter latrones, in loco Caluariæ nudus in cruce suspenditur. Omnibus autem consummatis, quæ de ipso scripta erant, in corde terræ (scilicet in monumento nouo excisо) à iustis viris Ioseph & Nicodemo reuerenter sepelitur; & à sanctis mulieribus, multis lachrymis & suspirijs deploratur. Ecce, quàm multa loca in passione sua Christus visitauit: quàm sæpe in istis pretiosum sanguinem suum fudit: quàm multa improperia cum verberibus sustinuit; vt populum suum sanctificaret, & loca contaminata purgaret, in quibus homines sæpe peccant, & Deum offendunt.

11. Quis enumeret (proh dolor) omnia mala, quæ adhuc in multis locis publicè & priuatim fiunt, tam in domibus quàm in plateis, in hortis, in villis, in montibus & vallibus, in campis & siluis, in atrijs & palatijs terrenis? Non est ibi Christus, nõ auditur ibi fletus de passione Saluatoris; sed vanitas vanitatũ, iocus & risus in conuiuijs Herodis, cum suis principibus. Væ ijs, qui sic elongauerunt se ab eo, qui redemit eos; faciem ad mundum habentes, & dorsum ad Deum conuertentes. Attamen pius Dominus non cessat clamare post tales, & ad pœnitentiam reuocare oues errantes. Nam spem magnam misericordię suæ reliquit hominibus, in tam benigna sufferentia omnium malorum & dolorum suæ amarissimæ passionis: & præcipuè in illis locis, vbi erat productus & lacessitus. Vnde pro malitijs hominum extinguendis, & pro immundis locis purgandis, grauissimè punitus est in suo sãctissimo corpore à multis. Et qui olim propter peccata hominum, maledictionem mundo intulit; nunc per effusionem sacri sanguinis sui, benedictionem & remissionem peccatorum omnibus pœnitentibus promisit.

12. Destruxit insuper, per verbũ prædicationis suæ, idola gentium & habitacula dæmonum, subuertitque aras, & nomina falsorum deorum, & pro sacrilego ritu paganorum & vitulis Iudęorum, verum ac nouum sacrificium pretiosi corporis sui instituit, in multis locis celebrandum. Propter hoc enim fecit consecrari templa & altaria multa in multis locis, ad honorem nominis sui & sanctorum: vt stet firma fides Christianorum, & cultus floreat diuinus cum laudibus hymnorum. Sed & ad ornandum locum habitationis gloriæ suæ, & domum orationis optimis reliquijs

liquijs illustrandam, reposuit ibidem deuota & præclara sig- passionis suæ in memoriale sempiternum: atque in titulũ triu- phalem deuictæ mortis, erexit crucem sanctam, tanquam arra- fœderis & pacis inter Deum & hominem; & tanquam arcum a reum, contra diaboli terrorem.

13. Dignũ igitur est, vt iã in diuersis locis ab vniuersis Chri- sti fidelibus, à paruulis & magnis; à pauperibus & diuitibus, à sa- pientibus & imperitis, à fortibus & infirmis; à prælatis & subdit- per totum orbem terrarum, apertis ianuis, & omnium linguarum vocibus, Christus passus prædicetur, laudetur, & magnificetur; atque super omne nomen in cælo & in terra altiùs eleuetur, pr omnibus confusionibus & pœnis, in multis locis à multis perso- nis sibi factis. Debes ergo & tu, deuotionis causa stimulatus, in hoc sancto die paraſceues, omnia illa loca dominicæ passionis in mẽte tua depingere, & in spiritu Hierusalem perlustrare, ad ima- ginem crucifixi oculos frequenter erigere, & cum interna com- passione, sacra Iesu Christi stigmata inspicere, quàm magna & multa fuerunt. Deinde veniam pete, vt ipse tibi misericordi- ter indulgeat, quotiescunque in aliquo loco vel tempore ipsũ of- fendisti, potes etiam altaria Ecclesiæ tuæ visitare, & ad terram te prosternere; pauimentum siue scabellum altaris tribus aut quinque vicibus osculari, in recordatione sanguinis Christi su- per terram effusi.

14. Debes insuper propter amorem & honorem Christi, cũct sanctæ Ecclesiæ loca Deo cõsecrata, omnia monasteria & hospi- talia, vbicumque religiosè viuitur & Deo seruitur, in reuerentia semper habere, eorũque bonis actibus congaudere, & aduersitati- bus condolere; quatenus omnium bonorum, quę ibi die ac nocte ad laudem Dei peraguntur, particeps effici merearis. Citò nam- que veniam à Deo obtinebit, quisquis de peccatis suis veraciter dolens, de cætero firmiter se emendare proponit. Magnam quo- que fiduciam diuinæ propitiationis acquiret, qui in omni re & petitione, passionem Christi in auxilium sibi assumit; & plus de meritis Christi & sanctorũ suffragijs, quàm de proprijs laboribus & virtutibus confidit. Nam opera nostra strictè discussa, rarò ex toto sunt pura. Et ideo necesse ad humilitatem & cõfessionis re- medium confugere, semper à Deo misericordiam petere, ac to- tam spem salutis in Christo ponere, qui solus in omnibus perfe- ctus est. Ipse enim potest imperfectiones nostras celeriter & per- fectè curare, & ampliorem gratiam humilibus & contritis corde præstare.

In quibus membris Christus patitur.

15. Septimo & vltimo loco attendere debes, & cũ ingenti mœ- rore pensare, in quibus membris passus est Christus; & quales pœ-

pœnas in singulis articulis & quinque sensibus corporis pertulit pro nobis. O quàm dura verbera in flagellatione sustinuit: quàm multa millia vulnera illi inflicta fuerunt: quàm sæpè in eodem puncto repercussus est: quàm pœnaliter ista sensit & tacuit! Non manum opposuit, nec pedem vel aliud membrum ab ictibus retraxit; sed sponte ac liberè totum corpus suum percutientibus tradidit; vt pro peccatis omnium hominum plenè satisfaceret. Nam sicut cuidá religioso in visione ostensum est, quoties Christus vnum ictum verberantis accepit, mox illum Patri pro nobis ex amore obtulit, petens vt & delictis nostris ignosceret. Non enim tam dilectus filius contra patrem aliquando murmurauit, quia tantis pœnis eum exposuit. Non comminabatur torquentibus se duriter, non irascebatur conspuentibus se turpiter, non maledicebat accusantibus se fallaciter: sed magis condoluit, excusauit, tolerauit; & orauit pro eis, vt acciperent veniam, dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luca 23.

16. Sed quæ causa tanti mali & doloris immensi? Certè multa peccata hominum, qui in multis membris suis per quinque sensus sæpissimè delinquunt, & Dominum grauiter offendunt. Nam corporis membra, quibus Deo seruire deberent, & multa bona operari possent: hæc (proh dolor) timore diuino excluso, diuersis vanitatibus & delectationibus prauis, ausu temerario tradunt: & ita peccando, serui vitiorum & membra ac vasa dæmonum fiunt. Quapropter Christus filius Dei compatiens hominibus, & cupiens sanare peccatores, & à laqueis diaboli eripere, graues & longos cruciatus in sanctissimo corpore suo excepit & pertulit: vt per corporales dolores in quinque sensibus suis medicinam conferret animabus nostris: & omnes delectationes carnis, quæ militant aduersus spiritum, doceret esse fugiendas & mortificandas. Ne ergo Deus hominem propter peccata sua æternaliter puniret, qui summum bonum deserens creaturis adhæsit; pius Dominus Christus, hanc in se pœnam temporalem & mortem carnis, pro culpis nostris, sine omni culpa suscepit, vt iram Patris placaret, & ab æternis pœnis nos liberaret.

17. Sed iam ad singula membra vulneribus sauciata oculum cordis conuerte, & pio compassionis affectu lachrymas funde. A planta pedis incipe, & vsque ad verticem capitis ascende, quia totum corpus Iesu repletum est amarissimo dolore. Enimvero, si tu iam in tali esses dolore, aut iaceres in grabato grauatus languore, nonne placeret, qui tibi condoleret; & displiceret, qui te negligenter præteriret? Vide ergo Dominum Iesum, propter te passum, propter te vulneratum & mortuum; & habeto super omnibus

Pedes Christi.

nibus doloribus eius ad minus gemitum, si non potes elicere plã-
Act. 8. ctum. Cùm enim beatus Stephanus esset lapidatus, viri timorati & fideles fecerunt planctum magnum super eum. Et ecce maior Stephano; immo prę omnibus sanctis sanctorum maximus pendet in ligno crucis vulneribus plenus: & ideo meritò condolere sibi debet omnis fidelis, sed præcipuè religiosus deuotus seculo abdicatus. Intuere igitur primum, quàm grauiter Christus passus est & vulneratus, in speciosis ac mundis pedibus; quibus per terram sæpè fatigatus ambulauit, verbum Dei prædicando: cum quibus vndas maris calcauit, sine nauigio sine humano adiutorio transfretando. Nam ea virtute & potestate diuina, qua omnia creauit, & ventis ac mari imperare, & ad vsum sui habere potuit. Sed heu, quàm mirabilis rerum mutatio, & quàm incomprehensibilis Dei dispensatio; quòd author omnium creaturarum, & summus medicus animarum & corporum, qui multos claudos & ægrotos fecit subitò ambulare; nũc tam ferociter in pedibus suis vulneratur, tam fortiter ferreis clauis perforatur, vt nec incedere quidem valeat, neque se mouere: sed instar pessimi latronis, duris vinculis tenetur cruci alligatus. Tali itaque pœna perfixus est
Isai. 14. in vtroque pede innocens Christus, qui
Psal. 145. secundùm Prophetam soluit compeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, diligit iustos. Et quare hoc? Profectò, vt vincula peccatorum nostrorum solueret, & maculas pedum ablueret: quæ multoties contrahuntur in discurrendo, ambulando, spatiando, ludendo, saltando.

18. O quàm grauiter peccant, qui pauperes conculcant, qui pompaticè procedunt, qui tumultus in Ecclesia excitant, & orantes impediunt, qui multos leui euagatione & moribus incompositis scandalizant. Væ eis, qui propter tædium boni operis & defectum deuotionis quærunt consolationes in rumoribus & negotijs externis. Isti etenim, si vno clauo timoris Domini essent cõfixi, manerent vtique libenter apud semetipsos solitarij, cogitãdo de passione Christi, aut de scripturis sanctis aliquid legerẽt: vnde compuncti accenderentur in amorem Christi, per quem vincerent omnia aspera & dulcia mundi. Beati pedes eorum, qui ad audiendum verbum Dei parati sunt: qui omissis vanis ad Ecclesiam properant, orationi sæpè incumbunt, sensus ab euagatio-
Psal. 118. ne restringunt, vt cum bona cõscientia dicant: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.* Beati pedes, qui sequuntur vestigia Iesu vsque ad crucem; & amant ibi potiùs stare & cum Maria plorare, quàm ad epulas ire, & spectaculis interesse.

Manus Christi. 19. Passus est etiam Christus, & grauiter vulneratus in sacris manibus suis; quibus sæpè benedictionem dedit, infirmos tetigit

git & sanauit. Cum quibus panem accepit & comedit, corpus suũ cõsecrauit, & discipulis suis in solatiũ porrexit. Sed, ô pie Deus, cur pateris manus tuas cum tanto dolore transfodi, & tam multo cruore perfundi; qui cælos extendisti sine labore; & terram ornasti miro decore? Heu sancte Deus, fortis, & immortalis; ecce manus tuæ, quæ formauerunt primum hominem in paradiso, sine defectu, sine omni vitio; iam proh dolor à perfidis hominibus & iniquis manibus perforantur ferratis spiculis Iudæorum; & in oculis amicorum tuorum extenduntur in ligno crucis ab omnibus tunc maledicto, & pro maximo scandalo reputato. Sed ô bone dulcissime Iesu, hanc iniuriam & violentiam voluisti pro primis parentibus nostris & filiis eorum patientissimè tolerare: vt chirographum decreti disrumperes; & peccatum originale, ex tactu ligni vetiti & esu pomi noxialis contractum, tuo sancto cruore detergeres: vt vnde mors oriebatur per culpam, inde salus rediret per pœnam. Ideoque iustitia exigente, vtrasque manus pro culpa delenda in ligno crucis extendisti; & pro peccatoribus vniuersis, charitate trahente, cruentis manibus exorasti.

20. O quàm grata & acceptabilis fuit ista oblatio pro nobis; quando tu amantissime Iesu, vnice fili Dei, temetipsum obtulisti in sacrificium sempiternum, ad placãdam faciem Dei Patris omnipotẽtis, quem omnes offendimus in multis: à quibus non sufficimus per nos iustificari, nisi interueniẽte tua sacratissima passione & tẽporali morte in arbore crucis, de qua prodiit sanctificatio & redemptio nostra, in acquisitione æternæ salutis. Attendehîc grauitatẽ peccatorum nostrorũ, & acerbitatem vulnerũ Christi; affectũ charitatis eius supplicationemq; pro inimicis nostris, benignitatem quoque in omnibus contrariantibus sibi. Sæpissimè Christus orauit, & discipulos orare docuit, aliquando flexis genibus, aliquando eleuatis in cælum oculis: sed nusquam ita flebiliter & amicabiliter orasse reperitur, sicut modò auditur; cùm pro inimicis suis, expansis manibus, & pedibus confixis, ac membris omnibus distentis & vulneratis, in ara crucis orauit. Tunc enim fudit precem dulcissimam in auribus paternis, vt ignosceret in se peccantibus. Igitur ad compescendam hominum malitiam, qui ad irascendum faciles sunt, & pigri ad benefaciẽdum aduersariis suis; Christus vulnera latissima in manibus suis accepit, informans omnes ad bona agenda & mala patienda. Quia pro maximis lucris reputatur, si quis æmulis suis non talionem vindictæ, sed orationis munus rependit. Caueas ergo homo paupercule, fragilis & vitiose, ne aliquem lædas vel contristes verbo sinistro vel opere prãuo, pro quo Christus passus est & mortuus. Quia preciosa est in conspectu eius omnis anima, quæ in eum fideliter

credit,& mandata eius veraciter custodit. Iustum autem est, vt de proximo tuo bene sentias,& meliora speres:quia vel talis iam bonus est,vel per gratiam cito meliorari potest. Tu ergo ostende charitatem,& roga etiam Deum Patrem, vt quem nunc habes aduersarium;recipias iterum fratrem emendatum. Si autem tibi nocuit,indulge ex corde propter amorẽ Iesu Christi,qui in multis tibi pepercit. Ipse enim pius & misericors omnibus fuit; pauperes non despexit,leprosos non abhorruit, debilem non derisit; tristem deliniuit,iratum placauit,peruersum tolerauit,pœnitentem suscepit;errantem instruxit,innocentem defendit, vacillantem confortauit,charitatem ad omnes ostendit; & quod amplius est mirandum, plagis & vulneribus percussus, ab oratione non cessauit. Ecce qualiter Christus malos tolerando,bonos consolando, sanis & infirmis exemplum optimæ doctrinæ in passione exhibuit: & quasi duobus charitatis suæ brachijs, hostem & amicum pariter sibi attraxit; non reputans delicta ipsorum, dummodo velint Deo reconciliari;& omnes offensas debitoribus dimittere,ac mutuam charitatem insuper conseruare.

Caput Christi.

21. Passus est etiam Christus multum pœnaliter in suo sanctissimo capite,tanquã in principali membro corporis sui, pro omnibus membris inferioribus, quæ nos sumus, qui in eum credimus,& per fidem ac dilectionem ei adhæremus. Debet enim quilibet fidelis, tanquam viuidum & sanum membrum, Christi capiti suo in cunctis doloribus mentaliter compati & conuulnerari, quia membrum, quod capiti suo læso & ægroto non compatitur & congemiscit,aut putridum est aut insanum. Ergo si membrum Christi es,& de spiritu Christi viuis & sapis, attende nunc ad caput Christi Filij Dei viui;& vide,quantis spinarum aculeis, vndique pro peccatis tuis perforatur. Non est facile dictu, quàm grauis, quàm longus, quàm acutus hic dolor fuit in benedicto & nobili capite Iesu,super omnia sanctorum & Nazaræorum capita consecrato: cuius sanctissimum verticem nouacula acuta non tetigit; nec capillus de capite eius, in terrã cecidit:nisi fortè impij Iudæi cum ministris Præsidis, aliquos pilos de sancto capite furiosè extraxerint: vel etiam de barba sancta, crines indignis menibus euulserint. Quia plures contumelias & verba Christo irrogasse æstimantur, quę per singula non sunt ab Euangelistis expressa. Dicit tamen S. Lucas, quia & alia multa blasphemantes dicebant in eum. Nam aliqui velut insipientem, Christum apertè deridebant. Alij peruersiores, contumelioſa verba addiderunt. Alij bestijs crudeliores, dentibus stridebant, & plagas non paucas sibi intulerunt: & fortasis calcibus suis sacros pedes Iesu calcarunt, quos dudum Maria Magdalena multis lachrymis lauit & vnxit

Luc. 22.

vnxit. Ah Domine Deus, quàm profunda acumina ſpinarum, ſãctiſsimum caput tuum intrarunt: quàm duriter tenuem carnis tuæ pellem cum oſsibus & neruis læſerunt: ita vt ex vulneribus impreſsis, riui ſanguinis per collum, per oculos, per aures, & vultũ effluerent: ac decoram faciem tuam & omnem priſtinam pulchritudinem penitus obſcurarent. O generatio praua & exaſperans, vt quid innocentem tam ſeuerè punis? Cur pium & humilem opprimis? & quaſi in circulo, caput eius contorques? Certè mendaciter capitale crimen ei imponis, quod regem ſe fecerit: quia nunquam hic regalia ornamenta ſecundum ſeculi dignitatem habuit: neque calceos geſsit, neque coronam concupiuit. Nullum etiam hominem verbo vel facto læſit, quin potiùs læſos & oppreſſos à diabolo gratis ſanauit.

22. Filiæ Hieruſalem, & omnes matronæ deuotæ, venite & videte regem Chriſtum, Ieſum Nazarenum, verum & pacificum Salomonem, ex regali progenie Dauid ortum. Videte, quomodo in die coronationis ſuæ, coronatur corona ſpinea à nouerca ſua ſynagoga impia, ſuadente diabolo, & perurgente ſacerdotum inuidia. Flebant tunc vberrimè, mater eius beatiſsima Maria, cum S. Maria Magdalena, & omni comitiua ſua nimium deſolata. Flebant & diſcipuli diſperſi in turba Iudaica, præ confuſione & dolore ex viſione ſpineæ coronæ, quę ſacro capiti Chriſti Domini ac magiſtri ſui duriſsimè fuit impreſſa, clamante iudice coram populo furente: *Ecce Rex veſter.* Ioan. 19.

23. Penſate nunc Chriſti fideles, ſi vnquam talem contumeliã & tam acerbiſsimam pœnam, in aliquo de prioribus ſanctis regibus vel prophetis audiſtis vel legiſtis, ſicut nunc agitur in Domino prophetarum, in rege Angelorum, in præſule omnium ſacerdotum, in agno Dei; qui venit tollere peccata mundi, per varia torméta corporalis ſupplicij. Ecce qui antea glorioſus effulſit in ſignis & virtutibus magnis, nunc valde irreuerenter tractatur illuſionibus multis, & percutitur virgis ac flagellis. Quem maximè honorare principes debuerant, & pro vero rege ac ſummo ſacerdote ſuſcipere, iam inauditis opprobrijs dehoneſtant, & corona crudeliſsimæ punctionis tormentant. Omnia enim in contrarium agunt, præſtitis ſibi beneficijs multis: & acriùs ſæuiunt, in auctorem propriæ ſuæ ſalutis. Nam pro roſis & lilijs offerunt ei ſpinas acutas. Pro gẽmis & margaritis, dant ſibi alapas duras. Pro corona regia, ſertũ de iũcis marinis. Pro torque aurea, colaphũ ſine miſericordia. Pro ſtola byſsina, albulã fatui cũ ignominia. Pro purpura regis, rubicũdi ſanguinis guttas. Pro balteo argẽteo, linteũ de tenui filo. Pro ſceptro regali arundinẽ vẽto agitatã. Pro equo habuit aſinũ: pro freno, funiculũ: pro gladio, virgã: pro ſcuto

flagellum: pro ocreis, tibias nudas: pro chirothecis, vincula in manibus: pro calcaribus auratis clauos ferreos in pedibus: pro vexillo bellico, crucem cum titulo scripto: pro lorica, tunicam inconsutilem: pro galea, oculorum velamen: pro hasta regis, lanceam militis: pro mitra pontificis, sudarium nudati capitis: pro cathedra doctoris, columnam marmoris: pro scypho, spongiam: pro lagena, acetabulum: pro vino, acetum: pro nectare, myrrham: pro medone, fel amarissimum: pro osculo, sputum: pro compassione, derisionis iaculum: pro valedictione, recepit maledictionis verbum.

24. Præter ista iam dicta audi adhuc alia extremæ desolationis grauamina. Nam derelictus est à Patre in maxima angustia, quasi non esset filius eius dilectus. Derelictus est ab amicis & discipulis omnibus, tanquam hospes & peregrinus. Perdidit sodales optimos, inuenit hostes pessimos. Amisit sanctum Petrum propugnatorem, recepit Malchum Petri accusatorem. Quid plura? Pro reddituario, habuit furem: pro secretario, traditorem: pro vexillifero, Simonem Cirenæum, qui portauit crucem: pro cubiculario, latronem nequam, qui exprobrauit eum: pro infirmario, derisorem: pro vestiario, spoliatorem: pro refectorario, fellis braxatorem: pro dormitorio, sepulchrum: pro lectulo, saxum durum in petra excisum. Inter hæc tamen mala in Christum Dominum facta, non defuerunt amicorum pia lamenta: sed latebant, & longè stabant: tacebant, & lugebant. Quia nunquam visum est tantum malum in Israël, à die quo natus est Iesus in Bethleëm. Facta autem sunt hæc omnia ordinatione diuina pro salute nostra, & ad implendum Prophetarum oracula facta. Ecce his armis indutus est rex noster Christus Iesus Nazarenus, contra mundi principem pugnaturus, & suo precioso sanguine genus humanum redempturus. Certauit vsque ad mortem, vicit diaboli superbiam per humilitatem, mundi sæuitiam per patientiam, carnis petulantiam per crucis acerbissimam pœnam. Reliquit nobis exempla sancta viuendi, sacra verba bona meditandi & contra singula vitia optima dedit remedia ad cauenda peccata, & ad æternæ vitæ præmia per crucem consequenda. Cui laus & gloria, de omni bono, in cælo & in terra; per infinita seculorum secula. Amen.

Ali-

Aliquot Orationes piæ ac deuotæ, de passione Domini nostri Iesu Christi, quæ huic secundæ editioni accesserunt.

PRIMA.

Oratio ad Patrem legenda infra missam, de oblatione corporis Christi, de merito passionis eius, & de nostra resignatione.

1. RESPICE clementissime Pater de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, super sacrificium acceptabile tibi. Intuere sacrosanctam hostiam vnigeniti Filij tui, quam offert vultui tuo pro nobis. Ipse est enim summus sacerdos & verus pontifex, qui non alienam hostiam, sed propriam carnem dedit ad immolandum in ara crucis pro vita sæculi. Propitiare ergo mihi peccatori hodie, per hanc salutarem victimam. Esto exorabilis mihi infirmo homini, multum labili & vitioso, qui non sum dignus respicere cælum, neque calcare terram, quoniam te creatorem meum offendi sæpissimè, sepius agendo, loquendo, cogitando contra præcepta tua irreuerenter & insensatè: propter quę omnia meritò incurri grauissimam indignationem tuam, nec non omnium creaturarum accumulaui mihi inimicitiam. Te enim offenso & despecto, iam vtique iusto iudicio omnis aduersatur creatura peccatori. Sed omnipotens & Deus totius consolationis miserere mihi seruo tuo, ex intimo corde pœnitenti & dolenti. Quoniam ex nihilo factus sum, & in peccatis conceptus, vt fragilis homo cecidi. Parce mihi Domine, parce. Da veniam filio prodigo ad te reuertenti de siliquis porcorum, & stanti ante thronum gloriæ tuæ, & postulanti manum misericordiæ tuæ à mane vsque ad vesperam: donec descendat ros gratiæ, & pluuia consolationis super terram cordis mei, quod iam aruit & contabuit præ multitudine peccatorum. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te. Scio, quia non propter opera mea facies, si qua fortè videntur: sed propter bonitatē tuā Domine, quæ immensurabilis prædicatur. Amplius autē exaudi me per singulare meritum amantissimi & dulcissimi Filij tui Iesu Christi, qui pro peccatoribus crucifixus est & mortuus, vt omnium peccata sua deleret passione.

2. Recordare alme Pater inæstimabilis charitatis eius, quomodo in mortem tradidit animam suam, vt viuificaret populum suum, qui in nullo sibi pepercit, vt reis & damnatis in æternum

parceres. Memẽto amariſsimæ paſsionis eius, quàm grauia & indigna ſuſcepit: qualiter ab hora matutina vſque ad exitum ſum in cruce pro humano genere laborauit, clamans ſanguinis ſui effuſione pro reconcilandis tibi peccatoribus: vt amicos de inimicis faceret, & de ſuis profugis adoptionis filios. O ſummè & venerande & colende Pater, hodie tibi repræſento omnia ſigna paſſionis vnici filij tui, cum noſtra ſupplicatione atque ſuffragio omnium beatorum martyrum, qui eandem paſsionem ſpecialius imitati ſunt. Aſpice & cognoſce, cuius ſunt ſigna amabilia adoranda per ſecula. Ecce crux, claui, lancea, fel, arundo, ſpongia, ſputa, flagella, corona ſpinea, ſudor, ſanguis, alapa, virga, reſtis, columna, alba veſtis, purpura, & incõſutilis tunica. Iſta ſunt pretioſa ornamenta & regalia vexilla, quibus ad debellandas aereas poteſtates proceſsit vnigenitus tuus in noſtræ carnis ſubſtantia. Iſta ſunt arma bellica, quibus mors deuicta eſt, & humana natura redempta. Per hæc igitur benedicta & glorioſa paſsionis inſignia, dimitte mihi omnia peccata mea. Sit mihi hæc veneranda armatura, & decora, contra omnia vitia & tentamenta ſingularis potentia. Sit mihi quotidianum ſpeculum & dulciſsimum animæ meæ ſolatium tam doloroſum & flebile ſpectaculum.

3. Suſcipe ſanctiſsime Pater gratiſsimam hoſtiã oblati corporis filij tui, quam tu ipſe tibi præparaſti, ac in ſempiternum ſatisfactoriam, dignam atque ſufficientem eſſe voluiſti, ad exhauriẽda omnia peccata, tam contracta quàm voluntate admiſſa. Suſcipe me pariter hodie in ſancta oblatione, qua nulla ſanctior eſt & præſtantior, quæ tibi venerabiliter offertur per manus ſacerdotũ tuorum diebus ſingulis, pro vivis & mortuis, ac pro cunctis neceſsitatibus noſtris. Proficiat hæc mihi & omnibus orationibus meis commendatis, quorum neceſsitas & fides tibi nota eſt, ſiue iam præſentes, ſiue abſentes huic ſolemni celebrationi exiſtant. Perueniant ad te preces eorum & deuotio, cooperetur illis ad ſalutem ineffabilis virtus & efficacia ſacramenti, quod diuinitus eſt inſtitutum, non humanitus inueſtigandum, ſed piè colendũ, fideliter adorandum, firmiter credendum, & vſque ad conſummationem ſeculi continuandum. O pretioſiſsimum & ſuauiſsimum ſacrificium, quod tibi æterno Patri pro nobis obtulit coæternus filius tuus, factus & ipſe hoſtia vera, viua, ſalutaris, vnica, & perfecta: qui erat ſolus pontifex immaculatus, ſanctus & immunis ab omni delicto, non habens neceſſe priùs pro ſemetipſo rogare, & hoſtiam ſecundum legem offerre; ſed pro debitoribus mortis ſemel moriens interceſsit, non habentibus nec inuenientibus in vniuerſa creatura, quid pro delicto ſuo redderent. Iam igitur non deſpero, neque vltra deſperabo de venia & curatione

ratione peccatorum, quotiescumque etiam me peccatum apprehenderit. Inueni enim, quo lauandus accedam medicum, ad quem sanandus recurram. Scio vbi sit spes mea, & vniuersa consolatio mea. Qui in passionibus & vulneribus Domini mei Iesu Christi, summa salutis totáque ratio spei meæ consistit & abundat. Per omnia benedictus sis Deus meus, qui tam magna & immensa diuinæ largitatis beneficia contulisti mihi. Istis namque vehementer me accendis, ad regratiandum tibi & dilecto filio tuo.

4. Sed ô mi Pater fidelissime, quid agam, quia nil dignum in me reperio, aptum dono gratiæ tuæ. Veruntamen bone Pater, cuius sunt omnia dona bonorum, scio, quia nullius indiges, & tamen te parua nostra delectant, si ea deuotè & spontaneè tibi videris offerri. Dabo igitur aliquid, & modicum, quod mihi relictum deperire potest, amori tuo sacrificabo. Nam tibi oblatum melius mihi manet, & tamen merces futura non deerit tam liberè offerenti. Si auderet quis inhæsitanter se donare tibi, tu te vtique redderes illi, fieretque quod ore capitis nostri dictum est: Date, & dabitur vobis. Nunc ergo si digneris accipere, ecce voluntariè meipsum offero, & tuæ dispositioni animam meam & corpus meum fidenter derelinquo. Voluntatem quoque propriam (qua pinguius nil tibi offertur) ex hac hora & deinceps promptissimo corde resigno, quemadmodum dilectus filius tuus Christus Dominus noster suam tibi commisit voluntatem, vt nostram in sua abnegatione obtineret salutem, formam præbens sequentibus se fidelibus breui & pleno sermone, quem dixit: Pater mi, non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua.

5. Hoc itaque exemplo vehementer admonitus te inspirante & iuuante, denuo me resigno, omnibus, quæ mundi sunt renuntio. Carnis desideria despicio, omnes actus & nefaria consilia maligni spiritus abiicio, tuo seruitio me despondeo: tibi adhærere cunctis diebus vitæ meæ concupisco, iam iamque deuotè id agere instituo. Adhuc verò vt plenius perficiam voluntatem tuam, en meam frangere paratus sum per veram obedientiam, quam tibi in prælato meo teneor exhibere. Eius enim voci cùm obedio, tibi veraciter obedio. Ergo illius manibus tanquam paruulus in Christo renatus, qui se Baptistæ sui manibus humiliter inclinauit, gubernandum me submitto. Fratrum quoque meorum consiliis & sermonibus, tota humilitate & pia charitate libens parebo, quos nimirum sanctiores & longè me sapientiores intelligens, iure meæ imperfectioni præfero. Tibi autem eandem imperfectionem meam cognitam esse sciens in defectibus me accuso, atque sanioris emen-

dationis remedium multa contritione à te expoſco: quatenus benevolentiſſima manus tua, quæ omnem infirmitatem curat, & omnem impotentem roborat, meam indigentiam non relinquat. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

SECVNDA.

Oratio de recordatione & imitatione Paſſionis dominicæ.

1. DOMINE Ieſu Chriſte, qui pro noſtra ſalute pati, crucifigi, ac mori veniſti, da mihi paſſionem tuam doloroſo corde ſæpius percogitare, & eam conſtanter poſſe imitari. Da, vt quidquid aduerſitatis, grauitatis, vel iniuriæ mihi obuenerit, de manu tua benevolenter accipiam, & pro nomine ſancto tuo aliquid perpeti gaudeam, qui tam multas iniurias & pœnalitates innocenter pro me tolerare dignatus es. Nempe ad dignè rependenduam tibi vicem non poſſent adæquari omnis hominis maledictiones mihi illatæ, quanto magis breue vel aſperum verbum, ſeu moleſtum aliquod factum ſine mordaci cogitatione perferre debeo. Procul igitur omne murmur ſit, fileat indignatio, conquieſcat ſuſpicio, ſed magis benigna patientia, humiliſque confeſſio loquantur, quòd ampliora mereatur iniquitas mea recipere, quam aliquis mihi poſſit irrogare.

2. Dehinc quæſo, vt largam mihi infundas charitatem, quatenus plenam indulgentiam & compaſſionem deuotam, precer & excuſationem debitoribus meis reddam, nec non gratiarum actiones pro magnis lucris patientiæ perſoluam: quoniam tuus debitor ſum in valde multis lugendis exceſſibus. Exceptis enim beneficiis, vnde tibi debitor ſum in quibuſcumque ſufficio, imò vltra quàm ſufficio, adhuc reuera pondus peccatorum meorum præteritorum & quotidianorum grauibus me debitis admonet, cuius tamen confido vt pars maxima ſolutionis erit ſuſtinentia & dimiſſio iniuriarũ, & ſupplex oratio pro aduerſantibus. Exemplum namque mihi reliquiſti memoriale, qui pro crucifixoribus exoraſti, ne perirent. Vtinam & pro me peccatore Patrem nunc exorare digneris, vt dimittat mihi quidquid conſcientia meruit, & adijciat, quod tenuitas mea petere non præſumit. Tu es enim aduocatus meus iuſtus & fidelis apud Patrem, qui tuo ſanguine me redemiſti, tuoque exemplo ad viam perfectæ humilitatis, mãſuetudinis & patiẽtiæ dulciter inuitaſti. Adiuua me ergo Domine Ieſu ſpes mea & refugium in die tribulationis, vt non declinem à via patientiæ quacunque aduerſitate exurgente: ſed ad te incunctanter recurram pro iuuamine & ereptione neceſſitatum mearum. Multa namque ſunt huius vitæ aduerſa, quæ ſuſti-

sustinere non est possibile. Ego non sufficio, notum est tibi quando in minimis me probas, nec alium quàm infirmum hominem me inuenio.

3. Quapropter oro te Domine, aperi mihi thesaurum miserationũ tuarum, & illud mirificum maximumque passionum tuarum reuela mysterium, in quo omnium infirmorum & tribulatorum continentur remedia, ex quo etiam sæpe nouellus deuotionem, & deuotus consolationem multam haurire consueuit. O Iesu fons gratiarum: fac intrare cor meum amaritudinem calicis tui, quæ omnem grauitatem mihi conuertat in dulcedinem. Perfora quoque manus & pedes meos clauis charitatis tuæ, vt nec in opere, nec in affectu meo quicquam vanitatis vel carnalitatis vltra viuat. Sed viue tu in me, & ego in te: nihilque mali interueniat, quod nos separet. Nullæ ergo delitię, nec vllæ me pœnæ soluant à tua dilectione: sed siue ad mortẽ, siue ad vitam vocaueris, quocunque volueris Domine, illuc pergam in nomine tuo. Sapiat mihi beata crux tua, & taliter sapiat, vt meam libenter feram. Suscepi illam spontaneè æternæ salutis intuitu, tamen portare non valeo, nisi continuò manum tuam apposueris. Te verò adiuuante & ducente, leue est onus tuum, fitque planum ac calcabile omne asperum carni. Nunc ô dulcissime Iesu, salus & virtus animæ meæ, confirma me pusillum in hac hora verbis oris tui, & præcipuè in recordatione passionis tuæ me totaliter accende, & ad te intimè trahe; vt cum frequentatione excitationis sapor crescat deuotionis: vt cum debita laudatione, fructus effulgeat piæ conuersationis. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

TERTIA.

Oratio ad compatiendum Christo, & dilectæ matri eius.

1. FLECTO genua mea ad te Domine Iesu Christe, quem pro me in cruce cerno suspensum. Saluto te ô veneranda imago crucifixi Domini mei Iesu Christi, cuius sanguine redẽptus sum de manu inimici. Salue saluator mundi, qui hanc amarissimam mortem pro me sustinuisti. Peto te dulcissime Iesu, præsta mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ, tibi in omnibus pœnis compati, nec non sanctissimæ matris tuæ doloribus intimo cordis affectu condolere, & cum beatissimo Ioanne Apostolo largiter sub cruce flere. Etenim solatiosum mihi nunc fore scias, si possem etiam exteriores lachrimas, præ magnitudine compassionis, coram imagine crucis tuæ fundere, qui pro me precio-

sum sanguinem abundè sæpiùs effudisti.

2. Sed quia à te omne donum bonum, imple hoc desiderium meum ad honorem tuum, vt & memoria sacratissimæ passionis tuæ, cum singulari recordatione glorioſæ matris tuæ, adiuncta semper charissimo discipulo tuo Ioanne eiusdem fidelissimo custode, ex hac hora & deinceps in me feruentiùs accendatur, copiosiùs dilatetur, intimiùs sentiatur, perfectiùs moribus & vita teneatur. Sit insuper crucifixio tua speculatio mea, dolor matris tuæ consolatio mea, fletus sancti Ioannis intercessio mea. Non sit sine interna compassione mentis, aspectus mortis tuæ tam deformis. Quotiescunque igitur tuam passionem recolo, aut figuratum in Cruce video, da hoc interiùs cordi meo sentire, quod multis deuotis dedisti experiri. Qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

QVARTA.

Oratio ad Christum.

1. LAus & gloria tibi semper sit Domine Iesu Christe, qui pro me peccatore descendere dignatus es de cælis, & arborem ascendere Crucis, ad satisfaciendum pro peccatis meis, in qua nudus & toto corpore vulneratus tanquam vilissimus latronum inter latrones pependisti: qui es speciosus forma præ filiis hominum, verus Dei filius, rex regum, & Dominus angelorum. Benedictio, & claritas, gratiarum actio, & vox laudis tibi sit agne Dei mitissime: quoniam dignus es accipere omnem honorem, propter passionem mortis & multimodam quam passus es in cruce confusionem. Accipe igitur humiles has laudes, deuotas gratias, mentales genuflexiones, & pia oris mei obsequia, pro summa & immensa charitate mihi in passione tua ostensa. Reuera tibi gratias agere teneor pro omni quod viuo, quod sapio: sed multo intentiùs & copiosiùs, quòd tuo pretioso sanguine redemptus sum. Magna bonitas, quia me non existentem condidisti; sed maior charitas superlucet, quòd perditum reformasti. Et si in te bonitas & charitas æqualis ac vna semper fuit, mihi tamen charior & vtilior visa est charitas, quæ ita superabundauit.

2. O quanti me existimasti, quem tam charo commercio redemisti. Dedisti certè pretiosissimũ quod habuisti; nam te pretiosius nihil est, & ecce te totum pro me tradidisti. Quapropter obsecro te benignissime Iesu, fons bonitatis & charitatis, vt hæc à memoria mea non defluant: sed semper imago crucifixi corporis tui mihi resplendeat, & singula plagarum loca amorem tuum cordi meo profundè imprimant, signa enim sunt validissimæ dilectionis tuę ad me. Nam omnia hęc pro me suscepisti, pro te autem

tem nihilhorum merueras, qui peccatum non feciſti, nec maculam quidem peccati contraxiſti; in quo dolus non eſt inuentus, nec cauſa mortis, ſicut pro te loquebatur Pilatus. Sed ideo oblatus es, quia tu ipſe voluiſti, qui ad redemptionem totius mundi te miſſum cognouiſti. Innocenter ergo paſſus es, & atroci crucis ſupplicio interemptus: ſed tamen infructuosè non es mortuus, quia per crucem & per mortem tuam omnes liberati ſumus. O beata & nimiùm amabilis Crux, arbor decora atque ſalutifera, in qua pependiſti vita mea pro me mortua: vt mortem occideres, & vitam mihi donares. O quàm felix & precioſa mors iſta fuit, quæ mortis auctorem vicit, infernum ex morſu ſpoliauit, paradiſi ianuã reſerauit. Benedicta ſit paſsio tua Domine Ieſu Chriſte, crux tua & mors tua, quæ antiquam parentum noſtrorum maledictionem in cæleſtem conuertit benedictionem. Benedicta ſint omnia membra tua, in quibus paſſus es: & omnia vulnera tua tibi inflicta, æternaliter ſint benedicta. Nam ipſa ſunt mea maxima medicamenta, contra quælibet vitia, & optima ſolatia inter aduerſa.

3. Ieſu bone, dulce eſt tecum eſſe in Cruce, quod magis opto habere, quàm omnes ſolationes naturæ. Melius eſt mihi tecum eſſe in magnis doloribus, quàm ſine te in ſummis mundi honoribus. Oh mihi eſt, quod patior, cùm te in cruce contemplor. Sub hac ſedebo & lugebo, conſiderabo & penſabo, quanta paſſus ſit pro me Deus meus. Multi Sancti multa paſsi ſunt, ſed tu ſancte ſanctorum amplius. Nam tenerrimum & digniſsimum corpus tuum, à ſummo vſque deorſum; multiplicibus plagis & vulneribus erat diſpunctum. Quæ etſi Euangeliſtæ non recitant, quibuſdam tamen deuotis fuiſſe reuelatum multi affirmant, ſicut his duobus verſibus continetur.

Septuaginta quinque, quater centum, millia quinque:
Tot fertur Chriſtus pro nobis vulnera paſſus.

Benedictum ergo ſit ſemper ſanctiſsimum & precioſiſsimũ corpus tuum, ſanguineis guttis ornatum. Nam variis inciſionibus venarum perforatum, ſuæ effuſionis non potuit tenere modum. Verè tu es dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Candidus in virgine, rubicundus in cruce, electus in paternæ gloriæ † confeſsione. O nobiliſsimum corpus omnia corpora ſanctorum ſanctificans, omnes electorum animas à peccatis emundans. Aue nunc ſanctiſsimum corpus dominicum, natum ex Maria virgine: verè paſſum immolatum in cruce pro homine: ſepultum ab hominibus in corde terræ, reſuſcitatum à Deo tertia die.

† *confeſsione.*

4. Precioſum eſt mihi hoc venerabile corpus tuum, Spiritus-

ſancti

sancti operatione de purissimo sanguine Virginis Mariæ formatum: sed pretiosius mihi efficitur, quia pro me tam deformiter es in passione martyrizatum. Non mihi sordet facies tua, olim tam amabilis, nunc autem tam contemptibilis & penè incognoscibilis effecta, propter immunda sputa & validos percutientium ictus, ac irreuerendos capillorum tractus, cum velatione illudentium, & multa ignominiosa tibi improperantium. O gloriosa facies Dei mei, quam Angeli videre desiderant; & quæ priùs quandoque refulsisti in monte Tabor, vt sol, quomodo nunc sic denigrata es, vt nulla in te appareat species neque decor? Propter me denigrata es inclyta Dei facies in terris, vt dignus efficerer contemplari diuinam faciem tuam in cælis. Ergo illa fœda consputio formosi vultus tui, lotura & purgatio facta est fœditatis animę meę. Insuper & omnia, quæ passus es, pro mea satisfactione & redemptione gesta sunt. Erit itaque summa sapientia mea ista meditari, & configurari in carne passo. Expoliatus es conditor orbis terræ, vt ego vestimentis induerer perennis gloriæ. Denudatus es, vt me ab omnibus quæ mundi huius sunt nudarem, & te sine retardatione sequerer. Illusus es, vt me ab illusione dæmonum eriperes. Contemptus es, vt me doceres amare contemptum & abiectionem hominum. Accusatus es, ne me leuiter excusarem: sed quàm multa falsa pertulisses cogitarem. Condemnatus es, vt æternam damnationem euaderem. Ligatus es, vt à peccatorum vinculis absoluerer. Flagellatus es, vt æterna flagella cum reprobis non sentirem, & temporalia flagella cum electis patienter ferrem. Coronatus es spinea corona, vt ego immarcessibili corona dignus essem coronari: si tamen tibi compatiar, tanquam membrum suo conforme capiti. O rex æternæ gloriæ, quàm acutam & despectam coronam pro me vilissimo peccatore portasti. Et quomodo possum sine ingenti cordis dolore cogitare benedictum caput tuum spinis obsitum, arundine percussum, ac omni populo in derisum ostensum?

5. Eductus es extra ciuitatem Hierusalem ad crucifigendum, vt me reduceres in cælestem Hierusalem ad perpetuè lætificandum. Crucem propriis humeris baiulasti, vt me ipsum abnegare, crucem tollerem, & post te venirem. Affixus es cruci, vt mihi mundus crucifixus esset, & ego mundo. Eleuatus es toto corpore à terra, vt ego toto corde eleuarer ad superna. Aceto & felle potatus es, vt peccatum quod gustu vetiti cibi in mundum venit, amaro poculo expiares; & vt tuæ felleæ potationis inter epulas recordarer. Derelictus es à Patre in crucifixione, ne ego desperarem in tentatione vel gratiæ subtractione. Derelictus es etiam à [illegible] & discipulis tuis, vt spes mea non figeretur in hominibus.

Com-

Compassus es tamen cordialiter matri & discipulorum infirmitati, vt proximorum semper condolerem necessitati. Pro crucifigentibus rogasti, vt ego in me peccantibus benignè indulgerem, & tibi omne iudicium committerem. Post hæc testamentum fidele statuisti: nam animã Patri, matrem discipulo, discipulumq; matri commendasti: vt & ego instante mortis articulo, animam meam tibi commendarem; & sanctissimæ matris tuæ præsentiam specialiter inuocarem. Cuius clementiam humiliter inuoco, vt cum beato Ioanne Apostolo tuo & cæteris sanctis N. N. mihi assistere dignetur morienti, sicut tibi astitit in cruce pendenti. Enimvero tuus fuit eius dolor, & tuus dolor nihilominus eius erat, cuius cor compassionis gladius penetrauit. Cumque vidisses matrem & discipulum stantem quem diligebas, nequaquam descendisti de Cruce propter eos, scilicet in obedientia Patris tui vsque in finem permansisti: præbens mihi exemplum perseuerandi in via & in lege tua, quam nunc relictis parentibus & amicis cœpi ambulare. Ambulabo in ea duce gratia tua, & si perseuerauero tecum, erit sine dubio merces mea æterna.

6. Sicut ergo tu Domine Iesu, nec propter matris tuę fletus, nec propter Iudæorum opprobria cõsensisti de Cruce descendere: sic nec ego moueri debeo cuiusquam blando sermone vel consilio, aut etiam vano terrore contrariorum à statu sanctissimæ seruitutis tuæ: sed tecum viuam, tecum moriar in cruce: nec mihi contingat parcere animæ meæ propter te, qui animam tuam pro me posuisti, vt non perirem in æternum. Inclina itaque nunc ad me caput tuum, in signum præcipui amoris: & ego cor meum ad te, in signum intimæ compassionis: & simul moriatur anima mea cum anima tua, vt vbi tu es, illic sit & ipsa; nunc per desiderium, post per præsentiam & beatificam fruitionẽ. Aperi quoque mihi latus tuum ad pausandum in eo. Ideo enim apertum est, vt ego intrarem, & ab æstibus vitiorum curarer. Profluit ex eo sanguis & aqua; aqua, vt lauarer à contractis maculis & priuatis; sanguis, vt redimerer à iugo diaboli & pœnis inferni. Eia suscipiã te iam de cruce cum singulari reuerentia. Ponam te dulciter inter brachia mea, qui non habuisti, vbi caput tuum reclinares, dispunctũ corona spinea. Plangam te quasi vnigenitum Patris, & primogenitum virginis matris, antequam ponaris in monumento ab oculis meis: & considerabo omnia quæ feciſti, docuisti, & passus es in mundo, ab hora natiuitatis tuæ vsque ad horam mortis & sepulturæ tuę. Exinde mihi sit tua reuerenda sepultura, omnium mundanorum perfecta clausura. Hîc requiescam, hîc habitem, hîc cunctis tumultibus exclusis tecum sepeliendus ingrediar; vti tibi soli vnitus, toti mundo mortuus sim ac sepultus. Amen.

QVIN-

QVINTA.

Oratio ad Christum.

1. SCRIBE Domine Iesu Christe vulnera tua in corde meo, preciosissimo sanguine tuo: vt in eis legam tuum dolorem & tuum amorem, ad omnia terrena & ad omnia aduersa pro te libenter sustinenda. Fac me (quæso) participem sacræ passionis tuę & acerbissimi doloris, quem sustinuisti in graui & longa appensione crucis. Tunc enim benedictæ manus, ab impijs conclauatæ, & speciosissimi pedes tui ligno durissimo sunt affixi. Tunc enim totum corpus tuum ita extensum est, vt omnia ossa tua dinumerari possent. Tunc denique, postquã emisisti spiritum sanctissimum, latus tuum lancea militis tam validè perforatum est, vt continuè exiret sanguis & aqua, in redemptionẽ totius mundi.

2. O inæstimabilem charitatem, vt damnatum seruum redimeres, temetipsum tãtis supplicijs exposuisti; & innoxiam mortem, ne ęternaliter morerer, libentissimè suscepisti. Ego Domine peccaui; ego hoc grande peccatum feci; ego sum reus omnium vulnerum tuorum. Quid igitur retribuam tibi, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Si dedero me, & omnia mea, quæ vnquam habui & habiturus sum, pro charitate hac maxima, quam feciſti mecũ, quasi nihil esset. Etsi tradidero meipsum tibi in perpetuũ seruũ, non poterit dignum esse precium. Insuper si totum mundum haberem, ipsumque dare possem, adhuc non esset digna retributio, pro minima gutta pretiosissimi sanguinis tui, quem pro me in cruce effudisti. Vna enim gutta pretiosissimi sanguinis tui, vniuersum mundum expurgare potuisset. Veruntamen non sufficit amori tuo dare congruentiam satisfactionis, sed ex abundanti expendisti pretium, quo totum mundum saluare decreuisti, in quo etiam mihi spem vnicam reliquisti. Nam ex quinque corporis tui vulneribus, voluisti largissimè emanare dulcedinem charitatis tuæ, quam ab æterno habuisti cum Patre absconditam, sed etiam specialiter passionis tempore in Cruce moriens reuelasti.

SEXTA.

Gratiarum actio.

1. GRATIAS itaque nunc refero tibi benignissime Iesu, pro omnibus doloribus & opprobrijs, pro vniuersis quoque rubicundis vulneribus tuis, quibus repletus es à planta pedis vsque ad verticem, pro mea reconciliatione & reductione in æternam gloriam tuam. Sed heu Domine, quia dignas tibi referre gratias

non

non sufficio. Siquidem tam excellens & pretiosa est sanctissima passio tua, vt si omnium creaturarum etiam virtutes haberem, adhuc plenè tibi regratiari nequaquam sufficerem. Excedit enim omnium hominum merita & vota: superascendit omnium creaturarum dignitatem. Attamen, ne omninò ingratus sim, saltem in modico regratiari tantæ charitati & tam amaræ passioni tuæ desidero per verba deuotę orationis & meditationis, quæ tu inspiraueris, & cordi meo sapida feceris: quatenus & exhinc fructus multiplex proueniat animæ meæ, atque tibi gratiarum actio cum perfecto amore resultet sine fine. Memento mei Domine Iesu in regno tuo, qui latroni confitenti in Cruce respondisti: *Hodie mecum eris in paradiso.* Amen.

FINIS ORATIONVM.

Plures huius argumenti orationes inuenies Tomo secundo, in opusculo septimo breui.

VIGESIMA-OCTAVA.

In festo palmarum de processione Christi, & sex generibus hominum obsequentium Christo.

1. P *Veri Hebræorum tollentes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino.* Matth. 21.
Contemplari delectat in præsenti festo palmarum, solemnem sanctæ Ecclesię processionem, nec non deuotionem populi Iudæorum obsequentium Christo, cum gaudio magno & honore. Nam quod Iudęi olim corporaliter Christo exhibuerunt in carne viuenti, nos spiritaliter eidem debemus exhibere iam in cælo regnanti. Et tantò affectuosiùs hoc agere decet cum hymnis & canticis deuotis, quanto interiora cordis nostri obsequia Deus plus diligit, & in supernam Hierusalem nos perducere cupit. Propter hoc enim maximè venit in terras, vt terrarum incolas reuocaret ad cælos. Propter hoc properauit ad locum passionis, vt nobis pararet sedem felicissimæ mansionis in cælis. In cuius signum etiam asinam & pullum sibi adduci præcepit, & modestè equitando in Hierusalem ciuitatem terrestrem eos perduxit, quæ cælestis beatitudinis imaginem continet: vt nos speremus per Christum reducendos in vitam æternam cum Angelis sanctis: qui animale corpus nostrum suscitabit de puluere terræ, & immortalitatis gloria induet in futura iustorum resurrectione. Et ad hoc promerendum quis dignus esse poterit? Profectò qui se humiliauerit sicut paruulus in numero puerorum Hebræorum; & factus fuerit tanquam pium iumentum sub pedibus Christi; paratum se exhibens omni loco & tempore,

ad

ad beneplacitum Dei. Quicumque enim se mitem & humilem inter fratres suos exhibuerit, & quasi rudem asinum & inutilem seruum se reputauerit propter aliquod vitium, aut ineptitudinem quam in se conspicit: hic per humile sentire suum Christo magis placet & propinquior erit, quàm superbus ille Pharisęus, qui tanquam equus turgidus de bono opere se extollebat. Excusabilior est simplicitas asini, si errat; quàm peruersitas equi superbi, qui recalcitrat. Elegit ergo Christus asinum ad sedendum, propter mansuetudinem: recusauit equum, qui hinniret & alios morderet. Sic etiam nunc Christus simplicem & humilem ad seruiendum sibi assumit, & iugum sanctæ religionis dorso eius imponit: vt per legem vitæ & disciplinæ, recto & plano itinere pergat in Hierusalem cælestem post mortem.

2. Considera itaque, quales quantasq; virtutes in hac processione Christus nobis per suam humanitatem ostendit; qui cùm summus esset, & diues ac potens super omnes, (vtpote verus Dei filius secundùm diuinitatem) non tamen excellentiam maiestatis coram populo ostentauit foris per apparatum secularem, sed cum multa humilitate & mansuetudine ad rebellem sibi perrexit ciuitatem. Hic est rex noster, quem Ioannes Baptista prædicauit agnum esse venturum in mundum; qui pro salute generis humani venit ad locum passionis, vt perficeret opus nostræ redemptionis, sicut reuelatum fuerat sanctis Patriarchis & Prophetis. Non declinauit à facie inimicorum suorum, nec abhorruit locum sanctum propter malitiã populi; sed cum maxima charitate & pietate accessit ad inuidos & passionatos, vt mitigaret commotos; insuper pro eorũ excessibus & malis futuris doluit & fleuit. Non attendit ad plausum & laudem hominum, sed ad futura pericula perfidorum habuit oculum apertum, ita dicens ad securè lætantes: Quia si cognouisses & tu, quæ tibi imminent, vtique magis doleres & mecum fleres. Nam cor sapientis, vbi tristitia: cor autem stulti, vbi lætitia. Per tristitiam enim corrigitur animus delinquentis, & per lætitiam dissoluitur sæpè status religiosæ mentis. Et tanto longinquior fit homo à Deo & frigidior in seipso, quanto occupatior & diuturnior in negotio externo. Dedit ergo Dominus consilium bonum his qui in honore sunt & reputatione hominum, ac societate delectantur amicorum, quatenus oculos à præsentibus auertant; & quàm repentè hæc friuola gaudia transeunt, intenta cogitatione perpendant. Quapropter ad opera Christi hodie gesta animus distractus recurrat, omnes seculares occupationes abiiciat, flores bonarum cogitationum de scripturis sanctis assumat; & cum internis exercitiis quasi cum palmis virentibus cælesti regi occurrere festinet. Quòd si aliqua exterio-

Deut. 18.
Eccles. 7.

ra

ra ad festum pertinentia videat vel per cantum audiat; non ibi tantum remaneat, sed quid salutaris mysterij in his latet, diligẽter inquirat.

3. Notandum ergo, quòd in hodierna processione Christi, sex genera bonorum inueniuntur, qui Christo venienti per aliquem actum pietatis obsequuntur. Aliqui præcedunt, aliqui sequuntur; aliqui ramos cædunt, aliqui vestimenta prosternunt; aliqui portant, & aliqui iuxta regem ambulant. Nemo hîc ociosus stat, nemo fabulis intendit; vnusquisque locũ suum tenet, officium suum quilibet lætanter impendit. Mysticè autem & moraliter hęc pulchrè possunt intelligi, & ad fidei instructionem & morum disciplinam ita interpretari. Igitur qui Christum præcedunt, Patriarchæ sunt & Prophetæ; qui plura de Christo mysteria populo prędixerunt, & magno desiderio Christum videre desiderauerunt. Qui verò Christum sequuntur, discipuli eius sunt, & alij fideles per Christum conuersi; qui relictis facultatibus suis & mundi curis, Christum perfectè imitati sunt; & alios multos verbo & exemplo ad bene viuendum traxerunt. Qui autem ramos de arboribus cædunt, rectores sunt ecclesiarum & prædicatores verbi Dei per orbem terrarum; qui de libris sanctis & tractatibus doctorum, pulchras & vtiles sententias, tanquam flores & frondes arborum studendo colligunt; quas postmodum in Ecclesia prædicando coram populo fideliter exponunt. Et ne infirmi seu rudes auditores, in via pedes suos ad lapidem scandali, propter duritiam præceptorum offendant: idcircò ad complanandum iter vitæ cælestis, boni doctores multa exempla sanctorum, quasi flores rosarum & lilia conuallium, proferunt: nunc martyrũ pátientiam, nunc labores confessorum, nunc virginum pudicitiam allegantes. Qui verò vestimenta sua in via prosternunt, sunt boni dispensatores rerum temporalium; qui pauperes & mendicantes cibo ac potu reficiunt, ne in via propter labores quotidianos deficiant. Isti ergo de his, quæ sibi superfluunt, & tam de vestibus quàm de bursis necessaria aliqua extrahunt, quæ nudis & indigẽtibus misericorditer tribuant: quatenus per eleemosynas terrenas pro Christo oblatas, ętternas mercedes in regno Dei recipiãt post corporum sepulturas. Fuerunt olim multi in sancta Ecclesia ita feruenter ex diuino amore accensi, qui non solùm exteriora & temporalia bona pauperibus dederunt, aut ex voto omnia reliquerunt; sed etiam in tempore persequutionis, corpora sua pro fide Christi ad diuersa supplicia tradiderunt. Isti certè in via Dei & processione Christi, prę cæteris contẽptoribus mundi, corpora sua veluti animarum suarum indumenta, & onera grauãtia, prostrauerunt & abiecerunt in terra ab hominibus malis calcan-

da; vt perpetuas coronas in cælestibus gaudijs reciperent cum Angelis sanctis, pro omnibus tormentis sibi temporaliter illatis. Qui autem Christum portant, asina sunt & pullus, habentes quidem super se vestes Apostolicas, sed ad Christi imperium procedentes. Per hos designantur boni & deuoti religiosi seculo renuntiantes, qui per doctrinam Apostolorum ad Christum vocati, monasterium intrant, iugum eius suaue & onus leue super se regulariter tollunt, castitatem amantes, obedientiam seruantes, & sub disciplina prælatorum viuentes: frenum silentij in ore tenentes, & dorsum suum ac collum ad correctionem, sub virga humiliter incuruantes: & hæc omnia propter Christum, qui eos de seculi vanitate vocauit, ac suo seruitio mancipauit, piè & libenter per totius vitæ suæ tempora supportantes.

4. Qui verò in via iuxta regem ambulant, Apostoli sunt; & hi vultum eius raptim ex latere vident. Isti sunt viri contemplativi, à mundanis actibus penitus segregati; solitudini & silentio maximè dediti; orationi, lectioni sacræ, meditationi frequenter intendentes; & per crebra suspiria ad cælestia æstuantes, summo desiderio Christum in gloria sua videre cupiunt: atque ex speciali gratia intimè recollecti, & supra se quandoque in spiritu subitò leuati, faciem Christi quasi ex latere modicè contemplatur. Nam præ magnitudine dulcedinis eius, omnia visibilia & condita bona, tanquam nihil & nullius momenti arbitrantes, despiciunt; & abijciunt omne, quod à summo bono retrahit, & vocationem Dei impedit.

5. Ex prædictis collige, quòd duo sunt ordines laudantium Dominum; vnus qui præcedit, alius qui sequitur Christum. Et hi omnes vna voce concorditer cantant, omnes Christum in carne venisse prædicant; & Christum regem ex semine Dauid natum confitentur. Per istos cantores cõgruè designãtur ministri sanctę Ecclesiæ, ad psallendum & celebrandum diuinũ officium ordinati; qui de historijs veteris ac noui Testamenti, post hymnos & alia cantica ad laudem Dei edita, certis temporibus resonant; & alacri corde & ore canentes, ad cælestia promissa se & alios erigere studeant, ne ex tædio & labore præsentis vitę fatigati, à peruentione cælestis Hierusalem tardentur; quò nos hodie Christus rex Israël conditor noster, sponte præcessit per crucem. Vnusquisque pro suo statu & ordine & officio, propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Debet ergo quilibet fidelis seruus Dei, siue clericus sit, siue monachus tonsuratus, aut Sacerdos beneficiatus, multum diligens esse & alacer, ad cantandum in Ecclesia in conspectu Christi & Sanctorum; & capiat exemplum

emplum de pueris Hebræorum, qui Christum laudabant excelsa voce, vsque in altissima cælorum. Quoties namque clericus seu monachus minùs viuaciter in choro psallit, aut vocem subtrahit, vel etiam vanis phantasijs occupatus aliena reuoluit, & ad singula verba diuina negligenter attendit: toties pretiosam margaritã de corona capitis sui perdit, & pulchram ac bene redolentem rosam, de sanctuario Dei ab inimico furari & exportari permittit. Caueat ergo religiosus choralis, Christi titulo insignitus, ad psallendum & orandum à Deo deputatus; vt quàm citò ad horas canonicas pulsatur, ne tardè ad chorum veniat, ne cum tædio ac vaga mente ibi consistat. Ne fortè hostis versipellis latenter intret, & psalmum de ore vel sensum de corde tollat. Ne meritum sancti laboris per incuriam perdat, & Christum ac Angelos sanctos offendat, eo quòd debitum suum malè persoluit. Hæc pro laude & cantu bonorum puerorum, ad excitandam deuotionem omnium religiosorum.

6. Sed iam vlteriùs libet inspicere habitum & apparatum humilis regis nostri, super pullum asinæ sedentis; qui cùm esset in medio populi gaudentis, non risum ostendit, sed fleuit. Nusquam in tota veteris Testamenti pagina, inuenio aliquem de regibus Israël vel Hierusalem tam humiliter equitantem, aut sine armis bellicis & tubis sonantibus, contra hostes properantem. Nusquã etiam in tota vita Christi tale aliquid gestum reperio, quale nũc hodierna die Saluator noster coram tanta multitudine concinẽtium populorum gessit. Ideoque stupendum nimis tam insolitæ rei factum. Legitur denique, quia Iesus frequenter ibat per ciuitates & castella, prædicando verbum Dei, etiam ex itinere fatigatus fuit: sed tamen non percipio, quòd alicuius iumenti obsequium sibi adhibuit, vt commodiùs sederet, aut citiùs ad locum optatum perueniret. Sed quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius in hoc facto fuit? Credo, & aduerto istud diuinum esse consilium, vt impleretur sacrum Prophetæ verbum diu ante prædictum: quia in humili habitu & spiritu mansuetudinis, rex Israël Christus erat venturus. Multi fortè ignorabant, de quo Propheta dicebat. Sed quando Christus per semetipsum opere compleuit, quod Propheta priùs verbis ad literam expressit; tunc indubitanter creditum est & bene intellectum, quia de eo scriptum erat: *& hæc fecerunt ei*, vt beatus Ioannes testatur. Venit ergo Christus rex, regum Dominus, non in manu potenti ad terrendum homines, sicut faciunt seculares principes: sed ad dandum exemplum humilitatis, per quam faciliter tenderent ad cæleste regnum. Est enim magna distantia inter regem cæli & mundi, inter pauperem Christum *Ioan. 12.*

3. Reg. 1. & diuitem Salomonem. Nam Salomon regnaturus in Hierusalem positus est super mala regis Dauid: Christus autem pugnaturus contra diabolum, sedebat super pullum asinæ. Ascēdit ille tubis sonantibus, iste pueris canentibus. Ille lætatus est regalibus phaleris indutus, iste fleuit propter periculum ciuitatis, in qua regnauit Dauid triginta tribus annis. In quo quidem facto se ex genus Dauid pertinere monstrauit: qui patrum suorum hæreditatem vendicans, templum Salomonis intrauit: quod etiam gloriosis signis & doctrinis illustrando honorauit, ægros sanando & populum docendo. Vnde & populus in aduentu Christi regis sui, multum congratulans clamabat: Benedictum, quod venit regnum patris nostri Dauid: Osanna in excelsis.

7. Sed mirum videtur, quomodo populus simplex & indoctus de tam paupere rege non erubuit, nec de vili habitu suo offensus fuit. Nihil enim in eo de regia nobilitate foris claruit, sed sicut antea nudis pedibus & intecto capite incedere cōsueuit, ita nunc sine ornatu regio in vrbem regiam pergit. Nec in eo scandalizati sunt, quia pauper aduenit: sed mentis oculos ad signa deitatis fixerunt, & plus de simplicitate habitus ædificati sunt. O Hierusalem, intuere humilitatem regis tui, & mansuetudinem, & iustitiam, atque paupertatem, super cunctos reges terræ. Quia ecce venit sine armatura virorum fortium, sine sonitu tubarum, sine equis & mulis, sine gladio & lorica, sine clypeo & lancea, sine arcu & sagitta; sine corona aurea, sine mitra, sine infula, sine cingulo, sine pallio, sine pileo, sine caputio, sine ocreis, sine freno, sine calcaribus, sine vexillo, sine sceptro, sine omni tumultu seculari & pompa militari. Omnia enim ista ad eius curam & vsum non pertinent, qui contemptum mundi verbo & exemplo prædicare veniebat. Assumpsit autem in equitatu suo animal vile & subiugale, in signum paupertatis & innocētiæ: vt ex humili gestu suo pius & amabilis magis appareret, quàm rex terribilis & Dominus austerus. Associauit sibi pauperes & inermes homines, dimisit diuites & potentes: quia regnum suum non erat de hoc mundo, sed de cælo ab æterno. Habuit multa contraria terrenis regibus & principibus: quia venit vocare humiles & pauperes, quales erant eius discipuli; quibus promisit dare regnum Dei, quod nemo poterit eis violenter auferre. Ad quod nos perducere dignetur per gratiam suam Iesus Christus, saluator mundi, rex gloriæ: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

VIGE-

VIGESIMA-NONA.

De equitatu Christi, non in curru Pharaonis, sed in asello humilitatis.

1. *Ite in castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi.* Quid est hoc dulcissime Iesu, rex meus, & Deus meus: quòd discipulos tuos pro asino mittis, & non pro aliquo equo, ad obsequendum tibi in via ista, quam sæpe nudis pedibus ambulasti? Cur te pauperem & inopem in omnibus ostendis, cuius sunt omnia in cælo & in terra, tam homines quàm iumenta? Cùm natus esses in Bethleem Iudæ, non grande palatium quæsisti, sed vile stabulum ad commorandum, & angustum præsepe ad quiescendum: & nunc pergens in Hierusalem, mittis pro asino tibi breuiter concedendo. Miror nimis & condoleo paupertati tuæ, quòd rex omnis terræ ita innocenter agis, & sine regali habitu procedere gestis. O Deus, nõ erat aliquis ex omnibus amicis tuis in Bethania & in Bethphage, quĩ currũ tibi præpararet, aut equum vnũ concederet: vt vel sic honestiùs in Hierusalem equitares, & asinum istum relinqueres? Quis ex regibus sic fecit? Legitur in libris Regum, quòd Salomoni adducebantur multi equi de Ægypto magno precio empti: & quomodo accidit, quòd nec vnus equus remansit, ad vsum aduentus tui? Rarum & nouum spectaculum, à seculo inauditum, regem seculorum in toto exercitu suo non habere vnum equum, ad equitandum per breue spatium: sed tantùm pullum asinæ, super quem nullus hominum sedit; qui nec sellam ad sedendum habuit, nec frenum ad tenendum. O mira Dei clementia! sessor aselli fieri dignatus est author seculi, cùm ad inclytam pergeret Hierosolymam. *Matth.* 21. 3. *Reg.* 10.

2. Sed multæ sunt causæ, & valde rationabiles & virtuosę, quare asinum conscendit, & non equum. Egit hoc Christus sapientia Patris, vt prophetia de aduentu suo impleretur non tantũ verbis mysticis, sed etiam aliquo exteriori facto monstraretur hominibus pro testimonio dando. Exemplum etiam maximum in hoc dedit veræ humilitatis & sanctæ paupertatis, ad comprimendam hominum superbiam & auaritiam: qui in honoribus & diuitijs ac magna familia delectantur, quærendo gloriam temporalem & cõmoda delitiarum. Si enim rex noster Dominus Iesus Christus in comitatu suo pulchrum equum habuisset, quis tam pauper esset, qui equitare non ambiret, & diceret, quia Christus sic fecit? Quare ergo mihi non licet? Proni sunt enim sensus hominum in malum, & ferè omnes anhelant ad altum statum. Nunc

autem Christus rex humilis & mansuetus, contentus fuit venire in asino, sicut prædixit Spiritus sanctus de eo; qui super humilem & quietum requiescit, & colla superborum & sublimium propria virtute calcat; qui dorsa regum subuertit, ac mentes peruersas & fictas declinat. Rex igitur noster, Deus ante secula, & homo natus in fine seculorum, talē se voluit hominibus exhibere in omni verbo, actu & gestu suo, à natiuitate vsque ad horā mortis: vt esset omnibus exemplum virtutis & sanctitatis, tam subditis quā prælatis. Ostendit viam veræ humilitatis in apparatu magnæ paupertatis, per quam ad cælestem Hierusalem recto itinere posset ascendere etiam quilibet pauper, sine equo, sine curru, sine asino, sine mulo, sine pera, sine pecunia, sine prælatura, sine byssо, sine purpura. Siquidem huius sancti itineris, ipse ductor, comes, & præcessor; ipse tutor & gubernator, qui à Patre missus venit in hunc mundum, vt planam & leuem faceret viam humilitatis, qua securè venitur ad cælum.

3. Attendant hæc pauperes, & lætentur: audiant mites, & consolentur: quia ad consolationem pauperum rex noster Dominus Iesus Christus, cùm esset diues & omnium princeps, pauper pro nobis factus est & patiens: vt sua paupertate nos diuites faceret in gratia, & de exiguis magnos in gloria. Ipse igitur in similitudine pauperis venit ad homines, pauper vixit inter homines, pauper obijt pro hominibus. Non habuit ciuitatem, neque castrū, neque domum propriam in hæreditatem præclaram: & tamen à pauperibus & simplicibus hodie honoratus est, & rex Israel altis vocibus appellatus. Denique, vt cunctis mundi principibus paupertatis suæ nobilitatem innotesceret, atque amabilem faceret, pro equo superbiæ habuit pullum asinæ; pro ducibus & militibus, pauperculos discipulos, piscatores indoctos; pro armigeris & scutiferis, populos simplices, sutores & textores: pro cantoribus & tubicinis, pueros innocentes, osanna clamantes: pro gladijs & fustibus, ramos de palmis & oliuis: quæ erant signa lætitiæ & pacis, non pugnæ neque litis. Venit itaque Christus rex nobilis & pacificus æterni Patris vnicus & dilectus filius: pacem cupiens reformare inter Deū & homines, inter Angelos & peccatores, inter Iudæos & Gentiles. Noli ergo timere filia Sion, sed gaude & lætare Hierusalē, ciuitas sancta: quia nō venit te castigare, sed pro peccatis tuis orare: non legē soluere, sed adimplere: non locum destruere, sed à diabolica potestate eripere: non contendere verbis, sed instruere moribus: non aliquem opprimere per potentiam, sed saluare per clementiam: non quærere vindictā pro iniuria sibi facta, sed venit pati crucem & mortem pro iniquitate commissa. Intellige ex miraculis eius, quantum eminet

san-

sanctis omnibus Patriarchis & Prophetis. Et crede, quia verè est Dei filius. Patri coæqualis, pro salute mundi ex virgine natus, pro redemptione omnium moriturus.

4. Considera ex operibus humanitatis eius, quia mitis est & humilis, gloriam mundi spernens, opprobria sustinens, pro malis bona retribuens. Ecce, qualis ipse, tales & serui eius. Elegit milites & barones ornatos virtutibus, non vestibus preciosis: qui sciunt contra diabolum orando certare, carnē ieiunando subiugare, & seculi diuitias & honores contemnendo vincere; sicut ab ipso didicerunt, & alios multos spiritualiter bellare docuerūt. His adiuncti sunt boni pueri, à malitia & cōtentione alieni, cāntantes & laudantes nomen Domini, quoniam magna est gloria Domini. A maiore enim vsque ad minorem, omnes in laude & gratiarum actione versantur; atque in conspectu & aduētu regis sui, exultant corde, plaudunt manibus, tripudiant vocibus altius, benedicentes Deum super omnibus virtutibus & signis, quæ viderant & audierant de Christo rege in finibus suis. O quā stupenda & laudabilis fuit ista deuotio, quàm iucunda mentis iubilatio, cùm humilis Iesus æterni regis filius, deducitur à pueris innocentibus in templum Salomonis, & in locum tabernaculi admirabilis. Vbi in figura suæ benedictæ passionis, offerebātur hostiæ pecuales à sacerdotibus Moysaicæ legis; qui tamen non potuerant perfectè quempiam mundare à delictis, secundùm iustitiam carnis; sed secundùm fidem offerentium, de spe in Christum donandæ salutis, firma expectabatur remissio & cōsolatio humanæ redemptionis. Nam post istam processionem, & magni honoris exhibitionem, paucis diebus transactis, ampliori confusione & pœnis est repletus, quàm vnquam prius à turbis fuerat honoratus. Denique, multis iniurijs & verberibus affectus, in cruce est suspensus: vt veritas patesceret assumptæ carnis, & figura impleretur hostiæ legalis, de immolatione agni paschalis.

5. Hæc igitur duo opera Christi, processio videlicet & passio, recoluntur vbique hodie in sancta ecclesia: & habent in se magna mysteria, à sanctis doctoribus sufficiēter expressa. Nam status sanctæ ecclesiæ in his duobus designatur; quæ per prospera & aduersa solet à Deo frequenter exerceri. Processio, quæ lætitiam præfert, ideo fit & celebratur cum ramis palmarum, ad excitandum corda fidelium in amorem cœlestium gaudiorum. Sed ista processio tunc perfectissime implebitur, quādo omnes sancti excitati à mortuis occurrēt Christo in aëra cū corporibus gloriosis. Tunc Angelis canentibus, intrabunt electi in sancta sanctorū, tenentes palmas in manibus, & lāpades ardentes oleo plenas.

Tunc recipient singuli præmia æterna, pro laboribus & meritis suis, contenti optimè in mansionibus à Deo sibi paratis. Passio autem, quæ processionem sequitur, hoc indicat. Quia per crucem & passionem Christi, & per multas tribulationes pro Christo via nobis ostenditur, qua ad regnum Dei post mortem peruenitur. In quo cum Christo in æternum gaudebunt, qui nunc passionem eius deuotè recolunt, ex compassione gemunt, ex amore lachrymas fundunt; ex imitatione carnem macerant, pro gratiarum actione preces offerunt: Missas libenter audiunt, cum metu & reuerentia celebrant; à vanis & ociosis abstinent, diuinæ gratiæ per cordis custodiam se præparant; & in commemoratione passionis Christi, sedulè ac tristè meditando, legendo, laborãdo, sustinendo, piè in eo animum exercitant: vt Christi passionibus in præsenti medullitus conformati, in futurò celsiùs glorificentur. Cùm enim venerit Christus remunerare labores omnium electorum suorum, tunc omnes absterget lachrymas ab oculis eorum. Processio præsens breuem habet lætitiam, sed processio futura sanctorum, perennem obtinet laudem. Nulla quippe festiuitas solemnior, nulla societas iucũdior, nulla delectatio maior, nulla contemplatio excellentior, nulla felicitas dignior; quam Christum videre in gloria sua cælesti, cum Angelis sanctis, congregatis in superna & beatissima ciuitate Hierusalem; omnibus electis in secula seculorum cum Christo regnaturis; impijs & infidelibus, æternis ignibus cum diabolo traditis ac iustè damnatis. A quibus malis nos custodiat & præseruet, sed cum electis suis potiùs congreget, & ad dexteram in regno suo constituat, qui per passionem & crucem nos redimere dignatus est Iesus Christus Dominus noster. Amen.

TRIGESIMA.

De resurrectione Christi, & spirituali consolatione anime.

1. RESurrexi, & adhuc tecum sum; Alleluia. Vox Christi est ad Ecclesiã, & ad quamlibet fidelem animam, de eius passione nimis tristem, & quasi omni consolatione priuatam. Hãc igitur Christus à morte resurgens, in spiritu alloquitur: hanc iucundo oris sui affatu benignissimè consolatur, dicens: Resurrexi, & adhuc tecum sum. Non sum tui oblitus, sed memor sponsionis meę, tanquam victoriosissimus mortis triumphator tibi appareo, & æternæ felicitatis gaudia denuntio; quatenus mihi congratuleris de ineffabili resurrectionis gloria, quã recepi: quia hanc nunquam amissurus sum, nec vltra moriturus. Multum quidem hesterna die de passione mea doluisti & fleuisti, sed iam noli diutiùs flere,

flere, quia resurrexi verè; & adhuc tecum sum præsentia maiestatis, qui passus fui ex infirmitate carnis. Iam altiori gloria coronatus, & immortalitatis lumine sum amictus, qui pridie pepẽdi in cruce, morte turpissima condẽnatus. Iacui triduo in sepulchro, sed nunc viuo ego, dicit Dominus redemptor tuus, vt tu viuas propter me.

2. Ego hodie resurrexi à mortuis, per gloriam Patris & tu resurges in nouissimo die cum electis meis, virtute diuina de tumulo excitandus, & pro meritis tuis coronandus. Iubila ergo in voce exultationis, & cum magna gratiarum actione persolue deuota cantica laudis alleluia canendo, atque teipsum ad superna festa erigendo. Corde & voce simul lætare filia Sion, quia trãsijt hora temporalis tristitię, & redijt dies perennis lætitiæ, spes gloriæ tuæ futuræ. Tristentur Iudæi, qui me crucifixerunt: confundantur Gentiles, qui me deriserunt: timeant omnes, qui in me credere noluerunt. Lętentur verò fideles, qui me diligunt: consolentur vniuersi populi, qui meam passionem audientes doluerunt & fleuerunt. Accedant ad me discipuli, qui dispersi fugerunt, & inter tormenta me reliquerunt. Veniant ad me humiles & deuoti, procedant sacerdotes & ministri albis induti. Accedant ad mensam meam, cum summa reuerẽtia singuli Christiani: & celebrent omnes populi hanc diem paschæ, in qua resurrexi.

3. Ego enim sum resurrectio & vita. Ego sum panis viuus de cælo descendens, qui præsto vitam mundo. Ego sum pastor bonus, qui pasco oues meas simplices & obedientes, voluntatem propriam relinquentes, & meam in omnibus sequentes. Ego sum manna absconditum, gaudium Angelorum, pascha Christianorum, felicitas Sanctorum: Angelos aperta visione lætificans, & homines in terra sacramento meo communicans. Noli ergo turbari, quasi in mũdo despectus. Noli contristari, quasi à Deo derelictus. Noli timere, quasi ab inimicis vallatus. Nõ te deserui, nec deseram. Non te abieci, nec abijciam. Sed in multis te probabo, & per varias tentationes te ducam, & quasi aurum igne examinabo te & purgabo. Et in tempore tribulationis apparebo tibi, & cõsolabor te præsentia mea: deuotionis gratiam infundẽdo vino compunctionis primò te potando, deinde oleo lætitiæ vngendo: vt lachrymas fundas, & mirabilem dulcedinem sentias, ac totus igneſcas & liqueſias. Sic sic consolabor lugentes super me, in hac lachrymarum valle, qui à leuitatibus se auertunt, & ad interiora sua conuertuntur. Cura mihi est de te, & oculi mei ad fideles meos; vt sedeant mecum in regno Patris mei, & videant claritatem meam, quam æternaliter habui, & amicis meis præparaui. Dabo eis mercedem plenam, quando ex mortuis resurgent etiam

ipsi

ipsi glorioſi & incorrupti. Propterea mortẽ pertuli, infernũ confregi, diabolum vici, ſanctos patres de limbo eripui, paradiſi portas aperui, vt omnes electos in æternã beatitudinẽ introducerem.

4. Sed non ęſtimes te ab hac alacritate diſcretum, nec à felici Sanctorum ſocietate alienum. Quia licet adhuc mortalitate circundatus es, & inter tentationes viuis; tamen poſtea viſione mea perfrueris, ſi fidelis & conſtans permanſeris, vſque ad finem veſtigia mea ſequendo: ſicut & ego permanſi in dilectione Patris mei, vſque ad mortem obediendo. Eſto ergo fortis in tentatione & patiens in omni tribulatione, vt conſors fias æternæ gloriæ meæ: Nec deſperes quacunque aduerſitate imminente, & omni humana conſolatione recedente. Non ſoleo triſtem prætereire, nec orantem ſpernere, ſed ad me clamantẽ cũ gemitu clementer exaudire. Probo certantem, coronabo perſeuerantem. Permitto ad modicum tribulari mihi dilectum, & dum minus æſtimat, aut indignum ſe reputat aliquo ſolatio, ſubitò appareo, & illumino ignorantem. Feci ſic cum diſcipulis meis, & cum dilectis viſitatricibus ſancti ſepulchri mei. Nam illi in triſtitia magna fuerũt, omnem ſpem perdiderunt, nullum ſolatium ſciebant, quid agerent, quóve abirent, ignorabant. Nil dulcius eis interim erat, quã amarè, flere, & ſæpiùs quærere, ſi aliquid de me percipere potuiſſent. Sed dum omne humanum auxilium defecit, affluit mox diuinum. Et multo feliciùs eis contigit, quàm æſtimare potuerunt. Nam feci Angelos meos præire, qui bona noua dicerent, ne diutiùs inconſolati remanerent; ſed erecti in ſpem vitę, regem gloriæ expectarent.

5. Diſtuli igitur citò apparere, vt deſiderium quærendi creſceret, & purgatiores ad videndum fierent: quatenus me viſo, ampliùs gauderent, deuotiùs conſtringerent, & reuerentiùs adorarent. Sciebam tempus & modum conſolandi triſtes, & quantum capere poſſent mortalium mentes. Non ergo deſpexi vota piorum, nec recuſaui laborem afflictorum: ſed probaui fidem, inſtruxi ignorantiam, confortaui puſillanimitatem, accendi amorem, repuli timorem. Igitur flendo, orando, quęrendo, pulſando, perſeuerando, meruerunt videre quem deſiderabant. Et ego impleui verbum meum, quod prædixi; *Quia iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Tu ergo hæc audiendo, prępara te ad deuotionis gratiam: expecta patienter donec veniam, & iterum viſitem cor tuum, ab omni moleſtia te liberando, & in nouæ exultationis ſtatum perducendo. Tunc poteris lætanter pſallere & experimentaliter cognoſcere, quàm verus & iucundus ſit introitus iſte. Reſurrexi, & adhuc tecum ſum. Alleluia.

Ioan. 16.

TRI-

TRIGESIMA-PRIMA.

De gaudio Dominicæ resurrectionis.

1. *Hæc dies quã fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Ma- *Psal.* 117.
gnum quidem gaudium spirituale administrat nobis tam solemne festum Paschale. Gaudendũ est igitur in eo, non secundùm carnem, neque secundùm seculi vanitatem, sed secundùm Deum, in azymis sinceritatis & veritatis. Iam amplior gratia est petenda, & puritas sincerior obseruanda. Iam per nouæ conuersationis studiũ, in cæleste desiderium animus est transferendus. Fecit enim nobis Dominus (iusta de causa) hunc diẽ celeberrimum atque sanctissimum, ad lætandum in eo præ omnibus festiuitatibus anni. Dicant nunc omnes, dicant singuli: Aue clarissima dies, quæ illuxit nobis, post terras inferi noctes. Ipse nãque Dominus noster Iesus Christus, Rex gloriæ, & princeps regum terræ, hodie resurrexit à morte; & omnibus in se credentibus per orbem fidelibus contulit spem vitæ æternæ. Eo siquidem resurgẽte cum carne, quam sumpsit de Maria virgine, & pro nobis obtulit in cruce, deletum est chiropraphum damnationis nostræ, & æternitatis nobis aditus deuicta morte reseratur. Aperi ergo os tuum anima deuota, & canta voce sonora cum vniuersa Ecclesia catholica, in vera cordis lætitia: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Alleluia. *Ibidem.*

2. O verè dulcis & notabilis versus, qui tam iucundè psallitur, tã sæpè in horis canonicis repetitur, & suis notulis deuotionem excitat, & dispersos recolligit, & ad amorem Christi auidissimè trahit. Ausculta igitur non tantùm melodiam foris bene sonantem, sed sensum sanctorum verborum animaduerte intus latentem; & per dulcedinem cantus ascende ad interiora mentis, ne perdas fructum laboris per claritatem vocis: qui in Spiritu sancto iuberis Deo psallere, & soli Domino in corde iubilare. Beatus qui in his bonis versatur, & totam intentionem suam ad interni festi gaudia conuertit, quatenus per temporalia festa ad æternam gloriam tendat, sicut Apostolus dicit: *Si consurrexistis cum Christo,* *Coloss.* 3.
quæ sursum sunt, quærite: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Nescio, quid lætius & festiuius in toto anno cantatur, quàm quod in his diebus paschalibus agitur. Nam vox & cantus omnium, alleluia crebriùs resonant, & omnia cum alleluia terminantur. In qua re figuratè nobis indicatur, quid in æterna vita acturi sumus: quando de præsentibus ærumnis erepti, & in cœlestem requiem translati, Deum laudabimus cum Angelis sanctis in æternitate summo bono repleti. Dignè ergo ac

vene-

venerabiliter cælum & terra, cum omni plenitudine sua, in resurrectione Christi lætantur, & Deum laudare iubentur: per quem nobis tam preciosa bona spiritualium charismatum collata sunt & adhuc maiora & altiora in fine reddentur.

3. Ecce iam elementa hyemali frigore constricta paulatim se aperiunt, & ad sequentem festiuitatem quadam vernali amœnitate se disponunt. Terra namque diu sterilis & inculta fœcunditatem virtutis suæ patenter ostēdit, ac læta gramina parit. Arbores & virgulta suauissimos flores emittunt, & virentibus foliis tāquam nouis vestibus adornantur. Volucres cæli gelu tristi tersō dulciter iubilant, & per agros ac nemora volantes, serenitatem aēris ac vbertatem messis redire congaudent. Sol & luna astraque superna clariùs sua lumina spargunt. Nulla quippe creatura iam cernitur, quæ Christo resurgenti sua renouatione non applaudit. Cùm ergo tanta iucunditas est in elementis, quanta exultatio debet esse Angelis & hominibus, cæteris creaturis mundi præla-
Psal. 117. tis? Verè hæc est dies, quam fecit Dominus; sicut apertissimè nobis ostendit per scripturas, per figuras, per prophetas, per Angelos, per Apostolos & Doctores, eius resurrectionem contestantes & prædicantes. Et vbi omnia concinunt, & tam summa quàm infima idem affirmant, nullum iam dubietatis motiuum debet in corde residere: quia omnipotens Deus potens est, supra id quàm intelligere valemus, plenissimè facere, & de non ente nouum effectum producere.

4. Igitur Christum in carne nunc glorificato, & vniuerso mūdo denuo renouato: & tu homo mortalis glorifica Deum, & renouare in spiritu mētis. Gratias age semper redemptori tuo, pro donis suis immensis, tibi & vniuersis fidelibus distributis. Erige sursū oculos cordis, intuere iter, quò præcessit Iesu salutare vultus tui: sequere eū passibus amoris, vsque ad introitū cæli. Habes enim ante te speculum omnis sanctitatis, & lumen vitæ cælestis: securè gradere post Iesum, æternæ beatitudinis largitorē, cæli & terræ dominatorem. Nemo sanctior illo, nemo purior, nemo præclarior, nemo ditior, nemo potentior. *Data est mihi*, inquit, *omnis*
Matth. 29. *potestas in cælo & in terra.* Igitur fides tua in Christo Iesu firmiter stet, spes floreat, charitas tripudiet. Viriliter age & confortare; pugna contra carnem, contra mundum, contra diabolum & Angelos eius, nullius aduersæ potestatis impetum formidando. Vicit enim leo de tribu Iuda, cuius iræ nemo resistere potest, nemo manus eius euadere quibit, quia omnia subiecta sunt pedibus eius. Nunc cælum gaudet, terra plaudit, Satan dolet, mors fugit, nec vltra dominabitur Christo. Sub tali igitur rege tutū est militare: sub tali pastore iucundū est stare, pasci & informari, subijci

& gubernari, qui nullius indiget, & omnibus bonis abundat.

5. Imitare ergo & tu regem regum, Dominum Deum tuũ resurgẽtem à morte; vt de cætero ambules in nouitate vitæ melioris, calcando vitia, obliuiscendo mala prẽterita, non ad solitas ineptias reuertendo, sed ad cælestia desideria feruentius te erigẽdo. Nam Christus deuicta morte nõ redijt ad inferos, sed visitatis necessarijs amicis suis in terris, ascendit lætanter ad cælos, supra Angelicas potestates formam serui librans & exaltans; per gradus humilitatis, & debitæ subiectionis ministerium, docens ascendere in gloriam æternæ felicitatis. Si igitur desideras cẽlitus consolari, & cum Angelicis spiritibus perpetuò lætari, fuge carnalem delectationem, quæ generat mortem; quære spiritalem animæ refectionem, quam Christus præparauit accedentibus ad precioſi corporis sui mensam, omnibus corporalibus epulis dulciorem. Nisi enim verus homo cũ actibus suis totaliter exuatur cælestis dulcedo intrare non potest. Et nisi caro fuerit spiritui subiecta, & omnis terrena cura postposita. Paraclitus promissus non veniet, nec agni paschalis esus intus reficiet. Vt ergo interiora nostra plena sint gaudio spirituali, omnis malitia & nequitia tolli deberet à corde: vt quasi modò geniti infantes, ambulemus in nouitate vitæ, lachrymis abluti, & stolis albis induti. Sint proinde mores nostri humiles & maturi, oculi stabiles, & affectus puri, voces alacres, aures ad diuina verba erectæ, & omnes sensus vndique bene muniti. Adsunt enim Angeli sancti ministri Domini, considerantes actus nostros: quis citiùs surgit, quis deuotiùs orat, quis alacriùs psallit, quis Iesum feruẽtiùs quẽrit. Absint ergo rumores sæculi, vitẽtur fabulæ leues, sint sermones ædificatiui; vt dent gratiam audiẽtibus cũctis, & pro his benedictionem bonæ collationis recitator mereatur. Replicentur gesta Saluatoris de Iesu Nazareno, bonus rumor in medium veniat, qui omnes lætificet & delectet.

6. Crucifixus à mente non recedat, Christus resurgens vbique occurrat. Et si nondum oculis cernitur, crebris tamen gemitibus secretè tangitur: & donec se reuelauerit oranti, à monumento eius non recedatur. De Angelis sanctis inquisitio fiat, qui clara eius visione semper fruuntur: vt ipsi nobis indicent, vbi Dominus sit; aut orent pro nobis, quatenus tristibus apparere dignẽtur; vt sua dulcissima gratia, mœrentium corda consoletur. Vtinam Domine Iesu, accendere digneris cor meum, ad quærendũ te cum Maria diluculò; & in fide confortare, qui insufflando Spiritum sanctum Apostolis dedisti. Aperi mihi sensum scripturarum, & in omnem, sicut promisisti, induc veritatem: qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRI-

TRIGESIMA-SECVNDA.

De mystico Paschæ nomine, & nouæ vitæ conuersatione.

1. Cor. 5. 1. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Sacrum Paschę nomen celeberrimum est & notum apud fideles, cuius mysterium honorari maximè debet inter Christianos. Pensemus igitur omnes, quid pro nostra salute gestum est & institutum. Designatenim Paschæ vocabulum Domini transitum: quia Christus hac die de morte rediit ad vitam, de mundo migrauit ad cælum, vt doceret nos terrena despicere, & amare cælestia. Altas igitur laudes debemus cælesti Patri, qui conuiuificauit nos in dilecto filio suo, in carne passo & crucifixo, cuius liuore sanati sumus, & ab æterna morte eius innocenti passione liberati, atque iterum de glorioſissima resurrectione eius magnificè lætemur.

2. Præcesſit dolor diræ mortis in Christo, soluens inimicitias præuaricationis antiquæ, & omnes abluens maculas culpæ nostræ. Sequuta est inenarrabilis lætitiæ dulcedo, & gloriæ perennis celsitudo: quæ omnibus in Christo per baptismum renatis dabitur post huius mundi exilium, tanquam reuertentibus ex Ægypto ad paradisi gaudium. Nam per veri agni immolationem, liberatus est spiritualis Israël de captiuitate diabolicę dãnationis: & nouus Dei populus, in libertatem cęlestis habitationis transijt. Quia Christus resurgens ex mortuis, verus pascha in nouum conuertit, & temporalem vitam transtulit in sempiternam. Bene ergo Apostolus dicit, & sancta mater Ecclesia gaudenter vbique decantat; *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Semper igitur memores esse debemus dolorosę Christi passionis, nec nó tam iucundæ eius resurrectionis, pro consolatione nostræ mortalitatis. Vt per patientiam multarum tribulationum pro Christo, spem habeamus & fiduciam perpetuè regnãdi cum ipso. Studeamus nunc in hoc sancto & læto tempore, in nouæ conuersationis desiderium resurgere: & cum spirituali gaudio, laudes Deo iubilare. Potens est enim Christus nos amplius iuuare, & in cælestis vitæ desiderium feruentius inflammare.

Ibidem.

3. Obscurat autem claritatem festi paschalis, quicunque ad esum carnium magis anhelat, quàm ad communicationem precioſi corporis Christi; in quo fons totius suauitatis & refectio animæ continetur. Quoniam quidem sine hoc sacratiſsimo cibo, inops est & arida omnis mensa diuitis lautè parata. Sicut enim melior est anima omni corpore, ita Christus, qui est cibus animæ, excellit omnẽ saporem in suauitate. Et quamuis iam propter dominicæ resurrectionis solemnitatem amplius sit exultandum,

&

& meliores cibi licentiùs concedantur: debet tamen vsus epularum esse moderatus, & cum timore Dei appetitus carnis refrenari. Hoc enim prodest corporis & animæ saluti, & aptior fit homo ad laudes Dei. Non ergo te vincat concupiscentia carnis, sed per deuotionem mentis vince in virtute Spiritus sancti, quicquid corporalis delectationis tibi per sẽsus occurrit. Beata illa anima, quæ odore vnguentorum Christi trahitur ad cæleste conuiuium degustandum; & cum Psalmista clamat, & dicit: *Delectationes in dextera tua vsque in finem. Satiabor* autem, *cùm apparuerit gloria tua.* Falluntur certè omnes insipientes corde, qui omissis veris & cælestibus bonis, consolationes quærunt in terrenis: & sine freno iusti moderaminis inhiãt multis possidendis. *Non est* (inquit Apostolus) *regnum Dei esca & potus; sed pax & gaudium in Spiritu sancto.* *Psal.* 15. *Psal.* 16. *Rom.* 14.

4. Quis est ergo, qui pascha in spiritu celebrat? qui de vitijs ad virtutes transmigrat: qui de veteri vita & mala consuetudine in nouæ deuotionis statum surgit. Quis est, qui pascha dignè honorat? qui seculares honores spernit, & gloriam Christi in cũctis bonis actibus suis quærit. Quis est, qui hædum ad vesperum paschæ immolat? qui de peccatis suis verè pœnitet, & de cætero peccare desistit. Quis est, qui agnum assum cum lactucis manducat? qui Christum in cruce passum dolenter cogitat, & innocẽter viuendo se castigat. Quis est verus Hebræus, qui mare rubrum transit? qui de sensu carnis ad suauitatem spiritus pergit: & ea quæ retro sunt obliuiscens, ad anteriora se extendit. Quis est verus Abrahæ filius? qui de timore seruili in libertatem filiorum Dei proficit. Quis est verus Iesu discipulus? qui omnibus terrenis perfectè renunciat, & propriam voluntatem suam relinquit. Quis est dignus sedere ad mensam Christi? qui sponte se humiliat pro amore Christi. Quis est aptus intrare regnum cælorum? qui regnum mundi & omnem ornatum seculi contemnit, hic est amicus Dei, ciuis cæli, & dominus mundi. Quis est idoneus contemplari faciem Christi, & penetrare secreta cæli? qui mundus est corde, feruidus in oratione, ac totus internis deditus. Quis Deo dilectus & acceptus? qui abiectus est in oculis suis, & vilipendit omne quod transit.

TRIGESIMA-TERTIA.

De ascensione Iesu in cælum.

1. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum: Alleluia.* Benignissimus Iesus mœrentiũ cõsolator, *Ioan.* 20.

solator, postquam resurrexit à mortuis, per fidelissimam amatr-
cem suam Mariam Magdalenam, nouæ salutis gaudia manda-
nuntiari discipulis suis, de morte sua vehementer contristatis, ita
Ibidem. inquiens: *Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum*
& Patrem vestrum. O verè dulce & cæleste verbum, lætitia &
more plenum! Quid ita iucundum fidelibus ad audiẽdum, sicut a-
censio Domini in cælum? Sicut transitus Iesu ad Patrem, ad in-
terpellandum pro nobis; vt securi veniamus ad eum, quẽ offendi-
mus in multis? Cùm enim peccata nostra separant inter nos &
Deum, quomodo poterimus reconciliari, nisi per mediatorem
Iesum Christum? Per quẽ accessum habemus ad Patrem, qui pro
Ibidem. nobis debitum soluit peccatorum, & præparauit locum ad ma-
nendum secum in regno cælorum. *Ascendo* (inquit) *ad Patrem*
meum & Patrem vestrum.

2. O miranda dignatio Dei ad homines pauperculos, & disci-
pulos fugitiuos, ad oues dispersas; & in desperatione positas! Non
præfert nomen potentiæ suæ: non terret eos comminationis ver-
bo: non improperat crimen læsæ maiestatis, nec obiurgat reos
de scelere infidelitatis. Sed memor innatæ pietatis suæ, prętendit
misericordiam, & suspendit vindictam: atque post grauem ex-
cessum & meticulosam fugam exprimit fraternę dilectionis dul-
Ibidem. cedinem, & charitatem indeficientem ad omnes expandit, ita
inquiens: *Dic fratribus meis.* O melliflua dulcedo indulgentissimi
Iesu, in omni conuersatione sua! Qui cùm potens sit, & grauiter
ab amicis & subditis offensus, non misit tortores suos ad trahen-
dum reos in carcerem, nec ab officio collato aliquem deposuit;
sed tanquam bonus pastor, qui proprias oues diligit, condolet
eorum infirmitati, & cõsulit saluti: nunc quidem per Angelos se
Ibidem. reuelat; nunc per Mariam ex suo nomine specialiter mãdat nun-
tiari tristibus fratribus gloriam resurrectionis suæ, dicens: *Vade*
ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum. Dulcis magi-
ster dulcia loquitur verba: & fratres eos nominat, qui ipsũ prius
offenderant: vt amplius charitatem suam commendet, qua eos
vsque in finem dilexit. Nam primò quidem de seculi vanita-
te eos ad fidem suam conuertit: magna miracula inter eos opera-
tus est; immensa beneficia eis ostendit: viam veritatis eos docuit,
& ad Apostolici gradus honorem præ omnibus Sanctis elegit. Et
hos post tentationis turbinẽ & lapsus infirmitatẽ reuocat ad pœ-
nitentiã, & in feruentiorem sanctitatis erigit statum, atque visio-
nis suæ dignatione lætificat; apertis documentis, & passionis suæ
stigmatibus ostensis, cõfirmat in fide vacillantes, vt fortiùs resur-
gant; præbens eis iter, quòd ascendere debeant ad immarcescibi-
Ibidem. lem gloriam. *Ascendo* (inquit) *ad Patrem meum.* Si diligeretis me,

gaude-

gauderetis vtique in hoc verbo: quia vobis proderit, quòd ascẽdo ad Patrem, qui me misit; vt præparem vobis locum, in regno Patris mei; vbi gaudebitis cum vniuersis electis meis in æternũ. Nolite ergo turbari, nec de recessu meo nimis cõtristemini. Ego pro vobis Patrem rogabo, vt dimittantur vobis peccata vestra. Ego confortabo vos inter aduersa. Ego cõsolabor in huius mundi exilio. Ego coronabo vos in cælesti regno; vbi gaudium vestrum erit plenum, & ab omni hoste securum. Placuit enim Patri meo vobis pauperculis & humilibus dare regnum Dei; qui spretis mundi illecebris, vestigia mea sequuti estis. *Luce 12.*

3. Ex hoc iam tempore, Christo assumpto in Patris gloria, erecta sunt corda Apostolorũ ad cælestia, & sursum magis ire gaudebant: sperantes quòd deposito carnis onere, ipsum sequerentur ad gloriam. Magna siquidem fiducia inerat eis perueniendi ad regnum supernum, qui calcatis infimis pauperem vitam ducebãt pro Christo. Habebant insuper promissum sibi Spiritũ sanctum, cuius munere firmati, nec vincula, nec carceres, nec horrida mortis supplicia, pati timuerunt. O felix & glorioſa ascẽsio, qua humana natura super omnes Angelos est exaltata; & ruina perditorum Angelorum, per numerum electorum hominum Christi sanguine signatorum, instauratur.

4. Attende igitur nunc & tu anima fidelis, quæ ista legis, vt Christum sequaris passibus amoris. Quia corporalis Christi ascensio in cælum, spiritalis est eleuatio mentis in Deum. Nõ ergo vltra te delectet inhabitatio vitæ præsentis, sed potiùs inuitet mansio cælestis cum Angelis sanctis. Vbi à laboribus & angustijs cũctis requiescunt animæ Sanctorũ, cõtemplando faciem Christi in secula seculorum. Rumina sæpe dulce verbum Christi, quod dixit discipulis suis ante passionem: *Quia vado parare vobis locum*. Et recordare, quia non habes hîc manentem ciuitatem. Suspira ex intimo cordis propter multa obstacula retrahentia à cælestibus: & pete à malis præsentibus liberari, & ad Christum celeriùs peruenire. Hoc enim multo melius, quàm hic quotidie contra vitia certare, & de varijs periculis semper timere. Clama cum sponsa in Canticis, & dic; *Trahe me post te*. Vbi omnia bona & lætitia sine fine. Sed heu nondũ venit hora ista iucunda, nondũ est tempus regnandi, sed patiendi. Ideo expectare oportet tẽpus remunerationis à Deo præfinitũ, & orare indesinenter, donec adueniat regnum Dei, de quo frequenter loquutus est Iesus cum discipulis, antequam ascenderet in cælum: quatenus auditis promissionibus gloriæ perennis, tolerabilia fiãt certamina vitæ præsentis. Et tanto magis animus inardescat ad cælestia, quanto durius affligitur in hac vitâ. Quia hoc est euidẽs signum in electis, *Ioan. 14. Hebr. 3. Cant. 1.*

pro adeptione perpetuę salutis, si sustineant patienter tribulatiLuce 24. nes & labores pro nomine Christi. Nam oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.

5. Ideoque per patientiam & laborem itur ad requiem: qu Pater nullum recipit in cælum, nisi per passionem & crucem fquutus fuerit filium suum dilectissimum, quem tradidit pro peccatis nostris crucifigēdum. Leua igitur cor sursum, aspice versu cælum, considera quò abijt dilectus tuus. Expāde post eū manu tuas, ora flexis genibus & crebris gemitibus, vt mittat tibi Spiritum sanctum paraclitum in cor tuum aridum & frigidum; qui accēdat & dirigat ad omne bonum alacriter perficiendū. Amen.

TRIGESIMA-QVARTA.

In festo Pentecostes, de donis Spiritus sancti.

Act. 2. 1. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Hodie in sancta Ecclesia, glorioſa, Spiritus sancti solemnitas celebratur. Hodie votiuis gaudijs vbique conuentus fidelium lætatur, chori Clericorum in hymnis & psalmis iubilant, sacerdotes Missas celebrāt: & omnes pariter in aduētu Spiritus sancti, Deum altissimè laudant. Hodie namque Apostoli Spiritum sanctū in linguis igneis manifestè acceperunt, & statim intus per amorem suauiter atserunt, & foris verbum Dei fiducialiter prædicauerunt. Hodie cœpit fides Christiana publicari, & numerus credentium in Hierusalem augmentari. Hodie facta est lætitia magna in populo, & per Apostolos fiebant multa signa super infirmos. Nam ab exordio mundi, non est audita tam larga donatio Spiritus sancti. Hodie sancta Religio & Apostolica vita sūpsit initiū, quę deincep facta est omnium rēligiosorum sanctitatis speculum, & absque proprietate norma in commune viuendi. Hodie sancti Apostoli in charitate Christi ita cōfirmati sunt, & in gratia Spiritus sancti clarificati: vt nullis aduersitatibus frangi, nullis prosperis emolliri, nullis erroribus seduci, nullis rationibus ab integritate fidei valerēt separari. Hodie homines humiles & simplices facti sunt sapientes, & pauperes piscatores efficiuntur magni doctores: & quod in scholis non didicerunt disputando, hoc de cælo acceperunt deuotè orando. Hodie viri illiterati & timorati facti sunt eloquentes & robusti: & qui vnam linguam tantùm nouerant, docente Spiritu sancto, omnium linguarum vocibus theologizant. Hodie homines terreni facti sunt cælestes, & qui erant prius despecti, fiunt omni nationi sub cælo mirandi: & qui pa-

rum

rum vel nihil scire putabantur, ex lege & Prophetis testimonia de Christo proferunt & exponunt. Hodie Angelica vita orta est in terra, & nouum cælum apparuit in mundo: quia de carne ad spiritum, de tepore ad feruorem, de terra ad cælum, didicerunt fideles erigere mentem.

2. O quàm feruentes fuerunt, qui tam paucis contenti erant. Quàm deuoti & obedientes extiterunt, qui Apostolicis consilijs sponte se subdiderunt! Hæc sunt opera Spiritus sancti, qui corda fidelium de diuersis nationibus in vnam fidem congregauit, spe æternorum bonorum ad cælestia erexit, atque amoris sui facibus repentè inflãmauit. Ab his sanctis Apostolis primitiua Ecclesia fundata est, & per orbẽ dilatata, sacris doctrinis imbuta, & multis miraculis valde confirmata. Ab his sanctis Apostolis & Apostolorum sectatoribus, olim sancti eremitæ perfectæ abrenuntiationis formam primitus acceperunt, & plures post se discipulos in exemplum nobis reliquerũt. Ab his etiam Apostolicis viris & Deo dilectis eremitis gloriosus pater noster Augustinus doctor eximius ad contemptum mundi peruenit: qui postmodũ presbyter & Episcopus factus, monasterium clericorum instituit: cœpitque cum multis Dei seruis secundùm Apostolicam vitam in communi viuere; quibus & regulam suam, quam scripsit, tradidit obseruãdam. Simili modò sanctus pater Benedictus, Apostolicæ vitæ imitator strenuus aliam edidit monasticæ disciplinæ regulam, virtutibus plenam; per quam monachi religiosè viuẽtes, feliciter tenderent ad æternę beatitudinis gloriam. Sed & alij quàm plures religiosi viri, gratia Spiritus sancti inspirati, Euangelicæ perfectionis consilia imitari cupientes, in diuersis mundi partibus sacræ religionis ordines instituerũt. Et tantã gratiam à Deo consequuti sunt, vt Apostolicis fulgerent signis, & sanctam Ecclesiam doctrinis illuminarent & exẽplis. Meritò ergo cuncti fideles diem hunc sanctissimum deuotione præcipua honorare debent, & Spiritus sancti gratiam inuocare; vt eius visitatione mereantur imbui & consolari, eius amore accendi, eius rore ab omni vitiorum sorde purgari.

3. Omnes namque sancti & electi ab origine mũdi, huius sancti Spiritus inspiratione ad diuinum cultum tracti sunt, & ab erroribus Gentilium reuocati: & quicumq; charismata diuina acceperunt, in humilitate Deo maximè placuerunt. Adhuc etiam Spiritus sanctus operatur in fidelibus suis multa bona charitatis opera sibi grata alijsque proficua: etsi non aperta miracula, tamẽ frequenter internæ deuotionis præstat solatia. Aperit quoque orantibus & attentè psallentibus, sanctarum scripturarum arcana, quæ sunt cognitionis & dilectionis suę signa verisima. Cõfert &

contra multiformis humanæ fragilitatis tentamenta, ſpiritualis fortitudinis remedia ſancta. Ipſe quippe eſt, qui fideles ſuos pr ſacra eloquia erudit, per prælatos regit, per Sacerdotes ſacramenta miniſtrat; ne in huius vitæ peregrinatione à recto itinere de clinent, & in laboribus deficiant. Ipſe compungit cor hominis peccatis præteritis, arguit de negligentijs quotidianis & mi defectibus: nec patitur morari culpam maculæ leuis, in cõſcie tia animæ fidelis. Ipſe excitat ad innouandum feruorem, ad de uotè orandum, ad ſtudioſè legendum, ad promptè obediendum ad humilia ſectanda, ad exercitia deuota ſeruanda. Ipſe retrahit terrenis, inuitat ad quietem cordis, increpat de verbis leuibus Mitigat iram, expellit libidinem, tollit inuidiam, reprimit gul Suadet vitare accidiam, tenere diſciplinam. Docet quid agẽdum quidve cauendum ſit intus & foris. Ipſe adeſt tribulatis corde conſolatur humiles, erigit puſillanimes; exaudit gementes, miſe retur flentibus, veniam tribuit pœnitentibus.

4. Quotieſcunque igitur tribularis vel tentaris, ad cæleſte au xilium protinus recurre, Spiritus ſancti gratiam humiliter in uoca: omnem anxietatem tuam ei expone, atque totaliter pietati eius te committe. Vt pro ſuo beneplacito & honore, cũcta gra mina tua, ad vberiorem animæ tuæ profectum, miſericorditer ordinet, & ad ſalutarem finem omnia perducat. Ipſe enim omnia nouit, omnia ſcrutatur & penetrat; & nihil ſine cauſa tibi cõtin gere permittit: flagellat & medetur, humiliat & exaltat. Hæc nã que ſpecialis eſt operatio Spiritus ſancti, in hoc fragili corpore multis miſerijs infecto; vt per veram contritionem purgentur maculæ peccatorum; vt mala præterita conuertantur in humili tatem ampliorem, atque bona incepta creſcant ad perfectiora. Quatenus nullum tempus ſine ſpirituali fructu tranſeat, ſed om nis actio, ſermo, & cogitatus, ad honorem Dei & beatiſsimæ Tri nitatis gloriam tendant & perſeuerent. Quæ nobis orantibus largiri dignetur Spiritus ſanctus ſua benigniſsima gratia, qui Apoſtolorum corda largiſsimè impleuit die hodierna. Amen.

TRIGESIMA-QVINTA.

De conſolatione Spiritus ſancti.

Ioan 14. 1. EGo rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Cùm eſſet receſſurus Dominus noſter Ieſus Chriſtus corporaliter à diſcipulis ſuis, promiſit de ſua abſentia contriſtatis ſpiritualem conſolationem ſancti Spiritus: qui nunquam ab eorum cordibus recederet, ſed in æternum cum ipſis permaneret. O quàm beata promiſsio Chriſti, non de lætitia mundi, ſed de conſolatione Spiritus ſancti! Quæ tã precioſa eſt & ſuauis, vt nihil ei cõparari poſ-

posit in rebus humanis. Habebant sancti Apostoli magnã consolationem in humanitate Christi, audiendo palam ex ore eius eloquia diuina, & videndo oculis suis stupẽda miracula. Ideoque non immeritò de suo recessu tristabantur tanquam orphani à dulcissimo eius consortio separandi; timentes inter prauitates & scãdala Iudæorum, sine necessario sibi præsidio derelinqui. Quapropter ipse benignissimus magister, secretorum cognitor, ac præscius futurorum, dilectos discipulos suos ab imminenti tristitia recreat: & pro corporali sua præsentia, spiritualem & permanentem eis consolationem firmiter spõdet. Erant enim tales, qui cælesti consolatione & diuina inhabitatione essent digni, vtpote veri iam contemptores mundi, & perfecti imitatores humilis vitæ Christi. Nam Pater tales amat, Filius pro talibus orat, Spiritus sanctus tales exaudit & illuminat.

2. Vide nunc inæstimabilẽ gratiam diuinæ pietatis, qualiter filius Dei elegit pauperes & simplices in societatem prædicationis suæ, ad conuertendum mundum: quibus etiam pro paruis vilibusque mundi rebus, quas reliquerant, preciosa Spiritus sancti munera gratis donare decreuit. Quare hoc? Vt mundi gloriam spernendam doceret, & humilitatem sibi maximè placere monstraret. His itaque auditis tam diuinis oraculis, ô religiose, fuge honores atque delicias. Postpone curas seculares: & præpara cor tuum ad susceptionem doni Spiritus sancti, orationibus deuotis. Et si iam in bono statu cõsistis, & vias seculi reliquisti: noli iterũ retro respicere, noli præsentibus cõtentus esse, sed ad perfectiora & sacratiora ardentiùs anhela. Et vt capere merearis nũc nouam gratiam, compunctioni insiste; & in cella, quasi in cenaculo, cum Apostolis te conclude. Nam hoc est probabile signum gratiæ Dei præsentis, si quis ad potiora habenda æstuat; si de sua quotidiana defectione intimè dolet; si à multis sibi licitis abstinet: si qualiter in melius proficiat, diligenter recogitat: si nunquã se perfectum in aliquo existimat, nec aliquid dignè peregisse se credit. Oportet namque te omnibus infimis funditus renuntiare, si Spiritus sancti consolatione desideras recreari, si eius vis virtute firmari, si eius cupis amore accendi.

3. Sed adhuc inquirendum, quibus exercitijs Apostoli sancti ad tantam gratiam peruenerunt? Non enim subita conuersione, nec vna tantummodo die, ad tam magnam perfectionem ascenderunt: sed paulatim per incrementa virtutum in schola Christi; tanquam boni discipuli à bono magistro diligẽter instructi, profecerunt. Et primò quidem, omnia sua sponte propter Christum reliquerunt; parentibus & cognatis alijsque mundanis affectionibus renunciarunt: parati cum eo labores & penurias atque

hominum maledictiones sustinere. Vnde ante passionem suam eis dixit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tētationibus meis.* Et Luca 22.
bona initia Apostolorum; quia terrenis nudati, & aduersitatibus probati, Christo perseuerantèr adhæserunt. Et licet tēpore passionis, metu mortis ab eo aliquatenus recesserunt, de hoc tamen multum doluerunt; & suam infirmitatem plenius cognoscentes cum maiore humilitate & feruentiori affectu ad Christum redierunt. Nam post resurrectionem eius, ab eo iterū visitati sunt & verbis ac scripturis roborati: vt sic in fide & spirituali vita altius proficerent. Demum Christo ascendente in cælum, ipsi totam spem suam ad cælestia trāstulerunt: nec tunc tristitiam de recessu eius habuerunt, sed potius de magnificentia gloriæ suæ gratulabantur; ita vt cum gaudio magno in Hierusalem reuerterentur. Ibi pariter in cœnaculo congregati, orationibus ac meditationibus sanctis vnanimiter intenti erant: & ad gratiam Spiritus sancti cælitus sibi mittendam, humiliter ac multum desiderantes se præparabant. Ibi cum Maria matre Iesu commorantes, de actibus & doctrinis atque miraculis saluatoris nostri deuotè conferebant: & (vt piè credendum est) non pauca mysteria Christi à beata Virgine audierunt & didicerunt.

4. Ibi postpositis seculi curis, & loquutionibus vanis exclusis, totale desiderium suum, ad interiora & cælestia promissa conuerterunt: quatenus super dona, quæ iam habebant, adhuc plenius Spiritum sanctum accipere mererentur. Et factum est ita. Nam in aduentatione eius, omnes repleti sunt, & tantis charismatibus donati & clarificati, vt signis & virtutibus ac doctrina super Patriarchas & Prophetas coruscarent. Quicquid enim in lege & propheticis dictis mysticum velabatur, hoc Spiritus sancti illustratione intellexerunt, & eloqui varijs linguis potuerunt. Quod valde necessarium ad totius ecclesiæ ædificationem fuit: vt ipsi primitus de omnibus salutis nostræ sacramentis perfectè instruerentur; qui postea per totum mundum omni creaturæ Euangeliū Christi debuerant prædicare. Dedit itaque Pater cælestis Spiritum bonum petentibus se: & tam copiosa benedictione Apostolorum pectora locupletauit, vt iam nihil de terrenis ambirent, nec vlla seculi aduersa timerent, sed pro nomine Iesu cōtumelias pati gauderent. Adiecit autem eis, cum plenitudine scientiæ, armaturam spiritualis militiæ; vt contra errores gentilium, haberent sapientiam diuinam, & ad superandam philosophorum eloquentiam & contra persequutorum sæuitiam, tenerent fortiter patientiæ palmam. Verè magna gratia in Apostolis emicuit; eo quòd tam imperiti secundùm seculum homines, in tam breui tempore, ad tantam celsitudinem sanctitatis excreuerunt:

sunt: vt vsque ad extrema terræ, Spiritu sancto cooperante, eorum prædicatio peruenire.

5. Consequenter etiam ex iam dictis perpende, quia sancti Apostoli, qui erant Christo charissimi, non sine labore & debita præparatione hanc spiritalem consolationem acceperunt: nec sine certamine & corporis afflictione in hoc seculo vixerunt: sed tanto feruentiores erga Christum & proximorum salutem extiterunt, quanto præ cæteris ampliora dona se accepisse cognouerunt. De quibus non propriam gloriam, non transitoriã mercedem, nec laudem quæsierunt humanam: sed purè Dei honorem & cælestem gloriam, post huius vitæ laborem. Qui vtique in omni conuersatione sua inter gentes multas, cum humilitate & mansuetudine cordis, acceptam cælitus gratiam, solicitè custodire studuerunt; non ocio torpentes, nec commoda carnis quærentes, sed animarum lucra pensantes, verbis & exemplis subditos suos ædificarunt, & maximum fructum Deo obtulerunt. Horum igitur actus & dicta valde vtile est omnibus religiosis & deuotis sedulò pensare; qui crucem suam pro Christo tollere & Apostolicam vitam sectari proposuerũt. Quatenus ad melioris vitæ profectum semper ferueant, & in disciplina ordinis perseuerando, Spiritus sancti gratia adiuuante, vitam æternam cum omnibus Sanctis apprehendant. Amen.

TRIGESIMA-SEXTA.

De sancta & vnanimi conuersatione primitiuæ Ecclesiæ, in Hierosolymis.

1. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Deo.* Act. 4.
O quàm sancta & iucunda fuit illa congregatio in primitiua ecclesia, Spiritu sancto congregata: quæ nequaquam potuit conturbari, quamdiu vnitas fidei in vinculo charitatis illęsa seruabatur. Ad hanc perfectè tenendam maximè iuuant abdicatio proprietatis in rebus temporalibus, cõformitas in bonis moribus, obedientia prõpta in subditis, vita exemplaris in prælatis, pia condescensio cum infirmis, stricta correctio pro excessibus, debita ordinatio in singulis officijs. Et nèquid fortè communitati desit vel depereat, debent omnes pro posse commune bonum promouere: vt charitas in omnibus per opera sancta luceat, & Deus inde summè glorificetur. Omnia ista bona inueniuntur à sanctis Apostolis primitus obseruata, & per eos postmodũ ad alios fideles deriuata: sed pręcipuè religiosis ac prælatis ecclesię ad imitandũ sunt commendata. Nam quãdiu Apostolica vita claruit in capite & in membris, erant bona cum ipsis, & magna gratia in vniuersis. Et quia Deum quærebant & terrena spernebant, addita sunt eis cum spiritualibus donis temporalia bona.

Et tanto maiore honore digni habebantur, quanto humiliùs de semetipsis sentiebant, & omnem mundanam gloriam vilipendebant. Bene ac modestè vsi sunt bonis acceptis, nec superbiebant in dignitatibus & beneficijs sibi collatis: sed solicitudine patenti regebant subditos suos in magna disciplina. Insuper multis pauperibus ac debilibus cõpatientes, libentissimè subueniebant; afflictis quoque & tentatis, sacræ consolationis verba exhibebant, ab ociosis sermonibus se & alios compescebant, scientes quòd de omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, singuli reddituri sunt rationem in iudicio. Matth. 12.

2. Cùm autem cœpissent quidam à calore fidei tepescere, & ad commoda carnis immoderatiùs declinare, propria quærere, honores ambire; heu statim orta sunt murmura & scandala, & apparuerunt dissensionum zizania, ab inimico nequiter iniecta, ad corrumpendum in agro dominico boni seminis grana. Sed huic pestifero morbo & queruloso principio occurrerunt Apostoli sancti consilio saluberrimo: & elegerunt fideles ministros, qui sanctæ multitudini necessaria victualium prouiderent. Ipsi verò orationi & prædicationi instabant, prout à Spiritu sancto edocti erant, spiritualia temporalibus præferentes: & contra quæstiones motas, & casus emergentes, legis & prophetarum testimonia protulerũt. Adiecit autem Spiritus sanctus adhuc latiùs sua munera nouiter conuersis impartiri. Nam impleuit quosdã credentibus spiritu prophetiæ, ad cõsolationem ecclesiæ primitiuæ. Instituit quosdam doctores, ad instructionem imperitorum. Cõuertit etiam plures sacerdotes & legis magistros, ad Euãgelicam veritatẽ. Fecit quoque signa & prodigia multa inter gentes longinquas, ad fidem catholicam propagãdam. Vidit ista, & inuidit fæuissimus hostis diabolus. Doluit, & commouit reges & principes terræ, vt insanirent armis, & persequerentur vbique fideles. Et quia Hierosolymis maior gratia viguit, & Apostolicus feruor altiùs crescere cœpit: ideo Satanas ibi duriùs fremuit, & persequutionis flagello primordia nascẽtis ecclesiæ extinguere conatus est, atque de locis suis ad exteras nationes ventilare. Verùm hanc diaboli malitiam & temporalem fidelium persequutionem Deus cõuertit ad multorum salutem, & sancti nominis sui notitiam clariorem. Factaque est tẽporalis tribulatio iustorũ, vtilis purgatio vitiorum: & quod tentator versipellis parauerat ad ruinam, pius saluator ordinauit patientibus ad coronam. Nisi enim fuisset tam grauis persecutio in mundo, non essent tot martyres coronati in cælo. Multi namque fidelium decreuerunt magis sanguinem fundere, quàm fidem negare: & mortem libentiùs subire, quàm ab amore Christi resilire.

3. Absit

3. Absit, absit, vt valentior esset Satanas cum aduersarijs suis ad nocendum, quàm Christus cũ Angelis sanctis ad defendendũ. Nihil quippe potuit agere cõtra pios spiritus malignus, nisi Deus hoc iustè permisisset: qui singulorum actus & vires cognoscens, per tales occasiones afflictiuas, electos ad perpetuã gloriã transtulit: & aduersarios illorum crudeli damnatione in ignem æternum demersit. Sic boni & mali pro suis meritis, quod iustum est, recipere merentur: quia iustitia Dei nullum bonum irremuneratum, nec vllum malum dimittit impunitum.

4. Nec debet infirmos animos scãdalizare, quòd in sancta ecclesia tam citò apparuerunt zizania & murmura multa: quia cum bonis semper admixti sunt mali, & cum perfectis ambulãt iniqui & imperfecti. Quanto enim sanctiores, tanto pauciores, sicut experimur in diuersis locis religiosis. Nam maior videtur numerus incipientium, quàm perfectorum: & minor est copia contemplatiuorum, quàm actiuorum. Inter multos etiam subditos, pauci reperiuntur ad officia vtiles, & ad bene regendũ se & alios adhuc multo rariores. In his apparet humana fragilitas, & humiliatur superbia nostra: quia tam proni sumus ad vitia, & tardi ad perfectiora sectanda. Nemo tamen alteri improperare rectè potest, quòd defectuosus sit & ineptus: quia sicut alius fragilis est, ita & tu. Rara auis in terra, perfectio vera: & in omni loco reperiũtur vascula fracta. Debet ergo quilibet ad seipsum oculũ habere, & proximo erranti misereri; nec indignari, si quãdoque offendit. Vnde B. Iacobus ait: *In multis offendimus omnes*. Ad humilitatis igitur confessionem recurrendum est: vt quod minus habet defectio sanctitatis nostræ, suppleat cõfessio propriæ fragilitatis. Et tanto humiliores in omnibus simus, quanto longiùs à vera perfectione distamus. In peccando & cadendo fratres sumus, nemo securus est de sua perseuerantia. Quamdiu ergo hîc viuimus, oportet infirmos tolerare, & etiam aliquos aduersarios habere. Nam Christus imperfectiones discipulorum suorum diu tolerauit: & detractiones Pharisæorum frequenter audiuit, qui in omnibus perfectus fuit. Nouit autem Deus huius mundi aduersa ad multa bona disponere, quæ rarò desunt bonis & rectis corde. Nã istis spinis & turbinibus retrahitur animus à delectationibus terrenis. Excitatur cor ad amorẽ cælestium, exercetur homo per patientiam. Discit compati afflictis, humiliatur in doloribus, conformatur Christi passionibus. Fit magis compũctus, minùs dissolutus. Orat feruentiùs, gemit frequentiùs. Tædet viuere, cupit dissolui & esse cum Christo, quia non est pax in hoc mundo. Sed pius Dominus, qui nouit quid nobis sit salubrius, sæpe differt implere desideria seruorum suorum propter melius: quatenus adhuc

Iacobi 3.

huc clariùs purgentur, ad obtinenda promissa gaudia in cælis. Audit clamorem eorum, videt afflictionẽ tribulatorum: sed non statim aufert ab eis dolorem, vt ampliùs mereantur per tolerantiam malorum. Miseretur vtique, & exaudit ad salutem, sed non semper ad propriam voluntatem. Et quia disponit eis dare regnũ æternę beatitudinis admiscet vitæ ipsorum varia pocula amaritudinis; vt spem suam non ponant in terrenis, nec exilium diligant pro patria cælestis iucunditatis.

5. Valent autem maximè temporales miseriæ patiẽter tolerate, pro ablutione peccatorum, pro reconciliatione diuinę misericordiæ, pro diminutione pœnę purgatorij, pro obtentu maioris gratiæ, pro augmento celsioris glorię futuræ. Quis hominum tam purus, tam custoditus & perfectus est in omni conuersatione sua, à manè vsque ad vesperam, qui non delinquat aliquando ore vel opere aut cogitatione, scienter vel ignoranter? Quis tam bonæ conscientię, vt nihil habeat ad confitendum? Quis tantæ puritatis & abstinentiæ, vt non metuat argui pro aliquo delicto in iudicio futuro? Nam omnia districtissimè examinabũtur coram Deo iudice rectissimo; etiam illa, quę nunc parum vel pro nihilo reputantur. Dum ergo tempus adest, & misericordiæ locus patet, omnes simul pœniteamus & feruenter nos emendemus. Benignus est Deus, libenter ignoscet delictis nostris, si nos veraciter cognoscimus & dolemus. Et quia in Christo fratres sumus, oremus pro inuicem, sicut fraterna charitas exigit. Seruiamus inuicem, supportemus inuicem, admoneamus inuicem, consolemur inuicem, gaudeamus inuicem, tristemur inuicem. Diligamus nos inuicem, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis; qui diu sustinuit nos in malis præteritis, & adhuc quotidie sustinet imperfectiones nostras ob spem emendationis; vt proximis nostris compati discamus, & pro eis oremus. Hæc attendentes & facientes, implebimus legem Christi; & erimus veri discipuli eius & amici charissimi, à Patre dilecti, à Filio adoptati, à Spiritu sancto inflammati, à tota sancta Trinitate prædestinati & benedicti. Tunc etiã de nobis poterit dici & verificari, quod de primitiua Ecclesia in Actibus Apostolorũ legitur. Quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Deo, & erant eis omnia communia. Amen. Act. 4.

FINIS TOMI PRIMI.

OPE-

OPERVM

THOMÆ MALLEOLI

A KEMPIS,

CANONICI

REGVLARIS

ORDINIS D. AVGVSTINI.

Tomus Secundus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ADMODVM

REVERENDO

IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO,

D. LEONARDO BETTENIO,

Celeberrimi apud S. Trudonem cœnobij, antistiti dignissimo.

Henricus Sommalius è Societate IESV, S.P.D.

1. a *Alexandro Macedoni ferũt, cùm Darium (b qui deinde aureis vinctus catenis, in eius manus est traditus) profligasset, gaza regia direpta, oblatũ à milite suo, magni instar muneris, scriniolum quoddam perelegans, & affabre factum, opere magnifico, auro gemmisque ditissimum: nihil vt ex omnibus barbaris opibus (centum octoginta millium talentorum) aut pretiosius aut splẽdidius hominũ oculos animosq; in se cõuerterit. Quod vbi ille in manus sumpsit, & vt sua dignum maiestate, cupidè vltro citroque contemplatus est: non minùs artificij quàm precij admiratione suspensus, quæsiuit è purpuratis suis, quidnam in eo Darius asseruare consueuisset? Responderunt, eius fuisse μυροθήκιον. Tum ille: Faxo, inquit, in posterum, vt non vnguenta pigmentaq; regia, sed Iliadem Homeri, quã multo chariorem habeo, custodiat. Sit itaque non μυροθήκιον mihi, sed Ομηροθήκιον. Hunc enim scriptorem Alexander assiduè lectitans, eundem & vitæ suæ ducem, (quem rei militaris viaticum appellare solitus erat) & rerum domi militiæque gerendarum, velut certissimum sequebatur authorem.*

a Plutarch. in vitam Alexandri magni. Plin. l. 7. nat. hist. c. 29.

b Q. Curtius de rebus Alexãdri magni, l. 5.

Vnguentorum scriniolum, repositorium operum Homeri.

2. *Sed quorsum, inquies, tam longè petita hæc narratio? En habet à me T.R.P. nobile hoc Narthecion: quod, sine precũ sine digni-*

Medicamentorum scriniolũ.

dignitatem æstimes, illi, de quo dixi, longè præponderat: aureolum, inquam, religiosissimi viri Thomæ à Kempis Libellum, Vnguento illo redundantem, quo mentes mortalium ad immortales delicias vngantur. Hunc ego, dum bibliothecam Canonicorum regularium Diui Martini Louanij perlustro, in ea, tanquam in alia Gaza, authoris manu scriptum (quod Græci αὐτόχειρον dicunt) & pretiosius μνεμοθήκιον, & diuiniorem Homero, reperi. Hoc verò Apophoretum, his ineuntis anni auspicijs, T.R.P. pro mea perpetua, ac totius nostræ Societatis, in eam voluntate, do, dono, consecro. At nihil inquies noui? Immo verò: vt nouus iam annus nobis oritur; ita posita vetustate, nouus hic liber lucem aspicit. Etenim, quod Diuus Hieronymus, & suis & probatissimorum operibus accidisse, nõ semel conqueritur, pariter huic libro euenisse, mihi quàm certissimum est: vt nimia librariorum cura dixerim, an incuria, labyrinthum errorum inuexerit: Dum corrigere audent, quæ non capiunt; vel quæ simpliciore stylo ipse author conscripserat, ornare student. Quin etiã eò sunt progressi, vt non verba tantùm authoris: sed subinde etiam sensum inuerterint, sentẽtias integras transposuerint: nõnulla prætermiserint, quædã denique inseruerint de suo. Quæ omnia, bona fide restitui, ex autographo scriptoris, quod nuper, Dei beneficio, in manus nostras venit. Aliorum esto iudicium, an bene vtiliterque operam meam collocauerim.

Strenã.

In epist. ad Lucinium: In præfatione in Chronicõ Eusebij: & sæpè alibi.

3. Quartus porrò liber, de augustissimo Eucharistiæ sacramento, tribus illis prioribus rectissimè adnectitur: quòd ex communione sacrosanctorum mysteriorum, vis omnis imitandi Christum, in homines deriuetur. Soli hæretici (quorũ peruersis dogmatibus aduersatur) in hunc non modò dentes, sed cultros quoque stringunt: impij scilicet in libris pijs hospites, aut hostes potiùs capitalissimi. Quidam ex hoc genere, non itæ pridem (quo supercilio? qua seueritate?) expolire stylũ operis huius aggressus, primò pedibus illud truncauit, quarto libro prorsus amputato. Deinde reliquo in corpore, insperſis verborum sententiarumque floribus, non ornauit, sed turpiter deformauit:

formauit: suauitatem non sensit, veræ pietatis gustum non habuit: persuadendi efficaciam ademit, neruos virtutis incidit: denique ipsam quasi animam authoris elisit. Impudentem hominem, qui mellifluum non linguæ, sed animi ac virtutis magistrum (cuius documẽtis excolere & perficere pectus suũ debuerat) tam indignis modis tractauit: perinde ac si ipsa virtus, suis non contenta ornamentis, veritate, candore, maturitate, pigmenta sucúmque puerilem desideret. Verùm, quod Diuus Augustinus sibi narrat contigisse, cùm necdum catechumenus in sacram scripturam (quæ & ipsa veritatis cultrix fucatã non amat eloquentiam) curiosiùs irrumperet, id etiam-num ingenijs accidit curiosis, vt libellos huiusmodi ob stylixilitatem aspernentur. Lib. 3. confess. cap. 5. Institui, inquit Diuus Augustinus, animum intẽdere in scripturas sacras, vt viderẽ, quales essent. Et ecce, video rem non compertam superbis, neque nudam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs. Et non eram ego talis, vt intrare in eã possem, aut inclinare cervicem ad eius gressus. Non enim sicut modò loquor, ita sensi, cùm attendi ad illam scripturam: sed visa est mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus effugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Verumtamen illa erat, quę crescere cum paruulis. Sed ego dedignabar esse paruulus; & turgidus fastu, mihi grandis videbar. Aug. in ps. 138. ad versiculum. Nõ est occult. cor meum. Quocirca meritò idem Diuus Augustinus & sanctus Hieronymus, (at qui viri!) quo dilucidiùs sacras literas explicarent, in Grammaticorum regulas ac præcepta, scientes videntésque impingere nihil verebantur. Et Hier. in c. 40. Ezec.

4. Cæterùm quanta sit huius libelli dignitas, qua se omnibus longè latéque probauit, vel ex hoc liquidò patet, quòd post sacros codices, nullus tam crebrò typis fuerit excusus: nullus tam cupidè ab omnibus expetitus ac lectitatus, à summis, medijs, infimis: nullus, qui in tam varias sit linguas transfusus, atque omnium calculis approbatus. Referam hic, quod, nisi grauissimis testimo-

nijs

nijs niteretur, incredibile videri posit. Cùm quidam è nostræ Societate IESV, ante annos plus minùs duodecimginti, Argirium Mauritaniæ profectus fuisset, pretium redemptionis captiuorum laturus, Rex, qui aliquando Christianus fuerat, eum in suam duxit bibliothecam, varia libellorum supellectili instructam. Varios hic illi codices visendos porrigit, atque in his libellum Thomæ à Kempis, de imitando Christo, vulgari Turcarum lingua cõuersum. Adiecit autem, pluris se vnicũ illum facere, quàm reliquos omnes Mahumetanorum. Superuacaneũ hic esset percensere mirabiles, ex huius libelli lectione, animorum metamorphoses, innumeráſque eorum conuersiones: quos ad arctam salutis semitam, à via lata & spatiosa, traduxit. Præsertim, cùm & ille plerisque notę sint; & procliue sit cuique, in semetipso experiri, quæ quãtaque mutatio dexteræ. Excelsi, si vel leuiter eius doctrinam delibarit, mox consequatur. Audiui ego non rarò, viros optimos, & in authorum optimorum lectione diu multúmque versatos, qui de hoc opusculo dicerent, se, cùm mœstitia animi vel molestijs alijs afflicti affectique fuissẽt, subitò lectione vnius modò capitis, in quod fortè incidissent, mœrorem omnem abstersisse animumque à molestijs auocasse.

5. Vtinam ergo, vt finem aliquando faciam, vtinã inquam vniuersi Christiani, maximè verò religiosi viri, ad huius libri præcepta, vitæ suæ cursum dirigant: hunc ductorẽ doctorémque fidelissimum sequantur: & ita ad omnem virtutẽ, eorum mentes efflorescant. Vtinam, quod de Homero Alexandrum fecisse antiquitas memorat, (Iliadem eius nimirũ semper vnà cum pugione sub puluino habuisse) suo semper in sinu thesaurum hunc gestent; neque diem pręter labi patiantur, quo non aliquid inde vtilitatis depromant. Quid ni enim, quod Ciceronem dictitare solitum accepimus, Terentius familiaris meus, hoc ipsum transferentes ad authorem nostrum, verè dicamus: Thomas à Kẽpis familiaris meus: aut potiùs dux & magister vitæ meæ. Fidenter siquidem, & magna cum omniũ approbatione asseuero, in hoc authore, totius Christianæ philosophiæ

Plutarch. vt suprà.

Cicer. lib. de Amicitia.

losophiæ compendium contineri. Quare sicut nemini, nisi pa-
pio, potest displicere: ita pijs omnibus, nõ potest non summope-
placere. Quin etiam, quod de parente dixit eloquentiæ. Quin-
Libr. 10. Instit. Oratoria-rum. tilianus, Ille in eloquentia se profeciſſe sciat, cui Cice-
ro valde placebit: *Ego, si de Thoma nostro similiter glori-
ri voluero, non ero insipiens. Veritatem enim dicam: na-
cui ipse placet, confidat, quicumque ille est, plurimũ se in im-
tatione Christi, suique victoria; nec non in virtuum studi-
affectionúmque suarum mortificatione, profeciſſe. Cõtrà veró
fundamenta necdum solida illum iecisse pietatis, cui tantus au-
thor displicet. Vale, Reuerende præsul. Vitam autem T.R.P.
exopto, cùm Christi gratia, diuturnam. Louanij, 1568. Kalend.
Ianuarij.*

TOMI

TOMI SECVNDI

PARS PRIMA.

DE IMITATIONE CHRISTI LIBRI QVATVOR.

Auctor testatur manu propria se hunc libru compositisse anno Dñi 1441.

LIBER PRIMVS

Continet admonitiones ad spiritualem vitam vtiles.

CAPITA LIBRI PRIMI.

DE imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi. Cap. I.

De humili sentire sui ipsius. II
De doctrina veritatis. III
De prouidentia, siue prudentia, in agendis. IV
De lectione sanctarum Scripturarum. V
De inordinatis affectionibus. VI
De vana spe & elatione fugienda. VII
De cauenda nimia familiaritate. VIII
De obedientia & subiectione. IX
De cauenda superfluitate verborum. X
De pace acquirenda, & zelo proficiendi. XI
De vtilitate aduersitatis. XII
De tentationibus resistendis. XIII
De temerario iudicio vitando. XIV
De operibus ex charitate factis. XV
De sufferentia defectuum aliorum. XVI
De monastica vita. XVII
De exemplis sanctorum Patrum. XVIII
De exercitijs boni religiosi. XIX
De amore solitudinis & silentij. XX
De compunctione cordis. XXI

De consideratione humanæ miseriæ. XX
De meditatione mortis. XXI
De iudicio & pœnis peccatorum. XXI
De feruenti emendatione totius vitæ nostræ. XX

CAPVT I.

De imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi.

Ioan. 8. 1. *QVi sequitur me, non ambulat in tenebris*, dicit Dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam eius & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit, in vita Iesu Christi meditari.

2. Doctrina Christi omnes doctrinas Sanctorum præcellit: & qui spiritum haberet, absconditum ibi manna inueniret. Sed contingit, quòd multi ex frequenti auditu Euangelij, parum desiderium sentiunt, quia spiritum Christi non habent. Qui autem vult plenè & sapidè Christi verba intelligere, oportet vt totam vitam suam illi studeat conformare.

3. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, vnde displiceas Trinitati? Verè alta verba non faciunt sanctum & iustum, sed virtuosa vita efficit Deo charum. Opto magis sentire compunctionem, quàm scire eius definitionem.
1. Cor. 1. Si scires tota Biblia exteriùs, & omnium Philosophorum dicta,
Eccli. 1. quid totum prodesset sine charitate Dei & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli seruire. Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cælestia.

4. Vanitas igitur est, diuitias perituras quærere, & in illis sperare. Vanitas quoque est, honores ambire, & in altum statum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi; & illud desiderare, vnde postmodum grauiter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare, & de bona vita parum curare. Vanitas est, præsentem vitam solùm attendere, & quæ futura sunt non prævidere. Vanitas est diligere, quod cum omni celeritate transit; & illuc non festinare, vbi sempiternum gaudium manet.

Ibidem. 5. Memento illius frequenter prouerbij: quia *non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere, & ad inuisibilia te transferre. Nam sequentes suam sensualitem, maculant conscientiam, & perdunt Dei gratiam.

CAPVT

CAPVT II.

De humili sentire suiipsius.

1. OMnis homo naturaliter scire desiderat, sed sciẽtia sine timore Dei quid importat? Melior est profectò humilis rusticus, qui Deo seruit; quàm superbus philosophus, qui se neglecto cursum cæli cõsiderat. Qui bene seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis. Si scirem omnia, quæ in mundo sunt, & non essem in charitate, quid me iuuaret coram Deo, qui me iudicaturus est ex facto? *Eccli. 1. & Arist. lib. 1. metaph. c. 1.*

2. Quiesce à nimio sciendi desiderio, quia magna ibi inuenitur distractio & deceptio. Scientes libenter volunt videri, & sapientes dici. Multa sunt, quæ scire parum vel nihil animæ prosunt. Et valde insipiens est, qui aliis intendit, quàm his, quæ saluti suæ deseruiunt. Multa verba non satiant animam, sed bona vita refrigerat mentem: & pura conscientia, magnam præstat ad Deum confidentiam. *1. Cor. 8.*

3. Quanto plus & melius scis, tanto grauiùs inde iudicaberis, nisi sanctiùs vixeris. Noli ergo extolli de vlla arte vel scientia; sed potiùs time de data tibi notitia. Si tibi videtur, quòd multa scis, & satis bene intelligis; scito tamen, quia sunt multo plura, quæ nescis. Noli altùm sapere, sed ignorantiam tuam magis fatere. Quid te vis alicui præferre, quum plures doctiores te inueniantur, & magis in lege periti? Si vis vtiliter aliquid scire & discere, ama nesciri, & pro nihilo reputari. *Rom. 12.*

4. Hæc est altissima & vtilissima lectio, suiipsius vera cognitio & despectio. De seipso nihil tenere, & de aliis semper bene & altè sentire, magna sapientia est & perfectio. Si videres alium apertè peccare, vel aliqua grauia perpetrare, non deberes te tamen meliorem æstimare; quia nescis quàm diu possis in bono stare. Omnes fragiles sumus, sed tu neminem fragiliorem te ipso tenebis. *Gen. 8.*

CAPVT III.

De doctrina veritatis.

1 FElix, quem veritas per se docet, non per figuras & voces transeuntes, sed sicuti se habet. Nostra opinio & noster sensus sæpe nos fallit, & modicum videt. Quid prodest magna cauillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus nec arguemur *Psal. 93. Eccli. 3.*

in iudicio, quia ignorauimus? Grandis insipientia, quòd negle-
ctis vtilibus & necessariis, vltro intendimus curiosis & damno-
Psal. 113. sis. Oculos habentes non videmus.

2. Et quid curæ nobis de generibus & speciebus? Cui æter-
num Verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. Ex vno
verbo omnia, & vnum loquuntur omnia: & hoc est principium,
quod & loquitur nobis. Nemo sine illo intelligit, aut rectè iudi-
cat. Cui omnia vnum sunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia
in vno videt, potest stabilis corde esse, & in Deo pacificus per-
manere. O veritas Deus, fac me vnum tecum in charitate per-
petua. Tædet me sæpe multa legere & audire: in te est totum,
quod volo & desidero. Taceant omnes doctores, sileant vniuersa
creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus.

Matth. 11. & Luc. 10. 3. Quanto aliquis magis sibi vnitus & interiùs simplificatus
fuerit; tanto plura & altiora sine labore intelligit, quia desuper
lumen intelligentiæ accipit. Purus, simplex, & stabilis spiritus,
in multis operibus non dissipatur: quia omnia ad Dei honorem
operatur, & in se otiosus ab omni propria exquisitione esse niti-
tur. Quis te magis impedit & molestat, quàm tua immortificata
affectio cordis? Bonus & deuotus homo opera sua priùs intus
disponit, quæ foris agere debet. Nec illa trahunt eum ad deside-
ria vitiosæ inclinationis, sed ipse inflectit ea ad arbitrium rectæ
rationis. Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere
seipsum? Et hoc deberet esse negotium nostrum, vincere videli-
cet seipsum; & quotidie seipso fortiorem fieri, atque in melius
aliquid proficere.

4. Omnis perfectio in hac vita, quandam imperfectionem
sibi habet annexam: & omnis speculatio nostra quadam caligine
non caret. Humilis tui cognitio certior via est ad Deum, quàm
profunda scientiæ inquisitio. Non est culpanda scientia, aut
quælibet simplex rei notitia, quæ bona est in se considerata, & à
Deo ordinata: sed præferenda est semper bona conscientia, &
virtuosa vita. Quia verò plures magis student scire, quàm bene
viuere: ideo sæpe errant, & penè nullum vel modicum fructum
ferunt.

5. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia &
virtutes inserendas, sicuti ad mouendas quæstiones: non fierent
tanta mala & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœno-
Matth. 25. biis. Certè adueniente die iudicij non quæretur à nobis, quid le-
gimus, sed quid fecimus: nec quàm bene diximus, sed quàm re-
ligiosè vixímus. Dic mihi, vbi sunt modò omnes illi domini &
magistri, quos bene nouisti, dum adhuc viuerent, & in studiis
florerent? Iam eorum præbendas alij possident, & nescio vtrùm

de

de eis recogitant. In vita sua aliquid esse videbantur, & modò de illis tacetur.

6. O quàm citò transit gloria mundi! Vtinam vita eorum scientiæ ipsorum concordasset, tunc bene studuissent & legissent. Quàm multi pereunt per vanam scientiam in seculo, qui parum curant de Dei seruitio? Et quia magis eligunt magni esse quàm humiles, ideo euanescunt in cogitationibus suis. Verè magnus est, qui magnam habet charitatem. Verè magnus est, qui in se paruus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit. Verè prudens est, qui omnia terrena arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat. Et verè bene doctus est, qui Dei voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit.

Eccl. 2.
Tit. 1.
Rom. 1.
Matth. 18. & 23.
Phil. 3.

CAPVT IV.

De prouidentia, siue prudentia, in agendis.

1. NOn est credendum omni verbo nec instinctui: sed cautè & longanimiter res est secundùm Deum ponderanda. Proh dolor, sæpe malum faciliùs, quàm bonum de alio creditur & dicitur: ita infirmi sumus. Sed perfecti viri non facilè credunt omni enarranti; quia sciunt infirmitatem humanam ad malum procliuem, & in verbis satis labilem.

1. Ioan 4.
Gen. 8.
Iacob. 3.

2. Magna sapientia, non esse præcipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis stare sensibus. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum sapiente & conscientioso viro consilium habe; & quære potiùs à meliore instrui, quàm tuas adinuentiones sequi. Bona vita facit hominem sapientem secundùm Deum, & expertum in multis. Quanto quis in se humilior fuerit, & Deo subiectior; tanto in omnibus erit sapientior & pacatior.

Prou. 19.
Prou. 17. & Eccl. 19.
Prou. 12.
Prou. 15. & Eccli 1.

CAPVT V.

De lectione sanctarum Scripturarum.

1. VEritas est in scripturis sanctis quærenda, non eloquentia. Omnis scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potiùs debemus vtilitatè in scripturis, quam subtilitatem sermonis. Ita libenter deuotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, vtrùm paruæ vel magnæ literaturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras, quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende.

Rom. 15. 1. Cor. 2.

Psal. 116. *Lucæ* 21. a *Rom.* 2. & 10. & *Col.* 3.

2. Homines transeunt sed veritas Domini manet in æternũ. a Sine personarũ acceptione, variis modis loquitur nobis Deus. Curiositas nostra sæpe nos impedit in lectione scripturarum, quum volumus intelligere & discutere, vbi simpliciter esset transeundum. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter; nec vnquam velis habere nomen scientiæ. Interroga libenter, & audi tacens verba sanctorum: nec displiceant tibi parabolæ seniorum, sine causa enim non proferuntur.

Prou. 1. & 18.

CAPVT VI.

De inordinatis affectionibus.

1. QVandocunque homo aliquid inordinatè appetit, statim in se inquietus fit. Superbus & auarus nunquam quiescunt, pauper & humilis spiritu in multitudine pacis conuersantur. Homo, qui necdum perfectè in se mortuus est, citò tentatur, & vincitur in paruis & vilibus rebus. Infirmus in spiritu, & quodammodo adhuc carnalis, & ad sensibilia inclinatus, difficulter se potest à terrenis desideriis ex toto abstrahere. Et ideo sæpe habet tristitiam, quum se subtrahit: leuiter etiam indignatur, si quis ei resistit.

2. Si autem prosequutus fuerit, quod concupiscit, statim ex reatu conscientiæ grauatur: quia sequutus est passionem suam, quæ nihil iuuat ad pacem, quam quæsiuit. Resistendo igitur passionibus, inuenitur pax vera cordis, non autem eis seruiendo. Non est ergo pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in feruido spirituali.

CAPVT VII.

De vana spe & elatione fugienda.

Ierem. 17. *Psal.* 30. *Ierem.* 9.

1. VAnus est, qui spem suam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non te pudeat aliis seruire amore Iesu Christi, & pauperem in hoc sæculo videri. Non stes super teipsum, sed in Deo spem tuam constitue. Fac, quod in te est, & Deus aderit bonæ voluntati tuæ. Non confidas in tua scientia, vel cuiusquam viuentis astutia: sed magis in Dei gratia, qui adiuuat humiles, & de se præsumentes humiliat.

2. Ne glorieris in diuitiis si adsunt; nec in amicis, quia potentes sunt: sed in Deo, qui omnia præstat, & seipsum super omnia dare desiderat. Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate corrumpitur & deformatur. Non placeas tibi ipsi, de habilitate aut ingenio tuo, ne displiceas Deo, cuius est totum, quicquid boni naturaliter habueris.

3. Non

3. Non te reputes aliis meliorem, ne fortè coram Deo deterior habearis; qui scit, quid est in homine. Non superbias de operibus bonis, quia aliter sunt iudicia Dei quàm hominum: cui sæpe displicet, quod hominibus placet. Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, vt humilitatem conserues. Non nocet, si omnibus te supponas: nocet autem plurimum, si vel vni te præponas. Iugis pax cum humili; in corde autem superbi, zelus & indignatio frequens. *Exodi 3. & 12. Iob 9.*

CAPVT VIII.

De cauenda nimia familiaritate.

1. NOn omni homini reueles cor tuum, sed cum sapiente & timente Deum age causam tuam. Cum iuuenibus & extraneis rarus esto. Cum diuitibus noli blandiri, & coram Magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus & simplicibus, cum deuotis & morigeratis sociare; & quæ ædificationis sunt, pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri, sed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo & Angelis eius opta familiaris esse, & hominum notitiam deuita. *Eccli. 8. Prou. 5.*

2. Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Quandoq; accidit, vt persona ignota ex bona fama luceſcat, cuius tamen præsentia oculos intuentium offuscat. Putamus aliquando aliis placere, ex coniunctione nostra: & incipimus magis displicere, ex morum improbitate in nobis considerata.

CAPVT IX.

De obedientia & subiectione.

1. VAldè magnum est in obedientia stare, sub prælato viuere, & sui iuris non esse. Multo tutius est stare in subiectione, quàm in prælatura. Multi sunt sub obedientia, magis ex necessitate quàm ex charitate: & illi pœnam habent, & leuiter murmurant. Nec libertatem mentis acquirent, nisi ex toto corde propter Deum se subiiciant. Curre huc vel illuc, non inuenies quietem, nisi in humili subiectione sub prælati regimine. Imaginatio locorum & mutatio multos fefellit.

2. Verum est, quòd vnusquisque libenter agit pro sensu suo; & inclinatur ad eos magis, qui secum sentiunt. Sed si Deus est inter nos, necesse est, vt relinquamus etiam quandoque nostrũ sentire, propter bonum pacis. Quis est ita sapiens, qui omnia plenè scire potest? Ergo noli nimis in sensu tuo cõfidere, sed velis etiã libenter aliorum sensum audire. Si bonũ est tuum sentire, & hoc ipsum

propter Deum dimittis, & aliũ sequeris, magis exinde proficies.

3. Audiui enim sæpe, securius esse audire & accipere consilium, quàm dare. Potest etiam contingere, vt bonum sit vniuscuiusque sentire: sed nolle aliis acquiescere, quum id ratio aut causa postulat, signum est superbiæ & pertinaciæ.

CAPVT X.

De cauenda superfluitate verborum.

Matth. 4. & 14. & Ioan. 6.

1. CAueas tumultum hominum quantum potes: multum enim impedit tractatus secularium gestorum, etiam si simplici intentione proferantur. Citò enim inquinamur vanitate, & captiuamur. vellem me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse. Sed quare tam libenter loquimur, & inuicem fabulamur; cùm tamen rarò sine læsione conscientiæ ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab inuicem consolari quærimus; & cor diuersis cogitationibus fatigatum, optamus releuare. Et multum libenter de his, quæ multum diligimus vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare.

Matth. 12. & Luc. 6.

2. Sed proh dolor, sæpe inaniter & frustra. Nam hæc exterior consolatio, interioris & diuinæ consolationis non modicum detrimentum est. Ideo vigilandũ est & orandum, ne tempus otiosè transeat. Si loqui licet & expedit, quæ ædificabilia sunt loquere. Malus vsus & negligentia profectus nostri, multum facit ad incustodiam oris nostri. Iuuat tamen non parum ad profectum spiritualem, deuota spiritualium rerum collatio, maximè vbi pares animo & spiritu in Deo sibi sociantur.

Act. 1. & Rom. 15.

CAPVT XI.

De pace acquirenda, & zelo proficiendi.

1. MVltam possemus pacem habere, si non vellemus nos cum aliorum dictis & factis, & quæ ad nostram curam non spectant, occupare. Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet: qui occasiones forinsecus quærit: qui parum vel rarò se intrinsecus colligit? Beati simplices, quoniam multam pacem habebunt.

2. Quare quidam sanctorum tam perfecti & contemplatiui fuerunt? Quia omnino seipsos mortificare ab omnibus terrenis desideriis studuerunt: & ideo totis medullis cordis, Deo inhærere atque liberè sibi vacare potuerunt. Nos nimiùm occupamur propriis passionibus, & de transitoriis nimis solicitamur. Rarò etiam vnum vitium perfectè vincimus, & ad quotidianum profectum

fectum non accendimur, ideo frigidi & tepidi remanemus.

3. Si essemus nobis ipsis perfectè mortui, & interiùs minimè implicati; tunc possemus etiam diuina sapere; & de cęlesti contemplatione aliquid experiri. Totum & maximum impedimentum est, quia non sumus à passionibus & concupiscentiis liberi, nec perfectam sanctorum viam conamur ingredi. Quando etiam modicum aduersitatis occurrit, nimis citò deiicimur, & ad humanas consolationes conuertimur.

4. Si niteremur sicut viri fortes stare in prœlio, profectò auxilium Domini super nos videremus de cælo. Ipse enim certãtes & de sua gratia sperantes paratus est adiuuare qui nobis certandi occasiones procurat, vt vincamus. Si tantùm in istis exterioribus obseruantiis profectum religionis ponimus, citò finem habebit deuotio nostra. Sed ad radicem securim ponamus, vt purgati à passionibus, pacificam mentem possideamus.

5. Si omni anno vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. Sed modò è contrario sæpe sentimus, vt meliores & puriores in initio conuersionis nos fuisse inueniamus, quam post multos annos professionis. Feruor & profectus noster quotidie deberet crescere; sed nunc pro magno videtur, si quis primi feruoris partem posset retinere. Si modicam violentiam faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cum leuitate & gaudio.

6. Graue est assueta dimittere, sed grauius est contra propriam voluntatem ire. Sed si non vincis parua & leuia, quando superabis difficiliora? Resiste in principio inclinationi tuæ, & malam dedisce consuetudinem, ne fortè paulatim ad maiorem te ducat difficultatem. O si aduerteres, quantam tibi pacem & aliis lætitiam faceres, teipsum bene habendo, puto quòd solicitior esses ad spiritualem profectum.

CAPVT XII.

De vtilitate aduersitatis.

1. BOnum nobis est, quòd aliquando habeamus aliquas grauitates & cõtrarietates; quia sæpe hominem ad cor reuocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua re mundi ponat. Bonũ est, quòd patiamur quandoque contradictiones, & quòd malè & imperfectè de nobis sentiatur, etiam si bene agimus & intendimus. Ista sæpe iuuant ad humilitatem, & à vana gloria nos defendunt. Tunc enim melius interiorem testem Deum quærimus, quando foris vilipendimur ab hominibus, & non bene nobis creditur.

2. Ideo deberet se homo in Deo taliter firmare, vt non esset ei

necesse multas humanas consolationes quærere. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur vel tentatur, aut malis cogitationibus affligitur, tunc Deum sibi magis necessarium intelligit, sine quo nihil boni se posse deprehendit. Tunc etiam tristatur, gemit & orat pro miseriis quas patitur. Tunc tædet eum diutius viuere, & mortem optat venire, vt possit dissolui & cum Christo esse. Tunc etiam bene aduertit, perfectam securitatem & plenam pacem in mundo non posse constare.

CAPVT XIII.

De tentationibus resistendis.

1. QVamdiu in mundo viuimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus. Vnde in Iob scriptum est: Tentatio est vita humana super terram. Ideo vnusquisque solicitus esse deberet circa tentationes suas, & vigilare in orationibus, ne diabolus locum inueniret decipiendi: qui nunquam dormitat, sed circuit quærens quem deuoret. Nemo tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando tentationes, & plenè eis carere non possumus.

2. Sunt tamen tentationes homini sæpe valdè vtiles, licet molestæ sint & graues: quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt, & profecerunt. Et qui tentationes sustinere nequiuerunt, reprobi facti sunt, & defecerunt. Non est aliquis ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, vbi non sint tentationes vel aduersitates.

3. Non est homo securus à tentationibus totaliter, quàm diu vixerit; quia in nobis est vnde tentamur ex quo in concupiscentia nati sumus. Vna tentatione seu tribulatione recedente, alia superuenit; & semper aliquid ad patiendum habebimus, nam bonum felicitatis nostræ perdidimus. Multi quærunt tentationes fugere, & grauius incidunt in eas. Per solam fugam non possumus vincere, sed per patiẽtiam & veram humilitatem, omnibus hostibus efficimur fortiores.

4. Qui tantummodo exteriùs declinat, nec radicem euellit, parum proficiet: imò citius ad eum tentationes redient, & peius sentiet. Paulatim & per patientiam cum longanimitate, Deo iuuante, melius superabis, quam cum duritia & importunitate propria. Sæpius accipe consilium in tentatione: & cum tentato noli duriter agere; sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri.

5. Initium omnium malarum tentationum inconstantia animi, & parua ad Deum confidentia. Quia sicut nauis sine gubernaculo, hinc inde à fluctibus impellitur: ita homo remissus, &

suum

suum propositum deserens, variè tentatur. Ignis probat ferrum, & tentatio hominem iustum. Nescimus sæpe, quid possumus: sed tentatio aperit, quid sumus. Vigilandum est tamen, præcipuè circa initium tentationis: quia tunc faciliùs hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur; sed extra limen statim, vt pulsauerit, illi obuiatur. Vnde quidam dixit: Principiis obsta, serò medicina paratur. Nam primò occurrit menti simplex cogitatio: deinde fortis imaginatio: postea delectatio, & motus pranus, & assensio. Sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio. Et quanto diutiùs ad resistendum quis torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, & hostis contra eum potentior.

6. Quidam in principio conuersionis suæ grauiores tentationes patiuntur, quidam autem in fine. Quidam verò, quasi per totam vitam suam malè habent. Nonnulli satis leuiter tentantur, secundùm diuinæ ordinationis sapientiam & æquitatem; quæ statum & merita hominum pensat, & cuncta ad electorum suorum salutem præordinat.

7. Ideo non debemus desperare quum tentamur, sed eo ferueniùs Deum exorare, quatenus nos in omni tribulatione digneture adiuuare: qui vtique secundùm dictum Pauli, talem faciet cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei, in omni tentatione & tribulatione, quia humiles spiritu saluabit & exaltabit.

8. In tentationibus & tribulationibus probatur homo quantum profecit; & ibi maius meritum existit & virtus meliùs patescit. Nec magnum est si homo deuotus sit & feruidus quum grauitatem non sentit; sed si tempore aduersitatis patienter se sustinet, spes magni profectus erit. Quidam à magnis tentationibus custodiuntur, & in paruis quotidianis sæpe vincuntur: vt humiliati, nunquam de seipsis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

CAPVT XIV.

De temerario iudicio vitando.

1. AD teipsum oculos reflecte, & aliorum facta caueas iudicare. In iudicando alios homo frustra laborat, sæpiùs errat, & leuiter peccat: seipsum verò iudicando & discutiendo, semper fructuosè laborat. Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter iudicamus: nam verum iudicium, propter priuatum amorem, faciliter perdimus. Si Deus semper esset pura intentio nostri desiderij, non tam faciliter turbaremur pro resistentia sensus nostri. *Matth 7. & Rom 2. Eccle. 3.*

2. Sed

2. Sed sæpe aliquid ab intra latet, vel etiam ab extra concurrit, quod nos etiam pariter trahit. Multi occultè seipsos quærunt, *Matth. 13. & Luc. 12.* in rebus quas agunt & nesciunt. Videntur etiam in bona pace stare, quando res pro eorum velle fiunt & sentire. Si autem aliter sit quàm cupiunt, citò mouentur, & tristes fiunt. Propter diuersitatem sensuum & opinionum, satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos & ciues, inter religiosos & deuotos.

Ierem. 13. 3. Antiqua consuetudo difficulter relinquitur, & vltra proprium videre nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ magis inniteris vel industriæ, quàm virtuti subiectiuæ Iesu Christi, rarò & tardè eris homo illuminatus; quia Deus vult nos sibi perfectè subiici, & omnem rationem per inflammatum amorem transcendere.

CAPVT XV.

De operibus ex charitate factis.

1. PRo nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione, ali- *Matth. 18.* quod malum est faciendum: sed pro vtilitate tamen indigentis, opus bonum liberè aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim facto opus bonum non *1. Cor. 15.* destruitur, sed in melius commutatur. Sine charitate opus externum nihil prodest; quicquid autem ex charitate agitur, quantumcunque etiam paruum sit & despectum, totum efficitur fructuosum. Magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit: quàm opus, quod facit. Multum facit, qui multum diligit.

2. Multum facit, qui rem bene facit: bene facit, qui magis *Luca 7. Phil. 2.* communitati quàm suæ voluntati seruit. Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas: quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, effectus commoditatis, rarò abesse volunt.

Phil. 2. & 1. Cor. 13. 3. Qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re seipsum quærit; sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat. Nulli etiam inuidet, quia nullum priuatum gaudium amat; nec in seipso vult gaudere, sed in Deo super omnia bona *Psal. 17. & 34.* optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, sed totaliter ad Deum refert, à quo fontaliter omnia procedunt, in quo finaliter omnes sancti fruibiliter quiescunt. O qui scintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena sentiret plena fore vanitatis.

CAPVT XVI.

De sufferentia defectuum aliorum.

1. QVæ homo in se vel in aliis emendare non valet, debet patienter sustinere, donec Deus aliter ordinet. Cogita, quia sic fortè melius est pro tua probatione & patientia, sine qua non

sunt

sunt multum ponderanda merita nostra. Debes tamen pro talibus impedimentis supplicare: vt Deus tibi dignetur subuenire, & possis benignè portare. *Matth.6. & Luc.11.*

2. Si quis semel aut bis admonitus non acquieſcit, noli cum eo contendere; sed totum Deo committe, vt fiat voluntas eius & honor in omnibus seruis suis, qui scit bene mala in bonum conuertere. Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, & qualescunque infirmitates: quia & tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualem vis; quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum? Libenter habemus alios perfectos, & tamen proprios non emendamus defectus. *Matth.6. 1.Thes.5. & Gal.6.*

3. Volumus, quòd alij strictè corrigantur, & ipsi corrigi nolumus. Displicet larga aliorum licentia, & tamen nobis nolumus negari, quod petimus. Alios restringi per statuta volumus, & ipsi nullatenus patimur ampliùs cohiberi. Sic ergo patet, quã rarò proximum sicut nosipsos pensamus. Si essent omnes perfecti, quid tunc haberemus ab aliis pro Deo pati?

4. Nunc autem Deus sic ordinauit, vt discamus alter alterius onera portare: quia nemo sine defectu, nemo sine onere, nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens: sed oportet nos inuicem portare, inuicem consolari, pariter adiuuare, instruere, & admonere. Quantæ autem virtutis quisque fuerit, meliùs patet occasione aduersitatis. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt, sed qualis sit, ostendunt. *Galat.6. 1.Thes.5. & 1.Cor.2.*

CAPVT XVII.

De monastica vita.

1. OPortet, vt discas teipsum in multis frangere, si vis pacem & concordiam cum aliis tenere. Non est paruum in monasteriis vel in congregatione habitare, & inibi sine querela conuersari, & vsque ad mortem fidelis perseuerare. Beatus, qui ibidem bene vixit, & feliciter consummauit. Si vis debitè stare & proficere, teneas te tanquam exulem peregrinum super terram. Oportet te stultum fieri propter Christum, si vis religiosam ducere vitam. *Galat.6. Luca 16.*

2. Habitus & tonsura modicum conferunt; sed mutatio morum & integra mortificatio passionum, verum faciunt religiosum. Qui aliud quærit quàm purè Deum, & animæ suæ salutem, non inueniet nisi tribulationem & dolorem. Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus, & omnibus subiectus. *1.Pet.2. Eccli.1. & Eccli.1.*

3. Ad seruiendum venisti, non ad regendum. Ad patiendum & laborandum scias te vocatum, non ad otiandum vel fabulandum. *Matth.20.*

dum. Hic ergo probantur homines, sicut aurum in fornace. Hic nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

CAPVT XVIII.

De exemplis sanctorum Patrum.

Hebr. 11. 1. INtuere sanctorum Patrum viuida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio; & videbis quàm modicum sit, & penè nihil, quod nos agimus? Heu quid est vita nostra, si illis fuerit comparata? Sancti & amici Christi, Domino seruierunt in fame & siti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & ieiuniis, in orationibus & sanctis meditationibus, in persecutionibus & opprobriis multis.

2. O quàm multas & graues tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi. Nam animas suas in hoc mundo oderunt, vt in æternam vitam eas possiderent. O quàm strictam & abdicatam vitam sancti Patres in eremo duxerunt. Quàm longas & graues tentationes pertulerunt? Quàm frequenter ab inimico vexati sunt? Quàm crebras & feruidas orationes Deo obtulerunt? Quàm rigidas abstinentias quotidie peregerunt? Quàm magnum zelum & feruorem, ad spiritualem profectum habuerunt? Quàm forte bellum aduersus edomationem vitiorum gesserunt? Quàm puram & rectam intentionem ad Deum tenuerunt? Per diem laborabant, & noctibus orationi diutinæ vacabant; quanquam laborando ab oratione mentali minimè cessarent.

Ioan. 1.

Matth. 7.

3. Omne tempus vtiliter expendebant; omnis hora ad vacandum Deo breuis videbatur: & præ magna dulcedine contemplationis, etiam obliuioni tradebatur necessitas corporalis refectionis. Omnibus diuitiis, dignitatibus, honoribus, amicis, & cognatis renunciabant: nil de mundo habere cupiebant; vix necessaria vitæ sumebant: corpori seruire, etiam in necessitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed diuites valdè in gratia & virtutibus. Foris egebant; sed intus gratia & consolatione diuina reficiebantur.

Matth. 19.

4. Mundo erant alieni, sed Deo proximi ac familiares amici. Sibiipsis videbantur tanquam nihili, & huic mundo despecti: sed erant in oculis Dei preciosi & dilecti. In vera humilitate stabant, in simplici obedientia viuebant, in charitate & patientia ambulabant; & ideo quotidie in spiritu proficiebant, & magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati sunt in exemplum omnibus religiosis: & plus prouocare nos debent ad bene proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum.

Iacobi 4.

5. O

5. O quantus feruor omnium religiosorum, in principio suæ sanctæ institutionis fuit? O quanta deuotio orationis? quanta æmulatio virtutis? quàm magna disciplina viguit? quanta reuerentia & obedientia sub regula magistri in omnibus effloruit? Testantur adhuc vestigia derelicta, quòd verè viri sancti & perfecti fuerunt; qui tam strenuè militantes, mundum suppeditauerunt. Iam magnus putatur, si quis transgressor non fuerit; si quis quod accepit, cum patientia tolerare potuerit.

6. O tepor & negligentia status nostri, quòd tam citò declinamus à pristino feruore; & iam tædet viuere, præ lassitudine & tepore. Vtinam in te penitus non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpiùs exempla vidisti deuotorum.

CAPVT XIX.

De exercitijs boni religiosi.

1. VIta boni religiosi, omnibus virtutibus pollere debet: vt sit talis interiùs, qualis videtur hominibus exteriùs. Et meritò multo plus debet esse intus, quàm quod cernitur foris: Quia inspector noster est Deus, quem summopere reuereri debemus, vbicunque fuerimus; & tanquam Angeli, in conspectu eius mundi incedere. Omni die renouare debemus propositum nostrum, & ad feruorem nos excitare: quasi hodie primum ad conuersionem venissemus, atque dicere: Adiuua me Deus in bono proposito & sancto seruitio tuo: & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod hactenus feci. *Matth. 5. Psal. 32. & Hebr. 4. Psal. 15.*

2. Secundùm propositum nostrum cursus profectus nostri, & multa diligentia opus est bene proficere volenti. Quod si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille, qui rarò aut minùs fixè aliquid proponit? Variis tamen modis contingit desertio propositi nostri, & leuis omissio exercitiorũ vix sine aliquo dispẽdio transit. Iustorum propositum in gratia Dei potiùs, quàm in propria sapientia pendet; in quo & semper confidunt, quicquid arripiunt. Nam homo proponit, sed Deus disponit, nec est in homine via eius. *Prou. 16.*

3. Si pietatis causa, aut fraternæ vtilitatis proposito quandoque consuetum omittitur exercitium, facilè postea poterit recuperari. Si autem tædio animi aut negligentia faciliter relinquitur, satis culpabile est, & nociuum sentietur. Conemur quantum possumus, adhuc leuiter deficiemus in multis. Semper tamen aliquid certi proponendum est: & contra illa præcipuè, quæ ampliùs nos impediunt. Exteriora nostra & interiora pariter nobis scrutanda sunt & ordinanda, quia vtraque expediunt ad profectum. *Eccle. 7.*

4. Si

Deut. 4. 4. Si non continuè vales te colligere, saltem interdum, & ad minus semel in die, manè videlicet aut vespere. Manè propone, vespere discute mores tuos, qualis hodie fuisti in verbo, opere, & cogitatione: quia in his sæpius forsitan Deum offendisti & proximum. Accinge te sicut vir, contra diabolicas nequitias, frena gulam, & omnem carnis inclinationem facilius frenabis. Nunquam sis ex toto otiosus; sed aut legens, aut scribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid vtilitatis pro communi laborans. Corporalia tamen exercitia discretè sunt agenda, nec omnibus æqualiter assumenda.

2. Quæ communia non sunt, non sunt foris ostendenda: nam in secreto tutiùs exercentur priuata. Cauendum tamen, ne piger sis ad communia, & ad singularia promptior; sed expletis integrè & fideliter debitis & iniunctis, si iam vltra vacat, redde te tibi, prout deuotio tua desiderat. Non possunt omnes habere vnum exercitium; sed aliud isti, aliud illi magis deseruit. Etiam pro temporis congruentia, diuersa placent exercitia: quia alia in festis, aliâ in feriatis magis sapiunt diebus. Aliis indigemus tempore tentationis, & aliis tempore pacis & quietis. Alia, quum tristamur, libet cogitare; & alia, quum læti in Domino fuerimus.

6. Circa principalia festa, renouanda sunt bona exercitia, & sanctorum suffragia feruentiùs imploranda. De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de hoc seculo migraturi, & ad æternum festum peruenturi. Ideoque solicitè nos præparare debemus in deuotis temporibus, & deuotiùs conuersari, atque omnem obseruantiam strictiùs custodire, tanquam in breui præmium laboris nostri à Deo percepturi.

Rom. 8. 7. Et si dilatum fuerit, credamus nos minùs bene præparatos, atq; indignos tantæ adhuc gloriæ, quæ reuelabitur in nobis tempore præfinito, & studeamus nos meliùs ad exitum præparare.

Luca 12. & Matth. 14. *Beatus seruus* (ait Euangelista Lucas) *quem, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.*

CAPVT XX.

De amore solitudinis & silentij.

Eccle. 3. 1. QVære aptum tempus vacandi tibi, & de beneficiis Dei frequenter cogita. Relinque curiosa: tales perlege materias, quæ compunctionem magis præstant, quàm occupationem. Si te subtraxeris à superfluis loquutionibus, & otiosis circuitionibus, nec non à nouitatibus & rumoribus audiendis; inuenies tempus sufficiens & aptum, pro bonis meditationibus insistendis. Maximi sanctorum humana consortia, vbi poterant, vitabant; & Deo in secreto seruire eligebant.

Hebr. 11.

2. Dixit

2. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redij. Hoc sæpiùs experimur, quando diu confabulamur. Facilius est dolius est omnino tacere, quàm verbo nō excedere. Facilius est domi latêre, quàm foris se posse sufficienter custodire. Qui igitur intendit ad interiora & spiritualia peruenire, oportet eum cum Iesu à turba declinare. Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet. Nemo securè præest, nisi qui libenter subest. Nemo securè præcipit, nisi qui bene obedire didicit. *Seneca.* *Matth. 4.* *Eccli. 3.*

3. Nemo securè gaudet, nisi bonæ conscientiæ in se testimonium habeat. Semper tamen Sanctorum securitas, plena timoris Dei extitit: nec eo minùs soliciti & humiles in se fuerunt, quia magnis virtutibus & gratia emicuerunt. Prauorum autem securitas ex superbia & præsumptione oritur, & in fine in deceptionē sui ipsius vertitur. Nunquam promittas tibi securitatem in hac vita, quamuis bonus videaris cœnobita, aut deuotus eremita.

4. Sæpe meliores in æstimatione hominum, grauiùs periclitati sunt propter suam nimiam cōfidentiam. Vnde multis vtilius est, vt non penitus tentationibus careant, sed sæpiùs impugnentur: ne nimiùm securi sint: ne fortè in superbiam eleuentur: ne etiam ad exteriores consolationes licentiùs declinent. O qui nunquam transitoriam licentiam quæreret, qui nunquam cum mundo se occuparet, quàm bonam conscientiam seruaret? O qui omnem vanam solicitudinem amputaret, & duntaxat salutaria ac diuina cogitaret, & totam spem suam in Deo constitueret, quàm magnam pacem & quietem possideret!

5. Nemo dignus est cælesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta cōpunctione. Si vis corde tenus compungi, intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, sicut scriptum est: *In cubilibus vestris compungimini.* In cella inuenies, quod deforis sæpiùs amittes. Cella continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat. Si in principio conuersionis tuæ bene eam incolueris & custodieris, erit tibi postea dilecta amica, & gratissimum solatium. *Psal. 4.*

6. In silentio & quiete proficit anima deuota, & discit abscondita scripturarum. Ibi inuenit fluenta lachrymarum, quibus singulis noctibus se lauet & mundet; vt conditori suo tanto familiarior fiat quanto longiùs ab omni seculari tumultu degit. Qui ergo se abstrahit à notis & amicis, appropinquabit illi Deus cum Angelis sanctis. Meliùs est latêre & sui curam agere, quàm se neglecto signa facere. Laudabile est homini religioso, rarò foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre. *Psal. 4.*

7. Quid vis videre, quod non licet habere? Transit mundus &

concupiscentia eius. Trahunt desideria sensualitatis ad spatium dum: sed quum hora transierit, quid nisi grauitatem conscientiæ & cordis dispersionem reportas? Lætus exitus tristem sæpe recessum parit: & læta vigilia serotina, triste mane facit. Sic omne carnale gaudium blandè intrat, sed in fine mordet & perimit. Quid potes alibi videre, quod hîc non vides? Ecce cælum, & terra, & omnia elementa: nam ex istis omnia sunt facta.

Prou. 14.

Eccles 1.
Eccl. 3ª
Psal. 122.

8. Quid potes alicubi videre, quod diu potest sub sole permanere? Credis te forsitan satiare, sed nõ poteris pertingere. Si cuncta videres præsentia, quid esset nisi visio vana? Leua oculos tuos ad Deum in excelsis, & ora pro peccatis tuis & negligentiis. Dimitte vana vanis; tu autem intende illis, quæ tibi præcepit Deus. Claude super te ostium tuum, & voca ad te Iesum dilectum tuum. Mane cum eo in cella, quia non inuenies alibi tantam pacem. Si non exisses, nec quicquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses. Ex quo noua delectat aliquando audire, oportet te exinde turbationem cordis tolerare.

Matth. 6.

CAPVT XXI.

De compunctione cordis.

Prouerb. 19.

1. SI vis aliquid proficere, cõserua te in timore Dei: & noli esse nimis liber, sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos, nec ineptæ te tradas lætitiæ. Da te ad cordis compunctionem, & inuenies deuotionem. Compunctio multa bona aperit, quæ dissolutio citò perdere consueuit. Mirum est, quòd homo potest vnquam perfectè in hac vita lætari: qui suum exilium, & tam multa pericula animæ suæ considerat & pensat.

2. Propter leuitatem cordis & negligentiam defectuum nostrorum, non sentimus animæ nostræ dolores: sed sæpe vanè ridemus, quando meritò flere deberemus. Non est vera libertas, nec bona lætitia, nisi in timore Dei cum bona conscientia. Felix, qui abiicere potest omne impedimentũ distractionis, & ad vnionem se redigere sanctæ compunctionis. Felix, qui à se abdicat, quicquid conscientiam suam maculare potest vel grauare. Certa viriliter, consuetudo consuetudine vincitur. Si tu scis homines dimittere, ipsi bene te dimittent tua facta facere.

3. Non attrahas tibi res aliorum, nec te implices causis maiorum. Habeas semper oculum super te primùm, & admoneas te-

Gal. 1.

ipsum specialiter præ omnibus tibi dilectis. Si non habes fauorem hominum, noli ex hoc tristari; sed hoc sit tibi graue, quia non habes te satis bene & circumspectè sicut deceret Dei seruum & deuotum religiosum conuersari. Vtilius est sæpè & securius, quòd

Psal. 76.

homo

homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundùm carnem præcipuè. Tamen, quòd diuinas non habemus, aut rariùs sentimus, nos in culpa sumus; quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas omnino abiicimus.

4. Cognosce te indignum diuina consolatione, sed magis dignum multa tribulatione. Quando homo est perfectè compunctus, tunc grauis & amarus est ei totus mundus. Bonus homo sufficientem inuenit materiam dolendi & flendi. Siue enim se considerat, siue de proximo pensat, scit, quia nemo sine tribulatione hîc viuit: Et quanto strictiùs sese considerat, tanto ampliùs dolet. Materiæ iusti doloris & internæ compunctionis, sunt peccata & vitia nostra; quibus ita inuoluti iacemus, vt rarò cælestia contemplari valeamus. *Iud. 2. & 20. item 2. Reg. 13.*

5. Si frequentiùs de morte tua, quàm de longitudine vitæ cogitares, non dubium quin feruentiùs te emendares. Si etiam futuras inferni siue purgatorij pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libenter laborem & dolorem sustineres, & nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor ista non transeunt, & blandimenta adhuc amamus, ideo frigidi & valde pigri remanemus. *Eccli. 7. Matth. 25.*

6. Sæpe est inopia spiritus, vnde tam leuiter conqueritur miserum corpus. Ora igitur humiliter ad Dominum, vt det tibi compunctionis spiritum: & dic cum Propheta: *Ciba me Domine pane lachrymarum, & potum da mihi in lachrymis in mensura.* *Psal. 79.*

CAPVT XXII.

De consideratione humanæ miseriæ.

1. MIser es, vbicunque fueris, & quocumque te verteris, nisi ad Deum te conuertas. Quid turbaris, quia non succedit tibi sicut vis & desideras? Quis est, qui habet omnia secundùm suam voluntatem? Nec ego, nec tu, nec aliquis hominum super terram. Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione vel angustia, quamuis rex sit vel Papa. Quis est, qui melius habet? Vtique qui pro Deo aliquid pati valet. *Eccle. 6.*

2. Dicunt multi imbecilles & infirmi: Ecce quàm bonam vitam ille homo habet, quàm diues, quàm magnus, quàm potens & excelsus? Sed attende ad cælestia bona, & videbis, quòd omnia ista temporalia nulla sunt, sed valde incerta & magis grauantia, quia nunquam sine solicitudine & timore possidentur. Non est hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam, sed sufficit ei mediocritas. Verè miseria est viuere super terram. Quanto homo voluerit esse spiritualior, tãto præsens vita fit ei amarior; quia sentit meliùs, & videt clariùs humanæ corruptionis defectus. Nã *Luca 12. Prou. 1. Iob 14. Eccle. 2.*

comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, laborare, & cæteris necessitatibus naturæ subiacere, verè magna miseria est & afflictio homini deuoto, qui libenter esset absolutus & liber ab omni peccato.

3. Valde enim grauatur interior homo necessitatibus corporalibus in hoc mundo. Vnde Propheta deuotè rogat, quatenus liber ab istis esse valeat, dicens: *De necessitatibus meis erue me Domine.* Psal. 24. Sed væ non cognoscentibus suã miseriam; & amplius væ illis qui diligunt hanc miseram & corruptibilem vitam. Nam in tantum quidam hanc amplectuntur, (licèt etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant) vt si possent hìc semper viuere, de regno Dei nihil curarent. Rom. 8.

4. O insani & infideles corde, qui tam profundè in terris iacent, vt nihil nisi carnalia sapiant. Sed miseri adhuc in fine grauiter sentient, quàm vile & nihilum erat, quod amauerunt. Sancti autem Dei, & omnes deuoti amici Christi, non attenderunt quæ carni placuerunt, nec quæ in hoc tempore floruerunt; sed tota spes eorum & intentio ad æterna bona anhelabat. Ferebatur totum desiderium eorum sursum ad mansura & inuisibilia, ne amore visibilium traherentur ad infima. Noli frater amittere confidentiam proficiendi ad spiritualia, adhuc habes tempus & horam. Ibidem. 1. Pet. 1. & Hebr. 11. Rom. 13. & Hebr. 10.

5. Quare vis procrastinare propositum tuum? Surge, & in instanti incipe, & dic: Nunc tempus est faciendi, nunc tempus est pugnandi; nunc aptum tempus est emendandi. Quando malè habes & tribularis, tunc tempus est promerendi. Oportet te transire per ignem & aquam, antequam venias in refrigerium. Nisi tibi vim feceris, vitium non superabis. Quamdiu istud fragile corpus gerimus, sine peccato esse non possumus, nec sine tædio & dolore viuere. Libenter haberemus ab omni miseria quietem, sed quia per peccatum perdidimus innocentiam, amisimus etiam veram beatitudinem. Ideo oportet nos tenere patientiam, & Dei expectare misericordiam; donec transeat iniquitas hæc, & mortalitas absorbeatur à vita. Psal. 56. Rom. 7. Gen. 3. 2. Cor. 5.

6. O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia! Hodie confiteris peccata tua, & cras iterum perpetras confessa. Nunc proponis cauere, & post horam agis, quasi nihil proposuisses. Meritò ergo nosipsos humiliare possumus, nec vnquam aliquid magni de nobis sentire, quia tam fragiles & instabiles sumus. Citò potest etiam perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam. Gen. 6. & 8. 2. Mach. 9.

7. Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam manè? Væ nobis, si sic volumus declinare ad quietem, quasi iam pax sit

&

& securitas; quum necdum appareat vestigium veræ sanctitatis in conuersatione nostra. Bene opus esset quòd adhuc iterum institueremur, tanquã boni nouitij ad mores optimos, si fortè spes esset de aliqua futura emendatione, & maiori spirituali profectu.

CAPVT XXIII.

De meditatione mortis.

1. VAlde citò erit tecum hîc factum: vide aliter quomodo te habeas. Hodie homo est, & cras non comparet. Cùm autem sublatus fuerit ab oculis, etiam citò transit à mente. O hebetudo & duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatur, & futura non magis præuidet. *a* Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi hodie esses moriturus. *b* Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. *c* Melius esset peccata cauere, quàm mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? *d* Cras est dies incerta, & qui scis, si crastinum habebis? *Iob 9. & 14. itẽ Luc. 12. & Heb. 9.* a *Matt. 25.* b *Luc. 12.* c *Sap. 4.* d *Matt. 24. & 25.*

2. Quid prodest diu viuere, quando tam parum emendamur? Ah longa vita non semper emendat, sed sæpe culpam magis auget. Vtinam per vnam diem bene essemus cõuersati in hoc mundo. Multi annos computant conuersionis, sed sæpe paruus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori, forsitan periculosius erit diutiùs viuere. Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eandem viam transibis. *Eccl.*

3. Quum manè fuerit, puta te ad vesperum non peruenturum. Vespere autem facto, manè non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, & taliter viue, vt nunquam te imparatum mors inueniat. Multi subitò & improuisè moriuntur. Nam hora, qua non putatur, filius hominis venturus est. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita; & valde dolebis, quòd tam negligens & remissus fuisti. *Heb. 9. Luc. 21.* *Matth. 24. & Luc. 12.*

D. Quàm felix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inueniri in morte. Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, feruens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, & supportatio cuiuslibet aduersitatis pro amore Christi. Multa bona potes operari, dum sanus es; sed infirmatus, nescio quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur; sic & qui multum peregrinantur, rarò sanctificantur. *Eccli. 41.*

Isaiæ 30. & 31. *item* *Hier.* 17. & 48. * *Matt.* 6.

5. Noli confidere super amicos & proximos, nec in futurum tuam differas salutem: quia citiùs obliuiscentur tui homines quàm æstimas. * Melius est nunc tempestiuè prouidere, & aliquid boni præmittere, quàm superaliorum auxilio sperare. Si non es pro te ipso solicitus modò, quis erit solicitus pro te in futuro? Nunc tempus est valde pretiosum. Nunc sunt dies salutis, nunc tempus acceptabile. Sed proh dolor, quòd hoc vtiliùs non expendis: in quo promereri vales, vnde æternaliter viuas. Veniet, quando vnum diem seu horam pro emendatione desiderabis, & nescio an impetrabis.

Rom. 5. *Lucæ* 14. 2. *Cor.* 9.

6. Eia charissime, de quanto periculo te poteris liberare, & quàm magno timore eripere, si modò semper timoratus fueris & de morte suspectus. Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potiùs gaudere quàm timere. Disce nunc mori mundo, vt tunc incipias viuere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere, vt tunc possis liberè ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, vt tunc certam valeas habere confidentiam.

Lucæ 12.

7. Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, quum nullum diem habeas hîc securum? Quàm multi decepti sunt, & insperatè de corpore extracti? Quoties audisti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens ceruicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit, & sic omniũ finis mors est; & vita hominum, tanquam vmbra subitò pertransit.

Iob 14.

Matth. 6. *Lucæ* 12. & *Galat.* 6. *Lucæ* 16. *Hebr.* 11. 1. *Pet.* 2.

8. Quis memorabitur tui post mortem? & quis orabit pro te? Age age nunc charissime, quicquid agere potes; quia nescis quãdo morieris, nescis etiam quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites; solùm quæ Dei sunt, cures. Fac nunc tibi amicos, venerando Dei sanctos, & eorum actus imitando; vt cùm defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula.

Hebr. 13.

9. Serua te tanquam peregrinum & hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis. Serua cor liberum, & ad Deum sursum erectum, quia non habes hîc manẽtem ciuitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos cum lachrymis dirige, vt spiritus tuus mereatur ad Dominum post mortem feliciter transire. Amen.

CAPVT XXIV.

De iudicio & pœnis peccatorum.

Hebr. 10.

1. IN omnibus respice finem, & qualiter ante districtum stabis iudicem, cui nihil est occultum; qui muneribus non placatur, nec

nec excusationes recipit, sed quod iustum est iudicabit. O miser- *Iob 9.*
rime & insipiens peccator, quid respondebis Deo omnia mala *Luca 16.*
tua scienti; qui interdum formidas vultum hominis irati? Vt quid
non præuides tibi in die iudicij, quando nemo poterit per alium
excusari vel defendi, sed vnusquisque sufficiens onus erit sibiipsi?
Nunc labor tuus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus ex- *2. Cor. 6.*
audibilis, dolor satisfactorius & purgatiuus.

2. Habet magnum & salubre purgatorium patiens homo, qui
suscipiens iniurias, plus dolet de alterius malitia, quàm de sua in-
iuria: qui pro contrariantibus sibi libenter orat, & ex corde cul- *Iacob. 5.*
pas indulget. Qui veniam ab aliis petere non retardat, qui faci- *Luca 23.*
liùs miseretur, quam irascitur. Qui sibi ipsi violentiam frequen- *& Act. 7.*
ter facit, & carnẽ omnino spiritui subiugare conatur. Melius est
modò purgare peccata & vitia resecare, quàm in futuro purgan-
da reseruare. Verè nos ipsos decipimus per inordinatum amo-
rem, quem ad carnem habemus.

3. Quid aliud ignis ille deuorabit, nisi peccata tua? Quanto
amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris, tanto durius
postea lues, & maiorem materiam comburendi reseruas. In qui-
bus homo peccauit, in illis grauius punietur. Ibi acedioſi arden-
tibus stimulis perurgebuntur: & gulosi ingenti siti ac fame cru-
ciabuntur. Ibi luxurioſi & voluptatum amatores, ardenti pice &
fœtido sulphure perfundentur: & sicut furioſi canes, præ dolore
inuidioſi vlulabunt.

4. Nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non
habebit. Ibi superbi, omni confusione replebuntur; & auari, mi-
serrima egestate arctabuntur. Ibi erit vna hora grauior in pœna,
quàm hic centum anni in grauissima pœnitentia. Ibi nulla re- *Iob 4. &*
quies est, nulla consolatio damnatis: hic tamen interdum cessa- *42.*
tur à laboribus, atque amicorum fruitur solatiis. Esto modò so-
licitus & dolens pro peccatis tuis, vt in die iudicij sis securus cum
beatis. Tunc enim iusti stabunt in magna constantia aduersus *Sap. 5.*
eos, qui se angustiauerunt & depresserunt. Tunc stabit ad iudi-
candum, qui modò se subiicit humiliter iudiciis hominum. Tunc
magnam fiduciam habebit pauper & humilis, & paucbit vndique
superbus.

5. Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse, qui pro Chri- *Psal. 106.*
sto didicit stultus & despectus esse. Tunc placebit omnis tribula- *2. Cor. 4.*
tio patiẽter perpessa, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Tunc
gaudebit omnis deuotus, & mœrebit omnis irreligioſus. Tunc
plus exultabit caro afflicta, quã si in delitiis fuisset semper nutri-
ta. Tunc splendebit habitus vilis, & obtenebrescet vestis subtilis.
Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium, quàm deaura-

Isaiæ 29. tum palatium. Tunc plus iuuabit constans patientia, quàm omnis mundi potentia. Tunc amplius exaltabitur simplex obedientia, quàm omnis sæcularis astutia.

6. Tunc plus lætificabit pura & bona conscientia, quàm docta philosophia. Tunc plus pōderabit contemptus diuitiarum, quàm totus thesaurus terrigenarum. Tunc magis consolaberis super deuota oratione, quàm super delicata comestione. Tunc potius gaudebis de seruato silentio, quàm de longa fabulatione. Tunc plus valebunt sancta opera, quàm multa pulchra verba. Tunc plus placebit stricta vita & ardua pœnitentia, quàm omnis delectatio terrena. Disce te nunc in modico pati, vt tunc à grauioribus valeas liberari. Hîc primò proba, quid possis postea. Si nunc tam parum vales sustinere, quomodo æterna tormenta poteris sufferre? Si modò modica passio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet? Ecce verè non potes duo gaudia habere, delectari hîc in mundo, & postea regnare cum Christo.

Luce 12. 7. Si vsque in hodiernum diem semper in honoribus & voluptatibus vixisses, quid totum tibi profuisset, si iam in instanti Eccles. 1. mori contingeret? Omnia ergo vanitas præter amare Deum, & Rom. 8. illi soli seruire. Qui enim Deum ex toto corde amat, nec mortem, nec supplicium, nec iudicium, nec infernum metuit: quia perfectus amor, securum ad Deum accessum facit. Quem autem adhuc peccata delectant, non mirum, si mortem & iudicium timeat. Bonum tamen est, vt si necdum amor à malo te reuocat, saltem timor gehennalis coërceat. Qui verò timorem Dei postponit, diu stare in bono non valebit, sed diaboli laqueos citiùs incurret.

CAPVT XXV.

De feruenti emendatione totius vitæ nostræ.

2. Tim. 4. 1. ESto vigilans *a* & diligens in Dei seruitio & cogita frequenter ad quid veniſti, & cur sæculū reliquisti. Nónne vt Deo viueres, & spiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferueas, b Matth 5. *b* quia mercedem laborum tuorum in breui recipies, *c* nec erit c Apoc. 21. & 22. tunc amplius timor aut dolor in finibus tuis. *d* Modicum nunc d Eccles 51. laborabis, & magnam requiem, imò perpetuam lætitiam inue- e Apoc. 21. & 22. nies. *e* Si tu permanseris fidelis & feruidus in agendo, *f* Deus f Matt. 25. procul dubio erit fidelis & locuples in retribuendo.

g Rom. 5. 2. *g* Spem bonam retinere debes, quòd ad palmam peruenies; sed securitatē capere non oportet, ne torpeas aut elatus fias. Cùm quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus in ecclesia ante quoddam altare, se in oratione prostrauisset, hæc inter se reuoluit, dicens: O si

sci-

scirem, quòd adhuc perseueraturus essem! Statimque audiuit diuinum intus responsum: Quid, si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus eris. Moxque consolatus & confortatus, diuinæ se commisit voluntati, & cessauit anxia fluctuatio. Noluitque curiosè inuestigare, vt sciret, quæ sibi essent futura; sed magis studuit inquirere, quæ esset voluntas Dei beneplacens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. *Rom. 12.*

3. *Spera in Domino, & fac bonitatem,* ait Propheta, *& inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius.* Vnum est, quod multos à profectu & feruenti emendatione retrahit, horror difficultatis seu labor certaminis. Enimuerò, illi maximè præ cæteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis grauia & contraria sunt, viriliùs vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, vbi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat. *Psal. 36.*

4. Sed non omnes habent æquè multum ad vincendum & moriendum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, etiam si plures habeat passiones; quàm alius bene morigeratus, minùs tamen feruens ad virtutes. Duo specialiter ad magnam emendationem iuuant; videlicet, subtrahere se violenter, ad quod natura vitiosè inclinatur; & feruenter instare pro bono, quo ampliùs quis indiget. Illa etiam studeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentiùs in aliis displicent.

5. Vbique profectum tuum capias, vt si bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraueris, caue ne idem facias. Aut si aliquando fecisti, citiùs emendare te studeas. Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab aliis notaris. Quàm iucundum & dulce est videre feruidos & deuotos fratres, bene morigeratos & disciplinatos? Quàm triste est & graue videre inordinatè ambulantes, qui ea, ad quæ vocati sunt, non exercent? Quàm nociuum est negligere vocationis suæ propositum, & ad non commissa sensum inclinare? *Matt. 7.* *Ephes 5. & 1. Cor. 12.* *Eccl. 3.*

6. Memor esto arrepti propositi, & imaginem tibi propone crucifixi. Bene verecundari potes, inspecta vita Iesu Christi: quia necdum magis illi te conformare studuisti, licèt diu in via Dei fuisti. Religiosus, qui se intentè & deuotè in sanctissima vita & passione Domini exercet, omnia vtilia & necessaria sibi abundanter ibi inueniet: nec opus est, vt extra Iesum aliquid meliùs quærat. O si Iesus crucifixus in cor nostrum veniret, quàm citò & sufficienter docti essemus? *Gal. 2. & 6.*

7. Religiosus feruidus omnia bene portat & capit, quæ illi iubentur.

bentur. Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam: quia interiori consolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur. Religiosus extra disciplinam viuens, graui patet ruinæ. Qui laxiora quærit & remissiora, semper in angustiis erit, quia aut vnum aut reliquum sibi displicebit.

8. Quomodo faciunt tam multi alij religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali? Rarò exeunt, abstractè viuunt, parum perrimè comedunt, grossè vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & se in omni disciplina custodiunt. Attende Carthusienses, Cistertienses, & diuersæ religionis monachos ac moniales, qualiter omni nocte ad psallendũ Domino assurgunt. Et ideo turpe esset, vt tu deberes in tam sancto opere pigritare, vbi tanta multitudo religiosorum incipit Deo iubilare.

9. O si nihil aliud faciendum incumberet, nisi Dominũ Deum nostrum toto corde & ore laudare? O si nunquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire: sed semper posses Deum laudare, & solummodo spiritualibus studiis vacare; tunc multo felicior esses quàm modò, cùm carni ex qualicumq; necessitate seruis. Vtinam non essent istæ necessitates, sed solùm spirituales animæ refectiones, quas (heu) satis rarò degustamus.

10. Quando homo ad hoc peruenit, quòd de nulla creatura consolationem suam quærit; tunc ei Deus primò perfectè sapere incipit: tunc etiam bene contentus de omni euentu rerum erit. Tunc nec pro magno lætabitur, nec pro modico contristabitur; sed ponet se integrè & fiducialiter in Deo, qui est ei omnia in omnibus: cui nihil vtique perit nec moritur, sed omnia ei viuunt, & ad nutum inconctanter deseruiunt.

Rom. 11. & 1. Cor. 8. 12. & 15.

11. Memento semper finis, & quia perditum non redit tempus. Sine solicitudine & diligentia, nunquam acquires virtutes. Si incipis tepescere, incipies malè habere: Si autem dederis te ad feruorem, inuenies magnam pacem, & senties leuiorem laborem, propter Dei gratiam & virtutis amorem Homo feruidus & diligens ad omnia est paratus. Maior labor est resistere vitiis & passionibus, quàm corporalibus insudare laboribus. Qui paruos non vitat defectus, paulatim labitur ad maiores. Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuosè. Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum; & quicquid de aliis fit, non negligas teipsum. Tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris, Amen.

Eccl. 7. Apoc. 3.

Eccl. 19.

Matth. 11.

LIBER

LIBER SECVNDVS

Admonitiones continet ad interna trahentes.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

DE *interna conuersatione.*	*Cap.* I
De humili submissione.	II
De bono pacifico homine.	III
De pura mente & simplici intentione.	IV
De propria consideratione.	V
De latitia bona conscientia.	VI
De amore Iesu super omnia.	VII
De familiari amicitia Iesu.	VIII
De carentia omnis solatij.	IX
De gratitudine pro gratia Dei.	X
De paucitate amatorum crucis Iesu.	XI
De regia via sanctæ Crucis.	XII

CAPVT I.

De interna conuersatione.

REgnum Dei intra vos est, dicit Dominus. Conuerte te ex toto corde ad Dominum, & relinque hunc miserum mundũ, & inueniet anima tua requiem. Disce exteriora contemnere, & ad interiora te dare, & videbis regnum Dei in te venire. Est enim regnum Dei pax & gaudium in Spiritu sancto, quod non datur impiis. Veniet ad te Christus, ostendens tibi consolationem suã, si dignam illi ab intus paraueris mansionem. Omnis gloria eius & decor ab intra est, & ibi complacet sibi. Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis. *Luce 17. Ioel. 2. Rom. 14. Psal. 44.*

2. Eia anima fidelis, præpara huic Sponso cor tuum, quatenus ad te venire & in te habitare dignetur. Sic enim dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Da ergo Christo locum, & cæteris omnibus nega introitum. Cùm Christum habueris, diues es, & sufficit tibi. Ipse erit prouisor tuus, & fidelis procurator in omnibus, vt non sit opus in hominibus sperare. Homines enim citò mutantur, & deficiunt velociter, Christus autem manet in æternum, & astat vsque in finem firmiter. *Ioan. 14. Ioan. 12.*

3. Non est magna fiducia ponẽda in homine fragili & mortali, *Hier. 17.*

etiamsi

etiamsi vtilis sit & dilectus: neque tristitia multa ex hoc capienda, si interdum aduersetur & contradicat. Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt, & è conuerso, sæpe vt aura vertuntur.

1. Pet. 5. Pone totam fiduciam tuam in Deo, & sit ipse timor tuus & amor tuus. Ipse pro te respondebit, & faciet bene sicut melius fuerit.

Hebr. 13. Non habes hîc manentem ciuitatem, & vbicunque fueris, extraneus es & peregrinus; nec requiem aliquando habebis, nisi Christo intimè fueris vnitus.

4. Quid hîc circumspicis, cùm iste non sit locus tuæ requietionis. In cælestibus debet esse habitatio tua, & sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda. Transeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide, vt non inhæreas; ne capiaris, & pereas. Apud Altissimũ sit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur. Si nescis speculari alta & cælestia, requiesce in passione Christi, & in sacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera & pretiosa stigmata IESV deuotè confugis, magnam in tribulatione confortationem senties: nec multum curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia perferes.

Phil. 5. Sap. 5.

Matth. 1. 12. 26. & Ioan. 15. 5. Christus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus, & in maxima necessitate à notis & amicis inter opprobria derelictus; Christus pati voluit & despici, & tu audes de aliquo conqueri? Christus habuit aduersarios & obloquutores, & tu vis omnes habere amicos & benefactores? Vnde coronabitur patientia tua, si nihil aduersitatis occurrerit? Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Christi? Sustine te cum Christo, & pro Christo, si vis regnare cum Christo.

2. Tim 2. 6. Si semel perfectè introisses in interiora Iesu, & modicum de ardente amore eius sapuisses: tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes, quia amor Iesu facit hominem seipsum contemnere. Amator Iesu & veritatis, & verus internus & liber ab affectionibus inordinatis, potest se ad Deum liberè conuertere, & eleuare se supra seipsum in spiritu, ac fruitiuè quiescere.

7. Cui sapiunt omnia, prout sunt, non vt dicuntur aut æstimãtur; hic verè sapiens est, & doctus magis à Deo, quàm ab hominibus. Qui ab intra scit ambulare & modicum ab extra res ponderare: non requirit loca, nec expectat tempora, ad habenda deuota exercitia. Homo internus citò se recolligit, quia nunquam se totum ad exteriora effundit. Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria: sed sicut res eueniunt, sic se illis accommodat. Qui intus bene dispositus est & ordinatus, non curat mirabiles & peruersos hominum gestus. Tantum homo impeditur & distrahitur, quantum sibi res attrahit.

Isaiæ 64.

8. Si

8. Si rectè tibi esset, & bene purgatus esses, omnia tibi in bonum cederent & profectum. Ideo multa tibi displicent & sæpe conturbant, quia adhuc non es tibi ipsi perfectè mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis. Nil sic maculat & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis. Si renuis consolari exteriùs, poteris speculari cælestia, & frequenter iubilare interiùs. *Rom.8.*

CAPVT II.

De humili submissione.

1. NOn magni pendas, quis pro te vel cõtra te sit: sed hoc age & cura, vt Deus tecum sit in omni re, quam facis. Habeas conscientiam bonam, & Deus bene te defensabit. Quem enim Deus adiuuare voluerit, nullius peruersitas nocere poterit. Si tu scis tacere & pati, videbis procul dubio auxilium Domini. Ipse nouit tempus & modum liberandi te, & ideo te debes illi resignare. Dei est adiuuare, & ab omni confusione liberare. Sæpe valde prodest ad maiorem humilitatem seruandam, quòd defectus nostros alij sciunt, & redarguunt. *Ibidem. 1.Cor.4. Psal.27.*

2. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc faciliter alios placat, & leuiter satisfacit sibi irascentibus. Humilem Deus protegit & liberat; humilem diligit & consolatur: humili homini se inclinat: humili largitur gratiam magnam, & post eius depressionem leuat ad gloriam. Humili sua secreta reuelat, & ad se dulciter trahit & inuitat. Humilis accepta confusione, satis bene est in pace; quia stat in Deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profeciſſe, nisi omnibus inferiorem te esse sentias. *Iacobi 3. Iob 3. Matth.11.*

CAPVT III.

De bono pacifico homine.

1. TEne te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare. Homo pacificus magis prodest, quàm bene doctus. Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter credit. Bonus pacificus homo omnia ad bonum conuertit. Qui bene in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem malè contentus est & commotus, variis suspicionibus agitatur, nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit. Dicit sæpe, quod dicere non deberet; & omittit, quod sibi magis facere expediret. Considerat, quod alij facere tenentur; & negligit, quod ipse tenetur. Habe ergo primò zelum super teipsum, & tunc iustè zelare poteris etiam proximum tuum. *1.Cor.13. Matth.7. Act.1.*

2. Tu bene scis facta tua excusare & colorare, & aliorũ excusationes

Gal. 6. tiones non vis recipere. Iustius esset, vt te accusares, & fratrem
1. Cor. 13. tuum excusares. Si portari vis, porta & alium. Vide quàm longè es adhuc à vera charitate & humilitate, quæ nulli nouit irasci vel indignari, nisi tantùm sibi. Non est magnum cum bonis & mansuetis conuersari: (hoc enim omnibus naturaliter placet, & vnusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit.) Sed cum duris & peruersis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacificè posse viuere, magna gratia est, & laudabile nimis, virileque factum.

3. Sunt qui seipsos in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent. Et sunt, qui nec pacē habent, nec alios in pace dimittunt. Aliis sunt graues, sed sibi semper grauiores. Et sunt qui seipsos in pace retinent, & ad pacem alios reducere student. Est tamen tota pax nostra in hac misera vita, potiùs in humili sufferentia ponenda, quàm in non sentiendo contraria. Qui meliùs scit pati, maiorem tenebit pacem. Iste est victor sui & dominus mundi, amicus Christi & hæres cæli.

CAPVT IV.

De pura mente, & simplici intentione.

1. DVabus alis homo subleuatur à terrenis: simplicitate scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona actio te impediet, si liber intus ab omni inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quàm Dei beneplacitum & proximi vtilitatem, intendis & quæris, interna libertate perfrueris. Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ
Rom. 1. & liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parua & vilis, quæ Dei bonitatem non repræsentet.
Prou. 3. Psal. 128. 2. Si tu esses intus bonus & purus, tunc omnia sine impedimēto videres, & bene caperes. Cor purum penetrat cælum & infernum. Qualis vnusquisque intus est, taliter iudicat exteriùs. Si est gaudium in mundo, hoc vtique possidet puri cordis homo. Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc meliùs nouit mala cōscientia. Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur; sic homo integrè se ad Deum conuertens, à torpore exuitur, & in nouum hominem transmutatur.

3. Quando homo incipit tepescere, tunc paruum metuit laborem, & externam accipit consolationem. Sed quando perfectè incipit se vincere, & viriliter in via Dei ambulare; tunc minus ea reputat, quæ sibi priùs grauia esse sentiebat.

CAPVT

CAPVT V.

De propria consideratione.

1. NOn possumus nobis ipsis nimis credere, quia sæpe gratia nobis deest & sensus. Modicum lumen est in nobis, & hoc citò per negligentiam amittimus. Sæpe etiam non aduertimus, quòd tam cæci intus sumus. Sæpe malè agimus, & peius excusamus. Passione interdum mouemur, & zelum putamus. Parua in aliis reprehendimus, & nostra maiora pertransimus. Satis citò sentimus & ponderamus, quid ab aliis sustinemus; sed quantum alij de nobis sustinent, non aduertimus. Qui bene & rectè sua ponderaret, non esset, quòd de alio grauiter iudicaret. *Hierem. 17.* *Psal. 140.* *Matth. 7.*

2. Internus homo, sui ipsius curam omnibus curis anteponit. Et qui sibi ipsi diligenter intendit, faciliter de aliis tacet. Nunquā eris internus & deuotus, nisi de alienis silueris, & ad teipsum specialiter respexeris. Si tibi & Deo totaliter intendis, modicum te mouebit, quòd foris percipis. Vbi es, quando tibi ipsi præsens non es? Et quando omnia percurristi, quid te neglecto profecisti? Si debes habere pacem & vnionem veram, oportet quòd totum adhuc postponas, & te solum præ oculis habeas. *Matth. 16* *1. Cor. 4. & Gal. 1.*

3. Multum proinde proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserues. Valde deficies, si aliquid temporale reputaueris. Nil magnum, nil altum: nil gratum, nil acceptum tibi sit; nisi purè Deus, aut de Deo sit. Totum vanum existima, quicquid consolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, sub Deo despicit vniuersa. Solus Deus æternus & immensus implens omnia, solatium animæ, & vera cordis lætitia. *Eccle. 1.*

CAPVT VI.

De lætitia bonæ conscientiæ.

1. GLoria boni hominis, testimonium bonæ conscientiæ. Habe bonam conscientiam, & habebis semper lætitiam. Bona conscientia valde multa potest portare, & valde læta est inter aduersa. Mala conscientia semper timida est & inquieta. Suauiter requiescès, si cor tuum te non reprehenderit. Noli lætari, nisi quum bene feceris. Mali nunquam habent veram lætitiam, nec internam sentiunt pacem; *quia non est pax impijs, dicit Dominus.* Et si dixerint, In pace sumus, non venient super nos mala; & quis nobis nocere audebit? Nè credas eis, quoniam repentè exurget ira Dei, & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt. *2. Cor. 1.* *Sap. 17.* *Luce 12.* *Isaia 37.*

2. Glo-

a *Rom.8. Gal.6.* 2. *a* Gloriari in tribulatione, non est graue amanti; sic enim
b *Ioan.5.* gloriari, est gloriari in cruce Domini. *b* Breuis gloria, quæ ab
c *2.Cor.1.* hominibus datur & accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia: *c* Bonorum gloria in conscientiis eorum, & non in ore hominum. Iustorum lætitia de Deo & in Deo est, & gaudium eorum de veritate. Qui veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minùs amare conuincitur cœlestem. Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia.

3. Facilè erit contentus & pacatus, cuius conscientia munda est. Non est sanctior, si laudaris; nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es: nec maior dici vales, quàm Deo teste sis. Si attendis, quid apud te sis intus: non curabis, quid de te loquantur homi-
1.Reg.16. nes. Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo considerat actus, Deus verò pensat intentiones. Bene semper agere, & modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. Nolle consolari ab aliqua creatura, magnæ puritatis & internæ fiduciæ signum est.

1.Cor.10. 4. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quærit, liquet, quòd totaliter se Deo commisit. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est*, ait beatus Paulus, *sed quem Deus commendat.* Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, status est interni hominis.

CAPVT VII.

De amore IESV *super omnia.*

Psal.118. 1. BEatus qui intelligit, quid sit amare Iesum, & contemnere seipsum propter Iesum. Oportet dilectũ pro dilecto relinquere, quia Iesus vult solus super omnia amari. Dilectio creaturæ fallax & instabilis, dilectio Iesu fidelis & perseuerabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili; qui amplectitur Iesum, firmabitur in æuum. Illum dilige, & amicum tibi retine: qui omnibus recedentibus te non relinquet, nec patietur in fine perire. Ab omnibus oportet te aliquando separari, siue velis, siue nolis.

Deut.6. Matth.12.

2. Teneas te apud Iesum viuens & moriens, & illius fidelitati te committe; qui omnibus deficientibus, solus potest te iuuare. Dilectus tuus talis est naturæ, vt alienum non velit admittere: sed solus vult cor tuum habere, & tanquam Rex in proprio throno sedere. Si scires te bene ab omni creatura euacuare, Iesus deberet libenter tecum habitare. Penè totum perditum inuenies, quicquid extra Iesum in hominibus posueris. Non confidas nec
Isaia 40. innitaris super calamum ventosum: quia omnis caro fœnum, &

omnis

omnis gloria eius vt flos fœni cadet.

3. Citò decipieris, si ad externam hominum apparentiam tantùm aspexeris. Si enim tuum in alijs quæris solatium & lucrum, senties sæpiùs detrimentum. Si quæris in omnibus Iesum, inuenies vtique Iesum: Si autem quæris teipsum, inuenies etiam teipsum, sed ad tuam perniciem. Plus enim homo nociuior sibi, si Iesum non quærit, quàm totus mundus & omnes sui aduersarij.

CAPVT VIII.

De familiari amicitia Iesu.

1. QVando Iesus adest, totum bonum est, nec quicquam difficile videtur: quando verò Iesus non adest, totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur, consolatio vilis est. Si autem Iesus vnum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur. Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco, in quo fleuit, quando Martha illi dixit: *Magister adest, & vocat te?* Felix hora, quando Iesus vocat de lachrymis ad gaudium spiritus. Quàm aridus & durus es, sine Iesu. Quàm insipiens & vanus, si cupis aliquid extra Iesum. Nonne hoc est maius damnum, quàm si totum perderes mundum? *Ioan. 11. Matth. 16.*

2. Quid potest tibi mundus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu grauis est infernus: & esse cum Iesu, dulcis paradisus. Si fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus. Qui inuenit Iesum, inuenit thesaurum bonum, imò bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, & plus quàm totum mundum. Pauperrimus est, qui viuit sine Iesu: & ditissimus, qui bene est cum Iesu. *Roman. 8. Matth. 13. Luca 2.*

3. Magna ars est, scire cum Iesu conuersari, & scire Iesum tenere magna prudentia. Esto humilis & pacificus, & erit tecum Iesus. Sis deuotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes citò fugare Iesum, & gratiam eius perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaueris & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Sine amico non potes bene viuere: & si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Fatuè igitur agis, si in aliquo altero confidis aut lætaris. Eligendum est magis, totum mundum habere contrarium, quàm Iesum offensum. *Prou. 3. Galat. 6.*

4. Ex omnibus ergo charis sit Iesus solus dilectus specialis. Diligantur omnes propter Iesum, Iesus autem propter seipsum. Solus Iesus Christus singulariter est amandus, qui solus bonus & fidelis præ omnibus inuenitur amicis. Propter ipsum & in ipso, tam amici quàm inimici, sint tibi chari: & pro omnibus his *Matth. 5.*

exorandus est, vt omnes ipsum cognoscant & diligant. Nũquam cupias singulariter laudari vel amari, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet. Nec velis, quòd aliquis tecum in corde suo occupetur, neque tu cum alicuius occuperis amore; sed sit Iesus in te, & in omni bono homine.

5. Esto purus & liber ab intus, sine alicuius creaturæ impliçamento. Oportet te esse nudum, & purum cor ad Deum gerere, si vis vacare & videre, quàm suauis sit Dominus. Et reuera ad hoc non peruenies, nisi gratia eius fueris præuentus & intractus; vt omnibus euacuatis & licentiatis, solus cum solo vniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: Et quando recedit, tunc pauper & infirmus erit, & quasi tantùm ad flagella relictus. In his non debes deijci, nec desperare, sed ad voluntatem Dei æquanimiter stare: & cuncta superuenientia tibi ad laudem Iesu Christi perpeti. Quia post hyemem sequitur æstas; post noctem redit dies; & post tempestatem magna serenitas.

CAPVT IX.

De carentia omnis solatij.

1. NOn est graue humanum contemnere solatium, cùm adest diuinum. Magnum est & valde magnum, tã humano quã diuino posse carere solatio; & pro honore Dei, libenter exilium cordis velle sustinere: & in nullo seipsum quærere, nec ad propriũ meritum respicere. Quid magni est, si hilaris sis & deuotus aduçniente gratia? Optabilis cunctis hęc hora. Satis suauiter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirum, si onus non sentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à summo ductore? *Phil. 2.*

2. Libenter habemus aliquid pro solatio, & difficulter homo exuitur à seipso. Vicit sanctus martyr Laurentius seculum, cum suo sacerdote: quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, despexit; & summum Dei sacerdotem Sixtum, quem maximè diligebat, pro amore Christi etiam à se tolli clementer ferebat. Amore igitur creatoris, amorem hominis superauit; & pro humano solatio, diuinum beneplacitum magis elegit. Ita & tu aliquid neçessarium & dilectũ amicum pro amore Dei disce relinquere. Nec grauiter feras, quũ ab amico derelictus fueris, sciens, quoniam oportet nos omnes tandem ab inuicem separari.

3. Multum & diu oportet hominem in seipso certare, antequã discat seipsum plenè superare, & totum affectum suum in Deum trahere. Quando homo stat super seipsum, facilè labitur ad consolationes humanas. Sed verus amator Christi, & studiosus sectator

tot virtutum, non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines: sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores.

4. Cùm igitur spiritualis à Deo consolatio datur, cum gratiarum actione accipe eam; sed Dei munus intellige esse, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimium gaudere, nec inaniter præsumere, sed esto magis humilior ex dono, cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis: quoniam transibit hora illa, & sequetur tentatio. Quum ablata fuerit consolatio, non statim desperes; sed cum humilitate & patientia expecta cælestem visitationem; quoniam potens est Dominus, ampliorem tibi redonare consolationem. Istud non est nouum nec alienum viam Dei expertis; quia in magnis sanctis & in antiquis prophetis fuit sæpe talis alternationis modus.

5. Vnde quidam præsente iam gratia dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Psalm. 9. Absente vero gratia, quid in se fuerit expertus, adiungit dicens: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ibid. Inter hæc tamen nequaquam desperat, sed instantiùs Dominum rogat, & dicit: *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.* Ibid. Denique orationis suæ fructum reportat, & se exauditum testatur, dicens: *Audiuit Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus.* Ibid. Sed in quo? *Conuertisti,* inquit, *planctum meum in gaudium mihi, & circundedisti me lætitia.* Ibid. Si sic actũ est cum magnis sanctis, non est desperandũ nobis infirmis & pauperibus: si interdum in feruore & interdũ in frigiditate sumus: quoniam spiritus venit & recedit, secundùm suæ beneplacitum voluntatis. Vnde beatus Iob ait: *visitas eum diluculò, & subitò probas illum.* Ioan. 3. Iob 7.

6. Super quid igitur sperare possum, aut in quo confidere debeo: nisi in sola magna misericordia Dei, & in sola spe gratiæ cęlestis? Siue enim adsint homines boni; siue deuoti fratres vel amici fideles; siue libri sancti, vel tractatus pulchri; siue dulcis cãtus & hymni, omnia hęc modicum iuuant, modicũ sapiunt, quando desertus sum à gratia, & in propria paupertate relictus. Tunc Luca 9. non est melius remedium, quàm patientia & abnegatio mei in voluntate Dei.

7. Nunquam inueni aliquem tam religiosum & deuotum, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, aut non senserit feruoris diminutionem. Nullus sanctus fuit tam altè raptus & illuminatus, qui priùs vel postea non fuerit tentatus. Nõ enim dignus est alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis tentatio præcedens esse signum. Nam tentationibus probatis, cæle-

Apoc. 2. stis promittitur consolatio. *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei edere de ligno vitæ.*

8. Datur autem consolatio diuina, vt homo fortior sit ad sustinendum aduersa. Sequitur etiam tentatio, ne se eleuet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua est: ideo non cesses te præparare ad certamen, quia à dextris & à sinistris hostes sunt, qui nunquam quiescunt.

1. Pet. 5.

CAPVT X.

De gratitudine pro gratia Dei.

Iob 5. Luca 14. 1. CVR quæris quietem, cùm natus sis ad laborem? Pone te ad patientiam magis, quàm ad consolationes, & ad crucẽ portandam magis, quàm ad lætitiam. Quis enim secularium, non libenter consolationem & lætitiam spiritualem acciperet, si semper obtinere posset? Excedũt enim spirituales cõsolationes, omnes mundi delicias & carnis voluptates. Nã omnes deliciæ mundanæ aut vanæ sunt, aut turpes: spirituales verò deliciæ, solæ iucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ. Sed istis diuinis consolationibus nemo semper pro suo affectu frui valet, quia tempus tentationis non diu cessat.

2. Multum autem contrariatur supernæ visitationi falsa libertas animi & magna cõfidentia sui. Deus bene facit cõsolationis gratiam dando, sed homo malè agit, non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo. Et ideo non possunt in nobis dona gratia fluere, quia ingrati sumus auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia, dignè gratias referenti; & auferetur ab elato, quod dari solet humili.

Eccles. 1.

3. Nolo consolationem, quæ mihi aufert compunctionẽ; nec affecto contemplationem, quę ducit in elationem. Nõ enim omne altum sanctum, nec omne dulce bonum, nec omne desiderium purum, nec omne charum Deo gratum. Libenter accepto gratiam, vnde semper humilior & timoratior inueniar, atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiæ, & eruditus subtractionis verbere, non sibi audebit quicquam boni attribuere, sed potiùs se pauperem & nudum confitebitur. Da Deo, quod Dei est: & tibi ascribe, quod tuum est. Hoc est, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem soli culpam & dignam pœnam pro culpa deberi sentias.

Matt. 22.

4. Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum, nam summum non stat sine infimo. Summi sancti apud Deum, minimi sunt apud se; & quanto gloriosiores, tanto in se humiliores. Pleni veritate & gloria cælesti, non sunt vanæ gloriæ cupidi. In

Luca 14.

Deo

Deo firmati & fundati, nullo modo possunt esse elati. Et qui totum Deo ascribunt, quicquid boni acceperunt, gloriam ab inuicem non quærunt; sed gloriam, quæ à solo Deo est, volunt; & Deum in se & in omnibus sanctis laudari super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt. *Ioan. 5.*

5. Esto igitur gratus pro minimo, & eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimũ etiam pro maximo, & magis contemptibile pro speciali dono. Si dignitas dãtoris inspicitur, nullũ datũ paruum aut nimis vile videbitur. Non enim paruũ est, quod à summo Deo donatur. Etiamsi pœnas & verbera dederit, gratũ esse debet; quia semper pro salute nostra facit, quicquid nobis aduenire permittit. Qui gratiã Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata. Oret, vt redeat; cautus sit & humilis, ne amittat.

CAPVT XI.

De paucitate amatorum crucis Iesu.

1. HAbet Iesus nunc multos amatores regni sui cælestis, sed paucos baiulatores suæ crucis. Multos habet desideratores cõsolationis, sed paucos tribulationis. Plures inuenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. Omnes cupiũt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo aliquid sustinere. Multi Iesum sequuntur vsque ad fractionem panis, sed pauci vsque ad bibendum calicem passionis. Multi miracula eius venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur. Multi Iesum diligunt, quamdiu aduersa non contingunt. Multi illum laudant & benedicunt, quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt. Si autem Iesus se absconderit, & modicum eos reliquerit; aut in querimoniam, vel in deiectionem nimiam cadunt. *Luc. 9. & 22.*

2. Qui autem Iesum propter Iesum & non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione & angustia cordis, sicut in summo consolatione benedicunt. Et si nunquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen semper laudarent, & semper gratias agere vellent.

3. O quantum potest amor Iesu purus, nullo proprio commodo vel amore permixtus? Nonne omnes mercenarij sunt dicẽdi, qui consolationes semper quærunt? Nonne amatores sui magis quàm Christi probantur, qui sua commoda & lucra semper meditantur? Vbi inuenietur talis, qui velit Deo seruire gratis? *Phil. 2.*

4. Rarò inuenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus. Nam verum pauperem spiritu, & ab omni creatura nudum quis inueniet? Procul & de vltimis finibus precium eius. Si dederit *Prouer. 31*

rit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Etsi fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est: Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longè est. Et si habuerit virtutem magnam; & deuotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest: scilicet vnum, quod summè sibi necessarium est. Quid illud? Vt omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de priuato amore retineat; cumque omnia fecerit, quæ facienda nouerit, nil se fecisse sentiat.

Matth. 16.

Luce 17.

5. Non grande ponderet, quod grande æstimari possit, sed in veritate seruum inutilem se pronunciet, sicut veritas ait: *Cùm feceritis omnia, quæ precepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Tunc verè pauper & nudus spiritu esse poterit, & cum Propheta dicere. *Quia vnicus & pauper sum ego.* Nemo tamen isto ditior, nemo potentior, nemo liberior, qui se & omnia relinquere scit, & ad infimum se ponere.

Psalm. 24.

CAPVT XII.

De regia via sanctæ crucis.

Matth. 16. 1. DVrus multis videtur hic sermo: Abnega temetipsum, tolle crucem tuam, & sequere Iesum. Sed multo durius erit audire illud extremum verbum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Qui enim modò libenter audiunt, & sequuntur verbũ crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes serui crucis, qui se crucifixo cõformauerunt in vita, accedent ad Christum iudicem cum magna fiducia.

Matth. 25.
Psalm. 111.

2. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnũ? In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus: in cruce infusio supernæ suauitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus: in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, & sequere Iesum, & ibis in vitam æternam. Præcessit ille baiulans sibi crucem, & mortuus est pro te in cruce: vt & tu tuam portes crucẽ, & mori affectes in cruce. Quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter viues. Et si socius fueris pœnæ, eris & gloriæ.

Luce 14.
Ioan. 19.
2. Cor. 11.

3. Ecce in cruce totum constat, & in moriendo totum iacet: & non est alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis & quotidianæ mortificationis. Ambula vbi vis, quære quodcunque volueris, & non inuenies altiorem viam suprà, nec securiorem viam infrà, nisi viam sanctæ crucis. Dispone & ordina omnia secundùm tuum velle & videre, & non inuenies

nisi

nisi semper aliquid pati debere, aut sponte aut inuitè, & ita crucem semper inuenies? Aut etiam in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis.

4. Interdum à Deo relinquéris, interdum à proximo exercitaberis, & quod amplius est, sæpe tibimetipsi grauis eris, nec tamé aliquo remedio vel solatio liberari seu alleuiari poteris, sed donec Deus voluerit, oportet vt sustineas. Vult enim Deus, vt tribulationem sine cõsolatione pati discas, & vt illi totaliter te subijcias, & humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter sentit passionẽ Christi, sicut is, cui cõtigerit similia pati. Crux ergo semper parata est, & vbique te expectat. Nõ potes effugere, quocumque cucurreris; quia quocunque ieueris, teipsum tecum portas, & semper teipsum inuenies. Conuerte te suprà, conuerte te infrà; conuerte te extrà, conuertere intrà, & in his omnibus inuenies crucem: & necesse est te vbique tenere patientiam, si internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.

5. Si libenter crucem portas, portabit te, & ducet te ad desideratum finem; vbi scilicet finis patiendi erit, quamuis hic nõ erit. Si inuitè portas, onus tibi facis, & teipsum magis grauas: & tamen oportet, vt sustineas. Si abijcis vnam crucem, aliam procul dubio inuenies, & forsitan grauiorem.

6. Credis tu euadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit? Nec enim Iesus Christus Dominus noster, vna hora sine dolore passionis fuit, quãdiu vixit. *Oportebat*, ait, *Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam*. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam, quæ est via sanctæ crucis? Tota vita Christi crux fuit & martyrium, & tu tibi quæris requiem & gaudium. *Lucæ 24.* *Iob 7.*

7. Erras erras, si aliud quæris, quàm pati tribulationes: quia tota vita ista mortalis plena est miserijs, & circumsignata crucibus. Et quanto altiùs quis in spiritu profecerit, tanto grauiores sæpe cruces inuenit, quia exilij sui pœna magis ex amore crescit. Sed tamen iste sic multipliciter afflictus, non est sine leuamine consolationis; quia fructum maximum sibi sentit accrescere, ex sufferentia suæ crucis. *2. Cor. 11. & 12.*

8. Nam dum sponte se illi subijcit, omne onus tribulationis in fiduciam diuinæ consolationis conuertitur: Et quanto caro magis per afflictionem atteritur, tanto spiritus ampliùs per internam gratiam roboratur. Et nonnunquam in tantùm confortatur ex affectu tribulationis & aduersitatis, ob amorem conformitatis crucis Christi, vt se sine dolore & tribulatione esse non

vellet; quoniam tanto se acceptiorem Deo credit, quanto plura & grauiora pro eo perferre potuerit. Non est istud hominis viribus, sed gratia Christi, quæ tãta potest & agit in carne fragili; vt quod naturaliter semper abhorret & fugit, hoc feruore spiritus aggrediatur & diligat.

9. Non est secundùm hominem crucem portare, crucem amare: corpus castigare, & seruituti subijcere: honores fugere, contumelias libenter sustinere: seipsum despicere, & despici optare: aduersa quæque cum damnis perpeti, & nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare. *2. Cor. 3.* Si ad teipsum respicis, nihil huiusmodi ex te poteris. Sed si in Domino cõfidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, & subijcientur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus, & cruce Christi signatus.

10. Pone te ergo sicut bonus & fidelis seruus Christi, ad portãdam viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi. Prępara te ad toleranda multa aduersa & varia incommoda, in hac misera vita; quia sic tecum erit, vbicumque fueris: & sic reuera inuenies, vbicũque latueris. Oportet ita esse, & non est remediũ euadendi à tribulatione malorum & dolore, quàm vt te patiaris. *Matth. 20. & Ioan. 18.* Calicem Domini affectanter bibe, si amicus eius esse, & partem cum eo habere desideras. Consolationes Deo committe; faciat ipse cum talibus, sicut sibi magis placuerit. Tu verò pone te ad sustinendum tribulationes, & reputa eas maximas consolationes. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam promerendam, etiam si solus omnes posses sustinere.

Roman. 8. 11. Quando ad hoc veneris, quòd tribulatio tibi dulcis est, & sapit pro Christo, tunc bene tecũ esse æstima, quia inueneristi paradisum in terra. *Galat. 6.* Quamdiu pati graue tibi est, & fugere quæris: tamdiu malè habebis, & sequetur te vbique fuga tribulationis.

12. Si ponis te, ad quod esse debes, videlicet ad patiendum & moriendum, fiet citò melius, & pacem inuenies. *2. Cor. 12. Act. 9.* Etiam si raptus fueris vsque ad tertium cælum cum Paulo, non es propterea securatus de nullo contrario patiendo. *Ego* (inquit Iesus) *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Pati ergo tibi restat, si Iesum diligere & perpetuò illi seruire placet.

Actor. 1. 13. Vtinam dignus esses, aliquid pro nomine Iesu pati: quàm magna gloria remaneret tibi: quanta exultatio omnibus sanctis Dei: quãta quoque ædificatio esset proximi? Nam patientiã omnes recommendant, quamuis tamen pauci pati velint. Meritò deberes libenter modicum pati pro Christo, cùm multi grauiora patiantur pro mundo.

14. Scias

14. Scias pro certo, quia morientem, te oportet, ducere vitam. *Psalm. 43.* Et quanto quisque plus sibi moritur, tanto magis Deo viuere incipit. Nemo aptus est ad comprehẽdẽdum cælestia nisi se submiserit ad portandum pro Christo aduersa. Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quã libenter pati pro Christo. Etsi eligendum tibi esset, magis optare deberes pro Christo aduersa pati, quàm multis consolationibus recreari; quia Christi similior esses, & omnibus sanctis conformior. Non enim stat meritum nostrum & profectus status nostri, in multis suauitatibus & consolationibus; sed potiùs in magnis grauitatibus, & tribulationibus perferendis.

15. Si quidem aliquid melius & vtilius saluti hominum, quàm pati fuisset; Christus vtique verbo & exemplo ostendisset. Nam & sequentes se discipulos, omnesque eum sequi cupientes, manifestè ad crucem portandam hortatur, & dicit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* *Lucæ 9.* Omnibus ergo perlectis & scrutatis, sit hæc conclusio finalis: *Quoniam per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei.* *Act. 14.*

LIBER TERTIVS.

De interna consolatione.

CAPITA LIBRI TERTII.

DE interna Christi loquutione ad animam fidelem. Cap. I
Quod veritas intus loquitur sine strepitu verborum. II
Quòd verba Dei cum humilitate sunt audienda, & quòd multi ea non ponderant. III
Item: Oratio ad implorandam deuotionis gratiam.
Quòd in veritate & humilitate coram Deo conuersandum est. IV
De mirabili effectu diuini amoris. V
De probatione veri amatoris. VI
De occultanda gratia, sub humilitatis custodia. VII
De vili æstimatione suiipsius in oculis Dei. VIII
Quòd omnia ad Deum, sicut ad finem vltimum, sint referenda. IX
Quòd spreto mundo, dulce est seruire Deo. X
Quòd desideria cordis examinanda sunt & moderanda. XI
De informatione patientiæ & luctamine aduersus concupiscentias. XII
De obedientia humilis subditi, ad exemplum Iesu Christi. XIII
De occultis Dei iudicijs considerandis, ne extollamur in bonis. XIV
Qualiter standum sit ac dicendum in omni re desiderabili. XV

Item

Item: Oratio pro beneplacito Dei perficiendo.
Quòd verum solatium in solo Deo est quarendum. XVI
Quòd omnis solicitudo in Deo statuenda sit. XVII
Quòd temporales miseria, exemplo Christi, æquanimiter sunt ferenda. XVIII
De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur. XIX
De confessione propria infirmitatis, & huius vitæ miserijs. XX
Quòd in Deo, super omnia bona & dona, requiescendum est. XXI
De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. XXII
De quatuor magnam importantibus pacem. XXIII
Item: Oratio contra cogitationes malas.
Item: Oratio pro illuminatione mentis.
De euitatione curiosæ inquisitionis super alterius vita. XXIV
In quibus firma pax cordis & verus profectus consistit. XXV
De eminentia liberæ mentis, quam supplex oratio magis meretur, quàm lectio. XXVI
Quòd priuatus amor à summo bono maximè retardat. XXVII
Item: Oratio pro purgatione cordis, & cælesti sapientia.
Contra linguas obtrectatorum. XXVIII
Qualiter instante tribulatione, Deus inuocandus est & benedicendus. XXIX
De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperanda gratia. XXX
De neglectu omnis creaturæ, vt creator possit inueniri. XXXI
De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis. XXXII
De instabilitate cordis, & de intētione finali ad Deū habenda. XXXIII
Quòd amanti sapit Deus super omnia & in omnibus. XXXIV
Quòd non est securitas à tentatione in hac vita. XXXV
Contra vana hominum iudicia. XXXVI
De pura & integra resignatione sui ad obtinendam cordis libertatem. XXXVII
De bono regimine in externis, & recursu ad Deū in periculis. XXXVIII
Quòd homo non sit importunus in negotijs. XXXIX
Quòd homo nihil boni ex se habet, & de nullo gloriari potest. XL
De contemptu omnis temporalis honoris. XLI
Quòd pax non est ponenda in hominibus. XLII
Contra vanam & secularem scientiam. XLIII
De non attrahendo sibi res exteriores. XLIV
Quòd omnibus non est credendum, & de facili lapsu verborum. XLV
De confidentia in Deo habēda, quando insurgunt verborū iacula. XLVI
Quòd omnia grauia pro æterna vita sunt toleranda. XLVII
De die æternitatis, & huius vitæ angustijs. XLVIII
De desiderio æternæ vitæ, & quāta sūt certātibus bona promissa. XLIX
Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre. L

Quòd

Quòd humilibus insistendum est operibus, cùm deficitur à summis. lx
Quòd homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus reum. lxi
Quòd gratia Dei non miscetur terrena sapientibus. lxiii
De diuersis motibus naturæ & gratiæ. lxiv
De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ. lv
Quòd nos ipsos abnegare & Christum imitari debemus per crucem. lvi
Quòd homo nõ sit nimis dejectus, quãdo in aliquos labitur defectus. lvii
De altioribus rebus & occultis iudicijs Dei non scrutandis. lviii
Quòd omnis spes & fiducia in solo Deo est figenda. lix

CAPVT I.

De interna Christi locutione ad animam fidelem.

2. AVdiam quid loquatur in me Dominus Deus. Beata anima, quæ Dominum in se loquentem audit, & de ore eius consolationis verbum accipit. Beatæ aures, quæ venas diuini susurri suscipiunt, & de mundi huius susurrationibus nihil aduertunt. Beatæ planè aures, quæ non vocem foris sonantem, sed intus auscultant veritatem docentem. Beati oculi, qui exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti. Beati, qui interna penetrant, & ad capienda arcana cælestia magis ac magis per quotidiana exercitia se studeant præparare. Beati, qui Deo vacare gestiunt, & ab omni impedimento seculi se excutiunt. *Psalm. 84.* 1 *Reg. 3.* *Matt. 13.*

2. Animaduerte hæc anima mea, & claude sensualitatis tuæ ostia: vt possis audire, quid in te loquatur Dominus Deus tuus. Hæc dicit dilectus tuus: Salus tua ego sum pax tua, & vita tua. Serua te apud me, & pacem inuenies. Dimitte omnia trãsitoria, quære æterna. Quid sunt omnia temporalia, nisi seductoria? Et quid iuuant omnes creaturæ, si fueris à creatore deserta? Omnibus ergo abdicatis, creatori tuo te redde placitam ac fidelem, vt veram valeas apprehendere beatitudinem. *Psalm. 84.* *Psalm. 34.*

CAPVT II.

Quòd veritas intus loquitur sine strepitu verborum.

1. LOquere Domine, quia audit seruus tuus. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Inclina cor meum in verba oris tui, fluat vt ros eloquium tuum. Dicebãt olim filij Israël ad Moysen: *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Non sic Domine, non sic oro; sed magis cum Samuele propheta humiliter ac desideranter obsecro: *Loquere Domine quia audit seruus tuus.* Non loquatur mihi Moyses, aut aliquis ex prophetis; sed tu potiùs loquere Domine Deus, inspirator & illuminator omnium prophetarum; quia tu solus sine eis potes me perfectè imbuere, illi autem sine te nihil proficient. 1. *Reg. 3.* *Psalm. 118.* *Exod. 20.* 1. *Reg. 3.*

2. Pos-

2. Possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt. Pulchre dicunt, sed te tacente cor non accendunt. Literas tradũt, sed tu sensum aperis. Mysteria proferũt, sed tu reseras intellectũ signatorum. Mandata edicunt, sed tu iuuas ad perficiendum. Viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantũ agunt, sed tu corda instruis & illuminas. Illi exteriùs rigant, sed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis.

3. Nõ ergo loquatur mihi Moyses, sed tu Domine Deus meus, æterna veritas; ne fortè moriar, & sine fructu efficiar, si fuero tãtùm foris admonitus, & intus non accensus: ne sit mihi ad iudicium verbum auditum & non factum; cognitum, nec amatum; creditum, & non seruatum. Loquere igitur Domine, quia audit seruus tuus, verba enim vitæ æternæ habes. Loquere mihi, ad qualemcumque animæ meæ consolationem, & ad totius vitæ meæ emendationem, tibi autem ad laudem & gloriam & perpetuum honorem.

1. Reg. 3.
Ioan. 6.

CAPVT III.

Quòd verba Dei cum humilitate sunt audienda, & quòd multi ea non ponderant.

1. AVdi fili verba mea, verba suauissima, omnem philosophorum & sapientium huius mundi scientiam excedẽtia. Verba mea spiritus & vita sunt, nec humano sensu pẽsanda. Nõ sunt ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda, & cum omni humilitate atque magno affectu suscipienda. Et dixi: *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; vt mitiges ei à diebus malis,* & non desoletur in terra.

Ibid.

Psalm. 93.

Hebr. 1.

2. Ego, inquit Dominus, docui prophetas ab initio, & vsque nunc non cesso omnibus loqui; sed multi ad vocem meam surdi sunt & duri. Plures mundum libentiùs audiunt, quàm Deum, faciliùs sequuntur carnis suæ appetitum, quam Dei beneplacitum. Promittit mundus temporalia & parua, & seruitur ei auiditate magna: ego promitto summa & æterna, & torpescunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus seruit & obedit, sicut mundo & dominis eius seruitur? *Erubesce Sidon, ait mare:* Et si causam quæris, audi quare. Pro modica prębenda, longa via curritur, pro æterna vita, à multis vix pes semel à terra leuatur. Vile pretium quæritur, pro vno numismate interdum turpiter litigatur: pro vana re, & parua promissione, die noctuque fatigari non timetur.

Isaiæ 25.

3. Sed proh dolor, pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili,

stimabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritantur. Erubesce ergo serue piger & querulose, quòd illi paratiores inueniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quàm tu ad veritatẽ. Equidem à spe sua nonnunquam frustrantur, sed promissio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promisi, dabo; quod dixi, implebo; si tamen vsque in finem fidelis in dilectione mea quis permanserit. Ego remunerator sum omnium bonorum, & fortis probator omnium deuotorum. *Roman. 1. Matth. 24. Apoc. 2. Matt. 5. & 25.*

4. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter, erũt enim in tempore tentationis valde necessaria. Quod non intelligis cùm legis, cognosces in die visitationis. Dupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet & consolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego, vnam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea, & spernit ea, habet qui iudicet eum in nouissimo die.

Oratio ad implorandam deuotionis gratiam.

5. DOmine Deus meus, omnia bona mea tu es. Et quis ego sum, vt audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus seruulus tuus & abiectus vermiculus; multo pauperior & contemptibilior, quàm scio & dicere audeo. Memento tamẽ Domine, quia nil sum, nihil habeo, nihilque valeo. Tu solus bonus, iustus, & sanctus; tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationum tuarum, & imple cor meum gratia tua, qui non vis esse vacua opera tua. *Gen. 18. & 1. Reg. 18.*

6. Quomodo possum me tolerare in hac misera vita, nisi me confortaueris misericordia & gratia tua? Noli auertere faciem tuam à me: noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuã abstrahere, ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Domine doce me facere voluntatem tuam, doce me coram te dignè & humiliter conuersari: quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognouisti antequam fieret mundus, & antequam natus essem in mundo. *Psalm. 68. Psalm. 142.*

CAPVT IV.

Quòd in veritate & humilitate coram Deo conuersandum est.

1. FILI ambula coram me in veritate, & in simplicitate cordis tui quære me semper. Qui ambulat corã me in veritate, tutabitur ab incursibus malis, & veritas liberabit eũ à seductoribus *Gene. 17. Sapient. 1. Ioan. 8.*

&

& detractionibus iniquorum. Si veritas te liberauerit, verè liber eris, & non curabis de vanis hominum verbis. Domine verum est, sicut dicis; ita (quæso) mecũ fiat. Veritas tua me doceat, ipsa me custodiat, & vsque ad salutarem finem conseruet. Ipsa me liberet ab omni affectione mala & inordinata dilectione, & ambulabo tecum in magna cordis libertate.

2. Ego te docebo (ait veritas) quæ recta sunt, & placita corã me. Cogita peccata tua cum displicentia magna & mœrore, & nunquam reputes te aliquid esse propter opera bona. Reuera peccator es, & multis passionibus obnoxius & implicatus. Ex te semper ad nihil tendis; citò laberis, citò vinceris, citò turbaris, citò dissolueris. Non habes quicquam, vnde possis gloriari; sed multa, vnde te debeas vilificare: quia multo infirmior es, quàm valeas comprehendere. *1. Cor. 4.*

3. Nil ergo magnum tibi videatur ex omnibus, quæ agis. Nil grande, nil pretiosum & admirabile, nil reputatione appareat dignum; nil altum, nihil verè laudabile & desiderabile, nisi quod æternũ est. Placeat tibi super omnia æterna veritas, displiceat tibi semper tua maxima vilitas. Nil sic timeas, sic vituperes & fugias, sicut vitia & peccata tua; quæ magis displicere debẽt, quàm quælibet rerum damna. Quidam non sincerè coram me ambulant, sed quadam curiositate & arrogantia ducti, volunt secreta mea scire & alta Dei intelligere, se & suam salutem negligentes. Hi sæpe in magnas tentationes & peccata, propter suam superbiam & curiositatem, me eis aduersante labuntur. *Eccl. 3. & 2. Cor. 3.*

4. Time iudicia Dei, expauescе iram omnipotentis. Noli autem discutere opera altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis deliquisti, & quàm multa bona neglexisti. Quidam solum portant suam deuotionem in libris, quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris. Quidam habent me in ore, sed modicum est in corde: Sunt alij, qui intellectu illuminati & affectu purgati, ad æterna semper anhelant, de terrenis grauiter audiunt, necessitatibus naturæ dolenter inseruiunt; & hi sentiunt, quid spiritus veritatis loquitur in eis: quia docet eos terrena despicere, & amare cœlestia: mundum negligere, & cælum tota die ac nocte desiderare. *Isaiæ 29. Psalm. 24. Psalm. 1.*

CAPVT V.

De mirabili effectu diuini amoris.

1. BEnedico te Pater cælestis, Pater Domini mei Iesu Christi, quia mei pauperis dignatus es recordari. O Pater misericordiarũ & Deus totius cõsolationis, gratias tibi, qui me indignũ om- *2. Cor. 1.*

omniconsolatione, quandoque tua recreas consolatione. Benedico te semper & glorifico, cum vnigenito Filio tuo & Spiritu S. paracleto, in secula seculorum. Eia Domine Deus, amator sancte meus, cùm tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea, & exultatio cordis mei; Tu spes mea & refugium meum, in die tribulationis meæ. *Psalm. 3. Psalm. 31.*

2. Sed quia adhuc debilis sum in amore, & imperfectus in virtute, ideo necesse habeo à te confortari & cõsolari: propterea visita me sæpiùs, & instrue disciplinis sanctis. Libera à passionibus malis, & sana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis; vt intus sanatus & bene purgatus, aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum, stabilis ad perseuerandum.

3. Magna res est amor, magnum omnino bonum quod solum leue facit omne onerosum, & fert æqualiter omne inæquale. Nã onus sine onere portat, & omne amarum dulce ac sapidum effi- *Matth. 11.* cit. Amor Iesu nobilis, ad magna operanda impellit, & ad desiderãda semper perfectiora excitat. Amor vult esse sursum, nec vllis infimis rebus retineri. Amor vult esse liber, & ab omni mundana affectione alienus; ne internus eius impediatur aspectus; ne per aliquod commodum temporale implicationes sustineat, aut per incommodum succumbat. Nihil dulcius est amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil plenius nec melius in cælo & in terra: quia amor ex Deo natus est, nec potest, nisi in Deo, super omnia creata quiescere.

4. Amans volat, currit, & lætatur; liber est, & non tenetur. Dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus; quia in vno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit & procedit. Non respicit ad dona, sed ad donantem se conuertit super omnia bona. Amor modum sæpe nescit, sed super omnem modum feruescit. Amor onus non sentit, labores non reputat plus affectat quàm valet; de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, vbi non amans deficit & iacet.

5. Amor vigilat, & dormiens non dormitat. Fatigatus, non lassatur; arctatus, non coarctatur; territus, non conturbatur; sed *Roman. 8.* sicut viuax flãma & ardens facula sursum erumpit, secureque pertransit. Si quis amat, nouit quid hæc vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei est, ipse ardens affectus animæ, quæ dicit: Deus meus, amor meus: tu totus meus, & ego totus tuus.

6. Dilata me in amore, vt discã interiori cordis ore degustare, quã suaue sit amare, & in amore liquefieri & natare. Tenear amore, vadens supra me præ nimio feruore & stupore. Cantem amoris canticum, sequar te dilectum meum in altum, deficiat

in

in laude tua anima mea iubilans ex amore. Amem te, pluſquam me; nec me, niſi propter te; & omnes in te, qui verè amant te, ſicut iubet lex amoris lucens ex te.

1. Cor. 13. 7. Eſt amor velox, ſincerus, pius, iucundus, & amœnus; fortis, patiens, fidelis, prudens, longanimis, virilis, & ſeipſum nunquam

1. Cor. 10. & Phil. 2. quærens. Vbi enim ſeipſum aliquis quærit, ibi ab amore cadit. Eſt amor circumſpectus, humilis, & rectus: non mollis, non leuis, nec vanis intendens rebus; ſobrius, caſtus, ſtabilis, quietus, & in cunctis ſenſibus cuſtoditus. Eſt amor ſubiectus & obediens Prælatis, ſibi vilis & deſpectus, Deo deuotus & gratificus, fidens & ſperans ſemper in eo, etiam cùm ſibi non ſapit Deus; quia ſine dolore non viuitur in amore.

Roman. 8. 8. Qui non eſt paratus omnia pati, & ad voluntatem ſtare dilecti, non eſt dignus amator appellari. Oportet amantem omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

CAPVT VI.

De *probatione veri amatoris.*

1. FILI, nõ es adhuc fortis & prudens amator. Quare Domine? Quia propter modicam contrarietatem deficis à cœptis, &

Phil. 4. nimis auidè conſolationem quæris. Fortis amator ſtat in tentationibus, nec callidis credit perſuaſionibus inimici. Sicut ei in proſperis placeo, ita nec in aduerſis diſpliceo.

2. Prudens amator, nõ tam donum amantis conſiderat, quàm dantis amorem. Affectum potiùs attendit, quàm cenſum, & infra dilectum omnia data ponit. Nobilis amator non quieſcit in dono, ſed in me ſuper omne donum. Non eſt ideo totum perditum, ſi quandoque minùs bene de me vel de ſanctis meis ſentis, quàm velles. Affectus ille bonus & dulcis, quem interdum percipis, effectus gratiæ præſentis eſt, & quidam præguſtus patriæ cæleſtis.

Matth. 4. Super quo non nimiùm innitendum, quia vadit & venit. Certare autem aduerſus incidentes malos motus animi, ſuggeſtionemq; ſpernere diaboli, inſigne eſt virtutis & magni meriti.

3. Non ergo te conturbent alienæ phantaſiæ, de quacunque materia ingeſtæ. Forte ſerua propoſitum, & intentionem rectam ad Deum. Nec eſt illuſio, quòd aliquãdo in excelſum ſubitò raperis, & ſtatim ad ſolitas ineptias cordis reuerteris. Illas enim inuitè magis pateris, quàm agis; & quàm diu diſplicent & reniteris, meritum eſt, & non perditio.

4. Scito, quòd antiquus inimicus omnino nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni deuoto exercitio euacuare, à ſanctorum ſcilicet cultu, à pia paſſionis meæ memoria, à peccatorum

torum vtili recordatione, à proprij cordis custodia, & à firmo proposito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit, vt tædium tibi faciat & horrorem; vt ab oratione reuocet, & sacra lectione. Displicet ipsi humilis confessio; & si posset, à cõmunione cessare faceret. Non credas ei, neq; cures illum, licet sæpiùs tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ipsi imputa, cùm mala inserit & immunda. Dicito illi; Vade immunde spiritus, erubesce miser: valde immundus es tu, qui talia infers auribus meis. Matth. 4. & 16. Discede à me seductor pessime, non habebis in me partem illam; sed Iesus mecum erit tanquam bellator fortis, & tu stabis confusus. Malo mori, & omnem pœnam subire, quàm tibi consentire. Tace & obmutesce, non audiam te amplius, licèt plures mihi moliaris molestias. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Si consistant aduersum me castra, nõ timebit cor meum. Dominus adiutor meus, & redemptor meus.

5. Certa tanquam miles bonus; & si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea; & multum præcaue à vana complacentia & superbia. Propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem penè incurabilem quandoq; labuntur. Sit tibi in cautelam & perpetuã humilitatem, ruina hæc superborum de se stultè præsumentium.

CAPVT VII.

De occultanda gratia, sub humilitatis custodia.

1 FIli, vtilius est tibi & securius, deuotionis gratiam abscondere, nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare; sed magis temetipsum despicere, & tanquam indigno datam timere. Non est huic affectioni tenaciùs inhærendum, quæ citiùs potest mutari in contrarium. Cogita in gratia, quàm miser & inops esse soles sine gratia. Nec est in eo tantùm spiritualis vitæ profectus, cùm consolationis habueris gratiam: sed quum humiliter & abnegatè patienterque tuleris eius subtractionem: ita quod tunc ab orationis studio non torpeas, nec reliqua opera tua ex vsu facienda, omnino dilabi permittas; sed sicut melius potueris & intellexeris, libenter quod in te est, facias; nec propter ariditatem, seu anxietatem mentis, quam sentis te totaliter negligas.

2. Multi enim sunt, qui cùm non bene eis successerit, statim impatientes fiunt aut desides. Non enim semper est in potestate hominis via eius; sed Dei est dare & consolari, quando vult, & quantũ vult, & cui vult; sicut sibi placuerit, & non amplius. Quidam incauti, propter deuotionis gratiam seipsos destruxerunt; quia plus agere voluerunt, quam potuerunt, non pensantes suæ par-

Hier. 10. Rom. 9.

paruitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quàm rationis iudicium. Et quia maiora præsumpserunt, quàm Deo
Isa. 14. placitum fuit, idcirco gratiã citò perdiderunt. Facti sunt inopes, & viles relicti, qui in cælum posuerunt nidum sibi; vt humiliati & depauperati, discant non in alis suis volare, sed sub pennis meis sperare. Qui adhuc noui sunt, & imperiti in via Domini, nisi consilio discretorum se regant, faciliter decipi possunt & elidi.

3. Quòd si suum sentire magis sequi, quàm aliis exercitatis credere volunt, erit eis periculosus exitus, si tamen retrahi à proprio conceptu noluerint. Rarò sibiipsis sapientes, ab aliis regi humiliter patiuntur. Melius est sapere modicum cum humilitate & parua intelligentia, quàm magni scientiarum thesauri cum vana complacentia. Melius est tibi minus habere quàm multum,
Prou. 15. & 16. vnde posses superbire. Non satis discretè agit, qui se totum lætitiæ tradit, obliuiscens pristinæ inopiæ suæ, & casti timoris Domini, qui timet gratiam oblatam amittere. Nec etiam satis virtuosè sapit, qui tempore aduersitatis & cuiusque grauitatis, nimis desperatè se gerit; & minùs fidenter de me, quàm oportet, recogitat ac sentit.

4. Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit, sæpe tẽpore
1. Thess. 5. belli nimis deiectus & formidolosus reperietur. Si scires semper humilis & modicus in te permanere, nec non spiritum tuum bene moderari & regere, non incideres tam citò in periculum & offensam. Consilium bonum est, vt feruoris spiritu concepto; mediteris, quid futurum sit abscedente lumine. Quod dum contigerit, recogita, & denuo lucem posse reuerti; quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam, ad tempus subtraxi.

5. Vtilior est sæpe talis probatio, quàm si semper prospera pro tua haberes voluntate. Nam merita non sunt ex hoc existimanda, si quis plures visiones aut consolationes habeat; vel si peritus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu; sed si vera fuerit humilitate fundatus, & diuina charitate repletus. Si Dei honorem
Psal 83. purè & integrè semper quærat. Si seipsum nihil reputet, & in veritate despiciat, atque ab aliis etiam despici & humiliari magis gaudeat quàm honorari.

CAPVT VIII.

De vili æstimatione suiipsius, in oculis Dei.

Gen. 18. 1. LOquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis? Si me amplius reputauero, ecce tu stas contra me, & dicunt testimonium verum iniquitates meæ, nec possum contradicere. Si autem me vilificauero, & ad nihilum redegero, & ab omni propria

pia reputatione defecero, atque (sicut sum) puluerizauero; erit mihi propitia gratia tua, & victima cordi meo lux tua: & omnis æstimatio quantulacumque minima, in valle nihileitatis meæ submergetur, & peribit in æternum. Ibi ostendis me mihi, quid sum, quid fui, & de quo veni: quia nihil sum, & nescivi. Si mihi ipsi relinquor, ecce nihil & tota infirmitas. Si autem subitò me respexeris, statim fortis efficior, & novo repleor gaudio. Et mirum valde, quòd sic repentè sublevor, & tam benignè à te complector, qui proprio pondere semper ad ima feror.

2. Facit hoc amor tuus, gratis prævenies me, & in tam multis subveniens necessitatibus; à gravibus quoque custodiens me periculis, & ab innumeris (vt verè dicam) eripiens malis. Me siquidem malè amando, me perdidi: & te solùm quærendo & purè amando, me & te pariter inveni, atque ex amore profundiùs ad nihilum me redegi. Quia tu, ô dulcissime, facis mecum supra meritum omne: & supra id, quàm audeo sperare vel rogare. *Ioan. 12.*

3. Benedictus sis Deus meus; quia licet ego omnibus bonis sim indignus, tua tamen nobilitas & infinita bonitas nunquam cessat benefacere etiam ingratis, & longè te aversis. Convertere nos ad te, vt simus grati, humiles, & devoti; quia salus nostra tu es, virtus, & fortitudo nostra. *Matt. 5.*

CAPVT IX.

Quòd omnia ad Deum, sicut ad finem vltimum, sunt referenda.

1. FIli, ego debeo esse finis tuus supremus & vltimatus, si verè desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad seipsum & ad creaturas malè incurvatus. Nam si teipsum in aliquo quæris, statim in te deficis & arescis. Omnia ergo ad me principaliter referas, quia ego sum, qui omnia dedi. Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia; & ideo ad me, tanquam ad suam originem, cuncta sunt reducenda. *Eccli. 1.*

2. Ex me pusillus & magnus, pauper & dives, tanquam ex fonte vivo, aquam viuam hauriunt: & qui mihi sponte & liberè deserviunt, gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari, non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur & angustiabitur. Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas; sed totum da Deo, sine quo nihil habet homo. Ego totum dedi, ego totū te habere volo, & cū magna districtione, gratiarum actiones requiro. *Ioan. 4.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 4.*

3. Hæc est veritas, qua fugatur gloriæ vanitas. Et si intravierit cælestis gratia & vera charitas, non erit aliqua invidia, nec contractio cordis, neque privatus amor occupabit. Vincit enim om-

nia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè sapis, in me solo gaudebis, in me solo sperabis: quia nemo bonus, nisi solus Deus, qui est super omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.

Matt 19. & Luc. 18.

CAPVT X.

Quòd spreto mundo, dulce est seruire Deo.

1. NVnc iterum loquar Domine, & non silebo; dicam in auribus Dei mei, Domini mei, & regis mei, qui est in excelso, O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? Sed quid es amantibus? quid toto corde tibi seruientibus? Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te. In hoc maximè ostendisti mihi dulcedinem charitatis tuæ, quia cùm non essem, fecisti me; & cùm errarem longè à te, reduxisti me, vt seruirem tibi; & præcepisti, vt diligam te.

Psalm 30.

Genes. 1. Psal. 118. & Matth. 15.

2. O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodo potero tui obliuisci, qui mei dignatus es recordari, etiam postquam contabui & perij? Fecisti vltra omnem spem, misericordiam cum seruo tuo; & vltra omne meritum, gratiam & amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, vt omnibus abdicatis seculo renuncient, & monasticam vitam assumant. Nunquid magnum est, vt tibi seruiam, cui omnis creatura seruire tenetur? Non magnum mihi videri debet seruire tibi: sed hoc potiùs magnum mihi & mirandum apparet, quòd tam pauperem & indignum dignaris in seruum recipere, & dilectis seruis tuis adunare.

Psal. 118. Iudit. 16.

3. Ecce omnia tua sunt, quæ habeo, & vnde tibi seruio. Veruntamen vice versa, tu magis mihi seruis, quàm ego tibi. Ecce cælum & terra, quæ in ministerium hominis creasti, præsto sunt; & faciunt quotidie, quæcumque mandasti. Et hoc parum est; quin etiam Angelos in ministerium hominis ordinasti. Transcendit autem hæc omnia, quòd tu ipse homini seruire dignatus es, & teipsum daturum ei promisisti.

1. Cor. 4.

Psal. 90. & Heb 1.

4. Quid dabo tibi, pro omnibus istis millibus bonis? Vtinam possem tibi seruire cunctis diebus vitæ meæ. Vtinam vel vno die, dignum seruitium exhibere sufficerem. Verè tu es dignus omni seruitio, omni honore, & laude æterna. Verè Dominus meus es, & ego pauper seruus tuus; qui totis viribus teneor tibi seruire, nec vnquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero; & quicquid mihi deest, tu digneris supplere. Magnus honor, magna gloria tibi seruire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam, qui spõte se subiecerint tuæ sanctissimæ

ctiſsimæ ſeruituti. Inuenient ſuauiſsimam Spiritus ſancti conſolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abiecerint delectationem. Conſequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam. *Matt.19.* *Matt.7.*

5. O grata & iucunda Dei ſeruitus, qua homo veraciter efficitur liber & ſanctus. O ſacer ſtatus religioſi famulatus, qui hominem angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum & ſemper optãdum ſeruitium, quo ſummum promeretur bonum, & gaudium acquiritur ſine fine manſurum. *Matth.11. & 1. Ioa.3.*

CAPVT XI.

Quòd deſideria cordis examinanda ſunt, & moderanda.

1. FIli, oportet te adhuc multa addiſcere, quæ necdum bene didiciſti. Quę ſunt hæc Domine? Vt deſiderium tuum ponas totaliter ſecundùm beneplacitum meum; & tuiipſius amator non ſis, ſed meæ voluntatis cupidus æmulator. Deſideria te ſæpe accendunt, & vehementer impellunt; ſed conſidera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis moueariſ. Si ego ſum in cauſa, bene contentus eris, quomodocumque ordinauero: ſi autem de proprio quæſitu aliquid latet, ecce hoc eſt, quod te impedit & grauat. *Pſal.107.* *Matt 6.* *Phil.2.*

2. Caue ergo, ne nimiùm innitaris ſuper deſiderio præconcepto, me non conſulto; ne fortè poſtea pœniteat aut diſpliceat, quod primò placùit, & quaſi pro meliore zelaſti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, ſtatim eſt ſequenda: ſed neque omnis cõtraria affectio, ad primum fugienda. Expedit interdum refrenatione vti, etiam in bonis ſtudiis & deſideriis; ne per importunitatem, mentis diſtractionem incurras; ne aliis per indiſciplinationem ſcandalum generes; vel etiam per reſiſtentiam aliorum, ſubitò turberis & corruas.

3. *a* Interdum verò oportet violentia vti, & viriliter appetitui ſenſitiuo contraire; *b* nec aduertere, quid velit caro, & quid non velit: ſed hoc magis ſatagere, vt ſubiecta ſit etiam nolens ſpiritui: *c* Et tamdiu caſtigari debet, & cogi ſeruituti ſubeſſe; donec parata ſit ad omnia, pauciſque contentari diſcat, & ſimplicibus delectari, nec contra aliquid inconueniens muſitare. a *Matt.11. Rom. 8. & 2. Cor.4.* b *2. Cor.10.* c *1. Cor.9.*

CAPVT XII.

De informatione patientiæ, & luctamine aduersus concupiscentias.

Heb. 10. Iob 7. 1. DOmine Deus, vt video, patientia est mihi valde necessaria; multa enim in hac vita accidunt contraria. Nam qualitercumque ordinauero de pace mea, non potest esse sine bello & dolore vita mea. Ita est fili. Sed volo te non talem quærere pacem, quæ tentationibus careat, aut contraria non sentiat; sed tunc etiam æstima te pacem inuenisse, cùm fueris variis tribulationibus exercitatus, & in multis contrarietatibus probatus.

Iacob. 1.

2. Si dixeris te non posse multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorij? De duobus malis, minus est semper eligendum. Vt ergo æterna futura supplicia possis euadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare. An putas, quòd homines seculi huius, nihil vel parum patiantur? Nec hoc inuenies, etiam si delicatissimos quæsieris. Sed habent (inquis) multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates, ideoq; parum ponderant suas tribulationes. Esto, ita sit, vt habeant quicquid voluerint; sed quamdiu, (putas) durabit?

Psal. 67.

3. Ecce, quemadmodum fumus deficient abundantes in seculo, & nulla erit recordatio præteritorum gaudiorum. Sed & cum adhuc viuunt, non sine amaritudine, & tædio, ac timore, in eis quiescunt. Ex eadem namque re, vndè sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Iustè illis fit, vt quia inordinatè delectationes quærunt & sequuntur, non sine confusione & amaritudine eas expleant.

4. O quàm breues, quàm falsæ, quàm inordinatæ & turpes omnes sunt? Veruntamen præ ebrietate & cæcitate non intelligunt, sed velut muta animalia, propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum, mortem animæ incurrunt. Tu ergo fili, post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Eccli. 8. Psal. 36.

5. Etenim si veraciter vis delectari, & abundantiùs à me cõsolari, ecce in contemptu omnium mundanorum, & in abscisione omnium infirmarum delectationum, erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto te plus ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suauiores & potentiores consolationes inuenies. Sed primò, non sine quadam tristitia & labore certaminis ad has pertinges. Obstiterit inolita consuetudo, sed meliori consuetudine deuincetur. Remurmurabit caro, sed feruore spiritus frenabitur. Instigabit & exacerbabit serpens antiquus; sed oratione fugabitur; insuper & labore vtili, aditus ei magnus obstruetur.

CAPVT

CAPVT XIII.

De obedientia humilis subditi, ad exemplum Iesu Christi.

1. FIli, qui se subtrahere nititur ab obedictia, ipse se subtrahit à gratia. Et qui quærit habere priuata, amittit cõmunia. Qui non libenter & sponte suo superiori se subdit, signum est, quòd caro sua necdum perfectè sibi obedit, sed sæpe recalcitrat & murmurat. Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subiugare. Citiùs namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit deuastatus. Non est molestior & peior animæ hostis, quàm tu ipse tibi, non bene concordans spiritui. Oportet omnino verum te assumere tuiipsius contemptum, si vis prævalere aduersus carnem & sanguinem. Matth. 16.

2. Quia adhuc nimis inordinatè te diligis, ideo plenè te resignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum, si tu, qui puluis es & nihil, propter Deum te homini subdis, quando ego omnipotens & altissimus, qui cuncta creaui ex nihilo, me homini propter te humiliter subieci? Factus sum omnium humillimus & infimus, vt tuam superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare puluis. Disce te humiliare terra & limus, & sub omnium pedibus incuruare. Disce voluntates tuas frangere, & ad omnem subiectionem te dare. Luc. 2. & Ioan. 13.

3. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te viuere; sed ita subiectum & paruulum te exhibe, vt omnes super te ambulare possint, & sicut lutum platearum conculcare. Quid habes homo inanis conqueri? Quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & infernum multoties meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo; vt cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficiis meis existeres; & vt ad veram subiectionem & humilitatem te iugiter dares, patienterque proprium contemptum ferres.

CAPVT XIV.

De occultis Dei iudicijs considerandis, ne extollamur in bonis.

1. INtonas super me iudicia tua Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expauescit anima mea valde. Sto attonitus & considero, quia cæli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in angelis reperisti prauitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt stellæ de cælo, & ego puluis quid præsumo? Quorũ opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima; & qui comedebant panem Angelorum, vidi siliquis delectari porcorũ. Iob 15. Iob 4. Apoc. 8. Psal. 77.

2. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam, Domine, subtrahas. Nulla prodest sapientia, si gubernare desistas. Nulla iuuat fortitudo, si conseruare desinas. Nulla secura castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilantia. Nam relicti, mergimur & perimus; visitati verò erigimur & viuimus. Instabiles quippe sumus, sed per te confirmamur: tepescimus, sed à te accendimur.

3. O quàm humiliter & abiectè, mihi de meipso sentiendum est; quàm nihili pendendum, si quid boni videar habere. O quàm profundè submittere me debeo, sub abyssalibus iudiciis tuis Domine: vbi nihil aliud me esse inuenio, quàm nihil & nihil. O pondus immensum, ô pelagus intransnatabile; vbi nihil de me reperio, quàm in toto nihil! Vbi est ergo latebra gloriæ? Vbi confidentia de virtute concepta? Absorpta est omnis gloriatio vana, in profunditate iudiciorum tuorum super me.

Eccli. 23. & Isaiæ 29.

4. Quid est omnis caro in conspectu tuo? Nunquid gloriabitur lutum, contra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio, cuius cor in veritate subiectum est Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subiecit; nec omnium laudantium ore mouebitur, qui totam spem suam in Deo firmauit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil: deficient enim cum sonitu verborum; veritas autem Domini manet in æternum.

Psal. 116.

CAPVT XV.

Qualiter standum sit ac dicendum in omni re desiderabili.

Iacob. 3.

1. Fili, sic dicas in omni re: Domine, si tibi placitum fuerit, fiat hoc ita. Domine, si fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo. Domine, si mihi videris expedire, & vtile esse probaueris, tunc dona mihi hoc vti ad honorem tuum. Sed si mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ meæ saluti prodesse, aufer à me tale desiderium. Non enim omne desiderium est à Spiritu S. etiam si homini videatur rectum & bonum. Difficile est pro vero iudicare, vtrum spiritus bonus an alienus te impellat ad desiderandum hoc vel illud, an etiam ex proprio mouearis spiritu. Multi in fine sunt decepti, qui primò bono spiritu videbantur inducti.

2. Igitur semper cum timore Dei & cordis humilitate desiderandum est & petendum, quicquid desiderabile menti occurrit: maximeque cum propria resignatione, mihi totum committendum est, atque dicendum: Domine, tu scis qualiter melius est, fiat hoc vel illud, sicut volueris. Da, quod vis, & quantum vis, & quãdo vis. Fac mecum, sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me vbi vis, & liberè age mecum in omnibus.

omnibus. In manu tua sum, gyra & reuersa me per circuitum. En seruus tuus ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi viuere, sed tibi; vtinam dignè & perfectè.

Oratio pro beneplacito Dei perficiendo.

3. CONcede mihi (benignissime Iesu) gratiam tuam, vt mecum sit, & mecum laboret, mecumq; vsque in finem perseueret. Da mihi hoc semper desiderare & velle, quod tibi magis acceptum est, & charius placet. Tua voluntas, mea sit: & mea voluntas, tuam semper sequatur, & optimè ei concordet. Sit mihi vnum velle & nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis & nolis. *Sap. 9.*

4. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt; & propter te amare contemni, & nesciri in seculo. Da mihi super omnia desiderata in te requiescere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies, extra te dura sunt omnia & inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est, in te vno summo æterno bono, dormiam & requiescam, Amen. *Psalm. 4.*

CAPVT XVI.

Quòd verum solatium in solo Deo est quarendum.

1. QVicquid desiderare possum, vel cogitare ad solatium meũ, non hîc expecto, sed in posterum. Quòd si omnia solatia mundi solus haberem, & omnibus delitiis frui possem, certum est, quòd diu durare non possent. Vnde non poteris anima mea plenè consolari, nec perfectè recreari, nisi in Deo consolatore pauperum, ac susceptore humilium. Expecta modicum anima mea, expecta diuinum promissum, & habebis abundantiam omnium bonorum in cælo. Si nimis inordinatè ista appetis præsentia, perdes æterna & cælestia. Sint temporalia in vsu, æterna in desiderio. Non potes aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda non es creata. *Matth. 16.* *Psal. 76.*

2. Etiam si omnia creata bona haberes, non posses esse felix & beata: sed in Deo, qui cuncta creauit, tota beatitudo tua & felicitas consistit. Non qualis videtur & laudatur à stultis mundi amatoribus, sed qualem expectant boni Christi fideles, & prægustant interdum spirituales ac mundicordes, quorum conuersatio est in cælis. Vanum est & breue omne humanum solatium. Beatum & verum solatium, quod intus à veritate percipitur. Deuotus homo vbique secum fert consolatorem suum Iesum, & dicit ad eum: Adesto mihi Domine Iesu, in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. *Sap. 2.* *Thil. 5.*

Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta proba-
02. tio pro summo solatio. Non enim in perpetuum irasceris, neque in æternum comminaberis.

CAPVT XVII.

Quòd omnis solicitudo in Deo ponenda sit.

1. FIli, sine me tecum agere, quod volo: ego scio, quid expedit tibi. Tu cogitas vt homo: tu sentis in multis sicut humanus suadet affectus. Domine, verum est quod dicis: Maior est solicitudo tua pro me, quàm omnis cura, quam ego gerere possum pro
Matt. 6. & Ioan. 6. me. Nimis enim casualiter stat, qui non proiicit omnem solicitudinem suam in te Domine, dummodo voluntas mea recta & firma ad te permaneat, fac de me, quicquid tibi placuerit. Non enim potest esse nisi bonum, quicquid de me feceris.

2. Si me vis esse in tenebris, sis benedictus: & si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus: & si me vis tribulari, sis æquè semper benedictus. Fili, sic oportet te stare, si mecum desideras ambulare. Ita promptus esse debes ad patiendum, sicut ad gaudendum. Ita libenter debes esse
Iob 2. inops & pauper, sicut plenus & dives.

3. Domine, libenter patiar pro te, quicquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua bonum & malum, dulce
Psal. 22. & amarum, lætum & triste suscipere, & pro omnibus mihi contingentibus gratias agere. Custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem nec infernum. Dummodo in æternum me non proiicias, nec deleas de libro vitæ, non mihi nocebit, quicquid venerit tribulationis super me.

CAPVT XVIII.

Quòd temporales miseriæ exemplo Christi æquanimiter sunt ferendæ.

Ioan. 3. Isaiæ 53. Lucæ 2. 1. FIli, ego descēdi de cælo pro tua salute; suscepi tuas miserias, non necessitate, sed charitate trahente: vt patientiam discerem, & temporales miserias non indignanter ferres. Nam ab hora ortus mei, vsque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium magnum habui: multas querimonias de me frequenter audiui: confusiones & opprobria benignè sustinui: pro beneficiis, ingratitudinem recepi: pro miraculis, blasphemias: pro doctrina, reprehensiones.

Ioan. 5. 2. Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maximè implendo præceptum Patris tui: dignum est, vt ego misellus peccator, secundùm voluntatem tuam patienter me sustineam: &

donec

donec ipse volueris, onus corruptibilis vitæ pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur præsens vita, facta est tamen iam per gratiam tuam valde meritoria; atque exemplo tuo, & sanctorum tuorũ vestigiis, infirmis tolerabilior & clarior: Sed & multo magis consolatoria, quam olim in lege veteri fuerat, quum porta cæli clausa persisteret; & obscurior etiam via ad cælum videbatur, quando tam pauci regnum cælorum quærere curabant. Sed neque qui tunc iusti erant & saluandi, ante passionem tuam & sacræ mortis debitum, cæleste regnum poterant introire. *Matt. 7.*

3. O quantas tibi gratias teneor referre, quòd viam rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis fidelibus ad æternum regnum tuum ostendere? Nam via tua, via nostra: & per sanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona nostra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu quanti longè retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent. Ecce, adhuc tepescimus auditis tot signis tuis & doctrinis: quid fieret, si tantum lumen ad sequendum te non haberemus. *Ioan. 12.*

CAPVT XIX.

De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur.

1. QVid est quod loqueris fili? Cessa conqueri, considerata mea & aliorum sanctorum passione. Nondum vsque ad sanguinem restitisti. Parum est, quod tu pateris, in cõparatione eorum, qui multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam grauiter tribulati, tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorũ grauiora ad mentem reducere, vt leuiùs feras tua minima. Et si tibi minima non videntur, vide ne & hoc tua faciat impatientia. Siue tamen parua siue magna sint, stude cuncta patienter ferre. *Hebr. 12. Hebr. 11.*

2. Quanto meliùs ad patiendum te disponis, tanto sapientiùs agis, & ampliùs promereris; feres quoque leuius, animo & vsu ad hoc non segniter paratis. Nec dicas: Non valeo hæc ab homine tali pati, nec huiuscemodi mihi patienda sunt. Graue enim intulit damnum, & improperat mihi, quæ nunquam cogitaueram; sed ab alio libenter patiar, & sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat, nec à quo coronanda erit; sed magis personas & offensas sibi illatas perpendit.

3. Non est verus patiens, qui pati non vult, nisi quantũ sibi visum fuerit, & à quo sibi placuerit. Verus autẽ patiens non attẽdit à quo homine, vtrùm à Prælato suo, an ab aliquo æquali aut inferiori; vtrùm à bono & sancto viro, vel à peruerso & indigno exerceatur; sed indifferenter ab omni creatura, quantumcunque & quotiescunque ei aliquid aduersi acciderit; totum hoc de ma-

nu Dei gratanter accipit, & ingens lucrum reputat; quia nil apud Deum quantumlibet paruum, pro Deo tamen passum, poterit sine merito transire.

4. Esto itaque expeditus ad pugnam, si vis habere victoriam. Sine certamine non potes venire ad patientiæ coronam. Si pati non vis, recusas coronari. Si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter. Sine labore non tenditur ad requiem; nec sine pugna, peruenitur ad victoriam. Fiat Domine mihi possibile per gratiam, quod mihi impossibile videtur per naturam. Tu scis, quòd modicum possum pati, & quòd citò deiicior, leui exurgente aduersitate. Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis, pro nomine tuo amabilis & optabilis. Nam pati & vexari pro te, valde salubre est animæ meæ.

2. Tim. 2.

CAPVT XX.

De confessione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miseriis.

Psal. 31.

1. CONfitebor aduersum me iniustitiam meam: confitebor tibi Domine infirmitatem meam. Sæpe parua res est, quæ me deiicit & contristat. Propono me fortiter acturum, sed quum modica tentatio venerit, magna mihi angustia fit. Valde vilis quandoque res est, vnde grauis tentatio prouenit: Et dum puto me aliquantulum tutum, cùm non sentio, inuenio me nonnunquam penè deiectum ex leui flatu.

Psal. 24. Psal. 68.

2. Vide ergo Domine humilitatem meam, & fragilitatem tibi vndique notam. Miserere, & eripe me de luto, vt non infigar, ne permaneam deiectus vsquequaque. Hoc est, quod me frequenter reuerberat, & coram te confundit; quòd tam labilis sum & infirmus, ad resistendum passionibus. Etsi non omnino ad consensionem, tamen mihi etiam molesta & grauis est earum infectatio, & tædet valde sic quotidie viuere in lite. Ex hinc nota mihi fit infirmitas mea, quia multo facilius irruunt abominandæ semper phantasiæ, quàm discedunt.

3. Vtinam fortissime Deus Israël, zelator animarum fidelium, respicias serui tui laborem & dolorem, assistasque illi in omnibus, ad quæcumque perrexerit. Robora me cælesti fortitudine, ne vetus homo misera caro spiritui necdum plenè subiecta, præualeat dominari; aduersus quam certare oportebit, quamdiu spiratur in hac vita miserrima. Heu qualis est hæc vita; vbi non desunt tribulationes & miseriæ, vbi plena laqueis & hostibus sunt omnia. Nam vna tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit; sed & priore adhuc durante conflictu, alij plures superueniunt, & inspera tè.

4. Et quomodo potest amari vita, tantas habens amaritudines,

tot

tot subiecta calamitatibus & miseriis? Quomodo etiam dicitur vita tot generans mortes & pestes? Et tamen amatur, & delectari in ea à multis quæritur. Reprehenditur frequenter mundus, quòd fallax sit & vanus, nec tamen facilè relinquitur, quia cõcupiscentiæ carnis nimis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum. Trahunt ad amorem mundi desiderium carnis, desiderium oculorum, & superbia vitæ; sed pœnæ ac miseriæ, iustè sequentes ea, odium mundi pariunt & tædium. *1. Ioan. 2.*

5. Sed vincit, proh dolor, delectatio praua mentem mundo deditam, & esse sub sentibus delicias reputat: quia Dei suauitatem, & internam virtutis amœnitatem, nec vidit, nec gustauit. Qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo viuere sub sancta disciplina student, isti diuinam dulcedinem, veris abrenunciatoribus promissam, non ignorant, & quàm grauiter mundus errat, & variè fallitur, clariùs vident. *Iob 30.*

CAPVT XXI.

Quòd in Deo, super omnia bona & dona, requiescendum est.

1. SVper omnia & in omnibus, requiesces anima mea in Domino semper, quia ipse sanctorum æterna requies. Da mihi dulcissime & amantissime Iesu, in te super omnem creaturam requiescere; super omnem salutem & pulchritudinem, super omnem gloriam & honorem; super omnem potentiam & dignitatem; super omnem scientiam & subtilitatem; super omnes diuitias & artes; super omnem lætitiam & exultationem; super omnem famam & laudem; super omnem suauitatem & consolationem; super omnem spem & promissionem; super omne meritum & desiderium, super omnia dona & munera, quæ potes dare & infundere; super omne gaudium & iubilationem, quã potest mens capere & sentire: denique super Angelos & Archangelos, & super omnem exercitum cæli; super omnia visibilia & inuisibilia; & super omne, quod tu Deus meus non es. *Rom. 8.*

2. Quia tu Dñe Deus meus, super omnia optimus es: tu solus altissimus, tu solus potentissimus, tu solus sufficiẽtissimus & plenissimus: tu solus suauissimus & solatiosissimus: tu solus pulcherrimus & amantissimus: tu solus nobilissimus & gloriosissimus super omnia, in quo cuncta bona simul & perfectè sunt, & semper fuerunt, & erunt: Atque ideo minus est & insufficiens, quicquid præter teipsum mihi donas, aut de teipso reuelas, vel promittis, te non viso nec plenè adepto. Quoniam quidem non potest cor meum veraciter requiescere, nec totaliter contentari; nisi in te requiescat, & omnia dona omnemque creaturam transcendat.

3. O

Psal.53. 3. O mi dilectissime sponse Iesu Christe, amator purissime, dominator vniuersæ creaturæ; quis mihi det pennas veræ libertatis, ad volandum & pausandum in te? O quando ad plenum dabitur mihi vacare & videre quàm suauis es Domine Deus meus? Quando ad plenum me recolligam in te, vt præ amore tuo non sentiam me, sed te solùm supra omnem sensum & modum, in Deut.12. modo non omnibus noto. Nunc autem frequenter gemo, & infelicitatem meam cum dolore porto: quia multa mala in hac valle miseriarum occurrunt, quæ me sæpius conturbant, contristant, & obnubilant: sæpius impediunt & distrahunt, alliciunt & implicant, ne liberum habeam accessum ad te: & ne iucundis fruar amplexibus, præsto semper beatis spiritibus.

4. Moueat te suspirium meum, & desolatio multiplex in terra. O Iesu, splendor æternæ gloriæ, solamen peregrinantis animæ, apud te est os meum sine voce, & silentium meum loquitur tibi. Vsquequò tardat venire Dominus meus? Veniat ad me pauperculum suum, & lætum faciat. Mittat manum suam, & miserum eripiat de omni angustia. Veni, veni; quia sine te nulla erit læta dies aut hora; quia tu lætitia mea, & sine te vacua est mensa mea. Miser sum, & quodammodo incarceratus, & compedibus grauatus; donec luce præsentiæ tuæ me reficias, ac libertati dones, vultumque amicabilem demonstres.

5. Quærant alij pro te aliud, quodcumque libuerit; mihi aliud interim nil placet nec placebit, nisi tu Deus meus, spes mea, salus æterna. Non reticebo, nec deprecari cessabo: donec gratia tua reuertatur, mihique tu intus loquaris: Ecce assum: Ecce ego ad te, quia inuocasti me. Lachrymæ tuæ, & desiderium animæ tuæ, humiliatio tua, & contritio cordis inclinauerunt me, & adduxerunt ad te. Et dixi: Domine, vocaui te, & desideraui frui te, paratus omnia respuere propter te. Tu enim prior excitasti me, vt quærerem te. Sis ergo benedictus Domine, qui fecisti hanc bonitatem cum seruo tuo, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ.

6. Quid habet vltrà dicere seruus tuus coram te, nisi vt humiliet se valde ante te, memor semper propriæ iniquitatis & vilitatis? Psal.85. Non enim est similis tui, in cunctis mirabilibus cæli & terræ: sunt opera tua bona valde, iudicia vera: & prouidentia tua reguntur vniuersa. Laus ergo tibi & gloria, ô Patris sapientia; te laudet & benedicat os meum, anima mea, & cuncta creata simul.

CAPVT XXII.

De recordatione multiplicium beneficiorum Dei.

Psal.118. 1. APeri Domine cor meum in lege tua, & in præceptis tuis doce me ambulare. Da mihi intelligere voluntatem tuam, &

cum

cum magna reuerentia ac diligenti consideratione, beneficia tua tam in generali quàm in speciali memorari, vt dignè tibi ex hinc valeam gratias referre. Verùm scio & confiteor, nec pro minimo puncto me posse debitas gratiarum laudes persoluere. Minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis; & cum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine spiritus meus.

2. Omnia, quæ in anima habemus & corpore, & quæcumque exteriùs vel interiùs, naturaliter vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia: & te beneficum, pium, ac bonum commẽdant, à quo bona cuncta accepimus. Etsi alius plura, alius pauciora accepit, omnia tamen tua sunt, & sine te nec minimum potest haberi: Ille, qui maiora accepit, non potest merito suo gloriari, neque super alios extolli, nec minori insultare; quia ille maior & melior, qui sibi minus adscribit, & in regratiando humilior est, atque deuotior. Et qui omnibus viliorem se existimat, & indigniorem se iudicat, aptior est ad percipienda maiora.

3. Qui autem pauciora accepit, contristari non debet, nec indignantet ferre, neque ditiori inuidere: sed te potiùs attendere, & tuam bonitatem maximè laudare, quòd tam affluenter, tam gratis & libenter, sine personarum acceptione tua munera largiris. Omnia ex te, & ideo in omnibus es laudandus. Tu scis, quid vnicuique donari expediat, & cur iste minus & ille amplius habeat, non nostrum, sed tuum est hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita.

4. Vnde Domine Deus, pro magno etiam reputo beneficio, nõ multa habere, vnde exteriùs & secundùm homines laus & gloria apparet: ita vt considerata quis paupertate & vilitate personæ suæ, non modò nullam grauitatem, aut tristitiam, vel dereĉtionem inde concipiat, sed potiùs cõsolationem & hilaritatem magnam: quia tu Deus pauperes & humiles, atque huic mundo despectos, tibi elegisti in familiares & domesticos. Testes sunt ipsi Apostoli tui, quos Principes super omnem terram constituisti. Fuerunt tamen sine querela conuersati in mundo, tam humiles & simplices, sine omni malitia & dolo, vt etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo, & quæ mundus abhorret, ipsi amplecterentur affectu magno. 1. Cor. 1. Psal 44. 1. Thess. 2. Aĉtor. 5.

5. Nihil ergo amatorem tuum & cognitorem beneficiorum tuorum, ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ dispositionis tuæ. De qua tantùm contentari debet & consolari, vt ita libenter velit esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus, & ita pacificus & contentus in nouissimo, sicut in loco primo, atque ita libẽter despicabilis & abiectus, nullius quoque nominis & famæ, sicut cæteris honorabilior & maior

in

in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet, & plus eum consolari, magisque placere, quàm omnia beneficia sibi data vel danda.

CAPVT XXIII.

De quatuor magnam importantibus pacem.

a *Matt.26. & Ioan.5.6.* b *1. Cor.10.* c *Luc.14.* d *Matt. 6.* e *Matt. 5.*

1. FIli, nunc docebo te viâ pacis & veræ libertatis. Fac Domine, quod dicis, quia hoc mihi gratum est audire. *a* Stude fili alterius potiùs facere voluntatem, quàm tuam. *b* Elige semper minus, quàm plus habere. *c* Quære semper inferiorem locum, & omnibus subesse. *d* Opta semper & ora, vt voluntas Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis & quietis.

2. *a* Domine, sermo tuus iste breuis, multum in se continet perfectionis. Paruus est dictu, sed plenus sensu, & vber in fructu. Nam si posset à me fideliter custodiri, non deberet tam facilis in me turbatio oriri: nam quoties me impacatum sentio & grauatum, ab hac doctrina me recessisse inuenio. Sed tu, qui omnia potes, & animæ profectum semper diligis, adauge maiorem gratiam; vt possim tuum complere sermonem, & meam perficere salutem.

Oratio contra cogitationes malas.

Psal.70. 3. DOmine Deus meus, ne elongeris à me: Deus meus, in auxilium meũ respice: quoniam insurrexerunt in me variæ cogitationes & timores magni, affligentes animam meam. Quo-
Isaia 45. modo pertransibo illæsus? Quomodo perfringam eas? Ego, inquit, ante te ibo, & glori osos terræ humiliabo. Aperiam ianuam carceris, & arcana secretorum reuelabo tibi. Fac Domine, vt loqueris, & fugiant à facie tua omnes iniquæ cogitationes. Hæc spes & vnica consolatio mea, ad te in omni tribulatione confugere, tibi confidere, te ex intimo inuocare, & patienter consolationem tuam expectare.

Oratio pro illuminatione mentis.

4. Clarifica me, Iesu bone, claritate interni luminis, & educ de habitaculo cordis mei, tenebras vniuersas. Cohibe euagationes multas, & vim facientes elide tentationes. Pugna fortiter pro me, & expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas; vt fiat pax in virtute tua, & abundantia laudis tuæ resonet in aula sancta, hoc est, in conscientia pura. Impera ventis & tempesta-
Matt.8. tibus; dic mari, quiesce: & Aquiloni, ne flaueris, & erit tranquillitas magna.

5. Emitte lucem tuam & veritatem, vt luceant super terram: quia terra sum inanis & vacua, donec illumines me. Effunde gratiam

tiam desuper, perfunde cor meum rore cælesti, ministra deuotionis aquas, ad irrigandum faciem terræ, ad producendum fructum bonum & optimum. Eleua mentem pressam mole peccatorum, & ad cælestia totum desiderium meum suspende: vt gustata suauitate supernæ felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. *Psalm. 42.*

6. Rape me, & eripe ab omni creaturarum indurabili consolatione, quia nulla res creata appetitũ meum valet plenariè quietare & consolari. Iunge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus sufficis amanti, & absque te friuola sunt vniuersa.

CAPVT XXIV.

De enitatione curiosa inquisitionis, super alterius vita.

1. *a* FIli, noli esse curiosus, nec vacuas gerere solicitudines. Quid hoc vel illud ad te? tu me sequere. *b* Quid enim ad te, vtrũ ille sit talis vel talis: aut iste sic & sic agit, vel loquitur? *c* Tu nõ indiges respõdere pro alijs, sed pro teipso rationẽ reddes. Quid ergo te implicas? Ecce, ego omnes cognosco, & cuncta quæ sub sole fiunt, video & scio, qualiter cum vnoquoque sit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur omnia committenda sunt, tu verò serua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare quantum voluerit. Veniet super eum, quicquid fecerit vel dixerit, quia me fallere non potest. a *Eccli. 3. & 1. Tim. 5.* b *Ioan. 21.* c *Gal. 6.*

2. Non sit tibi curæ de magni nominis vmbra, non de multorum familiaritate, nec de priuata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, & magnas in corde obscuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum, & abscondita reuelarem, si aduentum meum diligenter obseruares, & ostium cordis mei aperires. Esto prouidus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

CAPVT XXV.

In quibus firma pax cordis & verus profectus consistit.

1. FIli, ego loquutus sum: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, nõ omnes curant. pax mea cum humilibus & mansuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris, & vocem meam sequutus fueris, poteris multa pace frui. Quid igitur faciam. In omni re attende tibi, quid facias, & quid dicas: & omnem intentionem tuam ad hoc dirige, vt mihi soli placeas & extra me nihil cupias vel queras. Sed & de aliorum dictis vel factis nil temere iudices, nec cum *Ioan. 14.*

rebus tibi non commissis te implices: & poterit fieri, vt parum vel rarò turberis.

2. Nunquam autem sentire aliquam turbationem, nec aliquã pati cordis vel corporis molestiam, non est præsentis temporis, sed status æternæ quietis. Non ergo æstimes te veram pacẽ inuenisse, si nullam senseris grauitatem; nec tunc totũ esse bonum, si neminem pateris aduersarium; nec hoc esse perfectum, si cuncta fiant secundũ tuum affectũ. Neque tũc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectũ æstimes, si in magna fueris deuotione atque dulcedine; quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis; nec in istis consistit profectus & perfectio hominis.

3. In quo ergo Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati diuinæ; non quærendo, quæ tua sunt, nec in paruo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate; ita vt vna æquali facie, in gratiarum actione permaneas, inter prospera & cõtraria, omnia æqua lance pensando. Si fueris tam fortis & longanimis in spe, vt subtracta interiori consolatione, etiã ad ampliora sustinenda cor tuum præparaueris; nec te iustificaueris, quasi hæc tantaque pati non deberes; sed me in omnibus dispositionibus iustificaueris, & sanctum laudaueris: tunc in vera & recta via pacis ambulas, & spes indubitata erit, quòd rursus in iubilo faciem meam sis visurus. Quòd si ad plenum tui ipsius contemptum perueneris, scito, quòd tunc abundantia pacis perfrueris, secundum possibilitatem tui incolatus.

CAPVT XXVI.

De eminentia liberæ mentis, quam supplex oratio magis meretur quàm lectio.

1. DOmine, hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cælestium animum relaxare: & inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogatiua quadã liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo.

2. Obsecro te pijssime Deus meus, præserua me à curis huius vitæ, ne nimis implicer; à multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar; ab vniuersis animę obstaculis, nę molestijs fractus deijciar. Non dico ab his rebus, quas toto affectu ambit vanitas mundana; sed ab his miserijs, quæ animam serui tui, communi maledictio mortalitatis pœnaliter grauant & retardant; ne in libertatem spiritus quoties libuerit, valeat introire.

Genes. 3. Roman. 7.

3. O Deus meus, dulcedo ineffabilis; verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem, ab æternorum amore me abstra-

abstrahentem; & ad se, intuitu cuiusdam boni delectabilis præ- Roma. 12.
sentis, malè allicientem. Nō me vincat, Deus meus, nō me vincat caro & sanguis; nō me decipiat mundus, & breuis gloria eius; nō me supplantet diabolus, & astutia illius. Da mihi fortitudinē resistendi, patientiā tolerandi, constantiam perseuerandi. Da pro omnibus mundi cōsolationibus, suauissimam spiritus tui vnctionem; & pro carnali amore, tui nominis infunde amorem.

4. Ecce cibus, potus, vestis, ac cætera vtensilia, ad corporis sustentaculum pertinentia, feruenti spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomentis, temperatè vti, non desiderio nimio implicari. Abijcere omnia non licet, quia natura sustentāda est. Requirere autem superflua, & quæ magis delectant, lex sancta prohibet; nā aliàs caro aduersus spiritum insolescceret. Inter hæc, quæso, manus tua me regat & doceat, ne quid nimium fiat.

CAPVT XXVII.

Quòd priuatus amor à summo bono maximè retardat.

1. FIli, oportet te dare totum pro toto, & nihil tuiipsius esse. Scito, quòd amor tuiipsius magis nocet tibi, quā aliqua res mundi. Secundùm amorem & affectum, quem geris, quælibet res plus vel minus adhæret. Si fuerit amor tuus purus, simplex, & bene ordinatus, eris sine captiuitate rerum. Noli concupiscere, Matth. 6.
quod non licet habere. Noli habere, quod te potest impedire, & libertate interiori priuare. Mirum, quòd non ex toto fundo cordis teipsum mihi committis, cum omnibus quæ desiderare potes vel habere.

2. Quare vano mœrore consumeris? Cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitū meum, & nullū patieris detrimentum. Exod. 18. &
Si quęris hoc vel illud, & volueris esse ibi, propter tuum commo- Mich. 4.
dum & proprium beneplacitum magis habendum nunquam eris in quietudine, nec liber à solicitudine; quia in omni re reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit, qui aduersetur.

3. Iuuat igitur, non quælibet res adepta, vel multiplicata exteriùs; sed potiùs contempta & decisa ex corde radicitus. Quod nō tantùm de censu æris & diuitiarum intelligas, sed de honoris etiā ambitu, ac vanæ laudationis desiderio, quæ omnia transeunt cum mundo. Munit parum locus, si deest spiritus feruoris; nec diu stabit pax illa quęsita forinsecus, si vacat à vero fundamento status cordis. Hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta & accepta, inuenies quod fugisti, & amplius.

Oratio pro purgatione cordis & cœlesti sapientia.

Psalm. 50. Ephes. 3. Matth. 6. 4. Confirma me Deus, per gratiam sancti Spiritus. Da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili solicitudine & angore euacuare; nec varijs desiderijs trahi cuiuscunque rei vilis aut preciosæ; sed omnia inspicere sicut *Eccl. 1. & 2.* transeuntia, & me pariter cum illis transiturum; quia nihil permanens sub sole, vbi omnia vanitas, & afflictio spiritus. O quàm sapiens, qui ita considerat.

Sap. 9. 5. Da mihi (Domine) cœlestẽ sapientiã, vt discam te super omnia quærere, & inuenire; super omnia sapere, & diligere; & cætera, secundùm ordinẽ sapiẽtiæ tuę, prout sunt intelligere. Da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre aduersantem; quia hæc magna sapientia, non moueri omni vento verborum; nec *Ephes. 4.* aurem malè blandienti præbere Sireni: sic enim incepta pergitur via securè.

CAPVT XXVIII.

Contra linguas obtrectatorum.

1. Cor. 4. 1. FIli, non ægrè feras, si quidam de te malè senserint, & dixerint quod non libenter audias. Tu deteriora de teipso sẽtire debes, & neminem infirmiorem te credere. Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volantia verba. Est non parua prudentia, silere in tempore malo, & introrsus ad me conuerti; nec humano iudicio disturbari.

2. Non sit pax tua in ore hominum. Siue enim bene siue malè interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Vbi est vera pax, & vera gloria? Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfruetur pace. Ex inordinato a- *Ioan. 16.* more & vano timore oritur omnis inquietudo cordis & distractio sensuum.

CAPVT XXIX.

Qualiter instante tribulatione, Deus inuocandus est, & benedicendus.

Iob 1. Psalm. 112. 1. SIt nomen tuum (Domine) benedictum in secula, qui voluisti hanc tentationem & tribulationem venire super me. Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere; vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine, modò sum in tribulatione, & non est cordi meo bene, sed multum vexor à præ- *Matth. 26.* senti passione. Et nunc pater dilecte, quid dicam? Deprehensus sum inter angustias. Saluifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc horam, vt tu clarificeris, cùm fuero valde humiliatus,

&

& per te liberatus. Complaceat tibi Domine, vt eruas me; nam ego pauper, quid agere possum, & quò ibo sine te? Da patiẽtiam Domine, etiam hac vice. Adiuua me Deus meus, & non timebo, quantumcunque grauatus fuero. *Psalm. 39.*

2. Et nunc inter hæc quid dicam? Domine, fiat voluntas tua. Ego bene merui tribulari & grauari: oportet vtique vt sustineã, & vtinam patienter, donec transeat tempestas, & melius fiat. Potens est autem omnipotens manus tua, etiam hanc tentationem à me auferre, & eius impetum mitigare; ne penitus succumbam, quemadmodum & priùs sæpius egisti mecum, Deus meus, misericordia mea. Et quanto mihi difficilius, tanto tibi facilior est hæc mutatio dexteræ excelsi. *Matth. 6.* *Psalm. 76.*

CAPVT XXX.

De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperanda gratia.

1. FIli, ego Dominus cõfortans in die tribulationis. Venias ad me, cum tibi nõ fuerit bene. Hoc est quod maximè consolationem impedit cælestem, quia tardiùs te conuertis ad orationem. Nam antequam me intentè roges, multa interim solatia quæris, & recreas te in externis. Ideoque fit, vt parum omnia prosint; donec aduertas, quia ego sum, qui eruo sperantes in me; nec est extra me valens auxilium, neque vtile consilium, sed neque durabile remedium. Sed iam resumpto spiritu post tempestatem, reconualesce in luce miserationum mearum; quia propè sum, (dicit Dominus) vt restaurem vniuersa non solùm integrè, sed & abundanter ac cumulatè. *Nahum. 1.* *Matth. 11.*

2. Nunquid mihi quicquam est difficile, aut ero similis dicenti & non facienti? Vbi est fides tua? Sta firmiter & perseueräter. Esto longanimis & vir fortis, veniet tibi consolatio in tempore suo. Expecta me, exspecta; veniam, & curabo te. Tentatio est, quæ te vexat; & formido vana, quæ te exterret. Quid importat solicitudo de futuris contingentibus, nisi vt tristitiam super tristitiam habeas? Sufficit diei malitia sua. Vanum est & inutile, de futuris conturbari vel gratulari, quæ fortè nunquam euenient. *Matth. 23.* *Matth. 6.*

3. Sed humanum est, huiusmodi imaginationibus illudi; & parui adhuc animi signum, tam leuiter trahi à suggestione inimici. Ipse enim nõ curat, vtrùm veris an falsis illudat & decipiat; vtrũ prçsentium amore, aut futurorum formidine prosternat. Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet. Crede in me, & in misericordia mea habeto fiduciam. Quando tu putas te elongatum à me, sæpe sum propinquior. Quando tu æstimas penè totum perditum, tunc sæpe maius merendi instat lucrum. Non est totum *Psalm. 90.*

perditum, quando res accidit in contrarium. Non debes iudicare secundùm præsens sentire; nec sic grauitate alicui vndecumque venienti inhærere & accipere, tanquam omnis spes sit ablata emergendi.

4. Noli putare te relictum ex toto, quãuis ad tempus tibi miserim aliquam tribulationem, vel etiam optatam subtraxerim consolationem: sic enim transitur ad regnum cælorum. Et hoc sine dubio magis expedit tibi & cæteris seruis meis, vt exercitemini aduersis, quàm si cũcta ad libitũ haberetis. Ego noui cogitationes absconditas; quia multum expedit pro salute tua, vt interdum sine sapore relinquaris; ne fortè eleueris in bono successu, & tibiipsi placere velis in eo, quod non es. Quod dedi, auferre possum: & restituere, quum mihi placuerit.

Iacobi 1. 5. Quum dedero, meum est; quum subtraxero, tuum non tuli; quia meum est omne datum bonum, & omne donum perfectum. Si tibi immisero grauitatem, aut quamlibet contrarietatem, ne indigneris, neque concidat cor tuum; ego citò subleuare, possum & omne onus in gaudium transmutare. Verumtamẽ iustus sum, & recommendabilis multum, quum sic facio totum. Si rectè sapis, & in veritate aspicis, nunquam debes propter aduersa tam deiectè contristari, sed magis gaudere, & gratias agere; imò hoc vnicum reputare gaudium, quòd affligens te doloribus, non parco tibi. *Ioan. 16.* Sicut dilexit me Pater, & ego vos diligo, dixi dilectis discipulis meis; quos vtique non misi ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina; non ad honores, sed ad despectiones: non ad ocium, sed ad labores: non ad requiẽ, sed ad afferendum fructum multum in patientia. Horum memento fili mi verborum.

CAPVT XXXI.

De neglectu omnis creaturæ, vt creator possit inueniri.

1. DOmine, bene indigeo adhuc maiori gratia, si debeam illuc peruenire, vbi me nemo poterit nec vlla creatura impedire. Nã quàm diu res aliqua me retinet, non possum ad te liberè volare. *Psalm. 54.* Cupiebat liberè volare, qui dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volabo, & requiescam?* *Matth. 6.* Quid simplici oculo quietius? Et quid liberius nil desiderãte in terris? Oportet igitur omnem supertransire creaturam; & seipsum perfectè deserere, ac in excessu mentis stare, & videre te omnium conditorem cum creaturis nil simile habere. Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere diuinis. Ideo enim pauci inueniuntur contemplatiui, quia pauci sciunt

sciunt se à perituris & creaturis ad plenum sequestrare.

2. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animã leuet, & supra semetipsam rapiat. Et nisi homo sit in spiritu eleuatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac Deo totus vnitus; quidquid scit, quicquid etiam habet, non est magni ponderis. Diu paruus erit, & infrà iacebit, qui aliquid magnum æstimat, nisi solum vnum immensum, æternum bonum. Nam quicquid Deus non est, nihil est, & pro nihilo computari debet. Est magna differentia, sapientia illuminati & deuoti viri, & scientia literati atque studiosi clerici. Multo nobilior est illa doctrina, quæ de sursum ex diuina influentia manat; quàm quæ laboriosè humano acquiritur ingenio.

3. Plures reperiuntur contemplationem desiderare, sed quæ ad eam requiruntur, non student exercere. Est & magnum impedimentum, quia in signis & sensibilibus rebus statur; & parum de perfecta mortificatione habetur. Nescio quid est, & quo spiritu ducimur, & quid prætendimus, qui spirituales dici videmur: quòd tantum laborem & ampliorem solicitudinem pro transitorijs & vilibus rebus agimus; & de interioribus nostris vix aut rarò, plenè recollectis sensibus, cogitamus.

4. Proh dolor, statim post modicam recollectionem foras erumpimus, nec opera nostra districta examinatione trutinamus. Vbi iacent affectus nostri, non attendimus; & quàm impura sint omnia non deploramus. Omnis quippe caro corruperat viam suam, & ideo sequebatur diluuium magnum. Cùm ergo interior affectus noster multum corruptus sit, necesse est, vt actio sequẽs, index carentiæ interioris vigoris, corrumpatur. Ex puro corde procedit fructus bonæ vitæ. *Gen. 6. & 7.*

5. Quantum quis fecerit, quæritur: sed ex quanta virtute agit, non tam studiosè pẽsatur. Si fuerit fortis, diues, pulcher, habilis; vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator, inuestigatur; quàm pauper sit spiritu, quàm patiens & mitis, quàm deuotus & internus, à multis tacetur. Natura exteriora hominis respicit, gratia ad interiora se conuertit. Ille frequenter fallitur, ista in Deo sperat; vt non decipiatur.

CAPVT XXXII.

De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis.

1. FIli, non potes perfectã possidere libertatẽ, nisi totaliter abneges temetipsum. Cõpediti sunt omnes proprietarij, & sui ipsius amatores, cupidi, curiosi, gyrouagi, quærentes sẽper mollia, *Matth. 16. & 19.*

non quæras Iesu Christi; sed hoc sæpe fingentes & componẽtes, quod non stabit. Peribit enim totum, quod nõ est ex Deo ortum. Tene breue & consummatum verbum. Dimitte omnia, & inuenies omnia. Relinque cupidinem, & reperies requiem. Hoc mẽte pertracta; & quum impleueris, intelliges omnia.

2. Domine, hoc non est opus vnius diei, nec ludus paruulorũ; imò in hoc breui includitur omnis perfectio religiosorum. Fili, non debes auerti, nec statim deijci, audita via perfectorum; sed magis ad sublimiora prouocari, & ad minus ad hæc ex desiderio suspirare. Vtinam sic tecum esset, & ad hoc peruenisses, vt tuipsius amator non esses; sed ad nutum meum purè stares, & eius quem tibi proposui, Patris; tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret. Adhuc multa habes ad relinquẽdum, quæ nisi mihi ex integro resignaueris, non acquires quod postulas. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias; id est, cælestem sapientiam, omnia infima conculcantem. Postpone terrenam sapientiam, & omnem humanam & propriam complacentiam.

Apoc. 3.

3. Dixi viliora tibi emenda pro preciosis & altis, in rebus humanis. Nam valde vilis & parua, ac penè obliuioni tradita videtur vera cælestis sapientia; non sapiens alta de se, nec magnificari quærens in terra: quam multi ore tenus prædicant, sed vita longè dissentiunt; ipsa tamen est preciosa margarita, à multis abscondita.

Matth. 13.

CAPVT XXXIII.

De instabilitate cordis, & de intentione finali ad Deum habenda.

Iob 14.

1. FIli, noli credere affectui tuo, qui nunc est, citò mutabitur in aliud. Quamdiu vixeris, mutabilitati subiectus es etiam nolens; vt modò lætus, modo tristis; modò pacatus, modò turbatus; nunc deuotus, nunc indeuotus; nunc studiosus, nunc acediosus; nunc grauis, nunc leuis inueniaris. Sed stat super hæc mutabilia sapiens, & bene doctus in spiritu; non attendens, quid in se sentiat, vel qua parte flet ventus instabilitatis; sed vt tota intentio mentis eius, ad debitum & optimum proficiat finem.

2. Nam sic poterit vnus & idem inconcussusque permanere, simplici intentionis oculo, per tot varios euentus ad me impræmissè directo. Quanto autem purior fuerit intentionis oculus, tanto constantiùs inter diuersas itur procellas. Sed in multis caligat oculus puræ intentionis; respicitur enim citò in aliquod delectabile, quod occurrit. Nam & rarò totus liber quis inuenitur à næuo propriæ exquisitionis. Sic Iudæi olim venerãt in Bethaniam ad Martham & Mariam, non propter Iesum tantũ, sed

Matth. 6.

Ioan. 11.

&

& vt Lazarum viderent. Mundandus est ergo intentionis oculus, vt sit simplex & rectus, atque vltra omnia varia media ad me dirigendus. *Matth. 6.*

CAPVT XXXIV.

Quòd amanti sapit Deus super omnia & in omnibus.

1. ECce Deus meus, & omnia. Quid volo amplius, & quid felicius desiderare possum? O sapidum & dulce verbum, sed amanti verbum, non mundum nec ea quæ in mundo sunt. Deus meus, & omnia. Intelligenti satis dictum est, & sæpe repetere iucundum est amanti. Te siquidem præsente, iucunda sunt omnia; te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiamque festiuam. Tu facis bene sentire de omnibus, & in omnibus te laudare; nec potest aliquid sine te diu placere. Sed si debet gratum esse & bene sapere, oportet gratiam tuam adesse, & condimento tuæ sapientiæ condiri.

2. Cui tu sapis, quid ei rectè non sapiet? Et cui tu non sapis, quid ei ad iucunditatem esse poterit? Sed deficiunt in sapientia tua mundi sapientes, & qui carnem sapiunt; quia ibi plurima vanitas, & hîc mors inuenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum & carnis mortificationem sequuntur, verè sapientes esse cognoscuntur; quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferũtur. Istis sapit Deus; & quicquid boni inuenitur in creaturis, totum ad laudem referunt sui conditoris. Dissimilis tamen & multum dissimilis sapor creatoris & creaturæ, æternitatis & temporis, lucis increatæ & lucis illuminatæ. *1. Cor. 1. Roma. 8. & 1. Ioan. 2.*

3. O lux perpetua, cuncta creata transcendens lumina, fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia cordis mei intima. Purifica, lætifica, clarifica & viuifica spiritum meũ cum suis potentijs, ad inhærendum tibi iubilosis excessibus. O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, vt tua me saties præsẽtia, & sis mihi omnia in omnibus. Quamdiu hoc datum nõ fuerit, nec plenum gaudium erit. Adhuc, proh dolor, viuit in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfectè mortuus. Adhuc concupiscit fortiter contra spiritum, bella mouet intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum. *Roman. 7.*

4. Sed tu qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius mitigas, exurge, adiuua me. Dissipa gentes, quæ bella volunt; contere eas in virtute tua; ostende quæso magnalia tua, & glorificetur dextera tua; quia non est spes alia nec refugium mihi, nisi in te Domine Deus meus. *Psalm. 88. Psalm. 72. Psalm. 30.*

CA-

CAPVT XXXV.

Quòd non est securitas à tentatione in hac vita.

Iob 7. *2. Cor. 6.* 1. FIli, nunquam securus es, in hac vita; sed quoad vixeris, tẽper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, & à dextris & à sinistris impugnaris. Si ergo non vteris vndique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. Insuper, si nõ ponis cor tuum fixè in me, cũ mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmã pertingere beatorum. Oportet te ergo viriliter omnia petransire, & *Apoc. 2.* potenti manu vti aduersus obiecta. Nam vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miseria.

2. Si quæris in hac vita requiem, quomodo tunc peruenies ad æternam requiem? Non ponas te ad multam requiem, sed ad magnam patientiam. Quære veram pacem, non in terris, sed in cælis; non in hominibus nec in cæteris creaturis, sed in Deo solo. Pro amore Dei debes omnia libẽter subire, labores scilicet & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, necessitates, infirmitates, iniurias, oblocutiones, reprehensiones, humiliationes, confusiones, correctiones, & despectiones. Hæc iuuant ad virtutem; hæc probant Christi tironem, hæc fabricant cælestem coronam. Ego reddam mercedem æternam pro breui labore, & infinitam gloriam pro transitoria confusione.

3. Putas tu, quòd semper habebis pro tua voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non habuerunt tales, sed multas granitates, & tentationes varias, magnasque desolationes. Sed patienter sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo, *Roman. 8.* quàm sibi; scientes, quia nõ sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam promerendam. Vis tu statim habere, quod multi post multas lachrymas & magnos labores vix obti- *Psalm. 26.* nuerunt? Expecta Dominum, viriliter age, & confortare. Noli diffidere, noli discedere, sed corpus & animam expone constanter pro gloria Dei. Ego reddam plenissimè; ego tecũ ero in omni tribulatione.

CAPVT XXXVI.

Contra vana hominum iudicia.

1. FIli, iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanũ ne metuas iudicium, vbi te conscientia pium reddit & insontem. Bonum est & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humili cordi, & Deo magis quàm sibiipsi confidenti. Multi multa loquuntur,

tur, & ideo parua fides est adhibenda. Sed & omnibus satis esse, non est possibile. Etsi Paulus omnibus studuit in Domino placere, & omnibus omnia factus est; tamen etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuit. *1. Cor. 9. & 2. Cor. 4. & Col. 1.*

2. Egit satis pro aliorum ædificatione & salute, quantum in se erat & poterat; sed ne ab alijs aliquando iudicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Ideo totum Deo commisit, qui totum nouerat; & patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium, atque pro libitu suo quæque iactantium, se defendit. Respondit tamen interdum, ne infirmis ex sua taciturnitate generaretur scandalum. *Act. 26. & Phil. 1.*

3. Quis tu, vt timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expaueſces. Quid potest aliquis in te verbis aut iniurijs? Sibi potiùs nocet quàm tibi; nec poterit iudicium Dei effugere, quicumque est ille. Tu habe Deum præ oculis, & noli contendere verbis querulosis. Quòd si ad præsens tu videris succumbere & confusionem pati, quam non meruisti; ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam; sed ad me potiùs respice in cælum, qui potens sum eripere ab omni confusione & iniuria, & vnicuique reddere secundùm opera sua. *1. Mach. 2. Rom. 2. & 1. Cor. 11. Hebr. 12.*

CAPVT XXXVII.

De pura & integra resignatione sui, ad obtinendam cordis libertatem.

1. FIli, relinque te, & inuenies me. Sta sine electione & omni proprietate, & lucraberis semper. Nã & adijcietur tibi amplior gratia, statim vt te resignaueris, nec resumpseris. Domine, quoties me resignabo, & in quibus me relinquam? Semper, & omni hora; sicut in paruo, sic & in magno. Nihil excipio; sed in omnibus te nudatum inueniri volo. Alioquin, quomodo poteris esse meus, & ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus & foris spoliatus? Quanto celeriùs hoc agis, tanto melius habebis; & quanto pleniùs & sincerius, tanto mihi plus placebis, & amplius lucraberis. *Matth. 16.*

2. Quidam se resignant, sed cum aliqua exceptione: non enim plenè Deo confidunt, ideo sibi prouidere satagunt. Quidam etiã primò totum offerunt, sed postea tentatione pulsati, ad propria redeunt, ideo minimè in virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & iucundæ familiaritatis meæ gratiã non pertingent;

tingent; nisi integra resignatione, & quotidiana sui immolatione
Matt. 16. priùs facta, sine qua non stat nec stabit vnio fruitiua.

3. Dixi tibi sæpissimè, & nunc iterũ dico: Relinque te, resigna te, & frueris magna interna pace. Da totum pro toto, nil exquire, nil repete; sta purè & inhæsitanter in me, & habebis me. Eris liber in corde, & tenebræ non conculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera; vt ab omni proprietate possis expoliari, & nudus nudum Iesum sequi; tibi mori, & mihi æternaliter viuere. Tunc deficient omnes vanæ phantasiæ, conturbationes iniquæ, & curæ superfluæ. Tunc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

CAPVT XXXVIII.

De bono regimine in externis, & recursu ad Deum in periculis.

1. FIli, ad istud diligenter tendere debes, vt in omni loco & actione seu occupatione externa, sis intimus liber, & tui ipsius potẽs; & sint omnia sub te, & tu sub eis; vt sis dominus actionum tuarũ & rector, non seruus nec emptitius; sed magis exẽptus veruſque Hebræus, in sortem ac libertatem transiens filiorum Dei; qui stant super præsentia, & speculantur æterna; qui transitoria sinistro intuentur oculo, & dextro cælestia; quos temporalia non trahunt ad inhærendum, sed trahunt ipsi magis ea ad bene seruiendum; prout inordinata sunt à Deo, & instituta à summo opifice; qui nil inordinatum in sua reliquit creatura.

2. Si etiam in omni euentu stas, non in apparẽtia externa, nec oculo carnali lustras visa vel audita: sed mox in qualibet causa,
Exod. 35. intras cum Moyse in tabernaculum ad consulendum Dominum, audies nonnunquam diuinum responsum, & redies instructus de multis præsentibus & futuris. Semper enim Moyses recursum habuit ad tabernaculum, pro dubijs & quæstionibus soluendis;
Matth. 6. fugitque ad orationis adiutorium, pro periculis & improbitatiIosue 9. bus hominum subleuandis. Sic & tu confugere debes in cordis tui secretarium, diuinum intentiùs implorando suffragium. Propterea nãque Iosue & filij Israël à Gabaonitis leguntur decepti; quia os Domini priùs non interrogauerunt, sed nimium creduli dulcibus sermonibus, falsa pietate delusi sunt.

CAPVT XXXIX.

Quòd homo non sit importunus in negotijs.

1. FIli, committe mihi semper causam tuam, ego bene disponã in tempore suo. Expecta ordinationẽ meam, & senties inde profectum. Domine, satis libenter tibi omnes res committo,

quia

quia paruum potest cogitatio mea proficere. Vtinam nō multum adhærendum futuris euentibus, sed ad beneplacitum tuum incunctanter me offerrem.

2. Fili sæpe homo rem aliquam vehementer agitat, quā desiderat; sed cùm ad eam peruenerit, aliter sentire incipit; quia affectiones circa idem non sunt durabiles, sed magis de vno ad aliud impellunt. Non est ergo minimum, etiam in minimis seipsum relinquere.

3. Verus profectus hominis est abnegatio suiipsius; & homo abnegatus, valde liber est & securus. Sed antiquus hostis, omnibus bonis aduersans, à tentatione nō cessat; sed die noctuque graues molitur insidias, si fortè in laqueum deceptionis possit præcipitare incautum. *Vigilate & orate*, dicit Dominus, *vt non intretis in tentationem.* 1. Pet. 5. Matth. 26.

CAPVT XL.

Quòd homo nil boni ex se habet, & de nullo gloriari potest.

1. DOmine, quid est homo, quèd memor es eius; aut filius hominis, quia visitas eum? Quid promeruit homo, vt dares illi gratiam tuam? Domine, quid possum conqueri, si me deseris? aut quid iustè obtendere possum, si quod peto, non feceris? Certè hoc in veritate cogitare possum, & dicere: Domine nihil sum, nihil possum, nihil boni ex me habeo; sed in omnibus deficio, & ad nihil semper tendo. Et nisi à te fuero adiutus, & interiùs informatus, totus efficior tepidus & dissolutus. Psalm. 8.

2. Tu autem (Domine) semper idem ipse es, & permanes in æternum semper bonus, iustus, & sanctus; bene, iustè, ac sanctè agens omnia, & disponens in sapientia. Sed ego, qui ad defectum sum magis pronus quàm ad profectum, non sum semper in vno statu perdurans, quia septem tempora mutantur super me. Verumtamen citò meliùs fit, cùm tibi placuerit, & manum porrexeris adiutricem. Quia tu solus sine humano suffragio poteris auxiliari, & in tantum confirmare, vt vultus meus ampliùs in diuersa non mutetur, sed in te vno cor meum conuertatur & quiescat. Psalm. 101.

3. Vnde si bene scirem omnem humanam consolationem abijcere, siue propter deuotionem adipiscendam, siue propter necessitatem, qua compellor te quærere, quia non est homo, qui me consoletur; tunc possem meritò de gratia tua sperare, & de dono nouæ consolationis exultare.

4. Gratias tibi, vnde totum venit, quotiescumque mihi bene succedit. Ego autem vanitas & nihilum ante te, inconstans homo & infirmus. Vnde ergo possum gloriari, aut cur appeto reputari? Nūquid de nihilo? Et hoc vanissimum est. Verè inanis gloria,

rii, mala pestis, vanitas maxima; quia à vera trahit gloria, & cælesti spoliat gratia. Dum enim homo complacet sibi, displicet tibi: dum inhiat laudibus humanis, priuatur veris virtutibus.

Habac. 3. Psalm. 113. 5. Est autem vera gloria & exultatio sancta, gloriari in te, & non in se; gaudere in nomine tuo, non in propria virtute; nec in aliqua creatura delectari, nisi propter te. Laudetur nomen tuum, non meum; magnificetur opus tuum, non meũ; benedicatur nomẽ sanctum tuum, nihil mihi autẽ attribuatur de laudibus hominũ. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei. In te gloriabor & exultabo tota die, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.

Jan. 5. 6. Quærant Iudæi gloriam, quæ ab inuicem est; ego hanc requiram, quæ à solo Deo est. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ tuæ comparata vanitas est & stultitia. O veritas mea & misericordia mea, Deus meus, Trinitas beata; tibi soli laus, honor, virtus, & gloria, per infinita seculorum secula.

CAPVT XLI.

De contemptu omnis temporalis honoris.

1. FIli, noli tibi attrahere, si videas alios honorari & eleuari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cælum, & nõ contristabit te contẽptus hominum in terris. Domine, in cæcitate sumus, & vanitate citò, seducimur. Si rectè me inspicio, nunquam mihi facta est iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iustè habeo conqueri aduersum te.

2. Quia autem frequenter & grauiter peccaui tibi, meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur iustè debetur cõfusio & contemptus, tibi autem laus, honor, & gloria. Et nisi me ad hoc præparauero, quòd velim libenter ab omni creatura despici & relinqui, atque penitus nihil videri; non possum interiùs pacificari & stabiliri, nec spiritualiter illuminari, neque plenè tibi vniri.

CAPVT XLII.

Quòd pax non est ponenda in hominibus.

1. FIli, si ponis pacem tuam cum aliqua persona, propter tuum sentire & conuiuere, instabilis eris & implicatus. Sed si recursum habes ad semper viuentem & manentem veritatem, nõ contristabit amicus recedens aut moriens. In me debet amici dilectio stare, & propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est & multum charus in hac vita. Sine me non valet, nec dura-

bit

bit amicitia; nec est vera & munda dilectio, quã ego non copulo. Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorũ hominum, vt (quantum ad te pertinet) sine omni humano optares esse consortio. Tanto homo Deo magis appropinquat, quanto ab omni solatio terreno longiùs recedit. Tanto etiam altiùs ad Deum ascendit, quanto profundiùs in se descendit, & plus sibiipsi vilescit.

2. Qui autem sibi aliquid boni attribuit, gratiã Dei in se venire impedit: quia gratia Spiritus sãcti, cor humile semper quærit. 1. Pet. 5. Si scires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore euacuare, tunc deberem in te cum magna gratia emanare. Quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus creatoris. Disce te in omnibus propter creatorem vincere, tunc ad diuinã valebis cognitionem pertingere. Quantumcunque modicum sit, si inordinatè diligitur & respicitur, retardat à summo, & vitiat.

CAPVT XLIII.

Contra vanam & secularem scientiam.

1. Fili, non te moueant pulchra & subtilia hominum dicta. Nõ enim est regnũ Dei in sermone, sed in virtute. Attẽde verba mea, quę corda accendunt & mentes illuminant; inducũt cõpunctionem, & variam ingerunt consolationem. Nunquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut sapientior possis videri. Stude mortificationi vitiorum, quia hoc ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæstionum. 1. Cor. 4.

2. Quum multa legeris & cognoueris, ad vnum semper oportet redire principium. Ego sum, qui doceo hominem scientiam, & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quàm ab homine possit doceri. Cui ego loquor, citò sapiens erit, & multum in spiritu proficiet. Væ eis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi seruiendi parum curant. Veniet tempus, quando apparebit magister magistrorum Christus Dominus Angelorũ, cunctorum auditurus lectiones: hoc est, singulorum examinaturus conscientias. Et tunc scrutabitur Hierusalem in lucernis, & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumenta linguarum. Ego sum, qui humilem in puncto eleuo mentem, vt plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine purgatione argumẽtorum. Ego sum, qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere: honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nil cupere, & super omnia me ardenter amare. Sophon. 1. 1. Cor. 4.

3. Nm

3. Nam quidam amando me intimè, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quã in studendo subtilia. Sed alijs loquor communia, alijs specialia; aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdam verò in multo lumine reuelo mysteria. Vna vox librorum, sed non omnes æque informat; quia intus sum doctor, veritas, scrutator cordis, cogitationum intellector, actionum promotor, distribuens singulis sicut dignum iudicauero.

CAPVT XLIV.

De non attrahendo sibi res exteriores.

Galat. 6. 1. FIli, in multis oportet te esse inscium, & æstimare te tãquam mortuum super terram, & cui totus mundus crucifixus sit. Multa etiam oportet surda aure pertransire, & quæ tuæ pacis sunt magis cogitare. Vtilius est oculos à rebus displicentibus auertere, & vnicuique suum sentire relinquere, quàm contentiosis sermonibus deseruire. Si bene steteris cum Deo, & eius iudicium aspexeris, faciliùs te victum portabis.

2. O Domine, quonam venimus? Ecce damnum defletur temporale, pro modico quæstu laboratur & curritur, & spirituale detrimentum in obliuionem transit, & vix serò reditur. Quod parum vel nihil prodest attenditur, & quod summè necessariũ est, negligenter præteritur; quia totus homo ad externa defluit. Et nisi citò resipiscat, libens in exterioribus iacet.

CAPVT XLV.

Quòd omnibus non est credendum, & de facili lapsu verborum.

Psalm. 59. 1. DA mihi auxilium Domine de tribulatione, quia vana salus hominis. Quàm sæpe ibi non inueni fidem, vbi me habere putaui? Quoties etiam ibi reperi, vbi minùs præsumpsi? Vana ergo spes in hominibus, salus autem iustorum in te Deus. Benedictus sis Domine Deus meus in omnibus, quæ accidunt nobis. Infirmi sumus & instabiles, citò fallimur & permutamur.

Prou. 10. 2. Quis est homo, qui ita cautè & circumspecte in omnibus se custodire valet, vt aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat? Sed qui in te Domine confidit, ac simplici ex corde quærit, non tam facilè labitur. Et si inciderit in aliquam tribulationem, quocumque modo fuerit etiã implicatus, citiùs per te eruetur, aut à te consolabitur; quia tu non deseres in te sperantem, vsque in finem.

3. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perseuerans pressuris. Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, & præter te nõ est

est alter talis. O quàm bene sapuit sancta illa anima, quæ dixit: Mens mea solidata est, & in Christo fundata. Si ita mecum foret, non tam facilè timor humanus me solicitaret, nec verborum iacula mouerent.

4. Quis omnia præuidere, quis præcauere futura mala sufficit? Si præuisa sæpe etiã lædunt, quid improuisa nisi grauiter feriunt? Sed quare mihi misero non meliùs prouidi? Cur etiam tam facilè alijs credidi? Sed homines sumus, nec aliud quàm fragiles homines sumus, etiamsi angeli à multis æstimamur & dicimur. Cui credam Domine? Cui, nisi tibi? Veritas es, quæ nõ fallis, nec falli potes. Et rursum: Omnis homo mendax, infirmus, instabilis, & labilis maximè in verbis; ita vt statim vix credi debeat, quod rectum in facie sonare videtur.

5. Quàm prudenter præmonuisti cauendum ab hominibus, & quia inimici hominis, domestici eius; nec credendum, si quis dixerit: Ecce hîc, aut ecce illic. Doctus sum damno meo, & vtinam ad cautelam maiorem, & non ad insipientiam mihi. Cautus esto (ait quidam) cautus esto; serua apud te, quod dico. Et dum ego sileo, & absconditum credo, nec ille silere potest, quod silendum petijt: sed statim prodit me & se, & abijt. Ab huiusmodi fabulis & incautis hominibus, protege me Domine, ne in manus eorum incidam, nec vnquam talia committam. Verbum verum & stabile da in os meum, & linguam callidam longè fac à me. Quod pati nolo, omnimodè cauere debeo. *Mich. 7.*

6. O quàm bonum & pacificum de alijs silere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili vlteriùs effari, paucis seipsum reuelare, te semper inspectorem cordis quærere, nec omni vento verborum circumferri, sed omnia intima & extrema, secundùm placitum tuæ voluntatis, optare perfici. Quàm tutum, pro conseruatione cœlestis gratiæ, humanam fugere apparentiam, nec appetere quæ foris admirationem videntur præbere, sed ea, tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant & feruorem. *Prou. 25. & Isaiæ 26.*

7. Quàm multis nocuit, virtus scita ac præproperè laudata? Quàm sanè profuit gratia silentio seruata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur & militia?

CAPVT XLVI.

De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum iacula.

1. FIli, sta firmiter, & spera in me. Quid enim sũt verba, nisi verba. Per aërem volant, sed lapidem non lædunt. Si reus es, cogita quòd libenter emendare te velis. Si nihil tibi cõscius es, pensa quòd velis libenter pro Deo hoc sustinere. Parum satis est, vt vel verba interdum sustineas, qui necdum fortia verbera tolerare *Psal. 36.*

vales. Et quare tam parua tibi ad cor transeunt, nisi quia adhuc carnalis es, & homines magis quàm oportet attendis? Nam quia despici metuis, reprehendi pro excessibus non vis, & excusationum vmbracula quæris.

2. Sed inspice te melius, & agnosces, quia viuit adhuc in te mundus, & vanus amor placendi hominibus. Cùm enim bassari refugis & confundi pro defectibus, constat vtique, quòd nec verus humilis sis, nec verè mundo mortuus, nec mundus tibi crucifixus. Sed audi verbum meum, & non curabis decem milla verba hominum. Ecce, si cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitiosissimè possent; quid tibi nocerent, si omnino transire permitteres, nec plusquam festucam perpenderes? Nunquid vel vnum capillum tibi extrahere possent?

Mat. 10.

Luca 11.

Psal. 7.

3. Sed qui cor intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter verbo mouetur vituperationis. Qui autem in me confidit, nec proprio iudicio stare appetit, absque humano terrore erit. Ego enim sum iudex, & cognitor omnium secretorum. Ego scio, qualiter res acta est. Ego iniuriantem noui & sustinẽtem. A me exijt verbum istud, me permittente hoc accidit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum & innocentem iudicabo, sed occulto iudicio vtrumque ante probare volui.

Luca 2.

4. Testimonium hominum sæpe fallit, meum iudicium verum est, stabit, & non subuertetur. Latet plerumque, & paucis adsingula patet; nunquam tamen errat, nec errare potest, etiamsi oculis insipientium non rectum videatur. Ad me ergo currendum est in omni iudicio, nec proprio innitendum arbitrio. Iustus enim non conturbabitur, quicquid à Deo ei acciderit. Etiamsi iniustè aliquid contra eum prolatum fuerit, non multum curabit; sed nec vanè exultabit, si per alios rationabiliter excusetur.

Prou 12.

Psal. 7. & Apoc. 2.

5. Pensat namque, quia ego sum scrutans corda & renes, qui non iudico secundùm faciem & humanam apparentiam. Nam sæpe in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile. Domine Deus, iudex iuste, fortis & patiens, qui hominum nosti fragilitatem & prauitatem, esto robur meum & tota fiducia mea, non enim mihi sufficit conscientia mea. Tu nosti, quod ego non noui; & ideo in omni reprehensione humiliare me debui, & mansuetè sustinere. Ignosce quoque mihi propitius, quoties sic non egi, & dona iterum gratiam amplioris sufferentiæ. Melior est enim mihi tua copiosa misericordia ad consequutionem indulgentiæ; quàm mea opinata iustitia, pro defensione latentis conscientiæ. Etsi nihil mihi conscius sum, tamen in hoc iustificare me non possum; quia remota misericordia tua, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

1. Cor. 4.

Psal. 142.

CAPVT

CAPVT XLVII.

Quòd omnia grauia, pro æterna vita, sint toleranda.

1. FIli, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, ne tribulationes te deijciant vsquequaque; sed mea promissio in omni euentu te roboret & consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum, supra omnem modum & mensuram. Non diu hic laborabis, nec semper grauaberis doloribus. Expecta paulisper, & videbis celerem finem malorum. Veniet vna hora, quando cessabit omnis labor & tumultus. Modicum est & breue, omne quod transit cum tempore.

2. Age, quod agis; fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus & maioribus prælijs vita æterna. Veniet pax in die vna, quæ nota est Domino, & erit non dies neque nox huius scilicet temporis, sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, & requies secura. Non dices tunc: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nec clamabis, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est*: quoniam præcipitabitur mors, & salus erit indefectiua, anxietas nulla, iucunditas beata, societas dulcis & decora. *Mat. 20.* *Rom. 7.* *Psa. 119.*

3. O si vidisses sanctorum in cælo coronas perpetuas; quanta quoque nunc exultant gloria, (qui huic mundo olim contemptibiles, & quasi vita ipsa indigni putabantur:) profectò te statim humiliares vsque ad terram: & affectares potiùs omnibus subesse, quàm vni præesse, nec huius vitæ lætos dies cõcupisceres, sed magis pro Deo tribulari gauderes; & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres. *Sap. 3. & 5.*

4. O si tibi hæc saperent, & profundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nónne pro vita æterna, cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est paruum quid, perdere aut lucrari regnum Dei. Leua igitur faciem tuam in cælum. Ecce ego, & omnes sancti mei mecum, qui in hoc seculo magnum habuere certamen; modò gaudent, modò consolantur, modò securi sunt, modò requiescunt, & sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt.

CAPVT XLVII.

De die æternitatis, & huius vitæ angustijs.

1. O Supernę ciuitatis mãsio beatissima. O dies ęternitatis clarissima, quã nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat, dies sẽper lęta, sẽper secura, & nunquã statũ mutãs in cõtraria. O vtinã dies illa illuxisset, & cũcta hęc tẽporalia finẽ accepissent, *Apoc. 21.*

pissent. Lucet quidem sanctis perpetua claritate splendida, sed non nisi à longè & per speculum peregrinantibus in terra.

Iob. 7. 2. Norunt cæli ciues, quàm gaudiosa sit illa: gemunt exules filij Euę, quòd amara & tædiosa sit ista. Dies huius temporis parui & mali, pleni doloribus & angustijs; vbi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus grauatur, delicijs eneruatur, egestate cruciatur.

Rom 7. Psal. 70. 3. O quando finis horum malorum! quando liberabor à misera seruitute vitiorum? Quando memorabor (Domine) tui solius? Quando ad plenum lætabor in te? Quando ero sine omni impedimento in vera libertate, sine omni grauamine mentis & corporis? Quando erit pax solida, pax imperturbabilis & secura, pax intus & foris, pax ex omni parte firma? Iesu bone, quando stabo ad videndum te? Quando contemplabor gloriam regni tui? Quando eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecum in regno tuo, quod præparasti dilectis tuis ab æterno? Relictus sum pauper & exul in terra hostili, vbi bella quotidiana & infortunia maxima.

4. Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te suspirat omne desiderium meum. Nam onus mihi totum est, quicquid his mundus offert ad solatium. Desidero te intimè frui, sed nequeo apprehendere. Opto inhærere cælestibus, sed deprimunt res temporales, & immortificatæ passiones. Mente omnibus rebus supereſſe volo, carne autem inuitè subesse cogor. Sic ego homo infelix mecum pugno, & factus sum mihimetipsi grauis: dum spiritus sursum, & caro quærit esse deorsum.

Rom. 7. & 8.

Psal. 76. 5. O quid intus patior, dum mente cœlestia tracto, & mox carnalium turba occurrit oranti, Deus meus, ne elongeris à me, neque declines in ira à seruo tuo. Fulgura coruscationem tuam, & dissipa eas. Emitte sagittas tuas, & conturbentur omnes phantasiæ inimici. Recollige sensus meos ad te; fac me obliuisci omnium mundanorum; da citò abijcere & contemnere phantasmata vitiorum. Succurre mihi æterna veritas, vt nulla me moueat vanitas. Adueni cælestis suauitas, & fugiat à facie tua omnis impuritas. Ignosce quoque mihi, & misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione reuoluo. Confiteor etenim verè quia valde distractè me habere consueui. Nam ibi multoties non sum, vbi corporaliter sto aut sedeo; sed ibi magis sum, quò cogitationibus feror. Ibi sum, vbi cogitatio mea est. Ibi frequenter cogitatio mea, vbi est quod amo. Hoc mihi citò occurrit, quod naturaliter

turaliter delectat, aut ex vsu placet.

6. Vnde tu veritas apertè dixisti: *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matt. 6. Si cœlum diligo, libenter de cælestibus penso. Si mundum amo, mundi felicitatibus congaudeo, & de aduersitatibus eius tristor. Si carnē diligo, quæ carnis sunt sæpe imaginor. Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector. Quæcumque enim diligo, de his libenter loquor & audio, atque talium imagines mecum ad domum reporto. Sed beatus ille homo, qui propter te Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit; qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis feruore spiritus crucifigit. Vt serenata conscientia, puram tibi orationem offerat: dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris & intus exclusis. Matt. 19.

CAPVT XLIX.

De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa.

1. FILI, cùm tibi desideriū æternæ beatitudinis desuper infundi sentis, & de tabernaculo corporis exire cōcupiscis: vt claritatem meam sine vicissitudinis vmbra contemplari possis; dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem susci pe. Redde amplissimas supernæ bonitati gratias, quæ tecum sic dignanter agit, clementer visitat, ardenter excitat, potenter subleuat, ne proprio pōdere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis, sed sola dignatione supernæ gratiæ & diuini aspectus; quatenus in virtutibus & maiori humilitate proficias, & ad futura certamina te præpares, mihiq; toto cordis affectu adhærere, ac feruenti voluntate studeas deseruire.

2. Fili, sæpe ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit. Sic & aliquorum desideria ad cælestia flagrant, & tamen à tentatione carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco, nec omnino purè pro honore Dei agunt, quod tam desideranter ab eo petunt. Tale est & tuum sæpe desiderium, quod insinuasti fore tam importunum. Non enim est hoc purum & perfectum, quod propria commoditate est infectum.

3. Pete, non quod tibi est delectabile & commodum, sed quod mihi est acceptabile atque honorificum. Quia si rectè iudicas, meam ordinationem tuo desiderio & omni desiderato præferre debes ac sequi. Noui desiderium tuum, & frequentes gemitus audiui. Iam velles esse in libertate gloriæ filiorum Dei; iam te delectat domus æterna & cælestis patria gaudio plena, sed nondum venit hora ista; sed est adhuc aliud tempus, scilicet tempus belli, tempus laboris & probationis. Optas summo repleri bono, sed Iob. 7.

non potes hoc assequi modo. Ego sum; expecta me, (dicit Dominus) donec veniat regnum Dei.

4. Probandus es adhuc in terris, & in multis exercitandus. Consolatio tibi interdum dabitur, sed copiosa satietas non concedetur. Confortare igitur & esto robustus, tam in agendo quàm in patiendo naturæ contraria. Oportet te nouum induere hominem, & in alterum virum mutari. Oportet te sæpe agere, quod non vis, & quod vis, oportet relinquere. Quod alijs placet, processum habebit; quod tibi placet, vltrà non proficiet. Quod alij dicunt, audietur; quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alij, & accipient; tu petes, nec impetrabis.

Iosue 1. Ephes. 4.

5. Erunt alij magni in ore hominum, de te autem tacebitur. Alijs hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil vtilis iudicaberis. Propter hoc, natura quandoque contristabitur: & magnum, si silens portaueris. In his & similibus multis, probari solet fidelis Domini seruus, qualiter se abnegare, & in omnibus se frangere quiuerit. Vix est aliquid tale, in quo tantundem mori indiges, sicut videre & pati, quæ voluntati tuæ aduersa sunt; maximè autem cùm disconuenientia, & quę minùs vtilia tibi apparent, fieri iubentur. Et quia non audes resistere altiori potestati, sub dominio constitutus; ideo durum tibi videtur, ad nutum alterius ambulare, & omne proprium sentire omittere.

6. Sed pensa fili horum fructum laborum, celerem finem, atque præmium nimis magnum; & non habebis iude grauamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. Nam & pro modica hac voluntate, quam nunc sponte deseris, habebis semper voluntatem tuam in cælis. Ibi quippe inuenies omne quod volueris, omne quod desiderare poteris. Ibi aderit tibi totius facultas boni, sine timore amittendi. Ibi voluntas tua vna semper mecum, nil cupiet extraneum vel priuatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet, nihil obuiabit; sed cuncta desiderata simul erunt præsentia, totumque affectum tuum reficient, & adimplebunt vsque ad summum. Ibi reddam gloriam, pro contumelia perpessa; pallium laudis, pro mœrore; pro loco nouissimo, sedem regni in secula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, & humilis subiectio coronabitur gloriosè.

7. Nunc ergo inclina te humiliter sub omnium manibus; nec sit tibi curæ, quis hoc dixerit vel iusserit. Sed hoc magnopere curato, vt siue prelatus, seu iunior, aut æqualis, aliquid à te exposcerit vel innuerit, pro bono totum accipias, & sincera voluntate studeas adimplere. Quærat alius hoc, alius illud; glorietur ille in illo & iste in isto: laudeturque millies mille; tu autem nec in isto,

¶ solius be-

neplacito ac honore. Hoc optandum est tibi, vt siue per vitam, siue per mortem, Deus semper in te glorificetur.

CAPVT L.

Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre.

1. DOmine, Deus sancte Pater, sis nunc & in æternum benedictus; quia sicut vis, sic factum est; & quod facis, bonum est. Lætetur in te seruus tuus, non in se, nec in aliquo alio; quia tu solus lætitia vera, tu spes mea, & corona mea; tu gaudium meum, & honor meus, Domine. Quid habet seruus tuus, nisi quod à te accepit, etiam sine merito suo? Tua sunt omnia, quæ dedisti, & quæ fecisti. Pauper sum, & in laboribus meis à iuuentute mea; & contristatur anima mea nonnunquam, vsque ad lachrymas; quãdoque etiam conturbatur ad se, propter imminentes passiones. *1. Cor. 4.* *Psal. 87.*

2. Desidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine consolationis à te pascuntur. Si das pacem, si gaudium sanctum infundis, erit anima serui tui plena modulatione, & deuota in laude tua. Sed si te subtraxeris, sicut sæpissime soles, non poterit currere viam mandatorum tuorum, sed magis ad tundendum pectus genua eius incuruantur: quia non est illi sicut heri & nudiustertius, quando splendebat lucerna tua super caput eius, & sub vmbra alarum tuarum protegebatur à tentationibus irruentibus.

3. Pater iuste & semper laudande, venit hora, vt probetur seruus tuus. Pater amande, dignum est, vt hac hora patiatur pro te aliquid seruus tuus. Pater perpetuò venerande venit hora, quam ab æterno præsciebas affuturam, vt ad modicum tempus succumbat foris seruus tuus, viuat verò semper apud te intus. Paululum vilipendatur, humilietur, & deficiat coram hominibus: passionibus conteratur & languoribus, vt iterum tecum in aurora nouæ lucis resurgat, & in cælestibus clarificetur. Pater sancte, tu sic ordinasti & sic voluisti: & hoc sanctum est, quod ipse præcepisti.

4. Hæc est enim gratia ad amicum tuum, pati & tribulari in mundo pro amore tuo, quotiescumque & à quocumque id permiseris fieri. Sine consilio & prouidentia tua, & sine causa, nihil fit in terra. Bonum mihi Domine, quòd humiliasti me, vt discam iustificationes tuas, & omnes elationes cordis atque præsumptiones abijciam. Vtile mihi, quòd confusio cooperuit faciem meam, vt te potiùs quàm homines ad consolandum requiram. Didici etiam ex hoc, inscrutabile iudicium tuum expauescere, qui affligis iustum cum impio, sed non sine æquitate & iustitia. *Psal. 118.*

5. Gratias tibi ago, quia non pepercisti malis meis, sed attriuisti me verberibus amaris, infligens dolores & immittens angu-

stias foris & intus. Non est, qui me consoletur ex omnibus, qui sub cœlo sunt, nisi tu Domine Deus meus, cælestis medicus animarum, qui percutis & sanas, deducis ad inferos & reducis. Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.

Heb. 13. Psal. 17.

6. Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga correctionis tuæ me inclino, percute dorsum meum & collũ meum, vt incuruem ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Fac me pium & humilem discipulum, sicut bene facere consueuisti, vt ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me, & omnia mea, ad corrigendum commendo; melius est hîc corripi, quàm in futuro. Tu scis omnia & singula, & nil te latet in humana conscientia. Antequam fiant, nosti ventura; & non opus est tibi, vt quis te doceat, aut admoneat de his, quæ geruntur in terra. Tu scis, quid expedit ad profectum meum, & quantum deseruit tribulatio, ad rubiginem vitiorum purgandam: Fac mecum desideratum beneplacitum tuum, & ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli meliùs nec clariùs quàm tibi soli notam.

7. Da mihi Domine scire, quod sciendum est; hoc amare, quod amandum est: hoc laudare, quod tibi summè placet: hoc reputare, quod tibi precioſum apparet: hoc vituperare, quod oculis tuis sordescit. Non me sinas secundùm visionem oculorum exteriorum iudicare: neque secundùm auditum aurium hominum imperitorum sententiare: sed in iudicio vero, de visibilibus & spiritualibus discernere: atque super omnia, voluntatem beneplaciti tui semper inquirere.

8. Falluntur sæpe hominum sensus in iudicando: falluntur & amatores sæculi, visibilia tantummodo amando. Quid est homo inde melior, quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat: & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantum vnusquisque est in oculis tuis, tantum est & non amplius, ait humilis sanctus Franciscus.

CAPVT LI.

Quòd humilibus insistendum est operibus, cum deficitur à summis.

1. FIli, non vales semper in feruẽtiori desiderio virtutum stare, nec in altiori gradu contẽplationis cõsistere: sed necesse habes interdũ ob originalem corruptelã ad inferiora descendere, & onus corruptibilis vitæ, etiã inuitè & cũ tædio portare. Quamdiu mortale corpus geris, tædiũ senties, & grauamen cordis. Oportet ergo sæpe in carne de carnis onere gemere, eo quòd nõ vales spiritualibus studijs & diuinæ contẽplationi indesinenter inhærere.

2. Tunc

2. Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis actibus te recreare, aduentum meum & supernam visitationem firma confidentia expectare, exilium tuum & aridi-tem mentis patienter sufferre, donec iterum à me visiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum obliui-sci, & interna quiete perfrui. Expandam corã te prata scriptura-rum, vt dilatato corde, currere incipias viam mandatorum meo-rum. Et dices: *Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futu-ram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

CAPVT LII.

Quòd homo non reputet se consolatione dignum, sed magis verberibus reum.

1. DOMINE, non sum dignus cõsolatione tua, nec aliqua spiri-tuali visitatione; & ideo iustè mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis. Si enim ad instar maris lachrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Vnde nihil dignus sum, quàm flagellari & puniri; quia grauiter & sæpe te offendi, & in multis valde deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione. Sed tu clemens & misericors Deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum diuitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ, etiam præter omne proprium meritum, dignaris consolari seruum tuum supra humanum modum. Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ confabulationes.

2. Quid egi Domine, vt mihi conferres aliquam cælestem consolationem? Ego nihil boni me egisse recolo, sed semper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuisse. Verum est, & negare non possum. Si aliter dicerem, tu stares contra me; & non esset, qui defenderet. Quid merui pro peccatis meis, nisi Infernum & ignem æternum? in veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio & contemptu; nec decet me inter tuos deuotos commemorari. Et licèt hoc ægrè audiam, tamen aduersum me pro veritate, peccata mea arguam, vt faciliùs misericordiam tuam merear impetrare. Iob 9.

3. Quid dicam reus, & omni confusione plenus? Non habeo os loquendi, nisi hoc tantùm verbum: Peccaui Domine, peccaui; miserere mei; ignosce mihi. Sine me paululum, vt plangam do-lorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam & oper-tam mortis caligine. Quid tam maximè à reo & misero peccato-re requiris, nisi vt cõteratur & humiliet se pro delictis suis? In ve-ra contritione & cordis humiliatione nascitur spes veniæ, recon-ciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita, tuetur Psal. 50. Iob 10.

homo à futura ira, & occurrat ut sibi mutuo in osculo sancto, Deus & pœnitens anima.

4. Humilis peccatorum contritio, acceptabile tibi est Domine sacrificium: longè suauius odorans in conspectu tuo, quàm thuris incensum. Hæc, est gratum etiam vnguentum, quod sacris pedibus tuis infundi voluisti, quia cor contritum & humiliatum nunquam despexisti. Ibi est locus refugij, à facie iræ inimici. Ibi emendatur & abluitur, quicquid aliunde contractum est & inquinatum.

Luca 7.
Psal. 50.

CAPVT LIII.

Quòd gratia Dei non miscetur terrena sapientibus.

1. FIli, pretiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abijcere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas eius infusionem suscipere. Pete secretum tibi, ama solus habitare tecum, nullius require cõfabulationem; sed magis ad Deum deuotam effunde precem, vt compunctam teneas mentem & puram conscientiam. Totum mundum nihil æstima; Dei vacationem omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare, & in transitorijs pariter delectari. A notis & à charis oportet elongari, & ab omni temporali solatio mentem tenere priuatam. Sic obsecrat beatus Apostolus Petrus, vt tanquam aduenas & peregrinos, in hoc mundo se contineant Christi fideles.

Matt. 19.
1. Pet. 2.

2. O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo! Sed sic segregatum cor habere ab omnibus, æger necdum capit animus; nec animalis homo nouit interni hominis libertatem. Attamen, si verè velit esse spiritualis, oportet cum renunciare tam remotis quàm propinquis, & à nemine magis cauere quàm à seipso. Si temetipsum perfectè viceris, cætera facilius subiugabis. Perfecta victoria est, de semetipso triomphare. Qui enim semetipsum subiectum tenet, vt sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi: hic verè victor est sui, & Dominus mundi.

3. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere; vt euellas & destruas occultam inordinatam inclinationem ad teipsum, & ad omne priuatum & materiale bonum. Ex hoc vitio, quòd homo semetipsum nimis inordinatè diligit, penè totum pendet, quicquid radicaliter vincendum est. Quo deuicto & subacto malo, pax magna & tranquillitas erit continuò. Sed quia pauci sibiipsis perfecte mori laborant, nec plenè extra se tendunt, propterea in se implicati remanent, nec supra se in spiritu eleuari possunt. Qui autem liberè mecum ambulare desiderat, necesse est, vt omnes prauas & inordinatas

dinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ priuato amore concupiscenter inhæreat.

CAPVT LIV.

De diuersis motibus naturæ & gratiæ.

1. FIli, diligenter aduerte motus naturæ & gratiæ, quia valde contrariè & subtiliter mouentur; & vix, nisi à spirituali & intimè illuminato homine, discernuntur. Omnes quidem bonũ appetunt, & aliquid boni in suis dictis vel factis prætendunt, ideo sub specie boni multi falluntur. Natura callida est, & multos trahit, illaqueat, & decipit, & se semper pro fine habet: Sed gratia simpliciter ambulat, & ab omni specie mala declinat, fallacias non prætendit; & omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requiescit.

2. Natura inuitè vult mori, nec premi, nec superari, nec subesse, nec sponte subiugari: Gratia verò studet mortificationi propriæ, resistit sensualitati, quærit subijci, appetit vinci, nec propria vult libertate fungi. Sub disciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari, sed sub Deo semper viuere, stare, & esse; atque propter Deum, omni humanæ creaturæ humiliter parata est inclinari. Natura pro suo commodo laborat, & quid lucri ex alio sibi proueniat, attendit: Gratia autem, non quid sibi vtile & commodum sit, sed quod multis proficiat magis considerat; Natura libenter honorem & reuerentiam accipit: Gratia verò, omnem honorem & gloriam Deo fideliter attribuit.

3. Natura confusionem timet & contemptum; Gratia autem gaudet pro nomine Iesu pati contumeliam. Natura otium amat & quietem corporalem: Gratia verò vacua esse non potest, sed libenter amplectitur laborem. Natura quærit habere curiosa & pulchra, abhorret vilia & grossa: Gratia verò simplicibus delectatur & humilibus, aspera non aspernatur, nec vetustis refugit indui pannis. Natura respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena, tristatur de damno, irritatur leui iniuriæ verbo: Sed gratia attendit æterna, non inhæret temporalibus, nec in perditione rerum turbatur, neque verbis durioribus acerbatur; quia thesaurum suum & gaudium in cælo, vbi nil perit, constituit.

4. Natura cupida est, & libentiùs accipit quam donat, amat propria & priuata: Gratia autem pia est & communis, vitat singularia, contentatur paucis, beatiùs dare iudicat quàm accipere. Natura inclinat ad creaturas, ad carnem propriam, ad vanitates & discursus: Sed gratia trahit ad Deum & ad virtutes; renunciat creaturis, fugit mundum, odit carnis desideria, restringit euagationes, erubescit in publico apparere. Natura libenter aliquod [illegible] habet externum, in quo delectetur ad sensum:

Sed

Sed gratia in solo Deo quærit consolari, & in summo bono super omnia visibilia delectari.

5. Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium, nihil gratis facere potest; sed aut æquale, aut melius, aut laudem, vel fauorem pro benefactis consequi sperat, & multum ponderari sua gesta & dona cõcupiscit: Gratia verò nil temporale quærit, nec aliud præmium quam Deum solum, pro mercede postulat; nec amplius de temporalibus necessarijs desiderat, nisi quantum hæc sibi ad assequutionem æternorum valeant deseruire.

6. Natura gaudet de amicis multis & propinquis, gloriatur de nobili loco & ortu generis; arridet potentibus, blanditur diuitibus, applaudit sibi similibus: Gratia autem & inimicos diligit, nec de amicorum turba extollitur; nec locum nec ortum nataliũ reputat, nisi virtus maior ibi fuerit; fauet magis pauperi quam diuiti, compatitur plus innocenti quàm potenti, congaudet veraci, non fallaci; exhortatur semper bonos meliora charismata æmulari, & Filio Dei per virtutes assimilari. Natura de defectu & molestia citò conqueritur: Gratia constanter fert inopiam.

7. Natura omnia ad se reflectit, pro se certat & arguit: Gratia autem ad Deum cuncta reducit, vnde originaliter emanant; nihil boni sibi ascribit, nec arroganter præsumit. Non contendit, nec suam sententiam alijs præfert; sed in omni sensu & intellectu, æternæ sapientiæ ac diuino examini se submittit. Natura appetit scire secreta, & noua audire; vult exterius apparere, & multa per sensus experiri; desiderat agnosci & agere, vnde laus & admiratio procedit: Sed gratia non curat noua nec curiosa percipere; quia totum hoc de vetustate corruptionis est ortum, cùm nihil nouum & durabile sit super terram. Docet itaque sensus restringere, vanam complacentiam & ostentationem deuitare; laudanda & dignè miranda, humiliter abscondere; & de omni re, & in omni scientia, vtilitatis fructum atque Dei laudem & honorem quærere. Non vult se nec sua prædicari, sed Deum in donis suis optat benedici, qui cuncta ex mera charitate largitur.

8. Hæc gratia, supernaturale lumen & quoddam Dei speciale donum est, & propriè electorum signaculum & pignus salutis æternæ; quæ hominem de terrenis ad cælestia amanda sustollit, & de carnali spiritualem efficit. Quanto igitur natura amplius premitur & vincitur, tanto maior gratia infunditur; & quotidie nouis visitationibus interior homo, secundùm imaginem Dei reformatur.

CAPVT

CAPVT LV.

De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ diuinæ.

1. DOmine Deus meus, qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, concede mihi hanc gratiam, quam ostendisti tam magnam & necessariam ad salutem, vt vincam pessimam naturam meam, trahentem ad peccata & in perditionem. Sentio enim in carne mea legem peccati, contradicentem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis, nec possum resistere passionibus eius, nisi assistat tua sanctissima gratia, cordi meo ardenter infusa. *Gen 1.* *Rom. 7.*

2. Opus est gratia tua, & magna gratia, vt vincatur natura, ad malum semper prona ab adolescentia sua. Nam per primum hominem Adam lapsa & vitiata per peccatum, in omnes homines pœna huius maculæ descendit; vt ipsa natura, quæ bene & recta à te condita fuit, pro vitio iam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur; eò quòd motus eius sibi relictus, ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis, quæ remansit, est tãquam scintilla quædam latens in cinere. Hęc est ipsa ratio naturalis, circumfusa magna caligine, adhuc iudicium habens boni & mali, veri falsique distantiam; licèt impotens sit adimplere omne, quod approbat; nec pleno iam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potiatur. *Genes. 8.*

3. Hinc est Deus meus, quòd condelector legi tuæ, secundùm interiorem hominem; sciens mandatum tuum fore bonum, iustum, & sanctum; arguens etiam omne malum & peccatum fugiendum. Carne autem seruio legi peccati, dum magis sensualitati obedio, quàm rationi. Hinc est quòd velle bonum mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Hinc sæpe multa bona propono, sed quia gratia deest ad adiuuandum infirmitatem meam, ex leui resistentia resilio & deficio. Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnosco; & qualiter agere debeam, clarè satis video; sed propriæ corruptionis pondere pressus, ad perfectiora non assurgo. *Rom. 7.*

4. O quàm maximè est mihi necessaria Domine tua gratia, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nam sine ea nihil possum facere; omnia autem possum in te, cõfortante me gratia. O verè cælestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda. Nihil artes, nihil diuitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo; nihil ingenium vel eloquentia valent apud te Domine sine gratia. Nam dona naturæ, bonis & malis sunt communia; electorum autem proprium donum *Ioan. 15.*

donum est gratia siue dilectio ; qua insigniti, digni habentur vitæ æterna. Tantum eminet hæc gratia, vt nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio, aliquid æstimetur sine ea. Sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes, tibi acceptæ sunt sine charitate & gratia.

1. Cor. 13.

5. O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu, virtutibus diuitem facis ; & diuitem multis bonis humilem corde reddis. Veni descende ad me, reple me manè consolatione tua, ne deficiat præ lassitudine & ariditate mentis anima mea. Obsecro Domine, vt inueniam gratiam in oculis tuis ; sufficit enim mihi gratia tua, ceteris non obtentis, quæ desiderat natura. Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum mecum fuerit gratia tua. Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert & auxilium. Cunctis hostibus potentior est, & sapientior vniuersis sapientibus.

Psal. 22.

6. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix deuotionis, productrix lachrymarum. Quid sum sine ea nisi aridum lignum, & stipes inutilis ad eijciendum ? Tua ergo me Domine gratia semper præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentum, per Iesum Christum filium tuum. Amen.

CAPVT LVI.

Quòd nos ipsos abnegare & Christum imitari debemus per crucem.

1. FIli, quantum à te vales exire, tantum in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit ; sic se interiùs relinquere, Deo coniungit. Volo te addiscere perfectam abnegationem tui in voluntate mea, sine contradictione & querela. Sequere me : Ego sum via, veritas, & vita. Sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non viuitur. Ego sum via, quam sequi debes ; veritas, cui credere debes ; vita, quam sperare debes. Ego sum via inuiolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata.

Ioan. 14.

2. Si manseris in vita mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si vis veritatem cognoscere, crede mihi. Si vis perfectus esse, vende omnia. Si vis esse discipulus meus, abnega temetipsum. Si vis beatam vitam possidere, præsentem vitam cõtemne. Si vis exaltari in cælo, humilia te in mũdo. Si vis regnare mecum, porta crucem mecum. Soli enim serui crucis, inueniunt viam beatitudinis & veræ lucis.

Matt. 19.
Ibidem.
Lucæ 9.
Ioan. 12.
Lucæ 14.

3. Domi-

3. Domine Iesu, quia arcta est vita tua & mundo despecta, dona mihi te cum mundi despectu imitari. Non enim maior est seruus Domino suo, nec discipulus supra magistrum. Exerceatur seruus tuus in vita tua, quia ibi est salus mea, & sanctitas vera. Quicquid extra eam lego vel audio, non me recreat nec delectat plenè. *Matt. 7. Luca 6.*

4. Fili, quia hæc scis, & legisti omnia; beatus eris, si feceris ea. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ipse est, qui diligit me. Et ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum; & faciam eum cõsedere mecum in regno Patris mei. Domine Iesu, sicut dixisti & promisisti, sic vtique fiat, & mihi promereri contingat. Suscepi suscepi de manu tua crucem, portabo & portabo eam vsque ad mortem, sicut imposuisti mihi. Verè vita boni monachi crux est, sed dux paradisi. Inceptum est, retro abire nõ licet, nec relinquere oportet. *Ioan. 14.*

5. Eia fratres, pergamus simul, Iesus erit nobiscum. Propter Iesum suscepimus hanc crucem; propter Iesum perseueremus in cruce. Erit adiutor noster, qui est dux noster & præcessor. En, rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, vt fugiamus à cruce.

CAPVT LVII.

Quòd homo non sit nimis dejectus, quando in aliquos labitur defectus.

1. FIli, magis placent mihi patientia & humilitas in aduersis, quàm multa consolatio & deuotio in prosperis. Vt quid te contristat, paruum factum contra te dictum? Si amplius fuisset, commoueri non debuisses. Sed nunc permitte transire: Non est primum, nec nouum, nec vltimum erit, si diu vixeris. Satis virilis es, quamdiu nil obuiat aduersi: Bene etiam consulis, & alios nosti roborare verbis, sed cùm ad ianuam tuam venit repentina tribulatio, deficis consilio & robore. Attende magnam fragilitatem tuam, quam sæpius experiris in modicis obiectis. Tamen pro salute tua ista fiunt, cùm hæc & similia contingunt.

2. Pone, vt melius nosti ex corde; & si te tetigit, non tamen dejciat, nec diu implicet. Ad minus sustine patienter, si non potes gaudenter. Etiamsi minùs libenter audis & indignationem sentis, reprime te, nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, vnde paruuli scandalizẽtur. Citò conquiescet commotio excitata, & dolor internus reuertente dulcorabitur gratia. Adhuc viuo ego (dicit Dominus) iuuare te paratus, & solito ampliùs consolari, si confisus fueris mihi, & deuotè inuocaueris. *Isaiæ 49.*

3. Ani-

3. Animæquior esto, & ad maiorem sustinentiam accingere. Non est totum frustratum, si te sæpius percipis tribulatum vel grauiter tentatum. Homo es, & non Deus; caro es, non angelus.
Iob. 7. Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit angelo in cælo, & primo homini in paradiso? Ego sum, qui mœrentes erigo sospitate; & suam cognoscentes infirmitatem, ad meam proueho diuinitatem.

Psal. 118. 4. Domine, benedictum sit verbum tuum, dulce super mel & fauum ori meo. Quid facerem in tantis tribulationibus & angustiis meis, nisi me confortares tuis sanctis sermonibus? Dummodo tandem ad portum salutis perueniam, quid curæ est, quæ & quanta passus fuero? Da finem bonum, da felicem ex hoc mundo transitum. Memento mei Deus meus, & dirige me recto itinere in regnum tuum. Amen.

CAPVT LVIII.

De altioribus rebus & occultis iudicijs Dei non scrutandis.

1. FIli, caueas disputare de altis materijs, & de occultis Dei iudiciis, cur iste sic relinquitur, & ille ad tãtam gratiam assumitur: cur etiam iste tantum affligitur, & ille tam eximiè exaltatur. Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad inuestigandum iudicium diuinum vlla ratio prævalet vel disputatio.
Ibid. Psal. 18. Quando ergo hæc tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud Prophetæ: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Et illud: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Iudicia mea metuenda sunt, non discutienda, quia humano intellectui sunt incomprehensibilia.

2. Noli etiam inquirere, nec disputare de meritis sanctorum, quis alio sit sanctior, aut quis maior fuerit in regno cælorum.
2. Tim. 2. Talia generant sæpe lites & contentiones inutiles, nutriunt quoque superbiam & vanam gloriam. Vnde oriuntur inuidiæ & dissensiones, dum iste illum sanctum, & alius alium conatur superbè præferre. Talia autem velle scire & inuestigare, nullum fructum afferunt, sed magis sanctis displicent. Quia non sum Deus dissensionis, sed pacis; quæ pax magis in humilitate vera, quàm in propria exaltatione consistit.

3. Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel ad illos ampliori affectu, sed humano potiùs quàm diuino. Ego sum, qui cunctos condidi sanctos; ego donaui gratiam; ego præstiti gloriam. Ego noui singulorum merita; ego præueni eos in benedi-
Isai. 15. ctionibus dulcedinis meæ. Ego præsciui dilectos ante secula; ego eos elegi de mundo, non ipsi me prælegerunt. Ego vocaui per gratiam,

gratiam, attraxi per misericordiam. Ego perduxi eos per tentationes varias. Ego infudi consolationes magnificas. Ego dedi perseuerantiam; ego coronaui eorum patientiam.

4. Ego primum & nouissimum agnosco: ego omnes inæstimabili dilectione amplector. Ego laudandus sum in omnibus sanctis meis: ego super omnia benedicendus sum & honorandus in singulis, quos sic gloriosè magnificaui & prædestinaui, sine vllis præcedentibus proprijs meritis. Qui ergo vnum de minimis meis contempserit, nec magnum honorat; quia pusillum & magnum ego feci. Et qui derogat alicui sanctorum, derogat & mihi, & cæteris omnibus in regno cælorum. Omnes vnum sunt per charitatis vinculum: idem sentiunt, idem volunt, & omnes in vnum se diligunt. *Iacobi 2. Sap. 9.*

5. Adhuc autem (quod multo altius est) plus me quàm se & sua merita diligunt. Nam supra se rapti, & extra propriam dilectionem tracti, toti in amorem mei pergunt, in quo & fruitiuè quiescunt. Nihil est, quod eos auertere possit aut deprimere; quippe qui æterna veritate pleni, igne ardescunt inextinguibilis charitatis. Taceant igitur carnales & animales homines de sanctorum statu differere, qui non norunt nisi priuata gaudia diligere. Demunt & addunt pro sua inclinatione, non prout placet æternæ veritati.

6. In multis est ignorantia eorum maximè qui parum illuminati, rarò aliquem perfecta dilectione spirituali diligere norunt. Multum adhuc naturali affectu & humana amicitia, ad hos vel ad illos trahuntur: & sicut in inferioribus se habent, ita & de cælestibus imaginantur. Sed est distantia incomparabilis, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati viri per reuelationem supernam speculantur.

7. Caue ergo fili de istis curiosè tractare, quę tuam scientiam excedunt: sed hoc magis satage & intende, vt vel minimus in regno Dei queas inueniri. Et si quisquã sciret, quis alio sanctior esset, vel maior haberetur in regno cælorum: quid ei hæc notitia prodesset, nisi se ex hac cognitione coram me humiliaret, & in maiorem nominis mei laudem exurgeret? Multo acceptiùs Deo facit, qui de peccatorum suorum magnitudine, & virtutum suarum paruitate cogitat, & quàm longè à perfectione sanctorum distat, quàm is, qui de eorum maioritate vel paruitate disputat. Melius est sanctos deuotis precibus & lachrymis exorare, & eorum glorioſa suffragia humili mente implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari. *Eccli. 1.*

8. Illi bene & optimè contentantur, si homines scirent contentari, & vaniloquia sua compescere. Non gloriantur de pro-

prijs meritis, quippe qui sibi nihil bonitatis ascribunt, sed totum mihi: quoniã ipsis cuncta, ex infinita charitate mea donaui. Tanto amore diuinitatis & gaudio supereffluenti replentur, vt nihil eis desit gloriæ, nihilque possit deesse felicitatis. Omnes sancti quanto altiores in gloria, tanto humiliores in seipsis, & mihi viciniores & delectiores existunt: ideoque habes scriptum:

Apoc. 4. *Quia mittebant coronas suas ante Deum, & ceciderunt in facies suas coram agno, & adorauerunt viuentem in secula seculorum.* Multi quærunt, quis maior sit in regno Dei: qui ignorant, an cum minimis erunt digni computari.

9. Magnum est vel minimum esse in cælo, vbi omnes magni sunt: quia omnes filij Dei vocabuntur, & erunt. Minimus erit in

Matth. 18. mille, & peccator centum annorum morietur. Cùm enim quærerent discipuli, quis maior esset in regno cælorum? tale audierunt responsum: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.

10. Væ eis, qui cum paruulis humiliare se sponte dedignantur, quoniam humilis ianua regni cælestis, eos non admittet intra-

Matth. 6. re. Væ etiam diuitibus, qui habent hic consolationes suas: quia pauperibus intrantibus in regnum Dei, ipsi stabunt foris einlan-

Matth. 5. tes. Gaudete humiles & exultate pauperes, quia vestrum est regnum Dei, si tamen in veritate ambulatis.

CAPVT LIX.

Quòd omnis spes & fiducia in solo Deo est figenda.

1. DOmine, quæ est fiducia mea, quam in hac vita habeo? Aut quod maius solatium meum ex omnibus apparentibus sub cælo? Nónne tu Domine Deus meus, cuius misericordiæ non est numerus? Vbi mihi bene fuit sine te? Aut quando malè esse potuit præsente te? Malo pauper esse propter te, quàm diues sine te. Eligo potiùs tecum in terra peregrinari, quàm sine te cælum possidere. Vbi tu, ibi cælum; atque ibi mors & infernus, vbi tu non es. Tu mihi in desiderio es: & ideo post te gemere, clamare, & exorare necesse est. In nullo denique possum plenè confidere, qui in necessitatibus auxilietur oportunis, nisi te solo Deo meo. Tu es spes mea, tu fiducia mea: tu consolator meus & fidelissimus in omnibus.

2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt: tu salutem meam & profectum meum solummodo prętendis, & omnia in bonum mihi

Phil. 2. conuertis. Etiam si varijs tentationibus & aduersitatibus exponas, hoc totum ad vtilitatem meam ordinas, qui mille modis

dilectos

dilectos tuos probare consueuisti. In qua probatione non minùs diligi debes & laudari, quàm si cælestibus consolationibus me repleres.

3. In te ergo Domine Deus, pono totam spem meam & refugium; in te omnem tribulationem & angustiam meam constituo, quia totum infirmum & instabile inuenio, quicquid extra te conspicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt, nec prudentes consiliarij responsum vtile dare, neque libri doctorum consolari, neque aliqua preciosa substantia liberare, nec locus aliquis secretus & amœnus contutari, si tu ipse non assistas, iuues, confortes, consoleris, instruas, & custodias.

4. Omnia namque quæ ad pacem videntur esse & felicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tuorum es; & in te super omnia sperare, fortissimum solatium seruorum tuorum. Ad te sunt oculi mei, in te confido Deus meus misericordiarum Pater. Benedic & sanctifica animam meam benedictione cælesti, vt fiat habitatio sancta tua, & sedes æternæ gloriæ tuæ; nihilque in templo tuæ dignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Secundùm magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miserationum tuarum, respice in me, & exaudi orationem pauperis serui tui, longè exulantis in regione vmbræ mortis. Protege & conserua animam serui tui, inter tot discrimina vitæ corruptibilis; ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

LIBER QVARTVS

DE *AVGVSTISSIMO* EVCHARISTIÆ SACRAMENTO

CAPITA LIBRI QVARTI.

CVm quanta reuerentia Christus sit suscipiendus. Cap. I.
Quòd magna bonitas & charitas Dei in hoc Sacramento homini exhibetur. II.

Quòd vtile sit sæpe communicare. III
Quòd multa bona præstantur deuotè communicantibus. IV.
De dignitate sacramenti, & statu sacerdotali. V.
Interrogatio de exercitio ante communionem. VI.
De discussione propriæ conscientiæ, & emendationis proposito. VII.
De oblatione Christi in cruce & propria resignatione. VIII.
Quòd nos & omnia nostra Deo debemus offerre, & pro omnibus orare. IX.
Quòd sacra communio de facili non est relinquenda. X.
Quòd corpus Christi, & sacra Scriptura, maximè sunt animæ fideli necessaria. XI.
Quòd magna diligentia se debeat, communicaturus Christo, præparare. XII.
Quòd toto corde anima deuota, Christi vnionem in sacramento, affectare debet. XIII.
De quorundam deuotorum ardenti desiderio, ad corpus Christi. XIV.
Quòd gratia deuotionis, humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur. XV.
Quòd necessitates nostras Christo aperire, & eius gratiam postulare debemus. XVI.
De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum. XVII.
Quòd homo non sit curiosus scrutator sacramenti, sed humilis imitator Christi, subdendo sensum suum sacræ fidei. XVIII

Deuota exhortatio, ad sacram communionem.

VOX CHRISTI.

Matth. 11. *Ioan.* 6. *Matth.* 26. & 1. *Cor.* 11. VENITE *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, dicit Dominus. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* *Ioan.* 6.

CAPVT I.

Cum quanta reuerentia Christus sit recipiendus.

VOX DISCIPVLI.

1. HÆC sunt verba tua Christe, veritas æterna, quamuis non vno tempore prolata, nec vno in loco conscripta. Quia ergo tua sunt & vera, gratantur mihi & fideliter cuncta sunt accipienda. Tua sunt, & tu ea protulisti; & mea quoque sunt, quia pro salute mea ea edidisti. Libenter suscipio ea ex ore tuo,

tuo, vt arctiùs inſerantur cordi meo. Excitant me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis & dilectionis. Sed terrent me delicta propria: & ad capienda tanta myſteria, me reuerberat impura conſcientia. Prouocat me dulcedo verborum tuorum, ſed onerat me multitudo vitiorum meorum.

2. Iubes, vt fiducialiter ad te accedam, ſi tecum velim habere partem; & vt immortalitatis accipiam alimoniam, ſi æternam cupiam obtinere vitam & gloriam. *Venite*, inquis, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* O dulce & amicabile verbum in aure peccatoris, quòd tu Domine Deus meus, egenum & pauperem inuitas ad communionem tui ſanctiſsimi corporis Sed quis ego ſum Domine, vt ad te præſumam accedere? Ecce, cæli cælorum te non capiunt, & tu dicis: *Venite ad me omnes?* *Matth. 11.* *Ibid.*

3. Quid ſibi vult iſta piiſsima dignatio, & tam amicabilis inuitatio? Quomodo auſus ero venire, qui nihil boni mihi conſcius ſum, vnde poſſum præſumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui ſæpius offendi benigniſsimam faciem tuam? Reuerentur Angeli & Archangeli, metuunt ſancti & iuſti, & tu dicis: *Venite ad me omnes?* Niſi tu Domine hoc diceres, quis verum eſſe crederet? & niſi tu iuberes, quis accedere attentaret? *Ibidem.* Ecce, Noë vir iuſtus, in arcæ fabrica centum annis laborauit, vt cum paucis ſaluaretur; & ego quomodo me potero vna hora præparare, vt mundi fabricatorem cum reuerentia ſumam? *Geneſ. 6.*

4. Moyſes famulus tuus magnus, & ſpecialis amicus tuus, arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundiſsimo veſtiuit auro, vt tabulas legis in ea reponeret; & ego putrida creatura, audebo te conditorem legis, ac vitæ datorem, tam facilè ſuſcipere? Salomon ſapientiſsimus regum Iſrael, templum magnificum ſeptem annis, in laudem nominis tui ædificauit, & octo diebus feſtum dedicationis eius celebrauit; mille hoſtias pacificas obtulit, & arcam fœderis in clangore buccinæ & iubilo, in locum ſibi præparatum ſolenniter collocauit: & ego infelix & pauperrimus hominum, quomodo te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere deuotè noui horam; & vtinam vel ſemel dignè ferè mediam? *Exod. 25. & 26.* *3. Reg. 6.* *3. Reg. 8.*

5. O mi Deus, quantum illi ad placendum tibi agere ſtuduerunt. Heu quàm puſillum eſt, quod ago; quàm breue expleo tempus, cùm me ad communicandum diſpono. Rarò totus collectus, rariſsimè ab omni diſtractione purgatus. Et certè in tua ſalutari deitatis præſentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare creatura; quia non angelum, ſed angelorum Dominum ſuſcepturus ſum hoſpitio.

6. Est tamen valdè magna distantia, inter arcam fœderis cum suis reliquijs, & mundissimum corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus; inter legalia illa sacrificia futurorum præfigurativa, & veram tui corporis hostiam, omnium antiquorum sacrificiorum completiuam. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardesco præsentiam? Cur non maiori me præparo solicitudine, ad tua sancta sumenda; quando illi antiqui sancti Patriarchæ & Prophetæ, Reges quoque & Principes cum vniuerso populo, tantum deuotionis demonstrarunt affectum erga cultum diuinum.

7. Saltauit deuotissimus rex Dauid coram arca Dei totis viri- 2. Reg. 6.
bus, recolens beneficia olim indulta patribus. Fecit diuersi generis organa, psalmos edidit, & cantari instituit cum lætitia. Cecinit & ipse frequenter in cithara, Spiritus sancti afflatus gratia. Docuit populum Israel toto corde Deum laudare, & ore consono diebus singulis benedicere & prædicare. Si tanta agebatur tunc deuotio ac diuinæ laudis extitit recordatio coram arca testamenti; quanta nunc mihi & omni populo Christiano, habenda est reuerentia & deuotio in præsentia sacramenti, in sumptione excellentissimi corporis Christi?

8. Currunt multi ad diuersa loca, pro visitandis reliquijs sanctorum, & mirantur auditis gestis eorum; ampla ædificia templorum inspiciunt, & osculatur sericis & auro inuoluta sacra ossa ipsorum. Et ecce, tu præsens es hic apud me in altari Deus meus, sanctus sanctorum, creator omnium, Dominus angelorum. Sæpe in talibus videndis curiositas est hominum, & nouitas inuisorum, & modicus reportatur emendationis fructus; maximè vbi est tam leuis, sine vera contritione discursus. Hic autem in sacramento altaris, totus præsens es Deus meus, homo Christus Iesus; vbi & copiosus percipitur æternæ salutis fructus, quotiescunque fuerit dignè ac deuotè susceptus. Ad istud verò non trahit leuitas aliqua, nec curiositas aut sensualitas; sed firma fides, deuota spes, & sincera charitas.

9 O inuisibilis conditor mundi Deus, quàm mirabiliter agis nobiscum; quam suauiter & gratiosè cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis! Hoc namque omnem intellectum superat; hoc specialiter deuotorum corda trahit, & accendit affectum. Ipsi enim veri fideles tui, qui totam vitam suam ad emẽdationem disponunt, ex hoc dignissimo sacramento, magnam deuotionis gratiam & virtutis amorem frequenter recipiunt.

10 O admirabilis & abscondita gratia Sacramenti, quam norunt tantùm Christi fideles; infideles autem & peccatis seruientes,

uientes, experiri non possunt. In hoc Sacramento confertur spiritualis gratia, & reparatur in anima virtus amissa & per peccatum deformata, redit pulchritudo. Tanta est aliquando hæc gratia; vt ex plenitudine collatæ deuotionis, non tantum mens, sed & debile corpus, vires sibi præstitas sentiat ampliores.

11. Dolendum tamen valde & miserandum, super tepiditate & negligentia nostra; quòd non maiori affectione trahimur ad Christum sumendum, in quo tota spes saluandorum consistit & meritum. Ipse enim est sanctificatio nostra & redemptio, ipse consolatio viatorum & sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valdè, quod multi tam parum hoc salutare mysterium aduertunt, quod cælum lętificat, & mundum conseruat vniuersum. Heu cæcitas & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere; & ex quotidiano vsu etiam ad inaduertentiam defluere!

12. Si enim hoc sanctissimum Sacramentũ in vno tantùm celebraretur loco, & ab vno tantũ consecraretur sacerdote in mundo; quanto putas desiderio ad illum locum & ad talem Dei sacerdotem homines afficerentur, vt diuina mysteria celebrari audirent? Nunc autem multi facti sunt sacerdotes, & in multis locis offertur Christus, vt tanto maior appareat gratia & dilectio Dei ad hominem, quanto latiùs est sacra communio diffusa per orbem. Gratias tibi Iesu bone pastor æterne, qui nos pauperes & exules, dignatus es precioso corpore & sanguine tuo reficere, & ad hæc mysteria percipienda etiam proprij oris tui alloquio inuitare dicendo: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11.

CAPVT II.

Quòd magna bonitas & charitas Dei in Sacramento homini exhibetur.

VOX DISCIPVLI.

1. SVper bonitate tua magna misericordia tua Domine confisus, accedo æger ad saluatorem, esuriens & sitiens ad fontem vitæ, egenus ad regem cæli, seruus ad Dominum, creatura ad creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem. Sed vnde hoc mihi, vt venias ad me? Quis ego sum, vt præstes mihi teipsum? Luca 1. Quomodo audet peccator coram te apparere? Et tu, quomodo dignaris ad peccatorem venire? Tu nosti seruum tuum, & scis, quia nil boni in se habet, vnde hoc illi præstes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiam charitatem. Propter temetipsum enim

enim hoc facis, non propter mea merita; vt bonitas tua mihi magis innotescat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectius cõmendetur. Quia ergo tibi hoc placet, & tu sic fieri iussisti, placet & mihi dignatio tua, & vtinã iniquitas mea nõ obsistat.

2. O dulcissime & benignissime IESV, quanta tibi reuerentia & gratiarum actio cum perpetua laude, pro susceptione sacri corporis tui debetur, cuius dignitatem nullus hominum explicare potens inuenitur. Sed quid cogitabo in hac communione, in accessu ad Dominum meum; quem debitè venerari nequeo, & tamen deuotè suscipere desidero? Quid cogitabo melius & salubrius, nisi meipsum totaliter humiliando coram te, & tuam bonitatem infinitam exaltando supra me? Laudo te Deus meus, & exalto in æternum. Despicio me, & subijcio tibi in profundum vilitatis meæ.

3. Ecce tu sanctus sanctorum, & ego sordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad me, qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu inuitas ad conuiuium tuum. *Psal. 77.* Tu mihi dare vis cælestem cibum & panem Angelorum ad manducandum. *Ioan. 6.* Non alium sanè quàm teipsum, panem viuum, qui de cælo descendisti, & das vitam mundo.

4. Ecce vnde dilectio procedit, qualis dignatio illucescit, quàm magnæ gratiarum actiones & laudes tibi pro his debentur. O quam salutare & vtile cõsilium tuum, cùm istud instituisti; quàm suaue & iucundum conuiuium, cùm teipsum in cibum donasti. O quàm admirabilis operatio tua Domine, quàm potens virtus tua, *Gen. 1. & Psal. 148.* quàm ineffabilis veritas tua. Dixisti enim, & facta sunt omnia; & hoc factum est, quod ipse iussisti.

5. Mira res & fide digna, ac humanum vincens intellectum; quòd tu Domine Deus meus, verus Deus & homo, sub modica specie panis & vini integer contineris, & sine consumptione à sumente manducaris. *Psa. 15.* Tu Domine vniuersorum, qui nullius habes indigentiam, voluisti per Sacramentum tuum habitare in nobis; conserua cor meum & corpus immaculatum, vt læta & pura conscientia, sæpius tua valeam celebrare mysteria, & ad meam perpetuam accipere salutem, quæ ad tuum præcipuè honorem & memoriale perenne sanxisti & instituisti.

6. Lætare anima mea, & gratias age Deo pro tam nobili munere & solatio singulari in hac lachrymarum valle tibi relicto. Nam quoties hoc mysterium recolis, & Christi corpus accipis; toties tuæ redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorum Christi efficeris. Charitas etenim Christi nunquam minuitur, & magnitudo propitiationis eius nunquam exhauritur. Ideo noua semper mentis renouatione ad hoc disponere te debes,

& ma-

& magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare. Ita magnum, nouum, & iucundum tibi videri debet, cùm celebras aut Missam audis, ac si eodem die Christus primùm in vterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur & moreretur.

CAPVT III.

Quòd vtile sit sæpe communicare.

VOX DISCIPVLI.

1. EEce ego ad te venio Domine, vt bene mihi sit ex munere tuo, & lætificer in conuiuio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Ecce in te est totum, quod desiderare possum & debeo; tu salus mea & redemptio, spes & fortitudo, decus & gloria. Lætifica ergo hodie animam serui tui, quoniam ad te Domine Iesu animam meam leuaui. Desidero te nunc deuotè ac reuerenter suscipere: cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat. *Psal. 67.* *Psal. 85.*

2. Trade te mihi, & sufficit, nam præter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, & sine visitatione tua viuere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere; ne fortè deficiã in via, si fuero cælesti fraudatus alimonia. Sic enim tu misericordissime Iesu, prædicans populis, & *a* varios curans languores, aliquando dixisti: *b* Nolo eos ieiunos dimittere in domum suam, ne deficiant in via. Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti. Tu es enim suauis refectio animæ; & qui te dignè manducauerit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ. Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpe labor & pecco, tam citò torpesco & deficio; vt per frequentes orationes & confessiones, ac sacram tui corporis perceptionem, me renouem, mundem, & accendam; ne fortè diutius abstinendo, à sancto proposito defluam. a *Matt. 15.* b *Marci 8.*

3. Proni enim sunt sensus hominis ad malum, ab adolescentia sua; & nisi succurrat diuina medicina, labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo sancta cõmunio à malo, & confortat in bono. Si enim modò tam sæpe negligens sum & tepidus, quando communico aut celebro; quid fieret, si medelam non sumerem, & tam grande iuuamen non quærerem? Et licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum bene dispositus; dabo tamen operam, congruis temporibus diuina percipere mysteria, ac tãtæ gratiæ participem me præbere. Nam hæc est vna principalis fidelis animæ consolatio, quamdiu peregrinatur à te in mortali corpore, vt *Genes. 8.*

sæpius

sæpius memor Dei sui, dilectum suum deuota suscipiat mente.

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio; quòd tu Domine Deus, creator & viuificator omnium spirituum, ad pauperculam dignaris venire animam; & cum tota diuinitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriem. O felix mens & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur deuotè susci pere, & in tui susceptione, spirituali gaudio repleri. O quàm magnum suscipit Dominum, quàm dilectum inducit hospitem: quàm iucundum recipit socium, quàm fidelem acceptat amicum, quàm speciosum & nobilem amplectitur Sponsum, præ omnibus dilectis & super omnia desiderabilia amandum! Sileant à facie tua, (dulcissime dilecte mi) cœlũ & terra, & omnis ornatus eorum; quoniã quicquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis; nec ad decorẽ tui peruenient nominis, cuius sapientię non est numerus. *Psal. 146.*

CAPVT IV.

Quòd multa bona præstantur deuotè communicantibus.

VOX DISCIPVLI.

Psal. 20. DOmine Deus meus, præueni seruum tuum in benedictionibus dulcedinis tuę, vt ad tuum magnificũ Sacramentum, dignè ac deuotè merear accedere. Excita cor meũ in te, & à graui *Psal. 105.* torpore exue me. Visita me in salutari tuo, ad gustandã in spiritu suauitatem tuam, quæ in hoc Sacramento, tanquam in fonte plenariè latet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium, & ad credendum illud indubitata fide me robora. Est enim operatio tua, non humana potentia: tua sacra institutio, non hominis adinuentio. Non enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quæ angelicam etiam subtilitatem transcendũt. Quid ergo ego peccator indignus, terra & cinis, de tam alto sacro secreto potero inuestigare & capere?

2. Domine in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, & in tua iussione, ad te cum spe ac reuerentia accedo, & verè credo, quia tu prę sens es hic in Sacramento; Deus & homo. Vis ergo, vt te suscipiam, & meipsum tibi in charitate vniam. Vnde tuam precor clemẽtiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, vt totus in te liquefiam, & amore pereffluam, atque de nulla aliena consolatione ampliùs me intromittam. Est enim hoc altissimum & dignissimum Sacramẽtum, salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur aut minuuntur: gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas igneſcit ac dilatatur.

3. Multa

3. Multa namque bona largitus es, & adhuc sæpius largiris in Sacramento dilectis tuis deotè communicantibus, Deus meus, susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, & totius dator consolationis internæ. Nam multam ipsis consolationem, aduersus variam tribulationum infundis, & de imo deiectionis propriæ, ad spem tuæ protectionis erigis, atque noua quadam gratia eos intus recreas & illustras: vt qui anxij primũ & sine affectione, se ante communionem senserant: postea refecti cibo potuque cælesti, in melius se mutatos inueniant. Quod idcirco cum electis tuis dispensanter agis, vt veraciter agnoscant, & patenter experiantur, quantum infirmitatis ex seipsis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ ex te consequantur. Quia ex semetipsis frigidi, duri, & indeuoti; ex te autem feruentes, alacres, & deuoti esse merentur. Quis enim ad fontem suauitatis humiliter accedens, non modicũ suauitatis inde reportat? Aut quis iuxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percepit? Et tu fons es semper plenus & superabundans, ignis iugiter ardens & nunquam deficiens. *Isaiæ 12. Leuit. 6.*

4. Vnde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec vsque ad satietatem potare; apponam tamen os meum ad foramen cælestis fistulæ, vt saltem modicam inde guttulam capiam, ad refocillandam sitim meam, & non penitus exarescam. Etsi necdum totus cælestis & tam ignitus, vt Cherubin & Seraphin esse possum; conabor tamen deuotioni insistere, & cor meum præparare, vt vel modicam diuini incendij flammam, ex humili sumptione viuifici Sacramenti conquiram. Quicquid autem mihi deest Iesu bone, Saluator sãctissime, tu pro me supple benignè ac gratiosè, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Matth. 11.*

5. Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor & premor: & non est, qui adiuuet: non est, qui liberet & saluum faciat, nisi tu Domine Deus saluator meus, cui committo me & omnia mea, vt me custodias & perducas in vitam æternam. Suscipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui corpus tuum & sanguinem, in cibum & potum mihi parasti. Præsta Domine Deus salutaris meus, vt cum frequentatione mysterij tui, crescat meæ deuotionis affectus. *Genes. 3.*

CAPVT V.

De dignitate Sacramenti, & statu sacerdotali.

VOX DOMINI.

1. SI haberes Angelicam puritatem, & sancti Ioannis Baptistæ sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere, nec *Matth. 11.*

nec tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum, quòd homo consecret & tractet Christi Sacramentum, & sumat in
Psal.77. cibum panem Angelorum. Grande mysterium, & magna dignitas sacerdotum; quibus datum est, quod Angelis non est concessum. Soli namque Sacerdotes, rite in Ecclesia ordinati, potestatem habent celebrandi, & corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est Dei vtens verbo Dei per iussionem & institutionem Dei; Deus autem ibi principalis est auctor, & inuisibilis
* *Genes.* 1. *Psal.* 148. *& Rom.* 8. operator, † cui subest omne, quod voluerit, & paret omne, quod iusserit.

2. Plus ergo credere debes Deo omnipotenti in hoc excellentissimo Sacramento, quàm proprio sensui, aut alicui signo visibili. Ideoque, cum timore & reuerentia ad hoc opus est accedendum. Attendè tibi, & vide cuius ministerium tibi traditum est per
1. *Tim.* 4. impositionem manus Episcopi. Ecce sacerdos factus es, & ad celebrandum consecratus. Vide nunc, vt fideliter & deuotè in suo tempore Deo sacrificium offeras, & teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleuiasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus
Phil. 1. es vinculo disciplinæ, & ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & alijs bonæ vitæ exemplum præbere. Eius conuersatio, non cum popularibus & communibus hominum vijs, sed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.
Heb. 5. 3. Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, vt Deum pro se & pro omni populo, suppliciter & humiliter roget. Habet ante se & retro dominicæ crucis signum, ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruenter studeat. Post se cruce signatus est, vt aduersa quælibet ab alijs illata, clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, vt propria peccata lugeat. Post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat; & se medium inter Deum & peccatorem, constitutũ esse sciat. Nec ab oratione & oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur. Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat; viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.

CAPVT VI.

Interrogatio de exercitio ante communionem.

VOX DISCIPVLI.

1. CVm tuam dignitatem, Domine, & meam vilitatem penso, valdè contremisco, & in meipso confundor. Si enim non accedo, vitã fugio; & si indignè me ingessero, offensam incurro.

Quid

Quid ergo faciam, Deus meus, auxiliator meus, & consiliator in necessitatibus?

2. Tu doce me viam rectam. Propone breue aliquod exercitium, sacræ communioni congruum. Vtile est enim scire, qualiter scilicet deuotè ac reuerenter tibi præparare debeã cor meum, ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum & diuinum sacrificium.

CAPVT VII.

De discussione propriæ conscientiæ, & emendationis proposito.

VOX DILECTI.

1. SVper omnia, cum summa humilitate cordis & supplici reuerentia, cum plena fide & pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum, & sumendum, oportet Dei accedere sacerdotem. Diligenter examina conscientiam tuam; & pro posse tuo, vera contritione & humili confessione, eam munda & clarifica; ita vt nil graue habeas aut scias, quod te remordeat, & liberum accessum impediat. Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali; & pro quotidianis excessibus, magis in speciali doleas & gemas. Et si tempus patitur. Deo in secreto cordis cunctas confitere passionum tuarum miserias.

2. Ingemisce & dole, quòd adhuc ita carnalis sis & mundanus; tam immortificatus à passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus, tam sæpe multis vanis phantasijs implicatus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora: tam leuis ad risum & dissolutionem, tam durus ad fletum & compunctionem, tam promptus ad laxiora & carnis commoda, tam segnis ad rigorem & feruorem: tam curiosus ad noua audienda, & pulchra intuenda, tam remissus ad humilia & abiecta amplectenda, tam cupidus ad multa habenda, tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum: tam inconsideratus in loquendo, tam incontinens in tacendo, tam incompositus in moribus, tam importunus in actibus; tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei verbum: tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam vigilans ad fabulas: tam somnolentus ad vigilias sacras, tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum: tam negligens in horis persoluendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando, tam citò distractus, tam raro plenè tibi collectus: tam subitò commotus ad iram, tam facilis ad alterius displicentiam, tam pronus ad iudicandum, tam rigidus ad arguendum: tam lætus ad prospera, tam debilis in aduersis: tam sæpe multa bona proponens, & modicum ad effectum perducens.

3. His

3. His & alijs defectibus tuis, cum dolore & magna displicentia propriæ infirmitatis, confessis ac deploratis, firmum statue propositum semper emendandi vitam tuam, & in melius proficiendi. Deinde cum plena resignatione & integra voluntate, offer teipsum in honorem nominis mei, in ara cordis tui holocaustum perpetuum, corpus tuum scilicet & animam mihi fideliter committendo, quatenus & sic dignè merearis ad offerēdum Deo sacrificium accedere, & Sacramentum corporis mei salubriter suscipere.

4. Non est enim oblatio dignior, & satisfactio maior pro peccatis diluēdis, quàm seipsum purè & integrè, cum oblatione corporis Christi in Missa & in communione Deo offerre. Si fecerit homo, quod in se est, & verè pœnituerit; quotiescunque pro venia *Ezech. 18.* & gratia ad me accesserit, viuo ego, dicit Dominus, qui nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, quoniam peccatorum suorum non recordabor amplius, sed cuncta ipsi indulta erunt.

CAPVT VIII.

De oblatione Christi in cruce, & propria resignatione.

VOX DILECTI.

Isaiæ 53. & Hebr. 9. 1. SIcut ego meipsum, expansis in cruce manibus & nudo corpore, pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli, ita vt nihil in me remaneret, quin totū in sacrificium diuinæ placationis transiret; ita debes & tu temetipsum mihi voluntariè, in oblationem puram & sanctam, quotidie in Missa cum omnibus viribus & affe- *Prou. 23.* ctibus tuis, quāto intimius vales, offerre. Quid magis à te requiro, quàm vt te studeas mihi ex integro resignare? Quicquid præter teipsum das, nihil curo, quia non quæro datum tuum, sed te.

2. Sicut non sufficeret tibi, omnibus habitis præter me; ita nec mihi placere poterit, quicquid dederis te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Ecce, ego me totum obtuli Patri pro te, dedi etiam totum corpus meum & sanguinem in cibum, vt totus tuus essem, & tu meus permaneres. Si autem in teipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter vos vnio. Igitur omnia opera tua præcedere debet spontanea tui ipsius in manus Dei oblatio, si libertatem consequi vis & gratiam. Ideo *Lucæ 14.* enim tam pauci illuminati & liberi intus efficiuntur, quia seipsos ex toto abnegare nesciunt. Est firma sententia mea: *Nisi quis renunciauerit omnibus, non potest meus esse discipulus.* Tu ergo, si optas meus esse discipulus, offer teipsum mihi cum omnibus affectibus tuis.

CAPVT

CAPVT IX.

Quòd nos & omnia nostra Deo debemus offerre, & pro omnibus orare.

VOX DISCIPVLI.

1. DOmine, omnia tua sunt, quæ in cælo sunt, & quæ in terra, *Psal. 23.* Desidero meipsum tibi in spontaneam oblationem offerre, & tuus perpetuò permanere. Domine, in simplicitate cordis mei offero meipsum tibi hodie in seruum sempiternum, in obsequium & in sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui speciosi corporis, quam tibi hodie in præsentia Angelorum, inuisibiliter assistentium offero, vt sit pro me & pro cuncto populo tuo in salutem.

2. Domine, offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ omnisi coram te, & sanctis Angelis tuis, à die quo primùm peccare potui vsque ad horam hanc, super placabili altari tuo. Vt tu omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ, & deleas vniuersas maculas peccatorum meorum, & conscientiam meam ab omni delicto emundes; & restituas mihi gratiam tuam, quam peccando amisi: omnia mihi plenè indulgendo, & in osculum pacis me misericorditer assumendo.

3. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo & lamentando, & tuam propitiationem incessanter deprecando? Deprecor te, exaudi me propitius, vbi asto coram te *Psal. 31.* Deus meus. Omnia peccata mea mihi displicẽt, nolo ea vnquam amplius perpetrare; sed pro eis doleo & dolebo, quamdiu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro posse satisfacere. Dimitte mihi Deus, dimitte mihi peccata mea, propter nomen sanctũ tuum; salua animam meam, quam precioso sanguine tuo redemisti. Ecce cõmitto me misericordiæ tuæ, resigno me in manibus tuis. Age mecum secundùm bonitatem tuam, non secundùm meam malitiam & iniquitatem.

4. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamuis valdè pauca & imperfecta; vt tu ea emendes & sanctifices; vt ea grata habeas, & accepta tibi facias, & semper ad meliora trahas, nec non ad beatum ac laudabilem finem, me pigrum & inutilem homuncionem perducas.

5. Offero quoque tibi omnia pia desideria deuotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumque charorum meorum, & eorum, qui mihi vel alijs, propter amorem tuum benefecerunt, & qui orationes & Missas pro se suisque omnibus dici à me desiderauerunt & petierunt, siue in carne adhuc

adhuc viuant, siue iam seculo defuncti sint. Vt omnes sibi auxilium gratiæ tuæ, opem consolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis, aduenire sentiant; & vt ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti persoluant.

6. Offero etiam tibi preces & hostias placationis, pro illis specialiter qui me in aliquo læserunt, contristauerunt, aut vituperauerunt, vel aliquod damnum vel grauamen intulerunt. Pro his quoque omnibus, quos aliquando contristaui, conturbaui, grauaui, & scandalizaui, verbis, factis, scienter vel ignoranter, vt nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra, & mutuas offensiones. Aufer Domine à cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram, & disceptationem, & quicquid potest charitatem lædere, & fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere Domine, misericordiam tuam poscentibus. Da gratiam indigentibus, & fac nos tales existere, vt simus digni gratia tua perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

CAPVT X.

Quòd sacra communio de facili non est relinquenda.

VOX DILECTI.

1. FRequenter recurrendum est ad fontem gratiæ & diuinæ misericordiæ, ad fontem bonitatis & totius pietatis; quatenus à passionibus tuis & vitijs curari valeas, & contra vniuersas tentationes & fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Inimicus sciens fructum & remedium maximum, in sacra communione positum; omni modo & occasione nititur fideles & deuotos, quantum prævalet, retrahere & impedire.

2. Cùm enim quidam sacræ communioni se aptare disponunt, peiores Satanæ immissiones patiuntur. Ipse nequam spiritus (vt *Iob 1.* in Iob scribitur) venit inter filios Dei, vt solita illos nequitia sua perturbet, aut timidos nimium reddat & perplexos, quatenus affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat, si fortè aut omnino communionem relinquant, aut cum tepore accedant. Sed non est quicquam curandum de versutijs & phantasijs illius, quantumlibet turpibus & horridis, sed cuncta phantasmata in caput eius sunt retorquenda. Contemnendus est miser & deridendus, nec propter insultus eius & commotiones, quas suscitat, sacra est omittenda communio.

3. Sæpe etiam impedit nimia solicitudo pro deuotione habēda, *Prou. 13.* & anxietas quædā de cōfessione facienda. Age secundùm consilium sapientum, & depone anxietatē & scrupulum, quia gratiam Dei impedit, & deuotionem mentis destruit. Propter aliquam

paruam

paruamtribulationem vel grauitatem, sacram ne dimittas communionem, sed vade citiùs confiteri, & omnes offensiones alijs libenter indulge. Si verò tu aliquem offendisti, veniam humiliter precare, & Deus libenter indulgebit tibi. Matt. 5.

4. Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram differre communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, & senties melius, quàm si diu distuleris, si hodie propter istud dimittis, cras forsitan aliud maius eueniet, & sic diu posses à communione impediri, & magis ineptus fieri. Quanto citius vales, à præsenti grauitate & inertia te excutias, quia nihil importat diu anxiari, diu cum turbatione transire, & ob quotidiana obstacula se à diuinis sequestrare. Imò plurimum nocet diu communionẽ protelare, nam & grauem torporem consueuit inducere. Proh dolor, quidam tepidi & dissoluti, moras confitendi libenter accipiunt, & communionem sacram idcirco differri cupiũt, ne ad maiorẽ sui custodiã se dare teneãtur.

5. Heu, quam modicam charitatem, & debilem deuotionem habent, qui sacram communionem tam faciliter postponunt. Quàm felix ille & Deo acceptus habetur, qui sic viuit, & tali puritate conscientiam suam custodit; vt etiam omni die communicare paratus & bene affectatus esset, si ei liceret, & sine nota agere posset. Si quis interdum abstinet humilitatis gratia, aut legitima impediente causa, laudandus est de reuerentia. Si autem torpor obrepserit, seipsum excitare debet, & facere quod in se est, & Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate, quam specialiter respicit.

6. Cùm verò legitimè præpeditus est habebit semper bonam voluntatem, & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu Sacramenti. Potest enim quilibet deuotus, omni die & omni hora, ad spiritualem Christi communionem, salubriter & sine prohibitione accedere, & tamen certis diebus & statuto tempore, corpus sui redemptoris cum affectuosâ reuerentia sacramentaliter debet suscipere, & magis laudem Dei & honorem prætendere, quam suam consolationem quærere. Nam toties mysticè communicat & inuisibiliter reficitur, quoties incarnationis Christi mysterium passionemq; deuotè recolit, & in amore eius accenditur. 1. Cor. 11.

7. Qui aliter se non præparat, nisi instante festo vel consuetudine compellente, sæpius imparatus erit. Beatus, qui se Domino in holocaustum offert, quoties celebrat aut communicat. Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus, sed serua bonum communem modum cum quibus viuis. Non debes alijs generare molestiam & tædium, sed communem seruare viam secundũ ma-

iorum institutionem, & potiùs aliorum seruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni vel affectui.

CAPVT XI.

Quòd corpus Christi & sacra Scriptura, maximè sint animæ fideli necessaria.

VOX DISCIPVLI.

1. O Dulcissime Domine Iesu, quanta est dulcedo deuotæ animæ, tecum epulantis in conuiuio tuo, vbi ei non alius cibus manducandus proponitur, nisi tu vnicus dilectus eius, super omnia desideria cordis eius desiderabilis. Et mihi quidem dulce foret in præsentia tua, ex intimo affectu lachrymas fundere, & cum pia Magdalena pedes tuos lachrymis irrigare. Sed vbi est hæc deuotio? Vbi lachrymarum sanctarum copiosa effusio? Certè in conspectu tuo & sanctorum Angelorum tuorum totũ cor meum ardere deberet, & ex gaudio flere. Habeo enim te in sacramento verè præsentem, quamuis aliena specie occultatum.

2. Nam in propria & diuina claritate te conspicere, oculi mei ferre non possent; sed neque totus mundus in fulgore gloriæ maiestatis tuæ subsisteret. In hoc ergo imbecillitati meæ consulis, quòd te sub Sacramento abscondis. Habeo verè & adoro, quem Angeli adorant in cœlo: sed ego adhuc interim in fide, illi autem in specie & sine velamine. Me oportet contentum esse in lumine veræ fidei, & in ea ambulare, donec aspiret dies æternæ claritatis; & vmbræ figurarum inclinentur. Cùm autem venerit, quod perfectum est, cessabit vsus Sacramentorum, quia beati in gloria cælesti non egent medicamine Sacramentali, gaudent enim sine fine in præsentia Dei, facie ad faciem gloriam eius speculantes, & de claritate in claritatem abyssalis deitatis transformati, gustant verbum Dei carnem factum, sicut fuit ab initio, & manet in æternum.

1. Cor. 13.

3. Memor horum mirabilium, graue mihi fit tædium, etiam quodlibet spirituale solatium, quia quamdiu Dominum meum apertè in suâ gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conspicio & audio. Testis es tu mihi Deus, quòd nulla me res potest consolari, nulla creatura quietare, nisi tu Deus meus, quem desidero æternaliter contemplari. Sed non est hoc possibile, durante me in hac mortalitate. Ideo oportet, vt me ponam ad magnam patientiam, & meipsum in omni desiderio tibi submittam. Nam & sancti tui Domine, qui tecum iam in regno cælorum exultant, in fide & patientia magna, dum viuerent, aduentum gloriæ tuæ expectabant. Quod illi crediderunt, ego credo; quod illi sperauerunt, ego spero; quò illi peruenerunt, per gra-

Heb. 10. 11

tiam

etiam tuam me venturum confido. Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus sanctorum. Habebo etiam libros sanctos, pro solatio & vitæ speculo: atque super hæc omnia sanctissimum corpus tuum, pro singulari remedio & refugio.

4. Duo namque mihi necessaria per maximè sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis huius detentus, duobus me egere fateor, cibo scilicet & lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum corpus tuum ad refectionem mentis & corporis; & posuisti lucernam pedibus meis, verbum tuum. Sine his duobus, bene viuere non possem; nam verbum Dei, lux animæ meæ; & sacramentum tuum, panis vitæ. Hæc possunt etiam dici mensæ duæ, hinc & inde in gazophylacio sanctæ Ecclesiæ positæ. Vna mensa est sacri altaris, habens panem sanctum, id est, corpus Christi pretiosum. Altera est diuinæ legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter vsq; ad interiora velaminis, vbi sunt sancta sanctorum, perducens. Gratias tibi Domine Iesu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ sacræ mensa; quam nobis per seruos tuos Prophetas & Apostolos aliosque doctores ministrasti.

Ioan. 6. Psal. 118. Psal. 22. Heb. 9. 13.

5. Gratias tibi Creator ac Redemptor hominũ, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam parasti magnam; in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum corpus & sanguinem proposuisti manducandum; lætificans omnes fideles conuiuio sacro, & calice inebrians salutari; in quo sunt omnes deliciæ paradisi, & epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suauitate feliciori.

Luca 14. Ioan. 6. Psal. 22. Sap. 16.

6. O quàm magnum & honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & ceteris ministrare. O quàm mundæ debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor erit sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis. Ex ore sacerdotis, nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum & vtile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accipit sacramentum.

7. Oculi eius simplices & pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ & in cælum eleuatæ, quæ creatorem cæli & terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Leuit. 19. & 20.

8. Adiuuet nos gratia tua omnipotens Deus, vt qui officium sacerdotale suscepimus, dignè ac deuotè tibi in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conuersari, vt debemus; concede nobis tamen dignè flere mala, quæ gessimus; & in spiritu humilita-

tis, ac bonæ voluntatis proposito, tibi feruentiùs de cætero deseruire.

CAPVT XII.

Quòd magna diligentia se debeat, communicaturus Christo, præparare.

VOX DILECTI.

Psal.23. & Matt. 9. Marc.14. & Luc. 22. 1. Cor. 5. Exod. 24

1. EGo sum puritatis amator, & dator omnis sãctitatis. Ego cor purum quæro, & ibi est locus requietionis meæ. Para mihi cænaculum grande stratum, & faciam apud te pascha cum discipulis meis. Si vis, vt veniam ad te, & apud te maneam; expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum. Exclude totum seculum, & omnem vitiorum tumultum: sede tanquam passer solitarius in tecto, & cogita excessus tuos in amaritudine animæ tuæ. Omnis namque amans suo dilecto amatori optimum & pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum.

2. Scito tamen te non posse satisfacere huic præparationi, et merito tuæ actionis, etiamsi per integrum annum te præparares, & nihil aliud in mente haberes. Sed ex sola pietate & gratia mea, permitteris ad mensam meam accedere; ac si mendicus ad prandium vocaretur diuitis; & ille nihil aliud habeat ad tribuendum beneficijs eius, nisi se humiliando & ei regratiando. Fac, quod in te est, & diligenter facito; non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, & reuerentia, & affectu, accipe corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire. Ego sum, qui vocaui; ego iussi fieri; ego supplebo, quod tibi deest; Veni, & suscipe me.

3. Cùm gratiam deuotionis tribuo, gratias age Deo tuo; non quia dignus es, sed quia tui misertus sum. Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce & pulsa; nec desistas, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere. Tu mei indiges, non ego tui indigeo. Nec tu me sanctificare venis, sed ego te sanctificare & meliorare venio. Tu venis, vt ex me sanctificeris, & mihi vniaris; vt nouam gratiam recipias, & de nouò ad emendationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam, sed præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduc ad te dilectum tuum.

4. Oportet autem, vt non solùm te præpares ad deuotionem ante communionem; sed vt etiam te solicitè conserues in ea, post sacramenti perceptionem. Nec minor custodia pòst exigitur, quàm deuota præparatio priùs. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim

fuerit

fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Caue à multiloquio, manе in secreto, & fruere Deo tuo. Ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum, cui te totum dare debes; ita vt iam vltrà non in te, sed in me absque omni solicitudine viuas. *Prou. 19.*

CAPVT XIII.

Quòd toto corde anima deuota, Christi vnionem in sacramento affectare debet.

VOX DISCIPVLI.

1. QVis mihi det Domine, vt inueniam te solum, & aperiam tibi totum cor meum; & fruar te, sicut desiderat anima mea; & iam me nemo despiciat, nec vlla creatura me moueat vel respiciat; sed tu solus mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, vt tibi totus vniar; & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque per sacram communionem ac frequentem celebrationem, cælestia & æterna sapere discam. Ah Domine Deus, quando ero tecum totus vnitus & absorptus, meique totaliter oblitus? Tu in me, & ego in te, & sic nos pariter in vnum manere concede. *Exod. 33. Cant. 8. Ioan. 15.*

2. Verè tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ. Verè tu pacificus meus, in quo pax summa & requies vera; extra quem labor & dolor, & infinita miseria. Verè tu es Deus absconditus, & consilium tuum non est cum impijs, sed cum humilibus & simplicibus sermo tuus. O quam suauis est (Domine) spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo descendente illos reficere dignaris. Verè non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades vniuersis fidelibus tuis; quibus ob quotidianum solatium & cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum & fruendum. *Cant. 5. Prou. 3. Sap. 12. Deut. 4.*

3. Quæ est enim alia gens tam inclyta, sicut plebs Christiana? Aut quę creatura sub cælo tam dilecta, vt anima deuota, ad quam ingreditur Deus, vt pascat eam carne sua gloriosa? O ineffabilis gratia! O admirabilis dignatio! O amor immensus homini singulariter impensus. Sed quid retribuam Domino pro gratia ista, pro charitate tam eximia? Non est aliud, quod gratius donare queam, quàm vt cor meum Deo meo totaliter tribuam, et intimè coniungam. Tunc exaltabunt omnia interiora mea, cùm perfectè fuerit vnita Deo anima mea. Tunc dicet mihi: Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi: Dignare *Psal. 115.*

Domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum vt cor meum tibi sit vnitum.

CAPVT XIV.

De quorundam deuotorum ardenti desiderio, ad corpus Christi.

VOX DISCIPVLI.

Psal. 30. 1. O Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Quando recordor deuotorum aliquorum ad sacramentum tuum Domine, cum maxima deuotione & affectu accedentium; tunc sæpius in me ipso confundor & erubesco; quòd ad altare tuum & sacræ communionis mensam, tam tepidè & frigidè accedo. Quòd ita aridus & sine affectione cordis maneo. Quòd non sum totaliter accensus coram te Deo meo, nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi deuoti fuerunt; qui præ nimio desiderio communionis & sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt continere; sed ore cordis & corporis pariter, ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabant; suam esuriem non valentes aliter temperare nec satiare nisi corpus tuum cum omni iucunditate & spirituali auiditate accepissent.

Luc. 24. 2. O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentum sacræ præsentiæ tuæ. Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum, in fractione panis; quorum cor tam validè ardet in eis, de Iesu ambulante cum eis. Longè est à me sæpe talis affectus & deuotio, tam vehemens amor & ardor. Esto mihi propitius Iesu bone, dulcis & benigne; & concede pauperi mendico tuo, vel interdùm modicum de cordiali affectu amoris tui, in sacra communione sentire. Vt fides mea magis conualescat, spes in bonitate tua proficiat; & charitas semel perfectè accensa, & cæleste manna experta nunquam deficiat.

3. Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi præstare; & in spiritu ardoris, cùm dies beneplaciti tui venerit, me clementissimè visitare. Etenim licèt tanto desiderio tam specialium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magni inflammati desiderij desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium feruidorum amatorum tuorum participem me fieri, & eorum sancto consortio annumerari.

CAPVT XV.

Quòd gratia deuotionis, humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur.

VOX DILECTI.

3. O Portet te deuotionis gratiam instanter quærere, desiderâter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere,

cipere, humiliter conseruare, studiosè cum eo operari; ac Deo terminum & modum supernæ visitationis, donec veniat, committere. Humiliare præcipuè te debes, cùm parum aut nihil deuotionis interius sentis; sed non nimium deijci, nec inordinatè contristari. Dat sæpe Deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare.

2. Si semper citò gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabile. Propterea in bona spe & humili patientia, expectanda est deuotionis gratia. Tibi tamen & peccatis tuis imputa, cùm non datur, vel etiam occultè tollitur. Modicùm quandoque est, quod gratiam impedit & abscondit; si tamen modicum & non potiùs grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet. Et si hoc ipsum modicum vel grande amoueris, & perfectè viceris, erit quod petisti.

3. Statim namque, vt te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quæsieris, sed integrè te in ipso posueris; vnitum te inuenies & pacatum; quia nil ita bene sapiet & placebit, sicut beneplacitum diuinæ voluntatis. Quisquis ergo intentionem suam, simplici corde sursum ad Deum leuauerit, seque ab omni inordinato amore seu dsplicẽtia cuiuslibet rei creatæ euacuauerit, aptissimus gratiæ percipiendæ ac dignus deuotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, vbi vasa vacua inuenerit. Et quãtò perfectiùs infimis quis renuntiat, & magis sibi ipsi per contemptum sui moritur; tanto gratia celeriùs venit, copiosius intrat, & altiùs liberum cor eleuat.

4. Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor eius in ipso; quia manus Domini cum eo, & ipse se posuit totaliter in manu eius vsque in sæculum. Ecce sic benedicetur homo; qui quærit Deum in toto corde suo, nec in vanum accipit animam suam. Hic in accipiendo sacram Eucharistiam, magnam promeretur diuinæ vnionis gratiam; quia non respicit ad propriam deuotionem & consolationem, sed super omnem deuotionem & consolationem, ad Dei gloriam & honorem.

CAPVT XVI.

Quòd necessitates nostras Christo aperire & eius gratiam postulare debemus.

VOX DISCIPVLI.

1. O Dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc deuotè desidero suscipere; tu scis infirmitatem meam & necessi-

ratem, quam patior; in quantis malis & vitijs iaceo; quàm sæpe sum grauatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro consolatione & subleuamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potest me perfectè consolari & adiuuare. Tu scis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper sum in virtutibus.

2. Ecce, sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans & misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina cæcitatem meam claritate præsentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia grauia & contraria in patientiam; omnia infima & creata in contemptum & obliuionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas vsque in seculum; quia tu solus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum.

3. Vtinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas, & in te transmutes; vt vnus tecum efficiar spiritus, per gratiam internæ vnionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum & aridum à te accedere, sed operare mecum misericorditer, sicut sæpius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus ex te igneſcerem, & in meipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens & nunquam deficiens; amor corda purificans, & intellectum illuminans.

1. Cor. 6.

CAPVT XVII.

De ardenti amore & vehementi affectu suscipiendi Christum.

VOX DISCIPVLI.

1. CVM summa deuotione & ardenti amore, cum toto cordis affectu & feruore desidero te Domine suscipere; quemadmodum multi sancti & deuotæ personæ in communicando te desiderauerunt; qui tibi maximè in sanctitate vitæ placuerunt, & in ardentissima deuotione fuerunt. O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis; cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio & dignissima reuerentia, quam aliquis sanctorum vnquam habuit, & sentire potuit.

2. Et licèt indignus sim omnia illa sentimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Sed & quæcunque potest pia mens concipere & desiderare, hæc omnia tibi, cum summa veneratione ac intimo fauore præbeo & offero. Nihil opto mihi reseruare, sed me & omnia mea, tibi sponte & libentissimè

bentissime immolare. Domine Deus meus, creator meus, & Redemptor meus; cum tali affectu, reuerentia, laude, & honore; cum tali gratitudine, dignitate, & amore; cum tali fide, spe, & puritate, te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit & desiderauit sanctissima mater tua, gloriosa virgo Maria; quando Angelo euangelizanti sibi Incarnationis mysterium, humiliter ac deuotè respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* *Luca 1.*

3. Et sicut beatus præcursor tuus, excellentissimus sanctorum Ioannes Baptista, in præsentia tua lætabundus exultauit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis clauderetur visceribus: & postmodum cernens inter homines Iesum ambulantem, valde se humilians, deuoto cum affectu dicebat: *Amicus autem Sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi*: Sic & ego magnis & sacris desiderijs opto inflammari, & tibi ex toto corde me ipsum præsentare. Vnde & omnium deuotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernales illuminationes, & cælicas visiones, tibi offero & exhibeo cum omnibus virtutibus & laudibus, ab omni creatura in cælo & in terra celebratis & celebrandis; pro me & omnibus mihi in oratione commendatis quatenus ab omnibus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris. *Ibidem.* *Ioan. 1.*

4. Accipe vota mea Domine Deus meus, & desideria infinitæ laudationis ac immensæ benedictionis; quæ tibi, secundùm multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ, iure debentur. Hæc tibi reddo & reddere desidero, per singulos dies & momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes, omnes cælestes spiritus & cunctos fideles tuos, precibus & affectibus inuito & exoro.

5. Laudent te vniuersi populi, tribus, & linguæ; & sanctum ac mellifluum nomen tuum, cum summa iubilatione & ardenti deuotione magnificent. Et quicumque reuerenter ac deuotè altissimum sacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam & misericordiam apud te inuenire mereantur, & pro me peccatore suppliciter exorent. Cumque optata deuotione ac fruibili vnione potiti fuerint, & bene cõsolati ac mirificè refecti de sacra mensa cælesti abscesserint, mei pauperis recordari dignentur. *Psal. 116.*

CAPVT XVIII.

Quòd homo non sit curiosus scrutator sacramenti, sed humilis imitator Christi, subdendo sensum suum sacræ fidei.

VOX DILECTI.

1. CAuendum est tibi, à curiosa & inutili perscrutatione huius profundissimi sacramenti, si non vis in dubitationis profundum

Prou. 25. fundum submergi. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Plus valet Deus operari, quàm homo intelligere potest. Tolerabilis pia, & humilis inquisitio veritatis, parata semper doceri, & per sanas patrum sententias studens ambulare.

2. Beata simplicitas, quæ difficiles quæstionum relinquit vias, & plana ac firma pergit semita mandatorum Dei. Multi deuotionem perdiderunt, dum altiora scrutari voluerunt. Fides à te exigitur & sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Si non intelligis nec capis, quæ infra te sunt; quomodo comprehendes, quæ supta te sunt? Subdere Deo, & humilia sensum tuem fidei; & dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit vtile ac necessarium.

3. Quidam grauiter tentantur de fide & sacramento, sed non est hoc ipsis imputandum, sed potiùs inimico. Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas à diabolo dubitationes responde; sed crede verbis Dei, crede sanctis eius & prophetis, & fugiet à te nequam inimicus. Sæpe multum prodest, quòd talia sustinet Dei seruus. Nam infideles & peccatores non tentat, quos securè iam possidet; fideles autem deuotos, varijs modis tentat & vexat.

4. Perge ergo cum simplici & indubitata fide, & cum simplici reuerentia ad sacramentum accede. Et quicquid intelligere non vales, Deo omnipotenti securè committe. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibijpsi nimium credit. Graditur Deus cum simplicibus, reuelat se humilibus; dat intellectum paruulis, aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis & superbis. Ratio humana debilis est, & falli potest; fides autem vera falli non potest.

Psal. 18. & 118 item Matt. 11.

5. Omnis ratio & naturalis inuestigatio fidem sequi debet, non præcedere nec infringere. Nam fides & amor ibi maximè præcellunt, & occultis modis in hoc sanctissimo & superexcellentissimo sacramento operantur. Deus æternus & immensus infinitæque potentiæ, facit magna, & inscrutabilia in cælo & in terra, nec est inuestigatio mirabilium operum eius. Si talia essent opera Dei, vt facilè ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda.

FINIS.

SOLILOQVIVM ANIMÆ.

PROLOGVS.

1. CONsolationis gratia, aliquas sententias deuotas in vnum coaceruaui libellum, quem meo pectori chariùs committere volui; & quasi quoddam delectabile pratum, varijs arboribus consitũ, pulchriſq; venustum floribus habere disposui; Vbi ad legẽdum speculandumque optabiles materias tempore necessitudinis, pro fouendis animis tædio vel mœrore obtectis, quandoque introirem. Vt autem lucidè & promptè inuenirem, sub qua arbore requiescerem; vel quis ad legendum flos gratior esset, singula capitulorum loca rubricatis titulis præfulgere feci. Vario etiam sermonum genere, nunc loquens, nunc disputãs, nunc orans, nunc colloquens; nunc in propria persona, nũc in peregrina; placido stylo textum præsentem circumflexi.

2. Rogo ergo, nemo legentium indignans moueatur super scribentis manum, quia sibi taliter confabulari placuit. Ignoscat quoque incompositioni & facilitati dictaminis, pensans quod Deo non artificiosa, sed simplicia & pura magis redolent. Quòd si forrè vspiã sensus aut minùs integer aut minùs clarus apparuerit, super his pium flagito correctorem; denuncians ei si quid ineptum inuenerit, ex inaduertentia potiùs quam ex proposito, id mihi prouisse. Adhuc, quia humana iudicia (quamuis probabilia) falli possunt; ad te omnipotẽs Deus & Pater luminum, supplex discipulus recurro, & istud soliloquiũ tibi repræsento; vt tu digna approbes, vitiosa improbes; mihique vel alteri fideli seruo rectius serenanda, quæ displicent, insinues. Oratio pro impetranda animi trãquillitate ad capiendas scripturas.

3. Precor itemque Pater sancte, largire mihi exiguo mancipio tuo, tempus & horam commorandi in vberrimis

rimis pascuis scripturarum, quæ meæ charissimæ deliciæ sunt, & erunt; donec dies æternitatis illucescat, & vmbra mortalitatis inclinetur. Subtrahe proinde curas inutiles, amores temporales, passiones noxias, aliasq; causas ab otio concupito me retardantes. Oportet enim liberum esse animum & tranquillum, de intimis & diuinis meditari cupientẽ. Ideo, vt talem consequi merear, benedictione cæleſtis dulcedinis tuæ me imbuere digneris & infundere; vt tibi ad gloriam, mihi quoque ad qualemcumque loquar consolationis gratiam.

CAPITA HVIVS LIBRI.

De desiderio animæ quærentis Deum, Cap. I.
De districto Dei iudicio. II.
De dolore & fletu peccatorum. III.
De lamentatione temporis & negligentiæ. IV.
De breuitate & miseria præsentis vitæ. V.
De anhelatione æternæ vitæ. VI.
De optatione bonæ mortis. VII.
De mortuo mundo, cuius vita est in Christo. VIII.
De elongatione à creaturis. IX.
De contemptu omnium consolationum terrenarum. X.
De magna dulcedine & consolatione in Deo. XI.
De vnico & summo bono quærendo. XII.
De vnione animæ cum Deo, & subtractione gratiæ. XIII.
De tristitia animæ absente dilecti gratia. XIV.
De scrutinio super dilecto, & donis gratiæ eius. XV.
De benigna protectione dilecti, & sufferentia animæ. XVI.
De responsione dilecti, quæ sit ratio recessus sui. XVII.
De fiducia diuinæ miserationis. XVIII.
De desiderio diuinæ fruitionis. XIX.
De gemitu animæ ex dilatione gloriæ. XX.
De memoria cæleſtis patriæ. XXI.
De accessu ad sanctum sanctorum Iesum Christum, regem Angelorum. XXII.
De processu ad salutandum Virginem gloriosam. XXIII.
De consolatione pijssimæ matris Virginis Mariæ. XXIV.
De reddendis gratijs, pro acceptis beneficijs. XXV.

CAPVT

CAPVT I.

De desiderio animæ quærentis Deum.

1. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* O breue & dulce verbum, Deum amplectens, & mundum excludens vniuersum. Quid ampliùs dicendum, & quid vltrà cupiendum? Nónne satis est, si fiat, quod iam dictum est? Et si dicantur alia & alia multa, nónne ad hoc vnum reducenda sunt omnia? Dic ergo anima mea cum Propheta: Mihi autem adhærere Deo bonum est. O Deus meus, tu vnicum bonum meum, solus bonus & dulcis. De te loqui, dulce est amanti; de te cogitare, suaue est deuoto; cuius cor non est in mundo, sed tecum absconditum in cælo. Vt tu sis ei sola vera requies, & intima suauitas; nec hic crucietur quotidie, vbi tentat falsa cupiditas. Deus meus, quomodo est illi in corde, qui tuo feruet amore? Quale gaudium eius, quem nulla delectat creaturarum vanitas. An non vox eius canit in Psalmo, de quo & sermonis suscepi exordium, & talis est: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* O anima sancta, anima deuota, & ad Deum suspensa, quid hoc audio de te? Quid est, quod loqueris? Parua tibi videntur, quæ in cælo sunt & in terra? *Psal. 72.* *Ib.*

2. Parua mihi sunt omnia. Quid ergo quæris? Quem vis sine istis? Et vbi inuenies eum sine his? Habétne nomen, aut locum, aut habitationem ad quærendum? Vbi est locus habitationis gloriæ eius, de quo cecinisti dicens: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ?* Respondè obsecro mihi. Nam si poteris eum mihi indicare, ibo tecum & quæremus simul, eritque Deus tuus Deus meus; & bene nobis, cùm fuerit inuentus à nobis, & detentus. *Psal. 25.*

3. Quid hoc (inquit) quæris à me; aut cur tale aliquid scrutaris apud me? Putas, quòd tibi talia dicam, aut dicere valeam? Quòd si charitas fauet, nónne rei huius raritas, aut etiam secreti profũditas, magis dicere prohibet? Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt & viderunt: ecce hi sciunt, quis sit ille, quem quæris. Sed, potiùs eum interroga, qui nouit omnia. Ipse enim est, de quo fit sermo; qui melius se tibi indicabit, & vbi nam habitet longè clariùs demonstrabit. Is vtique est, qui docet hominem scientiam; dat quoque humilibus gratiam suam. Accede ad eum, qui reuelat seipsum, cum voluerit, & cui placuerit; nec est qui sine eo aperiat. Potens est solus reuelare tibi gaudium amantium se, & vltrà quàm potes à me discere. *Psal. 93.* *Iacobi 4.*

4. Et nunc, quid sic loqueris anima sancta & humilis? Ne æstimes me velle à te inquirere, quòd fortè sciri non oportet aut ne-

quæ

queat dici. Maneat secretum tuũ tibi; clausum sit super te ostium tuum; stet firmum signaculum fidei: non moueatur velum à sanctuario. Manduca panem sanctum in sacrario, intra tabernaculum domus tuæ; ascende superius cœnaculũ: ingredere cellarium regis æterni; aut quod præstantius est, & amabilius sonat, thalamum scilicet cælestis Sponsi tui. Scio scriptum: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum.* Noui hoc, & legi. Tu autem vide, quid sequitur, & miserere mei secundùm eloquium eius, quæ dixit; *Catelli edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorum.* Noli proinde celare verbum, quod sciscitor; sed da vbertate internæ suauitatis effunde vel vnã scintillam amoris igniti. Da guttam paruulam vini preciosi; emitte de optimo vnguento vel modicum odoris; vt & ipse gustare valeam, cuius tibi nota est pars optima, & amabile tam crebrò solamen.

Matth. 15

1.

5. Quid cunctaris? Satis fac desideranti, & aperi ostium amico iam tertiò pulsanti. Dic dilecta de dilecto, me tamen non negato. Si non vales sicut est dicere, dic vtcumque potueris. Nam dicere sicuti est, quis valebit? Et quis dicentem caperet? Ergo si non vt in se est, dic saltem qualis sit in te. Si non quid sibi, cructa tamen, quid boni fecerit tibi. Quis enim, quid sit in se, inuestigabit? Tu non poteris, eo quòd confessa sis, & non negasti dicens: *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam. Quò ibo à spiritu tuo?* Si ergo non sufficis penetrare spiritum tuum, quem creauit creator & viuificator omnium spirituum, quomodo penetrabis increatum? Nónne ideo stupens dixisti: *Domine quis similis tibi?* Dic tamen obsecro, per aliquam similitudinem, cuius essentiam necdum attigisti. Neque enim ex parte negare debes, cui totum reuelandum non æstimas.

Deus quid in se sit, nemo dicere queat: quid in nobis, fortasse aliquis.

Psal. 138.

Psal. 34.

6. Fateor (inquit) quia nimium curiosus es tu, & importunus mihi. Perscrutaris omnia mea, & ad secreta cubilis mei mittis manum tuam. Misi te ad illum, & iterum venis ad me? Me quæris, an ipsum? Sed quæro à te, cuius es spiritus? Quiesce obsecro, & noli mihi molestus esse; quia supra me est, quem quæris.

7. Et dixi: Nunquid qui Deum quærit, tam facilè conquiescet? Noli protrahere sermonem, qui potes citò adhibere consolationem. Quousque animam meam suspendis? Quid dicis? Viuit anima tua quia non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Etenim pro benedictione mea erit, si ostenderis eum mihi. Iam ergo si vidisti illum, dicito mihi palàm, & ego illum tollam.

Gen. 32.

8. Rursus illa: Video te in desiderio esse, & in amore creatoris laborare. Rem difficilem à me postulas; & nescio, an fieri possit, quod optas. Scit bene, quem quæris, quia non est meum hoc dicere

cere tibi. Videtur tale esse scrutinium tuum, quale & sponsæ in Canticis: *Indica mihi* (inquit) *quem diligit anima mea.* Vis ergo à me discere, quis sit iste, aut quid boni mecum egerit ipse: Vtrumque autem secretum meum mihi. Sed non es contentus, nec illius magnitudine deterreris, qui cælos excedit Nec mea paruitate auerteris, quæ nullius momenti sum in conspectu eius. Cur imposuisti mihi onus istud? Hoc enim dicere labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam. Cur vis scire, quod loqui non licet? *Cant. 1.* *Psal. 72.*

9. Et dixi: Nunquid non libet? Et per maximè. Placet enim ea sepe magis scire, quæ difficilius panduntur. Mihi tamen quæso ne ita difficilis sis, vt omnino taceas. Ne timeas, quòd hæc inimicis mox prodam. Seruabo verbum tuum amicis, & valde amicis. Securè dicas mihi, in secreto silentij tui. Ecce duo hic soli sumus. Nec ego leuitate, nec tu arrogantia delectabimur; sed in eo, qui nos cõfidere sibi fecit, de quo & loquimur. Si autem superuenerit ipse, demus locum, & sit in medio nostrum. Et si dignetur loqui, libenter audiamus, nosque interim sileamus. Tu autem non teneberis illa hora respondere votis meis. Illo enim loquente, silere debet omnis caro.

10. At illa: Bonum pactum est. Sit ille tantùm nobiscum, & feramur ad secretum nostrum. Sit ipse dux verbi: & ducat, quò nos ire delectat. Dilectus iste, de quo diligentissimè scisciteris, talis ac tantus est, vt sermone non possit explicari, cùm sit ineffabilis. Tam altus, & superexaltatus est omnibus creaturis, vt sit semper incomprehensibilis. Virtus eius, & magnificentia eius, interminabilis. Quicquid de eo dicitur aut scribitur, indignum eo totum creditur, quia omnibus superfertur. Cæli dixerunt: Pertransiuit nos & ascendit, inualuitque supra nos. Terra respondit: Si cæli cælorum non capiunt, nolite me interrogare. Stellæ cecinerunt: Tenebræ sumus, & non lux, si illuxerit. Mare contremuit, & ait: Non est in me, & abyssus ignorauit. Audis, quid isti dicunt? Audiui, & conturbatus sum, à voce eorum contremuerunt labia mea. Quid ergo fiet, si interrogauerimus eum? Interrogemus: Domine, si tu es ipse, de quo cecinere viri, & cui omnia deseruiunt per tempora? Deus ineffabilis, incomprehensibilis, interminabilis. *2. Par. 6.*

11. Vtique ego sum, qui sum: & præter me, non est alter. Ego primus & nouissimus omnia creans & gubernans. *Viuo ego, dicit Dominus, quia regnabo in æternum & vltrà.* *Exod. 3.*

12. Quid dicis nunc vermicule, circumfusus tãto lumine? Ecce dilectus tuus loquitur tecum, quem putabas esse mecum. Mecum erat, quando illi dicebam. *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Tecum erit, si dixeris & tu: *Renuit consolari anima mea, & diem hominis* *Psal. 76.* *Hier. 17.* *Psalm. 5.*

hominis non concupiui; sed in te Domine sperabo, tu es enim rex meus & Deus meus. Non eris similis vagis amatoribus, sed vnicus vnici, vnicum requirens, qui nullum de externis admittit sodalem. Sermo ergo tuus solus cum solo: etiam si abierit, sede vidua, patienter ferens omnia. Nam hic est modus eius, ire & redire, & probare sibi dilectam, atque in amore facere perfectam. Non te conturbet recessus, si optas eius accessum. Expecta, reexpecta; modicum ibit, & post modicum redibit. Hoc tamen totum amor facit, qui nunc fert ad summa, nunc que demittit ad ima.

Quomodo Deus animam diligit.

13. Amor eius gratiosissimus, cunctis floscul is suauior, liliis candidior, & micantibus gemmis pulchrior. Eius siquidem amori nil in creaturis est præferendum: & ideo pro eius amore, totum despiciendum. Ego tacta amore eius intrinsecus, in tantum cœpi ardere corde tenus: vt omnibus licentiatis creaturis, eius solummodo precarer castissimos amplexus: & insuetam multis edidi vocem, tanquam carbones ignitos de fornace ardenti proferens. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Intellige nunc de dilecto tuo, qualis ac quantus sit; qui omnia etiam entia, incomprehensibiliter transcendit. Et licèt sit ineffabilis, & omnino inexcogitabilis, quia interminabilis; est tamen multum amabilis, attrectabilis, socialis, exorabilis: ita vt cùm capi nequeat, miro tamen modo amari possit. Etenim amãdo capitur, amando stringitur: sed desiderando quæritur, orando pulsatur, expectando promeretur. Si necdum tibi satis feci, satisfaciat ille, quem quæsisti, & doceat te super omnes docentes se inuenire.

CAPVT II.

De districto Dei iudicio

Psal. 95.

1. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Deus meus, multum amabilis es, sed & terribilis multum. Qui amat, gaudeat: timeat verò, qui non amat. Qui nec timet nec amat, stolidus est & insanus. *a* Est enim horrendum, incidere in manus tuas. *b* Et quis præ timore, iram tuam dinumerare poterit? *c* Aut quis stabit ad videndum te, in iudicio venturo? *d* Quia sicut rugitus leonis, sic rugitus tuus, & sicut ignis vibrans, gladius tuus. A clamore vocis tuæ, commouebuntur omnes inhabitantes orbem: & concutientur omnia fundamenta terræ, cùm veneris. Quis ergo non timebit? Aut quomodo poterit quis effugere manus tuas? Si absconderit se homo subter petram firmissimam, tonabis super eam, & scindetur fortitudo eius. Et si latuerit in speluncis aut in montibus, inde eruetur, & sustinebit iratum, quem non studuit habere placatum.

a Heb. 10.
b Psal. 89.
c Mal. 3.
d Isaiæ 5.

a. Cer-

2. Certè non est locus, vbi homo à facie tua abscondatur. Omnia enim tibi nuda sunt & aperta: penetras quoque omnia interiora hominis, & subtilissimos cogitationum motus perspicis. Nullum ergo secretum clausum oculis tuis. O quàm terribilis eris peccatoribus & induratis mentibus: qui modò gloriantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, & dicunt: Non videt Dominus, nec intelligit Deus. Tanquam non sis venturus, sic inflantur verbis inanibus: & auertunt oculos suos, ne videant in finem. Tu autem venies hora, qua non æstimant, capienturque peccatorum suorum laqueis. Et sicut fures & latrones comprehensi confunduntur, sic confundentur in tempore suo. Deridebis eos, qui nunc derident tuos, & reddes eis malitiam suam, qui odio habuerunt iustitiam tuam. Modò surdescunt ad vocem tuam; sed veniet tempus quando clamabunt, & nemo exaudiet. Vertunt nunc verbum tuum in fabulam, sed conuertentur tunc ipsi in flammam. Egredietur enim sermo tuus horribili flatu, percutietque impios & incredulos sine misericordia. *Heb. 4.* *Prou 2.* *Psal. 53.*

3. Quid tunc dicet superbus inflatus scientia, ac tumens potétia? Quid respondebit, cùm tuba nouissima insonuerit? quando tu Domine Deus noster, cum angelis & archangelis, in maiestate apparueris? Tunc certè obmutescent omnes iniqui illusores verbi tui: & conturbabuntur vndique, qui non timuerunt deuotos tuos insectari. Tunc confundentur confusione maxima, qui relicta conscientia & honestate vitæ, vanitatibus se subdidere & illecebris. Tunc soluent pœnas, qui carni laxarunt habenas. Tunc dabunt mugitum ad cælum, qui nunc tympanum tenent & chorum. Tunc totum vertetur in luctum, quicquid per immoderatum gaudium est contractum. Tunc ligabuntur in fasciculos ad comburendum, qui socij fuerunt ad inebriandum. Et quos amor ligauit in culpa, vltrix flamma simul rotabit in pœna. *Matt. 15.*

4. O stulti & miseri! O vesani & cæci amatores seculi, quid agitis & prætenditis? Quomodo effugietis iram Domini? Cur ad æternos cruciatus festinatis pro modica voluptate, quàm amatis? Cur gehennam non horretis, qui paruam pœnitentiam sic timetis? Et qui mortem carnis fugitis, quare æternam animæ mortem non præcauetis? Nisi ergo conuersi fueritis & pœnitentiam egeritis, hęc horrenda mala igneaque tormenta (Deo vindicante) non euadetis. Tremens factus sum ego, dum extremum pensо diem & horam: quoniam tunc Deus non flectetur precibus, sed erit iustus iudex omnibus. Sancte Deus, sancte fortis, sancte & misericors saluator, amare morti ne tradas me; sed da locum pœnitentiæ, vt dignè queam peccata mea defiere, priùs quàm defungar hac luce.

CAPVT III.

De dolore & fletu peccatorum.

Psal. 47. Rom. 7.

1. *Dolor meus in conspectu meo semper*. Deus meus, vitam meam maculaui peccatis multis; sed vide lachrymas meas, quas fundo in conspectu tuo pro eis. Scio enim, quia non habitat in me bonum; & quamdiu mortale gero corpus, non sum liber à peccatis. Facio igitur malum, & pecco quotidie; & quod grauius est, multa patior abire sine gemitu & digna contritione. Nam exterioribus rebus & vanis curiositatibus sæpius intentus & implexus, non possum tam celeriter reuerti ad salutares fletus. Ideo tam fortiter multiplicantur in me peccatorum tenebræ, fontes obstruentes gratiæ, & venas diuinæ consolationis non admittentes. An istud paruum & malum? Grande est hoc malum Deus meus; & fit tanto grandius, quanto citiùs transit à corde, nec vllo me pungit dolore.

2. Domine, nunquid non respicies? Quamdiu illudam te, & fallam me? Vsquequo taces Domine? Vbi est virga? Vbi stimulus & baculus? Quare subtrahis iudicium & infernum ab oculis meis? Si starent hæc ante me, putas, negligenter agerem? Si taces emendationis gratia, patientiam exhibes; sed si neglexero, nónne acriter pòst corriges? Si non hîc, certè in futuro corripies. Nil quippe transibit inultum, nec paruum nec grande peccatum. Sed multo melius hîc, vbi fructuosus fletus, labor breuis, satisfactio acceptior, & reconciliatio facilior est. Ne parcas igitur virgæ, sed acri collyrio vnge oculos meos: nec in posterum reserues mala mea, ne fortè tradar tortoribus ad soluendum nouissimum quadrantem. Melius est nunc parum & salubriter pungi, quàm postea tam acerba luere tormenta purgatorij. Lugendum ergo mihi, & dolor ingens pro peccatis est habendus. Multa enim habeo, quæ defleam, sed vnde rideam, non habeo causam. Tenebræ cordis & lubrica conscientia, casus in vitia & occasus gratiæ, fiere & gemere mihi suadent, immo ex angustia me sæpe compellunt. Cogitans quoque diuersas tentationes & malorum incursus, ad quid risus? Parce mihi Domine parce mihi. Si enim fleuero, tactus dolore intrinsecus, non est mirum, quia tempus flendi est. Felix hora quando nascitur mihi pro peccatis dolor. Beata lachryma, quæ fluit ex contritionis vehementia, circumspecta omni cordis macula.

3. Et quis sufficit abyssum hanc plenè discutere, & latentes sordes sine palpatione arguere? Deus meus, lumen verum, tu potes omnes cordis mei tenebras illustrare, & omnes maculas eius in spiritu ardoris & iudicij conremare. Tuum est dare cor nouum, crea-

creare cor mundum, & præparare ibi secretum habitaculum; vt fiat locus requietionis tuæ & tabernaculum nominis tui, qui es amator munditiæ, & hospes bonæ conscientiæ. Sed quia neglectam domũ nõ libenter visitas, imò bestialibus moribus illudendã sæpe relinquis, ideo solicitus sum, ne id mihi contingat; sed ad reparandas ruinas meas, misericors & clemens succurre. Væ illi, cui iratus abscesseris. Pax ei, ad quem descenderis, & apud quem permanseris. Ego miser positus in medio laqueorum, & grauatus compedibus peccatorum, quale mihi est consilium & quod salutis remedium; nisi vt ad te leuem contritos oculos meos, si fortè audiatur clamor meus in excelsis? Neque enim salubrius remedium inquinata conscientia inueniet vel habebit, quàm amarissimè se in oratione mactare. Et importuna tentatio quomodo melius curabitur, ne prævaleat; nisi vt continua oratio ad te fundatur, & multum se homo humiliet? Sed hæc bona quis mihi tribuet, orare & flere sicut expedit? Vnde mihi humilitas, & tanta lachrymarum copia? Vtique apud te Domine, apud quem misericordia & copiosa redemptio. O Domine Deus dator omnis gratiæ, concede mihi dignè flere etiam quantumcumque minima, & quæ latent, & quæ patent, omnia simul sine excusatione castigare. Hæc inter me & te masticata, gratiam mihi restituant amissam, & ad meliora præparent ac viciniora saluti. *Psal. 129.*

CAPVT IV.

De lamentatione temporis & negligentiæ.

1. IMperfectum meum viderunt oculi tui. Ah Domine Deus, quid vnquam fiet de me, cùm deficiam quotidie? Quomodo emendabo perfectè vitam meam? Quando melius fiet? Quando conualescam? Et quando omnia vincam? Deiectus sum in limo profundi. Putas adhuc spes esse poterit resurgendi, emendandi, proficiendi, & peruenienti? Non est mihi spes de me, & vtinam firmior sit in te. Desperatio mihi ingeritur valida, quia infirmitas mea grandescit ex longa vexatione, nec video finem doloris & iniquitatis. Et si dixero, nunc incipiam, ecce tempus est, conabor sicut potero; statim adest peccatum præ foribus, & erigitur aduersum me inimicus, & tenet me consuetudo mali tenaciter & inuitè. Vide Domine deiectionem & conculcationem meam, & omnem quam patior calamitatem. Exaltetur dextera tua; & libera me ab his, qui me concluserunt, quia cecidit timor eorum super me. Perijt consilium à me, & fortitudo mea defecit. Brachium meum confractum est, & gladius meus saluare me non poterit. Non video, ad quem diuertam; & qui me recipiat & curet, non *Psal. 142.*

compareꝫ. Tu ſolus mihi ad refugium remanſiſti; ſed quia offendi, hoc eſt quod me deterret.

2. Peccaui, ignoſce mihi. Pœnitet me totum, & multum valde. Redde tu mihi, quod tibi rectum videtur, & propitius eſto. Iuſtè me deſeruiſti, iuſtè me aduerſario tradidiſti. Memento (quæſo) figmenti tui, & repara quod cecidit, nā per ſe ſtare nō potuit. Attende gemitum meum & neceſsitatē meam. Labor meus & dolor cordis mei, non ſint in obliuionem coram te. Captiuitatem & incarcerationem meā, oppreſsionē & exactionē meam, reſpice miſericors Pater, & erue vinctum de domo carceris ac miſeræ ſeruitutis. Si vixerit homo multis annis, quid ex hoc emendabitur? Et quis nouit, ſi melior an peior fiet? Incertus eſt hominis progreſſus & exitus, & dubioſa perſeuerantia, propter varios caſus malorum & tentationum pericula. Multi prima ſunt conuerſione boni & humiles, poſtea peruerſi & rebelles. Priùs timorati & deuoti, compuncti & taciti; pòſt verò liberi & diſſoluti, loquaces & incuſtoditi. Et qui priùs cogitationes reſtringebant, poſtea de verbis & factis vix curam gerunt; ſicque paulatim vadit in deteriùs omne malum, non præcautum in principio. Quis ergo non debeat timere & circumſpectus eſſe, cùm bonis & modeſtis interdum ſoleant multa infauſta accidere? Quis etiam ſcit, ſi electus fuerit, & omnia ſuſtinere poſsit?

3. Oportet, vt omnes probentur; & quis certus eſt, quòd non comburatur, quoniam ignis tentatio eſt? Timēdum ergo non omnibus, & æquè de meliori ſperandum; ſed non temere præſumendum, nec ſub vana ſpe torpendum. Aurum probatum ſaluabitur, & ſtipula comburetur: tu autem homo vide, cuius ſubſtantiæ ſis. Malach. 3 Cęleſtis conflator conflabit, & emundabit filios Leui, omnes videlicet ſeruientes ſibi. Non ſemper aurum eſt, qui hominibus fulget vt aurum, nec ſemper ſtipula aut reprobum argentum, qui vim patitur & ſuſtinet flagella. Quia Deus intentiones aſpicit & corda, operans etiam ibi plerumque mirabilia, vbi à multis putantur perdita. Domine Deus, quid mihi gaudij eſſe poteſt in mundo, cùm pertractare cœpero incertitudinem & infirmitatem omnis rei ſub cælo? De te tamen certus ſum, quoniam bonus, quoniam in ſecula miſericordia tua, ſuper omnes timentes te. Nam bonitas tua & pietas, infinito maior eſt, quàm omnis iniquitas mea. Et hoc meum erit ſolatium, quamdiu emendandi conceſſeris ſpatium.

CAPVT

CAPVT V.

De breuitate & miseria præsentis vitæ.

1. PAucitatem dierum meorum nuncia mihi. Quamdiu in hoc mundo sum, mundus non sum. Et quamdiu hic maneo, pauper peregrinus sum, & hospes super terram. Nihil intuli in hunc mundum, & nihil inde auferre possum: quia nudus huc veni, & nudus abhinc egrediar. Quasi vmbra, quæ præterijt; & quasi pluuia, quæ vento tollitur, & tanquam hospes vnius noctis mox transibo. Omnis vita præsens, vna breuissima nox est. Dies mei pauci sunt & mali, & post modicum finientur; & erunt, quasi non fuissent. Mortuo homine, quid nisi vtilitas in homine? Quis curabit de fœtido cadauere? Aut quis quæret de absente mortuo, qui nec viuens computabitur pro aliquo? Memoria hominis breuis super terram, & apud notos & ignotos. Sed in memoria æterna erit iustus; quia Deo, qui moritur, æternaliter erit coniunctus. Felix igitur, qui non ponit spem suam in homine, nec nimium lętatur in aliqua re mundi vel specie; sed in cælo habet cor fixum, quia hic totum caducum & vanum. Numera omnes ab origine mundi vsque nunc, dic quæso, vbi sunt? Et quos adhuc viuere vides vel audis, quamdiu putas, durabunt? Pronuncia ergo de omnibus, quia *vanitas omnis homo viuens*. *Psal. 101. Heb. 11. 1. Tim. 6. Iob 1. Sap. 5. Psal. 111. Psal. 38.*

2. O vitam pauperem & miserabilem, vitam fragilem & lamentabilem, quam boni magis patiuntur quam diligunt. Mali autem etsi multum eam diligunt, tamen diu in ea subsistere non possunt. O quando finieris, & quando cessabis vniuersa vanitas mundi? Sed veniet tempus, quando liberabuntur à seruitute corruptionis omnes electi, qui iam sæpe lamentantur, quia longè sunt à regno Christi. Vtinã arescat in corde meo totus hic mundus, & fiat mihi tantùm suauis Dominus Deus meus, sponsus immortalis. Verè fallax & amarissimum poculum est, huius vitæ decurrens gaudium. Bibant, qui volunt, quia solutionem duram omnes postea luent. Et quanto quis eo fuerit plus inebriatus, tãto acrius sentiet eius cruciatus: quia omnia iucunda in hoc mundo celeriùs vento transibunt, & suis dilectoribus dolores & ardores relinquent. Fuge ergo à me fallax mundi gloria, & omnis fatua carnalisque lætitia. Multos trahis & decipis, sed in fine eos relinquis & submergis. Væ credentibus tibi; vę submersis ibi. Veni, & accede sancta abiectio, & omnium pomparum seculi plena despectio; & noli à me recedere, peregrinationis meę salubris recordatio. Quid sum, nisi cinis & terra? Et quorsum tendo, nisi ad terram? O quàm miser factus sum, & quã iustè tristari possũ, cũ *Rem. 8.*

reuoluo peregrinationem meam; qui etiam ignoro, qualiter adhuc finiam eam. Si bene vixero, & sic perseuerauero, non est timendum de mala morte. Sed de bona vita & irreprehensibili conscientia, quis poterit gloriari? Qui se talem nouit, in Domino glorietur, & mei peccatoris misereatur. Viuere mihi non libet, quia miseria vndique vrget. Mori conscientia mala timet, quia quid Deo respondeat, vnum pro mille non habet. Non est simile
Psal. 107. huic trepidationi verbum prophetæ dicentis; *Paratum cor meum Deus paratum cor meum.*

3. Domine Deus salutis meæ da finem bonum vitæ meæ, & noli prolongare dies luctus mei. Lugens veni in hunc carcerem, & sine timore non exibo. Longa mihi videtur hæc vita, sed hoc miIob 7. seria frequens facit & tristitia. Reuera autem non longa; sed velocius cursore decurrunt tempora. Ei verò, qui in tristitia & dolore versatur, omne tempus longum est, & diem quasi annum cõputat. Ideo tædiosa est mihi hæc vita: & tãto grauius me affligit, quanto verius singulas eius miserias intueor. Sed etsi aliquæ intercurrunt consolationes & lætitiæ, circumspicere me oportet, an ex Deo sint vel non. Si ex Deo, libenter eas accepto; sed quamdiu durabunt, ignoro. Tamen quantumcunque exiguæ sint, mihi placent & sapiunt. Sed vtinam (Deus meus) largiter influant, & horas non breues apud me faciant. Quæ autem ex Deo non sunt, viles sunt, & citò peribunt, quamuis in facie iucundæ & dulces videantur. Sic sic trãsit vita ista, bonis & malis semper admixta. Quamdiu ergo hic sum, pauper peregrinus sum. Non possum dicere satis est mihi, quia satietas nullius boni est in præsenti: sed bonum meum, quod expecto, tu es, in quem credo. Cùm ergo apparuerit gloria tua, & me impleuerit: tunc confitebor tibi, quia omnino mihi iam sufficit. Interim tamen, quia verbum hoc absconditum est à me, multiplex luctus circundat animam meam.
Matt. 26. Propterea memor verbi sancti tui, hoc sæpe dico: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Bonum mihi, si hæc hora transisset, nec vllus luctus aut dolor occuparet. Sed pietas tua Domine, oro me conseruet.

CAPVT VI.

De anhelatione æternæ vitæ.

Psal. 141. 1. E*Duc de carcere animam meam.* Doloris vis silere me non patitur. Quid enim hic diutiùs moror? Nescio enim, quid hic valeo. Tardè nimis proficio, & vtinam non magis deficerem. Quàm bene mihi faceres Domine, si citò me abhinc tolleres, ne deteriùs mecum fieret. Vita mea in dolore suspirat & in opere se non emendat. Si expectas, non ex hoc emendor, sed etiam longanimitate

nimitate abutor tua. Et si corrigis, vix patior, quia ficcam stipulam persequeris. Cur ergo non tollis seruum tuum? Vt quid etiam terram occupat? quod est dicere; Quare cum bonis habitat, & vitam ac mores non emendat? Cur locum alicuius meliùs conuertantis, quamdiu supereſt, & tam negligenter ac tepidè se agit, indignè & damnosè occupat? Et hoc triste nimis cogitans, in auribus Dei mei loquor. *Iob 13. Luca 13.*

2. Sed bone Domine, noli in ira tua clamare contra me: Succidite arborem, & mittite in ignem. Ego infirmitatem meam accuso coram te, vt ignoscas confitenti mihi. Meum est accusare, tuum est indulgere. Meum est flere & dolere grauiter, tuum est flentem consolari misericorditer. Aut igitur (Domine Deus) præsta mihi maiorem gratiam in hac vita; aut tolle me citò de hoc mundo, ne peior fiat scissura. Nam diu viuere & vitam non emẽdare, pœnam est accumulare. Nec mihi potest placere talis vita, quæ profectum nescit, & defectum non plangit. Qui enim sanctè & iustè viuit, dolet in quibuscunque deficit; & vt magis in virtute ac gratia crescat, in desiderio semper habet. Sed quid hîc faciet, qui se quotidie sentit deficere, & grauiter contra spiritum carnem surgere? Qui etiam nonnunquam tædio victus, & negligentia temporis tepefactus, iam cessat repugnare, aut proiectis armis spiritualibus, sequitur impetum carnis, & quocumque eum propria trahit voluntas. Talis, heu Domine Deus, appropinquat vsque ad portas mortis: & viuens in carne, mortem incurrit animæ. O quantum vnicuique timendum est, de seductione & supplantatione inimici. Nemo securus, nemo mundus, sed est fragilitas in omnibus. Tu autem Domine, qui omnia potes & omnia cognoscis, resuscita confractum corde, & munda immundum ab omni sorde, & da spiritum nouum in visceribus eius. Vt discedat omnis tepor & languor, & reuertatur spiritualis feruor, & vsq; in finem stet immobilis tuus amor. Solummodo eget adiutorio tuo, qui præpeditur pondere suo. Nec valet per se abijcere sarcinam peccatorum, donec tu de cælo præstes gratiam, valentem soluere dura vincula passionum; quam peto donari mihi, quia sine gratia non potest esse bona vita: nec sine ea, percipitur æterna vita. Quòd autem nunc viuo in corpore, non est consolatio mihi, quia melior est mihi mors quàm vita. Quare? Quia propter hanc vitam elongor ab æterna vita, quæ venire non potest, nisi præsentem mors perimat, & mors ipsa simul destruatur. Ideo desiderium meum sursum respicit: & cor quærens æternam requiem, altè suspirat & clamat; *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam,* quam redemisti sanguine tuo. *3. Reg. 19.*

3. Aperi portam regni tui, & introduc pauperem peregrinum,

de exilio ad te reuertentem. Audi me Domine, & solue me à corporis vinculo. Quid hîc vltrà factã? Nec mihi nec alijs sum vtilis. Ad quid ergo viuo? Mihi quidem oneroſus, cæteris tædioſus. Quid fiet de me? Neſcio Domine. Si tu meliùs aliquid de me prouidiſti, quare tardentur deſideria mea. Conſentio ordinationi tuæ quoniam bona eſt. Sed in me tantum malum inuenio, quare mihi viuere in mundo, onus ſit & tædium. Nam pecco quotidie, & peccatum ſuper peccatum adijcio: & ſicut dignum eſt, non pœniteo. Si igitur ſolutus eſſem ab hoc corpore peccati, & tibi ſociatus in regno, nec ego ampliùs peccarẽ, nec tu in aliquo offendereris, ſed ſemper te laudarem. Sed adhuc ſuſtines me, & omnem oſtendis patientiam. Cognoſco culpam meam, quia ob peccata mea non licet regnum ingredi, nam nihil immundum in illud introibit. Sed quando ero ſine peccato? Quando ad plenum mundabor, vt non timeam prohiberi, ſed magis gaudeam intromitti? Si non feruentiùs profecero, nec ſolicitior fuero quàm hactenus fui, timeo quòd ſpes mea parua ſatis erit. Sed tu Dòmine, qui neminem vis perire, ſed omnes ſaluos fieri: præſta maiorem gratiam, ad emendationem vitæ, & ad ſperanda bona cæleſtia, da ſpiritum pinguedinis internæ. Nunquam hic fit cor meum ſecundum carnem lætum, ſed timendo expectet † lethum. Nulla creatura me teneat aut cura, ſed tua optata præſentia me trahat & conſoletur. Beatus, qui te expectat Domine; ſed beatior, qui iam emigrauit ab hoc ſeculo nequam, non enim vltra aliquid moleſtiæ ſentiet, vel timebit.

1. *Tim.* 8.

* id eſt Mortem.

CAPVT VII.

De optatione bonæ mortis.

Pſal. 70. Querimonia peccatoris, ob admiſſa in Deum.

1. *Spes mea Domine, à iuuentute mea.* In hac ſpe ad te confugio, dũ nouiſsima hora & tempus reſolutionis meæ venerit. O ſi bene paratus eſſem, vt mori ſub ſpe gratiæ poſſem! O ſi felici trãſitu diem extremum clauſiſſem, & corpoream ſarcinam depoſuiſſem, quanta tunc pericula & timores euaſiſſem? Felix, quem elegiſti & aſſumpſiſti, qui iam depoſito corpore tranſit ex hoc mundo ad Patrem, de exilio ad regnum, de carcere ad palatium, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de periculis ad ſecuritatem, de labore ad requiem, & de cunctis miſerijs ad perpetuam beatitudinem. Felix anima, quæ iam potitur præmio ſuo, gaudens in te Domino Deo ſuo. Sed heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt vſque adhuc. Quàm gratioſè & miſericorditer mihi faceres, ſi citiùs me euocares, & ad te peruenire ſineres: vt vbi tu es, illic & ego eſſem. Ah! ſi maturiùs me ex hoc mundo tuliſſes, quãdo nec dum inquinamenta eius cognoſcebam: & quando pecca-

Pſal. 119.

re

rectiam in paruis metuebam, quanta mihi bona in hoc præstitisses? Nunc autem diutius viuendo, vagatus sum longiùs à te, & offendi in multis.

2. Væ mihi quid feci? Secutus sum passiones carnis, vanitates attraxi, virtutes deserui, innocentiam non custodiui, mala malis addidi, & proh dolor expertus sum, quod legi: Væ impio in malum. Vix serò redij, tardè incepi, in reditu non festinaui, in profectu non ferbui, in feruore nõ creui, & quod deterius est, à pristino etiam calore refrixi. Hinc & mori sæpe timui, quia vrgente cõscientia non vixi vt debui. Sed propter pericula tentationum, ne fieret nouissimus error peior priore, mortem frequenter optaui, & dixi: O si in gratia mortuus iam essem, ne tantis afficerer malis super terram. O si Deus me tempestiuè auferre dignaretur, & omnium laborum meorum finem imponeret, quam bene tunc mihi contigisset? Verùm in voluntate tua Domine, omnia sunt posita. Si decreueris facere, quod postulo, erit continuò: sin autem, fiat voluntas tua. Ego possum tibi insinuare desiderium meum, & calamitatem quam patior, non quasi nescienti, sed vt tali alloquio aliquod refrigerium animæ meę faciam. Scio, quia necdum bene paratus sum, conscientia enim adhuc multum metuit. Et quid mirum, si ego peccator timeo, quando & multi sancti patres timuerunt; cũ aliter sint iudicia tua, aliter iudicia nostra? Sed quomodo me præparabo? Bonum vtique esset, vt meliùs me præpararẽ in illum diem, quẽ ignoro, si hodie an cras futurus sit. Innouabo firmius propositum, præteritas negligentias deplorabo, totum me tibi immolabo, & tuæ misericordiæ me in perpetuum commendabo. Domine Deus meus, in misericordia tua stant omnia opera mea, & nulla sunt propria merita, nisi adsit tua immensa pietas & miseratio. Et hæc est spes mea, & tota fiducia mea. *Isaiæ 3.*

3. Sed qualiter est cum bona & immaculata conscientia? Quid dicit casta & deuota anima? Veni (ait) Domine Iesu; veni, & noli tardare, relaxa facinora mea, solue vincula, educ vinctum de domo carceris, de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Expectans expectaui te: intende mihi, & exaudi me. Noli me apud seculum diutius relinquere. Satis sit, quòd hucusque certaui; quòd tanto tempore exulaui; quòd te frui non merui, nec facie ad faciem contemplari potui. Nunc optato concede perfrui gaudio, quod nullo finitur termino, nec vllo obnubilatur tædio. Ostende mihi faciem tuam, quam angeli semper vident: sonet vox tua in auribus meis, quam illi sine intermissione audiũt. Veni Domine Iesu, & tolle me de terra aliena, reuocà abiectum ad patriam, & in pristinum gradum lapsum restituè. Veni redemptor bone; fac me participem æternæ tuæ gloriæ. Tempus est, vt reuertar ad te:

tempus

tempus est, vt commendes terræ corpus meum, de qua sumptum est. Non est magna cura, vbi ponatur, vel qualiter tractetur: dummodo spiritus saluus fiat, & ad te perueniat. Habeat bene spiritus meus, quem tibi commendo: caro autem mea requiescat in spe, in nouissimo die resuscitanda. Nam vbicunque recondita fuerit, tibi remota vel ignota esse nō poterit. Recipe me ab hominibus, & sanctorum tuorum me coniunge societatibus. Tædet me vitæ temporalis: sola dies me delectat æternæ claritatis. Non mihi obsistat in exitu de Ægypto serpens antiquus; non latret contra me in porta inimicus; non tetra eius imago perterreat; non mortis horror cōturbet; sed sancti angeli tui fideliter assistant, fortiter iuuent, viriliter protegant, blandè leniterque suscipiant, & ad cæleſtem paradisum cum exultatione perducant. Assistat & gloriosa Dei genitrix virgo Maria, & tota cælestis frequentia. Et tu Iesu bone, dulcis, optime, redde mihi lætitiam vultus tui, & noli me reprobare à dilectis sanctis tuis; sed retracta seu recordare, ô fili Dei, quia precioso sanguine tuo ab inimico me redemisti. Suscipe me in gloria in misericordia & in bonitate tua; quia desiderio desideraui apud te facere pascha. O felix dies optati præmij mei! Eia, benedicta hora transitus beati, quamdiu desideraui, & semper præ oculis seruaui. Quid mihi iam nocuerunt tribulationes & pressuræ in mundo? Quid obfuit contemptus, & labor, & humiliatio pro nomine tuo? Tu mihi viuere fuisti, nunc autem mori lucrum erit; & esse tecum in regno, multo melius manebit. Sit tibi laus & gloria, qui es vita viuentium, spes morientium, salus & requies omnium ad te peruenientium.

CAPVT VIII.

De mortuo mundo, cuius vita est in Christo.

Psal. 118. 1. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* O Iesu vita vera, vita mori nescia; tribue mihi ex amore conteri, ex amore vulnerari, ex amore mori, ne caro possit mihi dominari. Nōdū perfectè mortuus sum mundo, sed viuit adhuc in me vetus homo; suscitans in me varias rixas, & desideria multorum malorum: faciens noctes amaras, & dies tædiosos. O quando fiet, vt cum fiducia dicam: Ego autem æstimabam me, tanquam mortuum super terram? Qui enim mortuus est, non curat laudes hominum, nec vituperia exprobrantium, quia mortuus est. Qui carne mortuus est, non loquitur, non odorat, non gustat, nec exercet quicquam operis: sed nec vanitatem huius mundi audit, non etiam videt curiosa & pulchra, & quæcunque allicere possunt, ad amandum aliquid vile super terram. Sed qui mortuus est mundo, non est in

Mortui mundo ad mortuum carne cōparatio.

mundo,

mundo, sed in Deo cui viuit: sicut & dilectis discipulis Paulus dicit; *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Coloss. 3. 2. Cor. 4. Iste sic loquitur, sic cogitat, sic videt ea quę foris sunt, quasi non sint: quia quod videtur, temporale est & vanum: quod non videtur, eternum est & verum. Illuc igitur spectat, ille flagrat, hoc ei in corde est; ad hoc laborat, ad hoc peruenire desiderat. Hoc vult, hoc amat, hoc quærit, hoc sapit, quod intus est & latet; magnum videlicet bonum, summum, æternum bonum, de quo cogitare nunquam illi satis est; quia nimis charum est, & dulce, & delectabile, & plusquam ineffabile. Qui talis est, multum elongatus est à præsentibus, & totis affectibus inhiat æternis, habens sub se appetitum sensualitatis. Nam sensualitas quærit exteriora, cupit delectabilia, aspicit præsentia, negligit futura; fugit vbicunque potest amara & aspera, quæ tamen spiritui sæpe sunt salubria. Vnde non sinit spiritum in silentio & quiete agere; sed diuersa ei adducit phantasmata, quæ vix sunt dicenda, pro nihilo tamen in veritate curanda. Qui autem habet gratiam spiritualis fortitudinis, potest citiùs subiugare insolentes carnis motus, psallens in verbo diuinæ virtutis; *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi caro.* Psal. 117.

Mortuus mundo æterna tantum cogitat, ac cõcupiscit.

2. Quamuis igitur isti sensualitas bellum incitet, & vox carnis submurmuret; non tamen ei facilè consentit, quia maior est vis amoris Dei, quæ interiùs confortat. Iste quãdoque tam dulciter, tam fortiter, & ardenter ad Deum trahitur, rapitur, & tenetur; vt non videat aut vix sentiat, quæ iuxta se sunt & strepũt in mundo; quia non est ibi, sed alibi: non infra, sed supra cum Deo & in Deo: qui ipsum introrsus mouet, erigit, & quasi in curru igneo transuehit; vt fruatur aliquando eo, in felici & diu concupito cordis sui desiderio sancto. Non inuenitur foris, quia transtulit illum amator suus. Ibi solus audit verba eius, verba dilecti: & gaudio gaudet propter vocem Sponsi, in nullo sibi suspecti. Nec statim effundit in solem phialam suam, ad hauriendam vanitatem: sed inuentum thesaurum abscondit, & claudit sub signaculo: ne pes superbiæ intret, & virtus omnis depereat. Sic namque dicit ei: *Pone me sicut signaculum, super cor tuum*; & quæ ibi sequuntur. Vtile est signare cor, & custodire illud; ne fortè dilectus declinet & fugiat, qui cor purum & humile specialiter quærit & visitat. Cõfert ista secum, & miratur tantum bonum, quod omnem sensum superat & donum. Miratur iterum, & interrogat diligenter; quidnam est hoc? Et lætatur vehementer, quia manna de cælo descendit. Qui autem ministrat panem de cælo verum, dat etiam gustanti intellectum bonum; vt sciat, quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum; Cant. 8. Exod. 16. Iacob. 1.

minum. Hoc iam, inquit, à Deo verbum est. Nihil sine eo, omnia mihi ex ipso sunt.

3. Rursus miratur & conqueritur, quare tantum bonum tam modicè curat, cum quo tamen nō modicè ei bene est: quare quoque non sæpius ad audiendum & videndum illud, cor suum inclinat, quo dulcius ac felicius ad fruendum nil esse potest. Et modò vtinam de cætero id fiat. Hoc enim summè me delectat, & ampliùs delectabit, si tamen operam ad vacandum dedero. Veniat dilectus meus in cor meum, vt comedam de fructu pomorum suorum. Declinet ad me, & ostendat seipsum mihi, & ego meilli. Ipse bonum meum, & gaudium meum. Tunc incipit anhelare, & desiderare, ac vehementer amare hoc bonum, in quo est omne bonum: hoc gaudium, in quo est omne gaudium: hoc vnum, in quo omnia, paruum & magnum, summum & imum; non tamen aliquid ipsorum conditorum, sed sine forma conceptuum humanorum, principium & finis omnium bonorum ab eo formatorum. Vnde quandoque vult ex toto illo bono repleri, ac gaudio suauissimo perfundi, & quodammodo ab ipso cupit ad fundum absorberi & consumi, vt satisfiat insatiabili suo amori; ita vt nihil sui ipsius sit, sed eius totus, cuius est ignis & æstus amoris, cuius est hoc mirabile opus, vt sic in eum auidiùs rapiatur, & vnus cum eo spiritus efficiatur. Nec propter hoc se extollit, aut aliquid esse putat, aut cæteras despicit, vel minores iudicat, quia non est hoc suum, sed munus Dei gratuitum: vt meritò non debeat se inde extollere, cùm se senserit taliter ab eo consolari. Nō enim quærit laudes, neque fauores curat externos, sed dilectum quærit, cuius laudem & fauorem solummodo sitit: in quo omnia habet, & plusquam hæc omnia inuenit. Quia amorem eius, dulcedinem eius, & gaudiosam fruitionem eius, omnibus transitorijs præfert, & super omnia honorem eius concupiscit & diligit. Ideoq; de nullo bono se efferre, nec vanè gloriari potest. Ipse gloria eius, laus, & exultatio eius. Ipse verum & sincerum gaudium, summum & vnicum bonum, totum desiderium & complementum eius. Magis autem vult, & alios secum ita lætari, & tali frui bono sine fine, nunc & in cælo. Hoc enim desiderat & orat, vt omnibus hominibus notum se faciat, & omnes ad se conuertat, & trahat; vt ipse solus laudetur, & glorificetur, quia dilectus eius charitas est & amoris puteus, qui non potest exhauriri. Plus enim omnes amat, quàm ab omnibus possit amari. Placet tamen ei, si quis eum ex fundo amare appetat, licèt ad fundum peruenire non valeat, quia ipse omnes in amore deuorat, vincit, & superat.

CAPVT

CAPVT IX.

De elongatione à creaturis.

1. ECce elongaui fugiens, & mãsi in solitudine. O quã salubre, quã iucundum & suaue est, sedere in solitudine & tacere, & loqui cum Deo, ac frui solo summo bono, in quo sunt omnia bona? Vtinam sic essem coniunctus illi simplicissimo & vnico bono, vt nullis mouerer affectionibus & distractionibus rerum transeuntium; nulli creaturæ nullique rei visibili, oculos videndo & aduertendo, curiosè præberem. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Heu, quàm sæpe morietur anima mea propter creaturas, quas amat; sæpe creatoris sui propter eas obliuiscitur & seducitur. Instabilis mens mea nunc istud vult, nũc illud; nunc hic est, nunc ibi; pacem quærens in creaturis, & non inueniens. Quia omnis creatura etsi delectationem aliquam habet ad vsum, non tamen præstat satietatem ad fruendum. Inscrutabile cor hominis, & quis cognoscet illud? Deus tu scis cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. *Psal. 54. Rom. 7. Hier. 17. Psal. 93.*

2. O Deus æterne, summe, & immense creator omnium & rector; ego sum creatura tua, quam fecisti in virtute tua. Ad amandum te factus sum, & modò volo amare te, & non possum quantum volo. Ligatus sum vano amore, & viscoso affectu rerum labentium, à quibus dum me excutere conor, vix aut nullatenus sine graui dolore possum. O si tu mihi dulcescas & sapias, quàm citò fugient & peribunt? Interdum tamen video mentis intuitu inuisibilia tua, per ea quę facta sunt, & te summum bonum, verum sempiternum Deum. Et delectat me his immorari; sed statim nescio quo flatu actus ab hoc studio reuocor, & in amore & pondere visibilium miser languens teneor. Ecce enim firmiter mihi propono in corde meo, tanquam signum fœderis inter me & te faciendo: quòd nullam creaturam videre & amare volo, propter amorem tuum nobilem ac pretiosum, sed omnia contemnere, & me & omnia mea pariter relinquere.

3. Post hæc autem ascendunt cogitationes huius mundi, carnis peccatricis cognatæ & vicinæ, tam suauiter ad cor meum, quasi in ipsis esset aliqua felicitas: & quasi amissurus essem quid magni boni, si eas contemnerem: lætam faciem prætendentes, finem tristem abscondentes; quid in præsentiarum sit exhibentes, quid mali autem sequatur tacentes. Quasi vbique & in omnibus quærendus sis creaturis, & nihil abijciendum vel contemnendum, quòd à te Deo meo constat factum, sicque abducunt me sæpe à proposito meo, & tandem omnino seducunt.

4. O quàm vanæ, quàm deceptoriæ, & propè nihil etiam stantes & florentes probantur: quæ post subitaneas suas delectationes diffugientes, me inter spinas & tribulos malæ conscientiæ relinquunt? Væ mihi Domine, & væ iterum mihi; quia vanitati citiùs credidi, & assensi; te autem, qui veritas es, tam facilè reliqui. O quãtum in hoc deliqui, quòd non omnibus postpositis tibi soli adhæsi? Nam ad amandum te & fruendum factus sum, sed creaturas inordinatè sequendo, te amisi, & in eis nullam cordis mei pausationem inueni. Conuerte me Domine ad te, & noli me in terrenis relinquere, qui cælestia te sequentibus dignatus es promittere.

CAPVT X.

De contemptu omnium consolationum terrenarum.

Psal. 76. 1. RENuit cõsolari anima mea. Noli egagari anima mea post vanitates & insanias falsas; sed conuertere ad Dominũ Deũ tuum, quia ipse fons totius consolationis. Quicquid in hominibus quæsieris aut in creaturis, perdes, & perditum senties; quia potest aliquid solatij in eis apparere, nihil autẽ permanere. Cur frustra deciperis? Stultum est mendicare à paupere, cùm diues sufficienter voluerit dare. Omnis creatura pauper est ad consolandum, Deus autem diues est in gratia, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; si tamen quæsieris diligenter, patienterque expectaueris.

Iacobi 1.

2. Reuertere anima, reuertere columba ad Noẽ in arcam, ad Christum in cordis secretum; quia diu foris manere non est securum. Renue consolari exteriùs, si vis recreari interiùs. Noli cum coruo extra arcam manere, sed cadauer citò fuge. Esuriens redi, pascet te Christus pane cæli. Si necessitas vrget, vel infirmitas aliquãdo ad extra te tenet, moram caue, redi mox intrà; ne diluuio verborum pereas, aut laqueo tentantis inimici capiaris. Multæ sunt insidiæ libenter extrà vagantis animæ, & magnæ tutelæ citò reuertentis columbæ. Quę cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad Noe in arcam. Et tu ergo vade ad cellam tuam, & habita ibi, sitque tibi graue esse alibi.

Gen. 8.

3. Beata anima, cuius conscientia ante Deum munda est, nec vlla tenetur re vana, neque amore alicuius inquinata, neque odio tabefacta. Beata, quæ nullam consolationem ab aliqua creatura quærit, sed omnem spem suam in Deo ponit. Beata, quę respuit omnem forinsecam & temporalem requiem, & quæcumque ad carnis pertinent commodũ; atque libenter pro Christo amplectitur laborem & defectum. Beata, quæ seipsam Deo committit, vt secum faciat, sicut illi placuerit. Beata, quæ nunquam gloriam

suam

ſuam quærit, nunquam voluntatem ſuam fieri deſiderat; ſed Dei gloriam & voluntatem in omnibus rebus intendit, amat, & propo-nit. Beata, quæ ſe alienam facit ab omnibus temporalibus rebus, & puram ſe ſeruat apud Deum in cunctis actibus ſuis.

4. O quęcumq; talis es anima, gaude & lætare non modicè; quia vales iam verſari in intimis & cæleſtibus, & Deum laudare die-bus ac noctibus. Beata & benedicta à Deo, cuius deſideria ſur-ſum ſunt. Cuius manus & brachia expenſa ſunt; ſicut duæ alæ *Ezech. 11.* Cherubin. Cuius oculi mundi, ad contemplandum Deum, cuius omnis vigor & labor interior vadit & aſcendit, & non reuertitur, donec inueniat, quem ſolum prę omnibus amat. Et cùm inuene-rit, tunc omnibus oblitis, ſequitur eum, quocumque dilectus vo-luerit & duxerit. Vt autèm locutus fuerit, gaudebit ad vocem eius dicentis. Ego dilectus tuus, vnicus, & electus. Ego merces tua ma- *Gen. 15.* gna nimis. Eſto humilis ad proſpera, & fortis inter aduerſa. Ecce qui diligũt me, quomodo conſolantur per me. Quã dulciter putas tractabuntur, cùm depoſita omni moleſtia corporis & animæ, ad æternam requiem ſuſcipientur.

5. O ſi tali fruerer dulcedine, quemadmodum anima ſancta, Deo dilecta & deuota; quando ſopitis ſenſibus, ſurſum in ſpiritu fertur, & eleuatur ſuper ſemetipſam in amplexus dilecti; & Deo per intimæ dilectionis vinculum copulatur. O Deus meus, cor-dis mei theſaurus verus, non ignoras, quin hoc doloris mei intus abſcõditi vnicum foret refrigerium. Sed huius vnctionis tu elar-gitor es & infuſor. Tu doces, tu hortaris, tu foues, tu conſolaris, tu prouehis & ſuſtentas; tu ducis & reducis; & facis cum anima, quam elegiſti, ſicut vis; & totum bonum eſt, quicquid agis & vis. Ego verò quaſi vas acidum, & boni ſpiritus tui infuſione indi-gnus, peto ſacram ipſius emanationem mihi ampliari, quatenus & internæ dilectionis tuæ dulcedinem guſtare, & ſacras illas de-licias valeam præſentire: quas animam tibi ſtudiosè vacantem non diffido frequenter mereri. Odoraui à longè aromata cæle-ſtia, cùm de anima ſancta meditatus ſum quædam interiora mentis ſtudia.

6. Sed tu Domine ſcis, quàm rara mihi, quàm tenuis eſt æter-norum cogitatio, quam frequenter arentia verba, quàm rudis in-tellectus & impacata conſcientia, quàm confuſa interiora mea, inilluminata & indeuota, nec alicuius, niſi mea ſolummodo cul-pa. Interdum tamen viam quærens ad interiora, aſſumptis me-cum cogitationibus in ſecreto, de bonis electæ animæ ſeriosè pertracto: quantę ſint lætitiæ cæleſtes, ac deliciæ ſpiritales in e-ius corde: quæ pax, quæ tranquillitas, quæ ſpes & exultatio in Deo ſalutari ſuo: cuius eloquium dulce, & facies decora. Et

licèt

licèt breuis sit mora, est tamen gratiosa hora.

7. Hæc autem me cogitante, & te illuminante tenebras meas, inuenio super me iustas querelas: & sentio per occultas gratiæ rimulas, quia talis & talis est anima tibi intimè vnita, & sic & sic tu ei locutus es. Illa tacet ab omnibus sensibilibus, & tu loqueris ei in spiritu de inuisibilibus. Videtur quasi derelicta ab omnibus creaturis, & tu eam consolaris modis ineffabilibus. Dixi ego rursus hæc in corde meo: Vę animæ peccatrici, conscientiæ graui, conuersationi tepidæ, non habenti lumen gratiæ, neque solatium spirituale; quęrenti lachrymas, nec inuenienti aliquas. Pax huic quæ Christum sincerè diligit, & oculos cordis sui ab eo nunquam deflectit: sed quæ placita sunt ei semper inquirit, quia in pace & æquitate ambulabit, & in gaudio eius non miscebitur alienus. Videbit, quòd bonum est ocium eius, & gustabit, quia suauis est Dominus Deus suus, in quo confidit. Elongabit se à tumultibus externis, & expectabit cum prouentu magno, aduentum eius in intimis. Ecce sic operatur Deus, in vasis sibi electis. Si quis venerit ad eum, non reuertetur vacuus, qui libenter dat aquam sitienti, & panem esurienti.

8. Deus meus, cùm introieris in domum amantis te animæ, nónne pasces eam tuo lacte, & deduces aliquando etiam extra se, præ abundanti tua dulcedine, ad capiendum te sine aliqua corporali imagine? O veritas, veritas; quantum valet & agit charitas! Tunc loqueris illi verbum tuum secretissimè, & ostendis ei omnia nouissima & antiqua in charitate & fruitione felicissima, vbi finiuntur omnia verba humana. Ex tunc facis maximè tibi confidentem de æterna requie, de sanctorum consocietate: quia prærogando pignus spiritualis gratiæ, valentiorem vtique reddis ad speranda, quæ non videt, & ad spernenda præsentia, quæ sensu tenet. Recordare mei pauperis mendici (Pater bone) per viscera misericordiæ tuę, & mitte panem de cælo verum, verbum bonum, consolatione & gratia plenum.

CAPVT XI.

De magna dulcedine & consolatione in Deo.

Psal. 34. 1. *OMnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* Vnus est, & similis illi non est, Deus meus est, & omne comparatum ei, nihil est. Dilectus intimus, & amicus fidelissimus; qui amantem se nunquam deserit, sed cum amante se libenter sociat. Et si aliquando se abscondit, aut angustiari permittit; non hoc agit vt reprobet; sed vt probet, purget, & erudiat. Non ergo omnino tunc deserit, sed etiam sapientiùs instruit, vt appareat qualis quisque

ex

ex se sit, & quousque peruenerit. Pulcher es, dilecte mi, & amabilis valdè, non carni, sed menti, non oculo aut sensui alicui, sed animæ credenti, mundũ cor habenti, & ad inuisibilia atque spiritualia se transferenti. Qui ergo tibi per deuotionis affectũ vniri desiderat, necesse est, vt omnem carnalem affectum in se mortificet, & puritatem conscientiæ maximè custodiat. Displicet enim tibi, si quis graditur ad fragiles creaturas pro mendicando solatio. Propterea introrsus me vocas, vt amem te, & iubes, vt expectem te; quoniam tunc inueniam te, quotiescunque me posposuero: & sicut tu vis, ita & ego volo. Et hoc erit totum bonum meum, vt gratis te colam, gratis seruiam: nullam timens amissionem, nec aliquam faciens cum amore auaritiam: quia purè amantem approbas animã. O illam vnam, in vita & in morte tibi soli vnitam. Ego autem longè à te proiectus, sæpe eo per aliam viam amando res perituras; non sicut oportet, nec ad quẽ finem decet.

2. Sed ne cum his peream, reuertar citius considerando in eis laudes tuas, & ad te affectiones meas dirigendo. Tu Domine Deus meus, qui omnia fecisti ex nihilo, da ex omnibus psallere nomini sancto tuo. Tua est enim potentia, tua est sapientia, tua bonitas ac pietas, æterna quoque maiestas & gloria. Regnum tuum, regnum omnium seculorum: & dominatio tua, in omni generatione & generatione. Tu omnia disponis, quæ sursum sunt & quæ in terris. Omnia cognoscis, omnia in manu tua habes: nihil tibi resistit, nihil te conturbat: sed cum tranquillitate omnia iudicas, & rebelles etiam tibi subijcis, & seruire facis. Scis omnia, quę geruntur in vniuerso: & antequam fiant, certo fine conclusisti. Tu es Deus cæli & terræ, visibilium & inuisibilium creator & gubernator, omniumque temporum dispositor. Conserua, (quæso) per orbem famulos tuos longè lateque dispersos, tuo tamen seruitio specialiter deputatos. Fac eos enarrare laudes tuas, & voce consona vbique gloriam tuam prædicare. Excita corda eorum valenter in amore tui; & dona eis omnia opera sua sancto fine consummare.

Psal. 244.

Sap. 12.

3. O quam pius, quàm dulcis es diligentibus te? quàm bene places gustantibus te? Qui experti sunt suauitatem tuam, norunt inde melius cogitare & loqui. Vincit enim tua dulcedo omnem dulcedinem, & dulcorat omnem amaritudinem. Domine Deus meus, de te viri sancti locuti sunt, & prophetæ non tacuerunt. Quotquot fuerunt sancti ab initio mundi, in te crediderunt, tibi seruierunt, in hostijs & muneribus te coluerunt, nomen sanctum tuum laudauerunt & benedixerunt, quia te creatorem suum, & omnium rerum conditorem cognouerunt, & in te super omnia sperauerunt. Cognouerunt te in visionibus

suis, tu siquidem reuelasti eis nomen tuum, alium præter te nescierunt. Custodierunt legem mandatorum tuorum, quam eis dedisti. Non sunt secuti falsorum deorum figmenta stultissima: sed adorauerunt te viuentem in secula seculorum, qui creasti omnia. Leuauerunt vocem suam in confessione laudis tuæ: quia tu de excelsis clamorem magnum auribus eorum infudisti, dicens: *Ego sum, qui sum. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Feci, quæ futura sunt; & præterita non perierunt à memoria mea. Hæc audientes & intelligentes, eleuauerunt etiam in longinquo fidei oculos, credentes quia saluos nos faciet Dominus: & qui venturus est, veniet, & non mentietur. Hæc præscientes, consolati sunt non minimum; & vehementer admirantes præsentiam affuturæ maiestatis, præ stupore defecerunt. Respirantes paulisper, & præ gaudio aspicientes Dei potentiam venientem, dixerunt; Ipse est, ipse est, Dominus Deus noster est, & alius non est. Ipse cœpit, & saluabit nos. Non potest negare seipsum, quoniam verus est. Sicut audiuimus, ita & vidimus: sicut credimus, sic & loquimur, & testamur veritati. Semel locutus est Deus; dixit, & facta sunt. Dixit, *Consilium meum stabit, vestrum filij hominum peribit.*

Exod. 3. *Isaiæ 43.* *2. Tim. 2.* *Isaiæ 46.* *Mich. 2.*

4. Væ, qui cogitatis inutile, & post verba Dei ridetis. Væ, qui fingitis de corde vestro sapientiam, & in potentia vestra erigimini. Audite verbum Domini, qui quæritis Dominum, scitote quia iudicium eius cum habitatoribus terræ. Non est bonum, si auersi fueritis: state, & considerate vias eius. Reuertimini, & venite, libenter suscipiet vos; quia misericors & clemens est Dominus. Nec sicut homo iram seruat, sed omnia peccata donat, insuper & gratiam priorem cum posteriore restituet. Tantùm toto corde conuertimini, & donate vos illi ad seruiendum mente fideli. Hæc vox sanctorum in auribus meis. Quasi melos in conuiuio, & quasi thus redolens de thuribulo, sic est verbum Dei in corde puro. Sancti autem tui Domine repleti spiritu tuo, memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructauerunt, & eloquia sua nobis eructanda reliquerunt. Meus autem sermo sæpe clauditur inter angustias, ascendendi iter non habet. Sed si ignis desursum venerit, erit ignitum eloquium meum. Et si incanduerit, mox consumet me. Non subsistam à facie eius: quia sicut à vento palea, sic tolletur de corde mœstitia: & sicut rubigo abigne, consumentur peccata mea. Ignis diuinus omnia comburens, mundabit aream cordis. Descende, & accende; modicum tange me, & euolabo. Præterita non erunt, & futura non computabuntur, quia omnia mala oblitioni tradentur. Vetera transient, in abundantia noua venient, & affluent

Osea 4.

affluent desideria sancta; atque ex omni latere consurgent, vbicunque flauerit spiritus almus.

5. Timor non erit, sed amor totum implebit, cessabitque quassatio: nam dextræ Dei est hæc mutatio. Ideo quod loquor, non mea, sed eius est laudatio. Consolatio lugenti est, panis datur petenti, haustum suscepit sitiens. Manus ægro data est, vacillanti baculus venit. Deficiens vires resumpsit, requiem lassus inuenit. Desperanti noua lux oriri visa est, clamanti venit responsum. Caliganti infulsit dulce lumen, ignoranti via patuit, & porta illico est reserata pulsanti. affuit veritas, titubanti succurrit auctoritas, affectanter quærenti obuiauit mater charitas. Cupienti dilecto loqui, occurrit lætior ipse: Ecce assum, inquit; dic quid noui nunc accidit? An tibi excidit, pro me pati & agere debere? Volentem cum eo pergere, nec hoc prohibuit. Statimque ascendi, & oblitus sum quicquid molestiæ habui. Desiderantem cum ipso habitare, noluit me contristare: sed lenibus verbis edocuit, quia modò id fieri non conuenit. Desiderium tuum bonum est, & placet oratio, quam præsentasti mihi: sed oportet adhuc differri. Vade, & reuertere in domum tuam; & annuncia tuis, quanta fecit tibi Dominus. Et dic eis; Præparate singuli corda vestra; & deponite graue onus peccati; & sitis cauti & fortes, aduersus insidias diaboli. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Tempus prope est, vt paratos vos inueniam. Ecce prædixi vobis.

CAPVT XII.

De vnico & summo bono quærendo.

1. *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* O quàm nobilis es anima, quàm mira virtus in te latet: quæ quiescere non vales nisi summo adepto bono, & vltimato inuento fine! Quo cognito & inuento, cessat motus tuus. O bonum super omne bonum; ô finis sine fine, quando fruar te sine modo & sine fine? Multa hic inuenio bona, sed quæ alterant, non quæ satiant. Porrò vnum est necessarium. Hoc vnum quæro, hoc vnum desidero. Propter vnum omnia, & ex vno omnia. Hoc si habuero, contentus ero: & nisi potitus fuero, semper fluctuo: quia multa me implere non possunt. Quid hoc vnum? Nescio dicere, desiderare me sentio, quo nihil melius nec maius est, sed nec cogitari potest. Non enim hoc vnum inter omnia, sed vnum super omnia est. Deus meus est, cui adhærere & inhærere, bonum mihi est. Huic dico, huic clamo: *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* *Psal. 34.* *Psal. 72.*

2. Quid vltra concupiſcis anima mea deſiderio plena? Nónne melius eſt, vt vni adhæreas quàm multis? Ex vno multa, annum ex multis. Ceſſa multa quærere, vni te iunge, vni adhære, in vno totum conſiſtit. Quærant alij multa & varia ab extra; tu quære vnum internum bonum, & ſufficit tibi. Ecce alius villam quærit, alius in negociationem ſuam vadit. Alius argentum & aurum multum congregat, alius voluptates ambit & honores. Alius amicos & cognatos requirit, notos & affines libenter viſitat. Alius vrbes & caſtella intrat, & varias mundi partes deſiderio oculorum ductus luſtrat. Alius ſapientiam, alius potentiam, alius magiſterium, alius regale aut principale petit obſequium. Et in hunc modum alius hoc, alius illud, ſiue in ſeculari ſiue in ſpirituali ſtatu requirit. Pauci vnum, & propter vnum, purè & ſimpliciter quærunt. Ideoque nec ſtabilem pacem inueniunt, nec internam gratiam ſapiunt. Quicunque enim ſunt Chriſti, non temporalia, non terrena quærunt; tanquam tunc magni & glorioſi eſſent, ſi his omnibus abundarent.

3. Non ergo ad te pertinent, quæ iſti quærunt, ô anima deuota? Profectò nihil. Deteſtor hæc omnia: quia vnum eſt bonum meum, vnum diligo, vnum requiro: & ipſum melius mihi eſt, quàm omnia bona infrà vel ſuprà. Si tantum bonum inueniſti, hortor te & ſuadeo tibi, cuſtodi & tene, pro quo omnia contempſiſti. Nam illud habendo, cæteris carere non erit oneroſum; immo pro ipſo lucrando, omnia dare & pati debere, iudicabis rectiſsimè dignum.

Coloſſ. 3.

4. Quære ergo nunc anima mea, tam ſingulare & ſupereminens bonum. Quamdiu in carne viuis, quærere ne ceſſes, quia nec ſatis inueniri poteſt, quod ad plenum comprehendi non poteſt. Erit autẽ finis quærendi, cùm venerit hora fruendi. Tunc enim erit omnia in omnibus, ipſe ſolus vnus, ſufficiens omnibus & ſingulis. Et ſi ibi adhuc quæritur, vbi ſemper inuenitur; non tamen ſicut hic cum labore, ſed ſumnio cum gaudio & amore. Qualis autem ſit pijs in hac vita, multis docetur nominibus, nec ignoratur ab expertis. Aduerte tamen aliquantulum, (experientia magiſtra iuuante) quæ ſint diuinæ pietatis nomina. Pauca tibi expono: ſed plura atque ſacratiora eius doceat gratia. Ecce, ſponſus eſt amantibus, & qui adhuc in timore ei ſeruiunt, metuendus Dominus. Pater eſt bonis filijs, malcuolis autem diſtrictus iudex. Infirmis eſt medicus, & ſanis ſolidus cibus. Doctor eſt ignorantibus, & obtemperantibus ſibi ſalus æterna. Via eſt incipientibus, veritas proficientibus, & vita perfectis. Spes eſt pœnitentibus, & iuſtis conſolator optimus. Gloria eſt humilium, & pœna ſuperborum. Lux eſt in tenebris, & lucerna in noctibus.

Deus qualis ſit pijs hic. nomina eius docent. Sponſus, Dominus, Pater, Iudex, Medicus, Cibus, Doctor, Salus, Via, Veritas, Vita, Spes, Conſolator, Gloria, Lux, Lucerna.

Dat

Dat medelam ęgris mentibus, & vinum lętitiæ multum tristibus. Stat cum pugnantibus, ambulat cum proficientibus, currit cum feruentibus, volat cum contemplantibus. Adest orantibus, loquitur cum legentibus, quiescit cum meditantibus.

5. In omnibus his operatur vnus atque idem Deus, apparens singulis prout vult; & non est reprehensio in sermone eius, neque inuestigatio operum eius. Magna sunt enim & inscrutabilia iudicia eius, & nemo dicere potest, Cur ita facis? & quare hunc magis quàm illum eligis? Stulta est hominis interrogatio aduersus omnipotentem, & omnis adinuentio filiorum Adam vanitas & nihilum.

6. Quomodo placent tibi hæc, & qualiter sapit tibi Deus? Bene sapit mihi, & opera eius non possunt mihi displicere. Iustus est, & quis potest cum arguere de iniustitia? Qui enim hoc fecerit, contrarium se illi constituit, & arguetur ab irreprehensibili lumine eius. Sed hæc quæ audisti, quid sunt in conspectu eius? Vix scintilla modica est, ab eo quod intrinsecus latet. Quæris, quid istud? Dico: Nescio quid est, sed est totum supra me, & quasi inaccessibilis quædam caligo, cuius principium sicut & finis ignoratur. Sit proinde potior meditatio tua & affectus frequentior, circa humilia vestigia Iesu, & noli ad alta citò conscendere, ne opprimaris à gloria. Verùm, quia amor intensus interdum obliuiscitur reuerentiæ & timoris, tolerandum est, si aliquando de dilecto suo amans intensè inflammatur; vt quærat, non solùm qualiter paruulus natus in præsepio vagiat, aut in patibulo crucifixus pendeat: sed qualiter glorioſus in cælo regnet, & cuncta sub cælo mirabiliter disponat. *Prou. 25.*

7. Libenter sequor te amande Iesu in terris, sed multo libentius sequerer ad cælos. Vbi est thesaurus meus, ibi erit & cor meum. Thesaurus meus tu es, charior omni creatura, qui es ad dexteram Patris. Pro me incarnatus, pro me eleuatus. Exemplum mihi reliquisti in terris, præmium te seruas in cęlis. Ad te igitur oculi mei, post te omnes gressus mei ibunt. Tibi dicit cor meum, exquirit te facies mea, faciem tuam Domine iugiter requiram. Vsquequo Domine visio gloriæ tuæ? Quare faciē tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Scis vtique, quia tamdiu fertur hinc inde animus, trahitur & retrahitur in diuersa affectus meus, donec tibi tanquam suo amabili iungatur in cælis. Vis etenim amoris quiescere nescit: sed de suo amato incessanter quærit, nuncios emittit, preces geminat: sed nec sic dimittit, quia amor omnino possidere vult, quod concupiscit. *Matth. 6.* *Psal. 26.* *Iob 12.*

8. Trahe ergo me, vt currere incipiam feuenter post te. Opus mihi est tractu, & magno tractu. Nisi enim traxeris, nemo venit, Trahi opus habemus.

nemo sequitur; quia ad se quisque curuatur. Si trahis, ecce venio; ecce festino, curro, feruco. Sin autem, nec curro, nec quæro; vix est, quod sequi desidero. Sed si manum dederis, tanto celeriùs curro, quanto fortiùs traxeris. Vox dilecti mei trahentis:

Ioan. 12. *Et ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* IESV bone, trahe me post te, & non solùm ego, sed omnes curremus in

Cant. 1. odore vnguentorum tuorum. Primùm itaque trahe me post te, deinde sequantur alij, viso exemplo bonæ vitæ. At ne superbire possemus, bonum est nobis hoc simul sentire; quia non in viribus nostris, sed in odore vnguentorum tuorum currere cœpimus.

9. Hic est tractus diuinus, sine quo proficit nullus: sed nec

Ioan. 6. incipit aliquis, sicut itidem dixisti: *Nemo venit ad me, nisi Pater*

Matth. 8. *meus traxerit eum.* Quem ergo trahit Pater, vtique sequitur te, & deserit se. Bene tractus videbatur, qui dicebat: *Magister, sequar te quocumque ieris.* Sed non est omnium, sic ad te affici: nec paruæ est animæ, tam paratè ad omnia te sequi.

10. Quid tibi obest anima mea, quòd propter IESVM non deseris omnia? Quare tam inuitè separaris à vanis & perituris? Quid iuuant hæc visa? Ecce cùm per res mortales & visibiles creaturas pergis, volens in eis contentari, perdis meliora. A summo bono te diuidis, cùm hoc agis; & à vera ac beata æternaque vita te auertis. Idcirco misera & infelix manebis, plena doloribus & anxietatibus. Quocumque enim te vertere disponis, dolores semper inuenies & tædia multa, nisi fueris iterum ad creatorem conuersa; quia ipse est pax tua, & requies secura. Verùm, si in terrenis minimè feceris moram, nec pedem in limo fixeris; sed potiùs cõsideraueris, & venerata fueris in speculo creaturarũ, non imaginem quæ transit, sed eum cuius est hæc imago & superscriptio, beata eris & non morieris. Cùm enim cuncta visibilia non ad fruendum quæris, sed ad benedicendum creatoris tui nomen aspicis, fabricando tibi ex summis & imis operibus eius scalam quandam, cui innitaris ad sursum pergendum; liberaberis vtique à seculi visco pessimo, & tuo desiderato fini satis inimè copulaberis; qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPVT XIII.

De vnione animæ cum Deo, & de subtractione gratiæ.

Psal. 62. 1. ADhæsit anima mea post te. Deus meus consolator verus, tu scis, quia non tædet me tui: sed quotidiè libet tibi in secreto meo loqui. Sed vbi te quæram, si fortè ad horam perdidero? Quis me perducet ad te? Tu super omnia Deus, & ego inter ista inferiora

inferiora homo pauperculus. Tu in cælo, & ego in mundo. Tu solus altissimus, ego verò mendicus sum & pauper. Quis mensus est distantiam cæli & terræ? Hæc valde distant, sed tu longius à me. Quis ergo me tibi adunabit? Aut tu facies, aut nullus poterit. Veruntamen si vis, fiet vtique celeriter. Tu autem nosti, quia cadere mihi procliuius ex me est, abs te verò stare donatur & proficere. Ideoque pendet anima mea ex dignatione spiritus tui, & infusione gratiæ salutaris. Iubente te, eleuabitur de terra; auertente autem te faciem tuam, ad se conturbabitur. Propter charitatem tamen tuam & mansuetudinem, assumes me, & deducet me mirabiliter ad te dextera tua. Animam etiam hic posse cum Deo vniri.

2. Quique terrigenæ & filij hominum audite, quia possibile est ac facillimum apud Deum; vt fiat, quod scriptum est: *Simul in vnum, diues & pauper.* Pauper ego sum, & omnibus indigens: sed diues iste; Deus meus est, nullius egens. Huius rei si non magnam experientiam, habeo tamen fidele testimonium vnde id probem, quòd possit anima Deo vniri per gratiam. *Dilectus meus* (inquit) *mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Hoc est testimonium amici & amicæ, sponsi & sponsæ: conueniens satis & validum sacræ legis testimonium. Secundum autem simile est huic: *Volo Pater, vt omnes vnum sint, sicut & nos vnum sumus.* Ecce duorum librorum præclara testimonia: quibus liquidè patet, Deo posse animam familiariter coniungi, secundùm gratiam cælitus ipsi datam. Etsi res rara est, tamen valde chara est, nec ignota amanti. Quamuis quoque sit difficilis, non est tamen penitus impossibilis, Quam ego Deus sibi sic coniunxit, nemo separare aut conturbare audeat. Si stupes dignationem huius vnionis, obstupesce & admirare excellentiam bonitatis eius, nec non & assumptæ humanitatis singularem vnionem. Licèt ei agere, quòd vult; qui facit mirabilia magna solus. Si meritum quæris, inuenies beneplacitum voluntatis eius. *Psal. 48.* *Cant 2.* *Ioan. 17.* *Psal. 135.*

3. O dulcis societas cum Christo, & sub alis Christi. O gratiosa coniunctio, plena dilectione & suauitate Spiritus sancti; quæ melius sentitur, quàm dicitur. Hæc pertinent ad animam, quæ omnibus mundanis se fecit alienam; quam non tenet amor vitæ præsentis, sed sursum vexit secretum mentis. Quanto istud notius est amanti, tanto obscurius est & mihi. Vellem tamen libenter interesse, quondo animæ deuotæ solet bene esse, est autem illi bene, dum fuerit cum sponso in meridie Est & illi malè & multum ægrè, si contigerit IESVM abesse, si desinant fluere aromata gratiæ; si minùs sapiant literæ sanctæ; si tædet orationi aut meditationi insistere; si sic densantur cordis nebulæ, & tantum præualent cogitationes noxiæ, vt cohiberi vix

valeant, sed penè simul omnia bona priora obruere nitantur.

4. O Domine Deus, quid sic facis? Quis est iste ludus. O pie Iesu, quid in hoc facto prætendis? Si tibi non displiceret, optarem latius inter te & dilectam tibi habere colloquium. Ex eo quòd ipsa votis omnibus tuam gratiosam quærit præsentiam, qua castis foueatur delicijs; miror cur ipsam pateris interdum sedere sic desolatam. Quasi ipsa non esset, quę te expetisset, ita pertransis & recedis. Ipsa autem gemens & sola. Eius enim vox
Isaiæ 26. ista videtur, *Anima mea desiderauit te in nocte*. Nox ei est, cùm tu vera lux non ades. Precatur ergo tuam præsentiam; ne tenebræ peccatorum eam comprehendant. Sentit vtique incommoda multa, subtracta sibi visitationis tuæ gratia. Nisi etenim aliquid passa esset, non tam desideranter post te clamasset. Clamauit
Psal. 62. & altera, cuius verba iam suprà. *Adhæsit anima mea post te*. Sed nullam æstimo huic tam molestam fore vel videri molestiam, quàm tuam abesse præsentiam.

Animæ quare se subtrahit Deus.

5. Et non mirum, si ex hac etiam carentia, incidat anima amorosa in quendam cordis sui languorem. Tu enim difficulter quandoque inueniris & cùm fueris tandem inuentus, illa gaudet ad reditum, sperans lętum diem agere tecum: sed minùs cautè de recessu tuo, nihil triste suspicatur. Tu autem aliud tacitè tractans, sępe fugam exhibes. Recedis quippe repentè de manibus eius, illa non præsumente. Laudo te, in hoc quomodo laudabo? Si quid laudis habes & dulcoris, cur in hoc facto videris illud amittere? Nisi tu esses forsitan scandalum illi generares. Sed non potest in te scandalizari, à quo se nouit tam valenter amari. Si ergo quid iustę rationis tali documento figuras, indica mihi obsecro Deus. Vellem enim libenter intelligere: nec inutile iudico vel parum inde scire. Occulta namque iudicia tua nemo per se intuetur: sed lux tua est, quæ obscura quæque illustrat, & noxia fugat.

6. Quare igitur est, quòd te subtrahis interdum tam occultè ab anima, ipsa ignorante? Diligis eam, an non? Si diligis, cur fugis dilecte mi? Si non diligis, cur pridem visitasti? Etiam si non diligis, cur denuo reuerteris, & ostium pulsas, & intras? Nunquid leuitate veteris eundo & redeundo? Absit. Sed non est illi leue tam frequens alteratio; quinimo, nascitur turbatio non
Ioan. 16. modica. Adhuc minor forsitan querela esset, si palàm illi diceres. *Vado & venio iterum, & gaudebit cor tuum, & gaudium tuum nemo*
Ioan. 8. *tollet à te*. Nunc autem prouerbium nullum dicis: sed illius verbi recordatur, cuius veritatem experitur quia IESVS abscondit se & exiuit de templo. Habeo ergo aduersum te pauca: sed ex bona radice, orta est mea conquestio. Cupio humiliter erudiri, non impa-

impatienter litigare. Dabis proinde interroganti responsum, cùm fuerit opportunum.

7. Loquatur etiam ad maiorem intelligentiam, aliquid pro se anima deuota. Respondè & tu liberè partem tuam. Dilectus enim patienter te audiet, & occurret verbis pacificis, ne detrimentum ex eo patiaris. Quis enim te consolabitur, si non ipse fuerit consolator? Et tuam infirmitatem quis clementiùs feret, nisi qui cuncta sine onere portat? Cui etiam tutiùs reuelabis, si quid tristè habueris, nisi omnia plenè scienti? Aut cui magis fidem dabis, nisi non fallenti veritati? Iam hæc si quis externorum audierit, & qui non est de amicis Sponsi, præ foribus arceatur. Sin verò Sponsum diligit, si fidelis fuerit, si deuotus & internus, liber illi concedatur ingressus. Si custos conscientiæ; si amator virtutis fuerit & disciplinæ; si affectu purus, & intellectu clarus; si in se humilis, & ad suos pius; si bona audita non malè capere, non vanè efferre, non temere arguere, non animosè defendere, non superbè prædicare nouit; sed è contra, non intellecta venerari, obscura & mystica sanè interpretari didicit; talis introducatur, & huic interfit gratis colloquio. Affectus enim cordis ex verborum sonitu magis pensari debet quàm vocum qualitates. Indica ergo mihi anima, qualiter te sustines absente dilecti gratia? Ego me sentio minùs leniter posse sufferre; si se in longum voluerit differre; & puto aliquid simile de te. Si vis, sedeamus hic pariter, & conferamus super hoc verbo, pro aliqua consolatione nostra.

CAPVT XIV.

De tristitia animæ, absente dilecti gratia.

1 *Dormitauit anima mea præ tædio.* Quis est iste sermo, quem loqueris? Quare dicis Sion, Reliquit me Dominus? Noli timere filia Sion, anima amans & speculans; ecce Rex tuus, dilectus dilecti, veniet tibi. Surge, sta in excelso, & vide iucunditatem quæ veniet tibi à Deo tuo. *Quæsiui* (inquit) *& non inueni: vocaui, & non respondit mihi; propterea dormitauit anima mea præ tædio.* Et ego: Hæc vox turturis, amisso compare. Non est hodie sicut heri & pridie, quando cantabas cantica lætitiæ. Præcessit manè, venit vespera: sponsus autem erat in meridie, nec datur accedere. Verba tua tristitiam sonant, & oculi tui lachrymis rigantur. Anima in dolore es, & consolari opus habes. Sed dic, vnde est? Non est mihi super auro & argento, aut qualibet re mundi quæstio, non de lucro aut damno, non de iniuria aut penuria, quæ mundo iam mortua sum & crucifixa. Si bene te noui, *Psal.* 118. *Baruc.* 4. *Cant.* 5.

noui, diu omnibus mundanis abrenunciasti. Sed an etiam te in omnibus perfectè abnegasti, & vsque ad contemptũ tui veneris, inquiro. Hoc pauciſsimorum eſt, & exigitur ſpecialiter à te. Vnde eſt ergo dolor tuus? Quid amiſiſti? Si de dilecto eſt, ſcio, quia triſtitia non immeritò impleuit cor tuum: nec eſt quidquam tibi iucundum, donec reuertatur, & reddat tibi aſpectum ſuum. Sed quomodo interim te ſuſtines, ô delicata & innixa ſuper dilectum? Et mihi conſtat, quia ſemper pro voto non adeſt. Ergo dum abeſt, quid ſolatij habes, & in quo te quietas? Narra mihi ſecreta tua, etiam ſi ſint dolore plena. Te Chriſtum abſentem dolere nemo dubitet, niſi qui non amat. Habes modò triſtitiam, ſed de Sponſo Chriſto, non de mundo iſto. Et ſcio, quòd illo reuertente, iterum conſolaberis, quia non in perpetuum tui obliuiſcetur. Dixit enim: *Non relinquam vos orphanos; vado, & venio ad vos.* Non ergo ſunt vacua verba tua, cum tanto dolore prolata; ſed cor amantis oſtendunt, & gelidum cor feriunt, quod amore Chriſti non igneſcit. Vox enim tua dulcis, vox turturis, non clamor murmuris. Ideo confido, quòd inuenies eum, quem doles amiſſum.

Ioan. 14.

2. Interrogo tamen te; Quid dicis de eo, quem ſic abſentem ploras? Bonus eſt, an aliud ſuſpicaris? Et quidem bonus eſt, & bonus valde; iuſtus & fidelis, in quo non eſt iniquitas, ſed nec eſſe poteſt. Cur igitur doles de bono, in quo non eſt dolus? Non de bono doleo, quia bonus eſt: ſed me miſeram lugeo, quoniam bonum & fidelem amicum amiſi. Ego ego ſum, quæ merui: ſed væ væ, quia ſolicitè gratiam eius non cuſtodiui. Perdendo didici, quid habendo poſſedi. indicat dilecti abſentia, quid contulit eius præſentia. Lætabar cum eo & iucundabar, ſed minùs cauta fui de receſſu celeri. venit ſaliens in montibus, hilaris & iucundus in oſtijs domus meæ. Et ſtatim clauſi fores carnis, & introduxi ad me dilectum, ſedique cum eo, & requieui ſub eius vmbraculo, à turbine & à pluuia. Et gauiſa ſum, viſo dilecto. Quidni gauderem? Ipſe gaudium meum, & exultatio cordis mei. Eia quid habui, & quid in illa hora poſſedi? Non poſſum indicare tibi, quàm bene mihi ceſsit: nec nunc quidem dicere expedit. Plus deſiderare non potui præſente illo quem ſolum dilexi.

Quàm bene ſit animæ præſẽte gratia.

3. O quantum dilexi, quando me & omnia neglexi! De omni re, quæ me delectare potuiſſet, parum vel nihil curaui, quia eius amor me totam rapuit; & quicquid ipſe non erat, incongruum videbatur & inſipidum. Quo ablato, proiectum eſt cor meum penè extrà me. Dependebat enim anima mea ex gratia eius; quia aliud non habui ſolatium, niſi hunc quem plango ſubtra-

subtractum. Sufficiebat mihi, & satis erat ad omnem lætitiæ varietatem. Sicut volebam, sic ille erat; & quicquid mihi præcipiebat, libenter acceptabam, meque illi totaliter & promptè donabam. Et concors animus & tranquillitas magna nobiscum. Nec fuit ausus quisquam nostrum irrumpere silentium, illo nimirum sic iubente per os suum: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, per eas preas hinnulosq; camporum; vt non suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cant. 2. Iam nunc perpende, si vales verba mea sentire; quantum mihi de absentia dilecti necesse sit dolere, cuius ex præsentia omnibus bonis cœpi abundare. Ad hæc respondi: Scio, quid loqueris; experimento sæpius probaui, quod dicis. Sed in hoc consolemur; quia eius dispensatio voluntatis, nostræ deuotionis est profectus. Et nunc quæ dixisti, gratanter suscepi: sed adhuc perfectius ea vellem audire. Tardioribus enim sensu, opus est morosior declaratio.

CAPVT XV.

De scrutinio super dilecto, & donis gratiæ eius.

1. *Benedictus Deus, qui non amouit misericordiam suam à me.* Assum igitur, pio rursus scrutinio quærens; si quando te sine interna consolatione reliquerit dilectus, quid interim agis? quid etiam super hoc consulis? quali quoque arte possit reconciliari vel reuocari? Rogo te charissima & deuota Christi amica, nihil horum sileas à me, quæ venerim interrogare. Potes prodesse hac vice, pandendo mihi quod piè sentis. Ex tuis sermonibus potero mensurare pondus mei doloris? an iustè sit vel iniustè quòd dolui. Vidi enim te quandoque hilarem, quandoque verò tristem; rursusque conspexi gaudentem, & ex te perpendi aliquantulum me. Sed causam huius mutationis hanc reor esse potissimam, de transitu & reditu vnici dilecti tui. In quo casu plura te percurrisse intelligens, informandus accessi. Psal. 65.

2. At illa: Desiderijs tuis annuens, conabor saltem modicè propalare, quæ intra me aguntur; siue cùm fuero cum dilecto, siue cùm ablactata remansero sola, expectando eum quem diligit anima mea. Sanè hoc primùm noueris: quantum mihi gaudij & dulcedinis eius confert gratia, tantum doloris & amaritudinis ministrat illius absentia. Sed cur sic dispensat vices suas, deceret eum potiùs dicere quàm me. Audies autem cùm compleuero verba carminis mei; quia postremò introducemus eum ad nos, sedensque in medio nostri, docebit nos ordinationem suam, quam solitus est exhibere amantibus. Sed iam audi patienter me, & imperfectum eloquium meum non sit tibi graue. Ad excitandum namque corda nostra inuicem conuenimus, vt vel pariter lugeamus, vel ex amore insimul gaudeamus. Væ enim soli; Eccli. 4.

quia

quia cùm ceciderit in aliquam tristitiam vel tentationem, non habet subleuantem. Et si fuerint duo pariter, confouebuntur mutuò; dum vno tristante alter consolationem ingerit; aut si consolari respuit, compassionem mox præbet, & super amico contristari vehementer incipit; sicque fit, vt aut pariter gaudeant; aut de ablato gaudio, lachrymis se mutuis consolentur. Et quamuis adhuc dolor de aduersa causa vel de re flebili insit, animæ quiores tamen fiunt; quia tam vnicordes se inueniunt, vt rebus mutatis, corda minimè mutari seu corrumpi potuerint. Quis non diceret, considerata hac animorum tam fida concordia;

Psal. 117. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum?*

Dona gratię Dei erga animam.

3. Possum igitur liberiùs tibi dicere, quod sentio; quia nil doli vel captionis in te formido. Ecce iste dulcissimus Sponsus, & dilectissimus amicus meus, Dominus meus Iesus-Christus, amator animarum sanctarum, ex amore cessare non valens, attraxit me miseram ad se; & cùm non essem, dedit mihi esse, viuere, sapere, & communi hac frui luce. Contulit & renasci per gratiam baptismi, & suorum me vestiuit gloria meritorum. Dehinc, cùm multis peccatis me deformassem, & inepta ad redamandũ essem, non aspexit ad meam fœditatem, sed ad sinum miserationum suarum. Etenim adhuc longiùs me vagantem vocauit per gratiam suam, non sinens me perire in hoc seculo. Prouidit deinde locum mihi ad pausandum modicum, quamdiu in hoc fragili corpore dego. Non est tamen vera pausatio, neque diuturna ista qualiscunque habitatio sub vmbra dilecti. Illa est vera pausatio, quæ post præsentis vitæ labores percipitur in patria. Est tamen suo modo suauis quædam animę reuelatio ad Deum suspirantis, exutam se videre à grauibus sæculi nexibus; & illic iam esse, quo possit dilecto plenius seruire, atque in secreto silentio sibi & illi vacare.

4. Non defuit etiam diuersis necessitatibus meis, iuuans & in tentationibus primitiuis. Frequenter quoque me sermonibus vtilibus instruxit, confirmans me in verbis suis. Et sicut nouellæ plantationes rigari solent imbribus, sic internis me riganit consolationibus: ne tanquam testa, virtus in me inchoata aresceret. Et dixit mihi: Si volueris & audieris me, videbis omne bonum. Si feceris, quę dico, eris amica mea. Si me elegeris & super omnia amaueris, fiet tibi à Patre meo quodcunque petieris. Si autem me dimiseris, erit tibi hoc in offendiculum, & ponam zelum meum contra te. Et cùm quæsieris alterum, non tibi diu placebit: sed in tædium & amaritudinem conuertetur, quia ego salus & vita sum animæ. Et conuerti me ad eum, qui benefecit mihi; & excutiens me de puluere terrenæ affectionis, statui in corde meo,

meo, de reliquo viuere illi soli: quoniam nihil melius eo, nec vllum salubrius hoc pacto.

5. Eant & requirant, quicunque volunt, quem ament, & cui seruiant; mihi compertum est, hunc verum esse animæ virum; pro quo nec mori erit difficile, vt eius semper inhæream amori. Adhæsi ergo illi, placuit enim mihi; nec meliorem inuenire potui. Talem enim vehementissimè desiderauit anima mea, quo nemo maior, nec melior, nec dignior esset, & qui omnibus bonis affluueret. Et quia multum benignus erat, consolatoria adhuc verba dabat; præuidens solicitè, ne quidam asperitate & duritia nimia me terrerent & frangerét; sed quod leue ac suaue esset ad portandum, magis imponerent & docerent; vt sic affectus initiatus meliùs traheretur, ac fortiùs in amatum tenderet, nec resiliret. Meliùs (inquit) docebitur & proficiet, si non coactè sed sponte prouocetur. Faciliùs suscipiet iugũ meum, si amor magis per præmia inuitauerit, quàm timor per supplicia terruerit. Quòd si impulsu indiget, solerti moderamine tamen fiat, ne violentia subruatur. Ipse enim sciebat, quid nouellæ plantationi expediret; & quid mihi postmodum vtilitatis hæc ipsa pietas conferret, maximè instante probationis tempore; cùm possem faciliter recogitare, quanta in initio feciſſet animæ meæ, & ideo non deficerem in aliquo certamine. Nec mox mihi indicare voluit, quæ & quanta in eius seruitio passura essem: sed lætis quandoque permiscuit tristia, considerans imbecillitatem & incapacitatem primò nascentis fruticis, donec ad ardua conualescerem.

6. Post hæc circumduxit me, & docuit, atque portauit in humeris suis. Circumduxit per paginas sacras, & sancto flamine me armauit cõtra diaboli nequitias. Proposuit mihi omnium virtutũ specularia, sanctos videlicet patriarchas & prophetas, ac noui testamenti glorioſa luminaria. Circũduxit me etiã per loca eremi & tabernacula Ægypti; vbi vigere inceperat & crescere monachorũ ac cœnobitarum nomen magnificum, qui suis exemplis imitabile & credibile fecerant suaue esse iugum Domini, & amarã atque fallacem latam viam sæculi. Domit me sicut mater paruulum, frangens mihi nuces spiritales, & inserens faucibus meis nucleos, quia dulces erant ad vescendum. Inuestiga, si potes, quid significent, & vbinam tales inueniantur. Aperi codicem Apostolicum, & coniectis oculis lege, si potes tanta capere mysteria. Reuolue Esaiam, inspice Euangelium, lumen omnium luminarium; & vide, si non producant ex se dulcissimos nucleos. Quicquid ex his inueneris obscurum & intellectu difficile, nucleus in testa est. Sed si audieris exponi, & intellexeris quod

Obscuritas in sacris literis nucleus est in testa.

quod ante non potuisti, testa nucis frangitur, & dulcedo nucleo saporescit in corde. Sic & in alijs sententijs subtilioribus æstimandum est. Vnde & tot potes intueri nuces, quot sensus latentes.

7. Et quomodo putas, portauit me in humeris? Fecit hoc quotiescunque infirmitatem meam aspexit: nec tamen abiecit, neque despexit, sed patienter & longanimiter me sustinuit. Portauit etiam me in humeris suis, quando alijs inspirauit, & virtutem dedit patiendi infirmitates meas, & quicquid in me reprehensibile erat. Portauit adhuc multo chariùs me in humeris suis, quando baiulans sibi crucem exiuit in eum (qui dicitur, calvariæ) locum, vbi & crucifixus est. Ego enim ibi portabar ab ipso magis, quàm crux ipsa. Et erant onera grauiora humeris eius peccata mea, quàm hoc lignum crucis. Nam propter me portata est crux illa, non propter ipsum. Meruit tamen dedicari & honorari propter eum, qui baiulauit eam, & mortuus est in ea.

Ioan. 19.

8. O quantum mihi super omnia amandus est & venerandus, cuius merito & gratia sic quæsita sum & redempta? Erit igitur mihi dilectus iste sicut vnicus matri suæ. Et ego veraciter noui, quia nequaquam eius conuenio dilectioni. Tamen quicquid præsumpsi, de illius processit dignatione. Et consequens non fuit, vt illo tam benignè se gerente ad me, non occurrerem ad vicarios amplexus. Memoriter teneo, quid dixerit Dauid: *Quis sum ego, vt fiam gener regis?* Sed est longè maior ista, quàm illa affinitas: quia hæc est cælebs & sincera cognatio, vbi caro & sanguis locum non habent, sed fides inuiolata, & bonę conscientię ad Deum interrogatio. De qua & ille discipulus, quem amabat plurimùm Iesus, dicit: Quia maior est, qui in nobis est, quàm qui in mundo. Deus enim charitas est, & ipsa hanc cognationem parturit. Cùm ergo Dauid tantùm se humiliat, vt gener terreni regis fieret; quàm humiliter me oportet sentire, quòd Rex Regum Dominus, me pauperculam dignatur agnoscere, & ad sui amorem trahere?

1. Reg. 18. Cognatio syncera quę.

1. Ioan. 3.

9. Fecit itaque mecum non sicut merui; sed quemadmodum beneuolentissima virtus eius dignabatur, sicut per omnia charitati & infinitæ bonitati eius placere videbatur. Felix & benedicta anima, diuini amoris vinculo colligata. Quàm nobilis & ingenua; quæ tam sanctę copulæ non ignorat vota? Et quia iam prolixior sermo de dilecto processit, nec tamen quod quærebas, narratum est, ex ordine alius succedat, quem ipse nobis dulcem ac fructuosum facere dignetur.

CA-

CAPVT XVI.

De benigna protectione dilecti, & sufferentia animæ.

1. ECce, *sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi mei semper ad dilectum meum*. Ex eo tempore, quo amare eum cœpi, etiam perseuerare cum ipso volui. Quod cùm instituissem, placuit ei hoc ipsum, & confirmauit dicens: *Qui manserit in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Sed vt probaretur virtus dilectionis, quàm vera, quam fortis, & quã casta esset, necesse fuit vt tentatio illud aperiret. Tentari autẽ non possem, nisi ipso permittente, & paululum se abscondente. Et quia ad purgationem interioris hominis, nec non ad fœcundiorem fructificationem virtutum, atque clariorem spiritualium donorum perceptionem tentatio proficere solet, ipsa me apprehendit & exercere cœpit. Quàm fortiter & quàm frequenter huc illuc me iecit, quem nullum latet secretum Deus & Dominus meus clarissimè nouit; qui testis est omnium, quæ in corde meo gerebantur. Et vsque nunc me conspicit, nec aliud quàm fragile figmentum esse cognoscit. *Psal.* 112. *Ioan.* 15.

2. Nisi ergo adiuuisset me, quando grauabar tam anxiè, ita vt viuere vix me crederem, paulominus habitasset in inferno anima mea, tanquam prolapsa in desperationis foueam. Sed ipse misertus est mei, qui tribulatis corde consueuit adesse. Quis enim ad tolerandas prævaleret tam multas tentationes, nisi Deo se protegente & adiuuante? Quòd igitur stare potui ante faciem venti, eius fuit misericordiæ. Et quòd adhuc stare me cognosco, ex eiusdem pietatis munere venit. Vnde mihi nequaquam confidere debeo, donec in carne viuo. Etiam si cælum serenum sit, non puto quòd securitas amodo erit. Subitò enim aër concitabitur, & fortassis quando minimè æstimatur. Tanto igitur magis mihi necessaria est dilecti mei gratia & protectio, quanto veriùs experior penè omnia patêre periculis. Nusquam locus tutus est, nisi in cælo, vbi dilectus meus pascit electos suos in lætitia & exultatione. *Psal.* 93

Nusquam alibi locus tutus, quã in cælo.

3. Sed quando ibi? Dicere inde quid possum? Cogitare vix modicum inde licet, nec tamen clarè: sed introire minimè licet. Vtinam veniat ipse, & collocet me in loco pascuæ sanctorum lucidissimo, tutissimo, & amœnissimo; vbi non est Satan, neque occursus malus! Adhuc in mari laboro, & an portum attingam salutis, propter tentationes ex diuerso afflatu tumescentes ignoro. Nihil ergo in tuto mecum agitur; sed hoc mihi pro scuto & tegumento manet, quòd fidei lumen semper aspiciam, quòd dilecti

dilecti mei gratiam humiliter requiram : quòd bonam spem ac eum indefessè geram, quòd ab eius charitate separari nullatenus consentiam, quòd denique eius prouidentiæ & abyssali misericordiæ, plusquam propriæ industriæ me relinquam. Quapropter, licèt etiam frequentissimè titubem, ac nonnunquam in vitia cadam, nequaquam tamen desperare debeo, sed ad ipsum instanter clamabo & eiulabo : Domine Deus meus, miserere animæ meæ ; & ne sinas me periclitari in tentationibus meis ; sed adiua me fideliter, vt fortiter resistam & vincam. Operi manuum tuarum porrige dexteram, qui me probas per Satanam, & sæpe ponis ad partem sinistram. Quòd si tam grauis tentatio aduenerit, quæ me ad Dominum clamare prohibuerit, mox ex intimo corde suspirabo. Ipse enim nouit abscondita cordis ; & scit, quid desiderat spiritus. Non enim est voluntas eius, vt pereat vnus ex his pusillis, qui credunt in eum.

Iob 14.

Psal. 43.

Rom. 8.

4. O quam magna misericordia eius super me, etiam ignorante me, vel non aduertente, quòd mecum fuerit in tribulatione ? Nam multoties seruauit me, vt non traderer passionibus. Quandoque verò ex occulto eius indicio factum est, vt caderem, & vincerer etiam in paruis, ne fortè superbirem & præsumerem in magnis ; sed humiliata & confusa discerem, quia nihil etiam eram, cùm bene stare videbar & florerem. Suadeo ergo, ne temere aut citò me laudes, licèt prosperè procedam ; sed fini sancto reserua potiùs laudem : immò non me, sed Dominum lauda. Laudetur solus gloriosus Deus, qui astitit mihi frequenter in tentationibus meis.

5. Sæpe namque cùm capta essem ab eis, piè liberauit me. Interdum autem in venientes vt turbo ad dispergendum me, emisit sagittas suas & dissipauit eas ; fulgura multiplicauit, & conturbauit eas. Et recesserunt à me, vsque ad tempus. Nam omnino carere eis me noluit, quod rarò alicui sanctorum in hac vita donauit. Habui ergo post hæc modicam requiem, pacem largiente dilecto meo. Qua tamen adepta, non ad corporale neque ad sæculare otium me contuli : sed ad mentale ocium verti me, vt terram de longè cernerem, & cæli iam secreta parumper inspicerem. Intendi itaque mihi, vt viderem qualis essem, & quibus modis illi melius placere possem ; qui tanta mihi dilectionis ostendit signa, merita mea valdè excedentia. Non enim poteram in turbine tentationis videre, quàm suauis esset dilectus meus, sed in sereno mentis & quiete solitudinis. Et quantum in me erat, hanc pacis serenitatem sine intermissione optabam ; vt illi perfectiùs adhærerem, & sine aliqua abstractione & molestia vacarem.

6. Sed

6. Sed non secundùm desiderium animæ, effectus semper comitatur gratiæ. Datur tamen nonnunquam desiderata dulcedo, nõnunquam verò differtur ex iusto. Cui etenim non optabilius foret sub vmbra pausare dilecti; dummodo liceret, dummodo tempus & locus admitteret? Nunc autem vicissim operatur mecum dilectus meus. Nec semper sentio, quod turbat; nec indesinenter fruor, quod delectat; sed fit vespere & manè dies vnus; quia eundo & redeundo per læta & tristia, agitur tota hæc mortalis vita. Senserat nimirum hoc idem sanctus, qui dicebat: *Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.* Videtur tamen aliqualis requies, si non nimis continua sit aut importuna tentatio. Cùm ergo donatum mihi fuerit, vel parum in dilecto meo suauiter requiescere, gratum omnino habeo & optabile. Gaudeo in hoc & semper gaudebo pro tam deifico munere. Gen. 1. Iob 7.

7. Præstat insuper fiduciam affandi eum, quacumque de causa fuerit, quòd toties benigna visitatione sua me gratis præuenerit. Siquidem ipso appropinquante, & diem festum mecum agere volente, subitò lux cordi meo infulget; ante cuius conspectum, omnium inanium cogitationum caligo pellitur, & diu optata serenitas posidetur. Ad ingressum namque eius, stare non potest aliquid turpe aut indecens, quia munditię amator est & insertor: sed necesse est, vt abscedat omnis illusio diaboli, cum omnibus pompis mundi. Suppressis ergo passionibus & tentationibus meis, quas pertuli, clariùs eum cœpi agnoscere atque feruentiùs diligere. Studui quoque gratias eidem agere, quòd iam serò dignatus sit vitiorum à me tumultus prohibere. Etenim ipsa solent inquietare pacem meam, & obstruere moliuntur os meum, ne loquar ad dilectum meum. Sed frustra est eorum conatus aduersus potentiam & sapientiam eius, qui in quolibet tumultu potest illabi cordi meo, & secreta sua mihi silenter infundere; ita vt cunctas eorum mussitationes pro nihilo ducam, penitusque non aduertam.

8. O mi cordialissime & pulcherrime dilecte, sic quæso assume me ad te, quotiescumque videris affectus meos premi aliqua vitiorum mole, aut teneri inutili occapatione; ne longiùs à te post greges malarum cogitationum vagari incipiam, ac cõcitò priuari gratia tua, sine qua nõ potero durare in tua exquisita amicitia. Tu es enim Dominus meus & Deus meus, qui verbo tuo omnia sanas & sanctificas; qui posuisti animam meam ad vitam, & non dedisti commoueri pedes meos; sed de tempore iniquo & de laqueis mortis extraxisti me. O quanti derelicti sunt & perierunt, qui innocentiores me fuerunt? Benedic igitur anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic ani- Psal. 65. Psal. 102.

ma mea Domino,& noli obliuiſci omnes retributiones eius. Parum eſt vtique & modicum nimis, quicquid dixeris aut cogitaueris vel promiſeris in laude eius. Maior eſt enim omni laude & ſuauior omni melodia. Propterea adhæret tibi anima mea, & ſuper omnia data te diligit; quamuis pulchrum ſit & dulce, quod mihi ex charitate miſeris. Tu namque ſolus Sponſus es, cætera donaria ſunt,& amoris indicia. Non diligam ea pro te; nec credam ſine te omnia mihi poſſe ſufficere, ne fortè cum illis amittã & te. Vti propter te multis finis, ſed pro te frui nec aliquibus rebus vis. Ideo dilecte mi Sponſe Ieſu Chriſte,omnibus te præpoſui,& præ omnibus amare curaui. Da ergo feliciter te frui, & in fruibili vnione vnà tecum perpetuò beatificari.

Vtimur rebus, fruimur Deo.

9. Sed quò perueni? Longiùs forſitan te protraxi,quàm volebas.Sed indulge amice. Suſtulit enim me paululum amor ſummi ac vnici amici; & vtinam de cętero magis ſuſtollat, ac te pariter leuet in altum. Prouideat nobis ipſe cæleſtem aſcenſum,nos autem teneamus humilem deſcenſum. Si relinquar interdum à dilecto,quæris? Dico, etiam. Quid facis inter hęc? Suſtineo me, quanto æquanimiùs poſſum, & expecto donec veniat. Naturæ grauor,ſed ſpiritu me interiùs ſuſtento, ne ſit inconſonabilis dolor. Memor ſum, quia ſine dolore non viuitur in amore. Ex fide viuo,ſcripturis ſanctis credo,verbis conſolatorijs aſſentio. Etſi cèt adhuc malè habeam, melius tamen poſſe fieri non diffido,nec diffidere debeo. Vera ſunt enim & firma, quæ narrantur perſanctorum eloquia. Ipſi namque in multis exercitati ſunt,& probati in ſimilibus. Natura alleuiari ſemper optat,& in aliquo conſolari quærit: ſed ſpiritus tamen promptus eſt ad perferendum omnia, quæcunque Deus pati me voluerit. Si itaque indeuotior & pigrior ad bona facienda fuero, propterea non erit ſine remedio plaga mea. *Etiamſi occiderit me*, ait iuſtus, *in ipſo ſperabo*. Si virtutes diligo, patientia magna virtus eſt, ſeruetur ergo & modò. Difficultas namque operis ſępe auget claritatem virtutis. Vt autem probetur virtus, magiſque clarificetur, per contrarios ſolet experiri ſucceſſus. Cùm igitur tale tibi probamentum aduenerit,ne diffidas nec concidas;ſed conſerua patientiam,& Dei commenda iuſtitiam.

Sublatâ viſitatione Sponſi, quid agat anima.

Iob 13.

10. Non eſt Deus tam ſeuerus & immiſericors, vt diu inconſolatũ te patiatur manere. Tantùm caueas, ne immoderatè doleas, & velis aduerſus iuſtum & ſanctum remurmurare, quia relinqueris; ne & malignus ſpiritus acerbiores tibi tentationes,de fide & blaſphemia immittat; & ex his nimium pauidus plus crucieris, quàm oporteat. Idcirco ſuſtine te modicum, & comprime dolorem, etiam quantalibet tibi grauedo cordis aut corporis ingeratur,

tur. Permane firmus in bono proposito, quod instituisti seruare ab initio. Iuuat enim in tali maximè articulo omnem spem proijcere in dilectum. Expecta patienter consolationē cælestem, senties citò vberem gratiam, & Dei respectum. Ecce habes fidelem testem dicentem: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Psal. 39.

11. Vt autem in proximo illam merearis consequi, interim fæpius ora, & pro te orari supplica; sicque te totaliter eius committe voluntati & ordinationi, vt faciat tecum sicut sibi placitum magis fuerit. Dicasque illi cum bona confidentia: In manibus tuis tempora mea: Tu scis, qualiter mecum sit, tu cognoscis, quid patior; & nunc si vis, citiùs consolabor. Fiat tamen semper, quod tibi rectum & bonum videtur in oculis tuis, & miserere mei pauperis & desolati mendici, ad te humiliter gementis. Si igitur in patientia & longanimitate perseueraueris, nec propter modicam tribulationem à fide & castitate, quæ est in Christo Iesu, declinaueris; profectò reuertetur ad te splendor gratiæ eius, & illuminabit te copiosiùs Eritque multo charior dilectus reuertens, quàm si nunquam absens fuisset. Non enim est irreuocabile verbum: nec sic offensus est, vt iam vltra nequeat reconciliari. Placabitur citiùs & facillimè, dummodo tu operam dederis, & cauere meliùs, & satisfacere maturiùs spoponderis. Si his salutaribus monitis acquieſcis, erit tecum dilectus sicuti priùs, & ex illius præsentia iucundaberis, & dices: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis, qui sperant in te, sub vmbra alarum tuarum proteges eos.* O Sion renouaberis, & videbis inclytum tuum, qui regnaturus est in te. Ipse est Rex virtutum, & dilectus tuus; cuius posteriora in pallore auri; sed caput eius, aurum optimum. Hęc pro tua consolatione perpaucis sint dicta. Reliqua verò de dilecti mutatione promissa, qualiter nunc videlicet apparet, nunc que discurrit, sequenti narratione ab ore eius suscipies & audies. Psal. 30. Isaiæ 62. Psal. 67. Dan. 2.

CAPVT XVII.

De responsione dilecti, quæ sit ratio recessus sui.

1. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Quid est dilecte mi, quia sic feciſti mihi? Vt quid me derelequisti? responde mihi. Reliquisti me, & abijsti. Sed & denuo repedasti. Et in hoc bene feciſti. Si non citò veniſſes, penè defeciſſem. Sed misertus es mei conscius secretorum meorū. Etenim tristis eram ex recessu tuo, & nunc pro tua reuersione consolata sum. Dic tamen aliquid ad doctrinam meam, quid boni in hoc prætendisti? Quid te iuuat sic discurrere, & me affligere? An te audire delectat, *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit?* Veni, & sede in medio Psal. 138. Luca 24.

nostrum ; quia ecce ego & alius quidam discipulus, te audire cupimus, & obsecramus, vt doceas nos. Dic fidenter, quod placuerit; & ad me, si vis, verba tua conuerte. Nullum libentiùs quàm te audio loquentem. Et si quis alius loquitur, propter te qui in co
Cant. 2. loqueris, sermo eius mihi gratus & audibilis efficitur. Erunt igitur eloquia tua dulciora mihi super mel & fauum, vincunt enim omnem suauitatem verborum. Sonet iam vox tua in auribus meis.

Isaiæ 63. 2. Intonuit ergo vox dilecti mei, & dixi; Ego, qui loquor iusti-
Isaiæ 45. tiam. Quis similis mei in consilio & prudentia? Quis fecit mare & aridam? Ego Dominus, formans lucem, & creans tenebras. Quis
Psal. 7. intrauit abyssum, & de profundo eduxit aquas? Ego Dominus, scrutans corda & renes. Quis cognouit omnia nouissima & anti-
Sap. 11. qua? Ego Dominus, qui feci omnia in numero, & pondere, & mensura. Ego creator cæli & terræ, rector omnium sæculorum. Ego cognitor secretorum, & occultorum reuelator. Ego vniuersa complector, & singulorum causas intueor. Ego Deus & non mutor; apud quem omnium mutabilium stant immutabiliter rationes. Ego Deus omnipotens; cuius potestas insuperabilis. Ego altissimus, cuius altitudo inattingibilis. Ego bonitas, cuius entitas incapabilis. Ego præsentissimus & secretissimus. Ego intimus, & à sensibus remotissimus. Ego omnia sine onere porto, cuncta sine dissensione rego. Ego præterita simul & futura, æquè intueor vt præsentia. Ego omnem corporalem pariter & spiritualem excedo creaturam. Ego varijs modis nominabilis, nulla tamen cogitatione verè conformabilis. Ego subitò compareo, & mox dum
Psal. 48. nescitur lateo. Verè ego Deus absconditus, qui mille modis dispenso vices meas cum amantibus.

3. Et dixi etiam hæc ad amantem animam: Abscondam faciem meam ab ea modicum, ad momentum eam relinquam, videam si castè diligat. Multum est castè diligere, quia hoc est, non propter seipsam me diligere; non propter aliquod tẽporale commodum, vel spirituale solatium: sed me solummodo propter me, & sese finaliter propter me, & ob aliud nihil sperandum à me. Non est omnium sic me amare: sed est solius perfectissimę animæ, hæc prę-rogatiua casti amoris. Quæ autem adhuc imperfecta est, necesse habet frequenter probari & excitari; vt sciat quantum diligat, & si vsque ad contemptum sui. Dixisti enim in corde tuo: Profectò diligo; & idipsum frequenter repetis, quia diligo. Sed non tantùm verbis vel cogitationibus credo: etenim te in veritate probabo.

4. Cùm præsens sum & blandior; cùm deuotionem tribuo, aut datam augeo, cùm tantùm prospera, aut pro maiore parte iucun-

da

da præfero, tunc deuotè dicis: dilecte mi, diligo te. Et bene dicis. Sum enim amabilis valde; & omnia, quæ de me dici aut cogitari possunt, amabilia sunt, & dulcia, atque laudabilia in secula. Sed & in benefactis solùm me amare & laudare, quid grande est? Nam & peccatores hoc faciunt. Equidem me sæpe benedicunt, cùm acceperint, quod malè cupiunt. Sed non est speciosa laus in ore peccatoris. Qui ergo propter beneficium aut consolationem me diligit, quid amplius auaro facit! Proficias, proficias, & ad perfectiora ascende. Pigeat semper debilem & mollem esse; disce solidum edere cibum, non lacte paruulorum diutius vesci. Transi ad numerum fortium Dauid, tenentium hastam, & gladium, & clypeum. Tolle crucem, & sequere me. Festina inter illos computari, qui diuersa grauamina, & multa exilij genera, pro me sciunt portare. Nimis inclinaris ad consolationem. Probare ergo te volo, & inclinare ad latus aliud; vt experiaris, quid pati possis, ne tibi innocens & sancta videaris. Mittam super te tribulationem, & iram, & indignationem immissionemque per angelos malos. Alij, quæ tua sunt, tollent; alij, quibus indiges; negabunt. Alij tibi detrahẽt; alij in facie resistent. Alij graue iugum imponent: alij ducent, quò tu non vis. Alij exteriùs & alij interiùs te affligent. Alij assumentur ad statum & honores, tu relinqueris ad contumelias & labores. In omnibus his & maioribus probaberis; vt athleta fortis. Recedam nec dimittam, quin diligenter te examinem, si in facie mihi benedixeris. Quòd si in toto corde me dilexeris, & in omni tempore nomen meum benedixeris; dignum est vt amodo sponsa voceris, & secretum apud me cubiculum obtineas. Quòd si necdum virgam meam portare sufficis, sed hanc disciplinam minùs amabilem censueris, lugens multis diebus absentiam meam, quam affectanter & sedulò petis, mittam tibi baculum meum, vt surgas: & post hæc veniam, & suscitaberis ad pristinam gratiam. Nolo enim, vt omnino deficias, quia ego amantem me diligo. Et si nondum perfectè diligis, non tamen paruulam contemno: sed curabo, vt crescas. Cura est mihi de te, vt bene habeas; nolo ergo, vt de me hæreas.

Eccl. 15.

Psal. 77.

5. Scio quidem, quantum pati valeas, & ideo tempero vices meas; ne supra id, quàm possis sustinere, tenteris & deficias. Quòd si moram fecero, expecta me vsque in diem visitationis. Veniens veniam, & promissioni meæ satisfaciam. Tu autem orationi incumbe, sacræ lectioni intende, & in omnibus patientiam & longanimitatem tene. Nec enim ignoro, quia interim in mœrore existis: sed tam subitò infirmari, & ab omni spe deficere, quasi nõ essem rediturus, non placet vtique mihi. Vbi est fides tua? Magna fide opus est tibi in hac parte maximè; quia & si me nõ vides, vi-

deris tamen à me, cui te & omnia tua credere deberes. Licèt namque iudicia mea ignores, dicit tamen firma fides: Bonum est, quicquid disponit & operatur Deus. Consolor igitur te, quia infirmitas hæc non erit ad mortem, sed pro gloria Dei. Abstuli à te desiderium tuum, & volui tentare fidem & dilectionem tuam. Feci enim hæc omnia, vt tuam infirmitatem apertiùs scires, & meam bonitatem magis intelligeres. Non te bene nosti, sicut & ego noui. Ego te & omnia tua noui, non modò ex tempore, sed ab æterno. Agnosce ergo quid ex me tibi veniat; vide quam pauper ex tuo sis, si quando à me relinqueris. Nõdum in vera tui cognitione plenè profecisti. Et quia expedit plurimum hoc te scire, volui vt experimento disceres. Bonum est tibi, quòd aliquando desolaris, quòd tribularis, quòd humiliaris; vt sic propriam manifestiùs palpes infirmitatem. Ego noui hanc magis venire ad profectum tuum. Si ex hac prudentior & solicitior fueris ad singula, quid perdidisti? Arrogans es plerumque, & insciа tui, putans te habere bonum, quod non habes.

6. Deciperis amore proprio; & dum non cogitas datorem, abuteris dato. Ego inebriaui te, sed oblita es, quia de vite mea botrus erat. Experire modò teipsam, agnosce quid virium habeas. Si ex te est, quod habuisti, cur non tenuisti? Si nec illud tenere potuisti, cognosce, quia desuper accepisti. Da ergo honorem gratiæ, & conficere, quia sine me nihil potes facere. Considera, quam necessarius sum tibi, quàm sufficiens & solus potens, in omni bono te confirmare. Vbi eras, priusquam te vocarem, nisi in peccatis tuis? Et nunc vbi es, nisi quò perduxi te? Sed & quando tibi bene erat sine me?

7. Et dixi: Nunquam dulcissime Domine. Tu solus vnicus & singularis dilectus meus, in omnibus & prę omni fidelissimus. Quare igitur cogitasti apud te nõ rectè, vt ires post amatores alienos? Quid tibi displicuit in me? Nũquid gloria mea, aut pulchritudo mea? Verè Domine, non est similis tibi in pulchritudine & in gloria, in diuitijs & potentia, neque talis in cælo neque in terra. Tu es enim solus altissimus super omnem creaturam. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti. Multum est, quod creaturis donasti. Ex quibus magna pulchritudo, sapientia, & bonitas tua relucet; sed nihil in comparatione beatæ & glorioſæ præsentiæ tuæ. Experientia nunc didici, quia amarum mihi est, vel ad horam te reliquisse. *Hier. 2.*

8. Ad me ergo reuertere, dicit dilectus tuus. Satis est, quòd hucusque circũcursitasti. Disce stabilis esse & mitis, sperans & fidens in me, non tantum in die visitationis, sed abundantiùs in nocte tentationis. Ego dimisi te, vt fatigata citiùs ad me redires: & frustrato

strato exteriori solatio demum intelligeres, quid tibi contulit dilectio mea, quæ toties inuitauit te. Aduerte itaque nunc, (quia ratione non caret) quòd nonnunquam relinqueris, quòd sine affectu manes, quòd tædio afficeris, quòd tentationibus fatigaris, quòd hinc & inde affligeris, quòd consilium non inuenis, nec auxilium sentis, sed angustiam vndique & egestatem pateris. Ideo relinquo te, vt cognoscas meam præsentiã tibi fore necessariam, non modò in vna re, aut in maxima tantùm causa; sed in omni profectò actione, in omni loco & tempore, tam manè quàm serò & vbicumque fueris, ieris, vel steteris. Sic quidem instrueris solicitè ambulare cum dilecto tuo, & à vanis abstinere, offensasque cauere.

9. Relinquo te, vt scias quantum diligas me; hoc est appareat tibi modus dilectionis tuę. Fortiorem te & beatiorem putabas, quàm eras; sed euidentiùs patuit, auxilio meo tibi paululum subtracto, quia egens fuisti & misera. Quomodo cognoscetur dilectio tua, nisi cùm mansuetè portaueris grauamina? Interdum te video tepescentem, sed vt susciteris ad feruorem & quærendi diligentiam, abscondo me ad horam, tanquam dilectus stans post parietem. Video, & scio omnia; sed exercitatio ad multa vtilis, maiorem dat sæpe intelligentiam. Etiam si me diligis, vtiq; quærere non tardabis. Si placeo, indagare curabis. An ignoras, quia laboriosè acquisitæ diuitiæ, tenentur magis studiosè? Cui æquè optata requies, sicut fatigato? Cui tam iucundus amor, nisi in quo præcessit amati dolor? Et reinuentus thesaurus, nónne bis charior est quàm priùs? Duplex gaudium & geminata redit lætitia, de intermissa dilecti præsentia. Vtiliter igitur me subtraho, quia non dedignando hoc ago, sed pia quadam dispensatione sic cum amantibus ludo. Sufficiat pro præsenti, quia tantillum audire meruisti. Do autem licentiam toties ad me reuertendi, quoties tibi senseris opus esse. Ego nunquam clausi viscera mea, humiliter & seriosè deprecanti.

Mich. 6.

Cant. 2. Isaiæ 2.

CAPVT XVIII.

De fiducia diuinæ miserationis.

1 DEus meus, misericordia mea, & ideo non sum confusus. Non videatur cuiquam absurdum, si cupiam cum Domino Deo meo frequenter celebrare colloquium; cuius benignitas me pigrũ sæpe trahit & accendit ad orandum & meditandum, ita vt eius non respondere vocibus, durum mihi sonet & ingratum. Sed dicit forsitan aliquis contra me: Ergo nec tu times Deum, cùm sis reuera peccator immundus, & vita ipsa indignus? Vnde tibi hæc præsumptio cordis? Et cum sis omniũ minimus & despectior vniuersis, quid adhuc te diuinis colloquijs ingeris? Quẽ teipsũ facis?

Psal. 58. Isaiæ 58.

Psal.108. 2. Dilecte mi, Domine, responde pro me, quia os peccatoris a-pertum est super me. Si me iustificare voluero, os meum condemnabit me. Et si mundus fuero, hoc ipsum ignorauit anima mea. *Iob 9.* Tu scis insipientiam meam, & confusionem meam. Tu loquere, ego libenter silebo. Et vox dilecti mei; Ne attendas ad verba exprobrantium tibi; sed ausculta potiùs quid dixi: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* *Marc. 2.* An non licet mihi facere, quod volo? Voluntati meæ quis resistet? Si tibi, quamuis nouissimo, benefacere voluero in modico, quis arguet me de peccato? Qui sine peccato est, primus in te lapidem mittat. Si autem & ipsi peccatores sunt, cur gratiæ detrahunt? Non tu me elegisti, sed misericordia mea præuenit te. An adhuc aliquis audet murmurare contra te, quia accessisti ad me? Certè non est murmur eius contra te, sed apertè contra me, quia peccatores recipio, & manduco cum illis. Et quare non vendicares tibi familiaritatem meam, quàm potiùs gaudeo exhibere quàm retrahere?

3. Cui ego: Dilecte Domine non eis imputetur, sed mihi & peccatis meis. Non nego, quicquid de me ægrè sentitur; fateor & hoc indubiè, quia multo plus est, quàm scitur. Dicit ille: Bonum tibi, quia humiliasti te; sic enim magis semper lucraris, & gratiam meam facilius impetrabis. Propterea tamen non es abijciendus, quia peccator es & defectuosus, quamquam temetipsum obid despicere meritò debeas; nec vnquam obliuisci, in quantis deliquisti. Sed ne anxiè intereas, pensa, quàm sæpe de peccatoribus facio iustos & amicos, humiles eligens, & de se præsumentes relinquens. Nõ opus habeo, vt dones mihi aliquid de tuo: sed tantùm hoc peto, dilige me corde puro, & sufficit. Cui rursus: Proh pudor mihi, quia non est quicquam in me, vnde possit amor tuus erga me incitari. Dicit iterum: Nihil horum attendo, quæ mundus ad placendum offert, nil talium requiro: amor per se satis est, tantùm ferueat, mecumque perseueret. Verumtamen cuius sunt, quæ hominem adornare possunt? Nónne mea sunt omnia, & quæ in corpore & quæ in anima fulgent? Quæ autẽ mundi sunt, & quæ corpus honestant, parum te implicare debent. Quæ verò ad decorem virtutis pertinent, tua interest, & curare oportet ista, vt placeas coram Deo in lumine viuentium. Iustè tamen te humiliasti, & accusasti tam foris quàm intus, coram vultu maiestatis meæ, confitendo veraciter infirma & dedecora tua, atque profundiùs ingemiscendo, quia nequaquam dignus es familiaritatis meæ vendicare gratiam vel ad horam, cùm sim speculum sine macula, & tu peccator & immundus ab infantia. Memor ergo esto fragilis conditionis tuæ, & generosæ celsitudinis meæ, sicq; cum humili reuerentia accede confidenter ad me. Ego enim sum

Adhortatio ad fiduciam habendam in Deo.

Sap. 5.

qui

qui deleo iniquitates & peccata, qui iustifico impium, dimittens ei omnia delicta propter nomen meum. *Isaiæ 43.*

4. Non solùm hæc confero, sed adhuc maiora misericordiæ dona præstare paratus sum. Nam & misereri potiùs eligo quàm irasci; parcere malens quàm punire. Sed hoc parum visum est mihi; neque sic contentus sum, vt post primam gratiam, non adijciam secundam vel tertiam; immo finẽ non impono miserationũ mearum, sed neq; gratiarum & beneficiorum meorũ dicibilis est numerus. Denique post peccatorum veniam, post pœnitentiam & satisfactionem completam, reddo plerumque salutaris vultus mei lætitiam, infundendo abundantiorem Spiritus sancti gratiam. Et licèt adhuc in carne peccator moretur, in meam tamen illum recipio familiaritatem; ita vt de perpetratis malis, nulla sit erubescenda iam confusio; sed magis gratiarum actio, & vox laudis; quia vetera transierunt, & noua facta sunt omnia. Tam pius & misericors sum, vt semper paratior sim ad indulgendum, quàm tu ad pœnitendum; promptior ad dandum, quam tu ad rogandum. Quid igitur times? quid trepidas ad sinum tantæ pietatis accedere? Et cur te alienares à gratia mea, tam sponte oblata? Etiam si scires, quòd negare proposuissem; non tamen desistere deberes à precando, neque confidentiam exauditionis amittere: sed insuper vehementius instare, donec acciperes. Infinitæ sunt enim miserationes meæ; & quod vno tempore negatur, alio tempore poterit piè concedi. *2. Cor. 5.*

5. Qui scis, si quando conuertam ad te faciem meam, & donem tibi desiderium cordis tui? Et quid dicit propheta de me? *Accedite*, inquit *ad enim, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Ego magis accuso raritatem accessus tui, quam frequentem accessum; & plus timidam verecundiam, quam promptam veniæ præsumptionem. De mea bonitate confidere, rectæ humilitatis & magnæ fidei est indicium. Hæc dico, vt non pecces. Quòd si peccaueris, non desperes, sed citò resurgas. Habes enim adhuc spem & aduocatum apud Patrem. An expectare vis, vt dignus fias, priusquam accedas? Et ex te quando hoc poteris? Si solùm boni & digni, magni & perfecti viri, mihi appropinquare debent, peccatores & publicani quem adibunt? Quid ergo Euangelium dicit? *Et erant*, inquit, *appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum.* Accedant igitur indigni, vt fiant digni. Accedant mali, & efficiantur boni. Accedant parui & imperfecti, vt fiant magni & perfecti. Accedant omnes, accedant singuli, vt accipiant de plenitudine fontis viui. Ego sum fons vitæ, qui non potest exhauriri. Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Et qui nihil habet, veniat vt gratis emat. Qui morbidus est, veniat *Psal. 33.* *1. Ioan. 2.* *Luca 15.* *Ioan. 7.*

vt

vt sanetur. Qui tepidus est, veniat vt accendatur. Qui timidus est, veniat vt confortetur. Qui tristis est, veniat vt consoletur. Qui aridus est, veniat vt adipe & pinguedine spiritus repleatur. Qui
Prou. 8. tædio afficitur, veniat vt gaudio recreetur. En deliciæ meæ, esse cum filijs hominum. Qui sapientiam concupiscit, veniat ad doctrinam meam. Qui diuitias quærit, veniat, vt accipiat æternas & incorruptibiles. Qui honores ambit, veniat, vt hæreditet nomen æternum in cælo. Qui felicitatem desiderat, veniat, vt eam sine timore & periculo possideat. Qui omnium bonorum abundantiam concupiscit, veniat ad me, vt summum, æternum, ac immensum bonum percipiat. Ego sum, qui omnia temporalia bona præsto; & super temporalia, æterna bona in cælestibus tribuo. Nec promissioni meæ deero, cùm adimpleta fuerit mandatorum meorum salutaris obseruantia. Coronabitur autem gloriosè in cælo, qui legitimè certauerit in hoc mundo.

CAPVT XIX.

De desiderio diuinæ fruitionis.

Psal. 23. 1. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Quid animæ fidelii suauius, quid iucundius esse potest, quàm deuotè de Domino Deo dilecto suo meditari; vt quem clara ac beatifica visione intueri necdum valet, saltem per studiosam recordationem, quasi præsentem sibi faciat? Contempletur igitur eum per speculum in ænigmate, quem facie ad faciem non potest videre. Scrutetur nihilominus per scripturas & figuras, quem in suo fulgore contemplari non sufficit. O si studium quærendi faciem Domini nunquam frigescat, sed de die in diē magis feruescat! Inest autem animæ Deum amanti incessabilis æstus, ad eius visionem perfruendam: quia visio Dei, beatitudo summa & felicitas perfecta est. Appetit ergo hanc beatitudinem, quatenus totus eius appetitus, suo coniunctus fini, satietur & quietetur; quoniam nullo præsenti bono, poterit vnquam contentari. Nam & crebra experientia didicit quòd quanto longiùs à cælesti beatitudine errauerit, tanto infelicior est & inquietior, cùm nihil in creaturis stabile appareat aut durabile, quo eius affectus possit mitigari.

2. Redeat ergo ad eum, à quo facta est; & ab illo requirat beati-
Psal. 102. tudinem, vnde sumpsit originem: Quoniam quidem, qui creauit animam, ipse est, qui satiat in bonis desiderium eius. Nam talem affectum ei indidit, vt eo dempto nullum sit bonum, quo contentetur; nullum gaudium, quo securè fruatur. Noli ergo hic stare anima mea, quia non est iste locus requietionis tuæ: sed perge sursum, ascende ad eum, qui te fecit. Iam enim & ille nuncios misit,

sit, & inuitat ad ascendendum. Quod desideria æternę vitæ inspirat, tot nuncios tibi transmittit: quibus susceptis, para te ad ambulandum. Ambulas, si eum videre desideras; si ei placere contendis; si inferioribus abrenuncias; si eius amore agis, quicquid agendum vel dimiteendum fuerit. Non enim tu eum prius quærere posses, nisi & ipse te prius quæsisset, & sancta in te desideria suscitasset. Siquidem languet illa anima, non amore sed tædio pernicioso, quæ æterni solis non fuerit irradiata calore. Sed si austro suauiter flante, à frigore fuerit resoluta & mœrore; tunc mox æstuare incipit præ desiderio inspirati luminis, ad incomprehensæ arcanum diuinitatis.

3. O veri solis ardor immensus, quot tunc in amante parturis æstus? Soluis tristitię tenebras, & laboriosas actiones in nihilum mutas. Longos annos diesque paupertatis, vno simplici illapsu abundè consolaris. O tristium medicina, ô errantium & quærentium fulgida lucerna. Tu iugiter mihi mica; tu mansionem in me para, donec illucescat lux perpetua. O quam dulcis & iucunda erit tua præsentia, quando ex sola tenui memoria, tanta prodeunt solatia! Quàm libenter me possum ad te conuertere; quàm liberè omnibus renunciare, vt tua gratia merear consolari. Non enim difficile erit animæ cupienti tuam cernere faciem, à præsentium se oblectatione nudare, cùm iam maiorem interiùs sentiat, aut in proximo sibi largiendam, fiducialiter abs te expectet.

4. Præterea nullus insipienter cogitans putet, quòd tu animam tibi deuotam, diu inconsolatam relinques; vel quòd parua recipiet charismata gratiæ, pro vniuersis victorijs naturæ; quia nec in qualitate, nec in suauitatis quantitate, poterit vnquam tuę cęlesti consolationi comparari qualiscumque terrena delectatio, & vndecumque concepta. Studeas ergo fidelis anima, talem te exhibere Christo cælesti Sponso, vt eius gratia & consolatione digna semper existas; quia per ipsum & in ipso copiosissimè reperies, quod te in quauis anxietate positam consoletur. Quanto frequentius ad ipsum accesseris, eiusque lateri vicinius & tuum applicueris, tanto tibi dulcior & iucundior apparebit. Quòd si te subtraxeris, tu sola detrimentum patieris; ille autem in sua pulchritudine permanens, nil triste sentiet nec molestum. Tu illius bonitate eges, ille nullius. Ideo tu beatior ex ipso fieri potes, ille ex tuo profectu non potest. Solus est, qui sibi sufficit; solus cui nihil addi minuiúe potest. Eius gratia sunt, quęcunque sunt, quæcunque viuunt, sentiunt, & intelligunt. Meritò ergo omnia, quæ creata sunt, ipsum laudando benedicunt.

5. O si possem sufficienter eum enarrare tibi & explicare, quàm libenter id agerem! Sed quod ineffabile est, sicut est, effari prohibetur

hibetur. Similiter quod inexcogitabile fertur, nulla cogitatione vel voce verè formatur. Et cùm ita sit, cogita tamen interim humano more de creatore, habendo memoriam suauitatis eius pro solatio, donec præsentiam vultus sui tibi ostendat in regno.

CAPVT XX.

De gemitu animæ ex dilatione gloriæ.

Psal. 30. EGo dixi *in excessu mētis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Percussum est cor meum intra me, ex dilatione gloriæ tuæ. Loquar ergo, & confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Vis amoris tui dicere me compellit, nec patitur tibi aliquid abscondi. Quid igitur referam? Ecce Deus meus, *in pace amaritudo mea amarissima.* Isaiæ 38. Qui non intelligit, nescit, quid hæc volunt. Non ego sic, sed scio & sentio, & ideo cantare cum Propheta non erubesco. Tibi Domino Deo meo loquor, cui omnia sunt nota, qui & scire dedisti & sentire pro bona voluntate tua; ne fortè plus glorier, aut æstimer aliquid ab insipiente. Quod ergo à te accepi, dicere possum tibi. Et quid opus est tibi hoc dicere, cum omnia scias, nec vllum ex his solatium expectes? Et quale solatium tibi veniret, qui es consolatio desolatorum? Ergo mihi totum prodesse potest, qui verborum adhuc solatio indigeo; vt sermonibus bonis & dulcibus, excitem affectum meum in te, & faciam refrigerium aliquod desolatæ animæ meæ. Etenim cùm non possum te videre præsentem, lugebo absentem; quia & hoc amoris est indicium, & dulce satis amanti. Iam sensus huius versiculi apparere incipit, quia de anima amante rectè scribitur. Quanto enim ardentiùs amat, quantoque vehementiùs æterna desiderat; tanto veraciùs virtutem huius versiculi in se viuere sentit. Non sunt frigida verba, nisi non amanti: nec surda organa, nisi cor obturanti. Scit amans & flagrans anima, & toties intra se concalescit cor eius, quoties ex amore æternæ pacis compungitur. Ipsa ergo dicit tibi Domino Deo suo; non hominibus, quibus ignota esse cupit. Et si hominibus aliquando loquitur, hoc tamen foris est, quod illi audiunt: tibi quicquid dicit, intus dicit, & amando magis quã sonãdo. Ecce (ait) in pace amaritudo mea amarissima. Ac si confiteatur: Postquã ad pacem mentis te largiente redij, magis mihi graue esse incipit fallax status mundi. Video enim in hac pace, quantum disiungor à summa pace. Et quidem priùs occupata desiderijs terrenis & varijs commota passionibus, plurimum impediebar ab interioribus meis, & per consequens à contemplatione cœlestium, pro quibus anxiè gemere debui; sed minimè potui; quia sensum interni doloris, per incuriam perdidi. Iam ve-

Explanatio mystica verbi Ezechię *in pace.*

rò sublatis inanium cogitationum tumultibus, in pace mentis aliquantulum resideo ; & toto cordis desiderio trahor ad superna, & ampliùs plango, quia bonis cælestibus non fruor, quàm priùs plangebam, cùm mundi malis cruciarer.

2. Est ergo amaritudo animæ meæ in hoc mundo degere, sub peccati sarcina incidere. Sed hæc mihi amarissima fit, cùm pro posse meo recollectis in vnum affectibus, bona iam cordis paec potior, atque totis medullis in amplexus æternæ pacis commoueor ; & tamen propter mortalitatis meæ vinculum, apprehendere impedior. Ideoque ad te cum gemitu clamare compellor, & dico: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Non *Rom. 7.* sentio grauius onus, quàm diutiùs peregrinari à te in seculo; quia in amore laborans, nullam præter te consolationem requiro. Euidentissima namque comprobatione didici, non posse animam meam bonis satiari præsentibus, nec veram adipisci beatitudinẽ, nisi tibi coniuncta cælestem acceperit mansionem. Licèt enim excessiuè amet, flagret, & contempletur sita in corpore; insatiabilis tamen perseuerat eius affectus, nisi depositio corpore. Idcirco in adeptione summi boni, & in lumine vultus tui, finis eius consummatur.

3. O Rex cæli, summè amabilis; ô dilecte mi, pulcherrime, totus *Psal. 15.* desiderabilis. Quando adimplebis me lætitia, cum vultu tuo? Quando satiabis omne desiderium meum fonte perenni? Sitiuit in te anima mea, & multipliciter affligitur te non adepto. Quamdiu in terrris viuo, & te nondum video, triste est mihi omne quod cerno. In tantum calescit cor meum, vt non modò semel, sed se- *Psal. 41.* dulè in excessu meo dicam: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei?* Crescit adhuc amor, & desiderium ampliùs ignescit, ita vt flere die noctuque non cessem, dum cogito per singulos dies, vbi est Deus meus? Amanti namque dulce est pro te flere, dum quod desiderat non potest habere: sed oportet vtique expectare & carere. Ex his fletibus magis pascitur & confortatur amans anima, quàm si haberet omnia terrena. Nam si illa diligeret, pro te nullatenus fleret.

4. O quàm beata & tibi placita fusio talium lachrymarum. Si- Piarum lacrymarum fructus.
quidem sæcularium gaudiorum ac temporalium cupiditatum peremptrices sunt, & cælestium consolationum deuotæ impetratrices. Propterea specialium deuotorum & solummodo amantium est iste profluuius tam sanctarum lachrymarum. Alia ratio lachrymarum his, qui misera necessitate constringuntur. Ille, quia morbidus est: iste, quia oppressus est: Alius, quia iniuriam patitur; alius, quia suæ voluntati contraitur, nonnunquam lachrymatur. Sola tu anima deuota diuini amoris lachrymas fundis;

dis; pro damnis autem temporalibus & causis transitorijs, verè Dei iudicio te submittis & gratias agis. Nemo tamen indeuotus, velut insipientem aut impatientem te iudicet, audiens te flentem; quia lachrymæ istæ non grauant, sed recreant: non maculant, sed lauant: nec oculis officiunt, quę oculos cordis puriores reddere consueuerunt. Sentiant alij de te, quod volunt, non possum ego aliud, nisi bene de te sentire, nam & consimili opto fletu potari. Si (inquit) mecum optas lachrymari, poteris & consolari.

5. Vtinam esset anima tua pro anima mea, nunquam ignorares, quod sentio. Ego scio, cui credidi, & certus sum, quia facilius est negare cælum & terram esse, quàm Deum non esse. Et scio quidē ipsum esse bonum animæ meæ, & nunquam me beatam fieri posse, sine eius perfecta contemplatione. Cuius contemplatio quia necdum mihi collata est, neque perpetuè firmata, nimirum plango, quòd tanta felicitate priuor, quòd huius vitę tenebris inuoluor, quòd propria infirmitate sic grauor, vt lucem illam sufferre non valeam, & quòd tam exigui momenti sit, & nebula tectum, quicquid de cælesti gloria meditor.

6. Quapropter planctum sæpe gemino pro cantu; & dum dicitur mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus, magis compungitur spiritus meus. Penso enim suspensè: Vbi est bonum meum, & perfectum gaudium cordis mei? Vbi pax & requies vera? Vbi hæc omnia ineffabilia bona nisi in Deo meo? Et quando his perfungar, nisi ei sine medio fuero coniuncta? Et quando ibi ero? Credo, spero, sed non possideo. Vbi est ergo Deus meus, quem sic amo, & nondum video. cuius amor me toties vulnerat, absentia contristat, sed & visitatio nonnunquā recreat? Vbi est Deus meus, quem semel vidisse, est omnia didicisse? Vbi est Deus meus, in quem cor meum & caro mea exultare iugiter concupiscit. Vbi est Deus meus, pro quo tot sustineo labores & dolores? cuius memoria dulcis, sed presentia charior, omnem repellit de corde mœstitiam. Vbi est spes mea, & tota gloriatio mea? Nónne in te Deus meus, salutare vultus mei. Ostende mihi gloriam tuam, & ne auertas faciem tuam à me, & cessabo conqueri. Si litigo parum tecum, ne improperes mihi: amor enim vehemens, multos mirabiles habet modos. Expectare cogor, & desiderare magis instigor, sicq; duellum amabile perseuerat.

Psal. 41.

CAPVT XXI.

De memoria cælestis patriæ.

Psal. 25. 1. DOmine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quàm libenter apud te essem, bene nosti Deus meus: & quàm

quàm intimè hoc desidero, non possum satis dicere. Non solùm hoc peto, cùm mihi malè est, sed etiam qnantumlibet hic mihi bene sit, opto tamen, vt magis mihi tecum esse liceat. Sed quomodo satisfiet desiderio meo? Hic me esse tædet, & oportet; tecum esse libet, & nondum licet. Non video, nisi vt patienter dilationẽ istam feram, & optionem meam tibi resignem. Quid enim? Mussitare volo, cùm sic oportet fieri. Absit. Et multi siquidem sancti diu se sustinuerunt in hoc seculo, quorum tamen corda erant in cælo. Quòd si meam protendere volueris peregrinationẽ, parebo etiam, quousque tibi placuerit. Verumtamen, vt complacitior sit in expectatione sua affectus essendi tecum, volo interim aliquid de mansione cælesti meditari tecum. Non tamen præsumo vel minima illa penetrare gaudia, quæ præparasti diligentibus te; sed sparsim modicum quid meditabor, vnde affectus meus sæpe terrenis pressus & infectus iterum excitetur, & in spem vitæ æternæ subleuetur.

2. O si dies illa illuxisset, quò cæli gaudia me rapuissent? Quàm lætus tunc essem, & quàm felicem me putarem? quàm tunc vtique in stabili pace beatus essem? Nec opus foret inde aliquid inuestigare, quando nulla possent secreta latêre. Sed in nocte vita mea versatur; & ideo non mirandum, si caligat oculus meus inter nebulas gloriæ. Attamen leuabo oculos meos à longè prospectans, & salutans sanctam illam ciuitatem Hierusalem, quæ construitur in cælis viuis ex lapidibus, angelis videlicet & hominibus sanctis, plena semper existens in laude & canore iubilo, Deum sine fine laudãdo. Eia & eia nunc anima mea, assumptis desideriorum pennis perge sursum, euola à corporeis sensibus, transmigra à visibilibus mundi figuris, ad habitaculum sanctum Dei, ad Hierusalem nouam perpetua pace stabilitam, gloria & honore coronatam, & omnium bonorum aggregatione perfectam. Apoc. 21.

3. Ecce mira & ineffabilia, quæ non licèt homini loqui. Sensus non capit, intellectus non attingit humanus, quàm glorioſus sit Deus in sanctis suis, quàm mirabilis in maiestate sua. Extende cogitatum tuum vsque in altissimà; dilata desiderium tuum in perpetuas æternitates, & dic cum Propheta; *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas sancta Dei*. Ibi, quicquid desideratur, habetur; & quicquid habetur, securè possidetur. Ibi videtur Deus facie ad faciem, clarè & sine ænigmate; non raptim nec horariè, sed sine fine lympidè. Ibi cognoscitur beata & glorioſa Trinitas & inseparabilis vnitas, quæ ab omnibus cæli ciuibus adoratur, laudatur, & benedicitur. Ibi est ille vnicus dilectus, singularis, precioſior cunctis opibus, thesaurus desiderabilis, Dominus meus Iesus Christus, Psal. 86.

eccle-

Coloſ. 2. eccleſiæ Sponſus immortalis; in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei à ſæculo abſconditi, ſed ipſis beatis manifeſti. O quàm iucundi ſunt omnes ſancti ante faciẽ ſancti ſanctorum, qui eſt cauſa & origo ſalutis eorum. Ibi enim non in prouerbijs Ioan. 16. loquitur eis, ſed palam de Patre annunciat eis. Ipſe liber eorum, verbum in principio apud Deum, docens de omnibus, & adimplens omnia, ita vt nihil deſit eis in gloria. O felix ſempiterna gloria, quæ non eſt de breui memoria, ſed de præſentia Dei in ſplendoribus ſanctorum.

4. Ibi eſt & glorioſiſsima mater Dei, perpetua virgo Maria, totam cæleſtem curiam perornãs ſpecie & pulchritudine ſua; quam circumdant & comitantur virginales turmæ, tanquam flores roſarum, & lilia conuallium. Ibi ſunt Angeli & Archangeli in ſuis ordinibus poſiti, diuinis laudibus alacriter intenti; quorum alij ſupremi, alij medij, alij inferiores ſecundum tres hierarchias ſunt diſtincti. Ibi ſunt Patriarchę & Prophetę, qui de aduẽtu Chriſti, Spiritu ſancto olim repleti prędinuerunt; & nunc ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, regem regum, Deum verum cognoſcunt, ac inceſſabili laude benedicunt. Iam vidẽt oculi ad oculũ redemptorem ſuum, quẽ diu expectabãt, & toto corde aduenire deſiderabant. Ibi ſunt præclari & omni veneratione digniſsimi, præcones Chriſti Apoſtoli & diſcipuli Domini, ſanctitate & gratia pleni, fundatores Catholicæ fidei; ſed nunc deuoti interceſſores in æterna gloria pro ijs, quos in fide genuerunt & inſtruxerunt.

5. Ibi præcipuè fulget venerabilis Baptiſta Chriſti Ioannes, amicus Sponſi ſpecialis. Ibi Petrus clauiger cæleſtis, Paulus Doctor egregius, Andreas, Philippus, Thomas, Iacobus & Ioannes, cum cæteris Apoſtolis & Euangeliſtis eccleſiarum columnis. Horum fidem tenere & exemplar imitari, ad vitam æternam eſt peruenire. Ibi ſunt inclyti Martyres, proprio ſanguine purpurati, & in æternum cum Chriſto beati; quorum licèt corpora crudeliſſimè laniarentur, tamen animæ non potuerunt per tormenta à Chriſto ſeparari. Ibi ſunt lucidiſsimi Confeſſores, qui vitã ſæculárem contemnentes, cęleſtes fieri meruerunt. Ibi ſunt magni glorioſiq; Doctores, per vitæ ſanctæ meritum, altius in Dei contemplatione ſuſpenſi, è quibus multi viuentem ſanctitatis imaginem in ſuis ſcripturis reliquerunt. Ibi ſunt iuuenes & Virgines, ſenes cum iunioribus, nomen Domini aſsiduè collaudantes; & quicquid boni ac virtutis vnquam geſſerunt, diuinæ maieſtati aſſcribentes, ſemper grati, ſemper deuoti, ſemper iucundi, ſemper & accenſi, nec vnquam faſtidio preſsi, ſed iugi contemplatione in Deum erecti. O quã glorioſum eſt hoc regnũ, in quo cum Chriſto regnant omnes ſancti, amicti ſtola prima, ſecurique de reli-

Apoc. 4.

qua,

qua. Ibi iam sequuntur agnum, quocumque ierit; quia nulla separatio ab ipso erit, sed in æternum gaudentes in Domino gaudebunt.

6. Hæc contemplare anima mea, & super omnia visibilia tuam cogitationem suspende. Verè locus iste sanctus est, & Dominus est in eo. Hic semper pax & gaudium redundant; hîc omnium bonorum affluentia, omniumque malorum perpetua carentia. O si posses modicum quiddam de ineffabilibus sanctorum gaudijs rapere; vnde peregrinatio tua aliquantisper consolaretur; quia apud me non inuenies nisi labores & dolores, impetus tentationũ & luctus sæculi. O si tibi dignetur aliquid inspirare superni luminis auctor, nec vacuam te remittat ad arescentes escas meas; sed secundùm diuitias superabundantis gratiæ suæ, ab omnibus materialibus formis te purificet & euacuet, ac in abyssum suæ æternæ claritatis vel raptim inducat. Vtinam ex illo cælesti sanctuario, formam & exemplar veræ sanctitatis, quam imiteris, reportes. Meliora sunt enim & veriora exemplaria cælestium & confirmatorum, quàm quæ terrenis demonstrationibus probantur. Da mihi Domine Deus sapere & intelligere, quæ sit sanctorum perfecta felicitas, non ex codicibus inde scriptis; sed per Spiritum sanctum, qui docet de cælestibus secretis, suprà id etiam quàm possit humanus attingere sensus. Da & vitam meam multo feruentiùs ad spiritualiora eleuare, & inter crebra tribulationum pondera, patiẽtiæ palmam fortiter tenere; donec soluto carnis debito, ad hanc, quam desidero beatitudinem, tua misericordia valeam peruenire.

CAPVT XXII.

De accessu ad Sanctum sanctorum Iesum Christum, regem Angelorum.

1. *TV es ipse rex meus, & Deus meus.* Exurge anima mea, veni, & ingredere in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Decet namque, vt cæteris omissis, cum supplici reuerentia nunc procedas, ad salutandum Dominum nostrum Iesum Christum, saluatorem ac redemptorem tuum; qui est caput omnis principatus & potestatis, gaudium & corona sanctorum omnium, firma spes ac certa expectatio cunctorum fidelium. Ipse est, qui te fecit & redemit, ipse pro te laborauit, certauit, & vicit. Ipse est aduocatus tuus, & propitiatio pro peccatis tuis. Ipse est consolator tuus, prouisor tuus, & gubernator tuus. Ipse est vnicus & singularis dilectus tuus, qui pascitur inter lilia, & inter vbera tua optat commorari. Quis vnquam tibi tanta bona fecit? Quis tanta charitate te dilexit? Ad hunc accede huic te præbe. Aperi ei cor

Psal. 4. Psal. 5.

1. Ioan. 2.

cor tuum, & enumera coram illo, quæcumque diu celata portasti. Nemo tibi melius indicabit nec reuelabit, quid spei vel consilij sit gerendum in rebus humanis, quæ tot variantur euentibus. Apud ipsum vota & desideria tua, & in ipso consilio tua permaneant. Spes hominum frustra, ipse autem est stabilimentum pacis. Per ipsum habebis accessum ad Patrem, & ab ipso omnis gratia tibi donatur, & virtus amplior infunditur.

Tob. 4.

Ephes. 2.

2. Siue tristeris, siue gaudeas, ad ipsum habeas semper recursum. Ipse specular vitæ, ipse norma iustitiæ. Ipse lux indeficiens animæ, amor pudicitiæ, & gaudium conscientiæ. Propter ipsum faciliter omnia delectabilia contemnes; propter ipsum omnia amara & contraria tolerabiliora erunt, & placebunt tolerata eius amore. Denique ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ad ipsum principaliter omnis intentio, omnis actio, sermo, lectio, oratio, meditatio, & speculatio respicere debent. Per ipsum tibi salus datur, & præparatur vita æterna. Propter ipsum non timebis mori, nec recusabis viuere; quia eius fidelitati debes credere, nec eius honori vel amori quicquam præponere. Accede ergo nunc, & gratias age tuo redemptori.

Rom. 11.

Accedentis ad Iesum precatio.

3. O dulcissime & super omnia amabilissime IESV, sis deuotissimè salutatus, altissimè laudatus, & nunc & æternaliter abomni creatura benedictus. O dignissime Iesu, quid honoris vnquã rependam? Aut quam gratiarum actionem reddam tibi, qui mihi infinitas misericordias exhibuisti? Et si aliquid inuenirem, quod tibi donare possem, nónne tuum esset antequam darem? Quid ergo retribuam? Parum vel nihil habeo. Nunquid de nihilo sacrificare possum? Accipe tamen sacrificium humilitatis, paupertatis, & nihileitatis meæ; & sit totum tibi ascriptum, quicquid mihi impartiri voluisti. Dicant & pro me laudes immensas omnes Angelorum chori, tibi semper assistentes.

4. Dicant & omnes spiritus iustorum, alta iubilatione id ipsum repetentes. Sed adhuc quid agam, I in memoriam & laudem sanctissimi nominis tui? Multa deberem agere, multis teneor & obligor, & vix ad minima sufficio. Legam igitur de te Iesu mi dulcissime, scribam de te, cantabo de te. Cogitabo de te, loquar de te, operabor pro te, patiar pro te. Exultabo in te, laudabo te, magnificabo te, glorificabo te. Dignè adorabo te, quia Deus meus es tu, in quem credidi, quem amaui, quem quæsiui, quem semper optaui. Fac mecum signum in bono, vt videant oculi mei speciosum vultum tuum in cælo. Ad pedes tuos humiliter me prosterno, deprecans obnoxiè tuam clementiam cum lachrymis, quatenus mihi misericors esse digneris. Scribe nomen meum in libro vitæ, nec vnquam illud deleatur, quod sancta manus tua conscripsit.

Psal. 85.

5. Ego

5. Ego infelix, & sanctorum meritis valde dissimilis, de tua superabundanti prærogatiua meritorum confidens, imploro, vt saltem inter infirma & extrema electorum membra, merear computari. Scio, quia non est talis vita & conuersatio mea, vt confidere aliquid de me ipso audeam; sed tota spes & consolatio mea, in precio precioſi sanguinis tui constat & requiescit; in quo me totaliter pono, & ponendum sentio, cum omnibus quę egi, deliqui, merui, & omisi. Vide ergo exiguitatem & indigentiam meam, clementissime Iesu; attende affectum cordis mei, quem ad te gero & habeo; non quia ego dignus sum, sed quia tu benignus es, qui ab indignis non dedignaris tangi & amari. Terret me impuritas mea; sed iterum me trahit & allicit ad te, maxima pietas & humilitas tua; qui non solùm homo fieri, sed etiam pro homine peccatore pati, mori, & sepeliri, in vera charitate consensisti. Ideoque ad te confugio, quia nihil boni in me inuenio. Tu supple pro me, quod minùs valet vis mea perficere.

6. Tu desiderium mihi tribuisti, vt te salutarem, laudarem, atque benedicerem; quia spes mea tu es, & portio mea in terra viuentium. Desiderium animę meæ est, esse tecum in regno cælorum; sed quia tempus meum nondum est paratum, expectabo te vsque ad vesperam. Interim hæc mihi sit consolatio in loco peregrinationis meæ, quòd memor sum nominis tui, & maximæ charitatis tuæ; & quòd præsentem te habeo in fide & sacramentis Ecclesię. Intolerabile mihi prorsus foret in hoc mundo viuere, nisi spem haberem in te Domine. Nõ enim consentio cum sæculo gaudere: & ne sine consolatione & gaudio manerem, in te statui gaudium meum ponere. Multum & sæpe errarem, & multum in cogitationibus fluctuarem, nisi te in memoria mea & in imaginatione mea tenerem. Et quia diuinitatis tuæ altitudinem capere non possum, nec incorpoream veritatem comprehendere sufficio, tutiùs me ad sanctæ humanitatis tuæ gesta & verba conuerto; quia hæc cogitans, non omnino à diuinitate tua recedo. Gratias tibi Iesu bone, dulcis, & amande, quia frater meus, os meum, & caro mea fieri dignatus es. Gratias & sanctę MARIAE matri tuæ, de cuius virginali carne, sacrosancta corporis tui membra assumpsisti; ac mediante anima rationali, perfectè diuinitati adunasti, vt ipsa non tantùm hominis, sed & Dei mater dignè ac fideliter appelletur. Psal. 141.

CAPVT XXIII.

De processu ad salutandum Virginem gloriosam.

Isaiæ 44. 1. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato.* Quamuis nullius sim meriti, sed multorum delictorum cõscius mihi, est tamen pergrandis fiducia, passio tua (Domine Iesu) & meritum gloriosę virginis sanctæ MARIAE matris tuæ. De qua parumper cogitare nunc libet; & quęso, vt liceat. Quis enim ego sum, vt audeam propiùs accedere, nisi licentia priùs postulata? Scio indignitatem meam, in eius singulari reuerentia non debere apparere, quam nimirũ Angeli venerãtur cum stupore, dicentes: *Cant. 8.* *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto mundi delicijs affluens paradisi?* Idcirco, ô prædulcissima Maria, nequaquã mihi conuenit, tuam gloriam & honorem, tuam pulchritudinem & magnificentiam considerare; quoniam terra sum & cinis; imò terra vilior & cinere; quia peccator sum, & ad omne malum procliuus. Tu autem cælo celsior facta, mundum sub pedibus habes; & propter honorem filij tui, omni honore digna existis & reuerentia. Attamen ineffabilis pietas tua, quę omnem cogitatum excedit, affectum meum ad te sępe trahit & allicit; quia tu es vtique solamen desolatorum, & tu miseris peccatoribus libens subuenire consueuisti.

2. Ego quidem omnibus bonis consolationibus & confortationibus, & maximè gratia filij tui me egere sentio, nam meipsum nullatenus iuuare sufficio. Tu autem pijssima mater, si meam paruitatem dignaris attendere, multis me potes subleuare auxilijs, atque vberioribus consolationibus inter pressuras refouere. Cùm ergo aliqua pressura vel tentatione fuero circunuentus, citò mihi & sine trepidatione ad te est recurrendum; quia ibi pronior misericordia, vbi amplior redũdat gratia. Quòd si fortè aliquando libet speculationi excelsæ gloriæ tuæ intendere, atque honorificè te ex intimo salutare, longè puriori me oportet corde procedere; nec sine superni luminis ductu, mihi expedit proficisci. Verè non est illi gloria, sed digna reddenda confusio, quisquis irreuerenter ad tuum præsumpserit ostium accedere. Oportet autem accedentem, summa cum reuerentia & humilitate procedere; bona tamen spe sibi iuncta, quatenus tua miserante clementia, dignus sit admitti.

Salutationis Angelicæ energia.

3. Humiliter ergo ac reuerenter, deuotè & confidenter ad te procedo, Gabrielis portans in ore salutationem tibi suppliciter offerendam; quam & inclinato capite ob tui reuerentiam, & expansis manibus ob eminentem deuotionis affectum, lætè præsento; atque eandem centies millesies, & multo ampliùs ab omnibus

cæle-

cæleſtibus ſpiritibus, pro me dici peto & exoro. Nã quid dignius & dulcius pro præſenti offeram, prorſus ignoro.

4. Auſcultet nunc ſancti nominis tui pius amator. Cælum gaudet, ſtupet omnis terra, cùm dico: Aue Maria. Satan fugit, infernus contremiſcit, cùm dico: Aue Maria. Mundus vileſcit, caro mareſcit, cùm dico: Aue Maria. Abſcedit triſtitia, venit noua lætitia, cùm dico: Aue Maria. Torpor euaneſcit, cor ex amore liqueſcit, cùm dico: Aue Maria. Creſcit deuotio, oritur compunctio; ſpes proficit, augetur conſolatio, cùm dico: Aue Maria. Recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cùm dico: Aue Maria. Siquidem tanta eſt ſuauitas huius benedictæ ſalutationis, vt humanis non poſsit explicari verbis; ſed ſemper manet altior & profundior, quàm omnis creatura indagare ſufficiat. Propterea iterum flecto humiliter genua mea ad te ſanctiſsima virgo Maria, & dico: Aue Maria, gratia plena. Suſcipe clementiſsima Domina mea, ſancta Maria, hanc deuotiſsimam ſalutationem, & me in ea ſuſcipe; vt aliquid habeam, quod tibi gratè placeat, quod mihi fiduciam ad te præſtet, quod maiorem ſemper amorem accendat, ac in iugi deuotione tui venerandi nominis conſeruet.

5. Vtinam ad ſatisfaciendum deſiderio honorandi & ſalutandi te ex totis præcordijs meis, omnia membra mea modò verterentur in linguas, & linguæ in igneas voces; vt modum inuenirem glorificãdi te Dei genitrix in æternum. Vtinam adhuc pro omnibus peccatis meis, quibus iram merui, & grauiſsimè filium tuum contriſtaui, te quoque & omnem exercitum cœli ſæpiſsime inhonoraui & offendi, hanc ſuauiſsimam Gabrielis ſalutationem reddere valeam, tanquam ſanctam & puram orationis hoſtiam, omnium commiſſorum meorum expiatricem. Vtinam quoque, cùm nimis fragilis & labilis ſit vita mea, pro vniuerſis exceſsibus & negligentijs meis, pro omnibus etiam cogitationibus vanis, immundis, & peruerſis, omnes beati ſpiritus & animæ iuſtorum, puriſsima deuotione & ardentiſsima deprecatione, dicant tibi, ô beatiſsima virgo Maria; ac centupliciter in honore tuo altiſsimã hanc ſalutationẽ replicẽt; qua Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, te primum per angelum ſuum ſtatuit ſalutare; quatenus ſic aliquo modo reperiam incenſum dignum, in odorem ſuauitatis; qui nihil bonitatis & dignæ recompenſationis in me reperio.

6. Sed & nunc in præſentia tua proſtratus, & ſincera deuotione inuitatus, atque totus in veneratione almiflui nominis tui accenſus, repræſento tibi lætitiam ſalutationis iſtius; quando Gabriel Archangelus à Deo miſſus, ſecretarium thalami tui eſt ingreſſus; & flexis reuerenter genibus, noua & inaudita à ſæculo ſalutatio-

lutatione, tuam virginalem faciem honorauit, & dixit: *Aue gra-*
Luca 1. *tia plena, Dominus tecum*, &c. Quam ego fidelium more, & aureo si possem ore, ex integro cupio persoluere; atque vt mecum omnes creaturę pariter loquantur, ex intimis visceribus concupisco:
Ibidem. *Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, Amen.*

7. Hæc est salutatio Angelica, Spiritus sancti institutione formata, tuæ maximæ dignitati & sanctitati congrua. Hæc est oratio parua verbis, alta mysterijs; breuis sermone, lata virtute; super mel dulcis, & super aurum preciosa; ore cordis iugiter ruminanda, labiisque puris frequentissimè legenda ac repetenda. Nam verbis paucissimis contexitur, & in latissimum torrentem cælestis suauitatis diffunditur. Sed væ fastidiosis, væ indeuotis & vagis oratoribus, aurea verba non ponderantibus, nec mellea pocula gustantibus; qui toties dicunt (Aue MARIA) sine attentione & reuerentia.

8. O dulcissima virgo Maria, custodi me à tam graui negligentia & desidia, & tribue veniam de transacta iam culpa. Ero amodo deuotior, feruentior, & attentior in dicendo, Aue Maria; siue in choro, siue in cella; siue in horto, siue in agro; aut quocumque locorum fuero. Et nunc post hæc quid petam à te, Domina mea charissima? Quid melius, quidúe vtilius; & quid tam necessarium mihi indigno peccatori; nisi vt inueniam gratiam coram te, & dilectissimo filio tuo? Peto ergo gratiam Dei, te interueniente & impendente, quæ (teste angelo) apud Deum plenitudinem gratiæ inueneristi. Nulla charior petitio est, nec vlla re plus indigeo, quã
2. Cor. 12. gratia & misericordia Dei. Sufficit mihi gratia Dei, cæteris non obtentis. Quid enim est omnis conatus meus sine illa? Quid item impossibile, ea assistente & iuuante? Habeo multas & diuersas animi ægritudines, sed diuina gratia efficacissima medicina est contra omnes passiones: & si dignanter aduenerit, mitigabit vniuersas. Habeo quoque inopiam spiritualis sapientiæ & scientiæ, sed diuina gratia summa magistra est, & doctrix cælestis disciplinæ, quæ derepentè in cunctis necessarijs me sufficit instruere. Nam vltra necessarium aliquid petere, aut præter licitum aliquid velle scire, hæc ipsa gratia dissuadet; sed humiliari sub se, & contentari se, ipsa monet & docet. Hanc igitur mihi impetra gratiã, clemens Virgo MARIA; quę tam nobilis est & preciosa, vt meritò aliud nihil desiderare debeam aut petere, quàm gratiam pro gratia.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De consolatione pijssimæ matris virginis Mariæ.

1. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Eia obsecro te Domina mea, vel nunc parum loquere mecum, sancta Maria. Aperi os tuum in nomine filij tui, qui te benedixit in omni gratia spirituali. Ego sum (inquit) mater misericordiæ, plena charitate & dulcedine. Ego peccatorũ scala, reorum spes & venia. Ego mœstorum consolatio, & sanctorum specialis lætitia. Transite ad me omnes, qui diligitis me, & ab vberibus consolationum mearum adimplemini; quia pia sum & misericors omnibus inuocantibus me. Venite omnes iusti & peccatores, rogabo pro vobis Patrem; rogabo & filium, vt repropritietur vobis per Spiritum sanctum. Omnes inuito, omnes expecto, omnes venire desidero. Nullum peccatorem despicio, sed super pœnitente peccatore etiam cum Angelis Dei in cælo, magna charitate congaudeo; quia non perit preciosus sanguis filij mei, effusus pro mundo. Accedite ergo ad me filij hominum; attendite & videte zelum meum pro vobis, ad Deum filium meum Iesum Christum. Ecce ego iram eius in me suscipiam, placabo illum precibus sedulis, quem vos offendisse cognoscitis. conuertimini, & venite; agite pœnitentiam, & impetrabo vobis indulgentiam. Ecce ego sto inter cælum & terram, inter Deum & peccatorem; & ne mundus iste pereat, precibus meis obtineo. Nolite ergo abuti misericordia Dei & mea clementia; sed omnem cauete offensam; ne subitò super vos redeat indignatio, & intolerabilis vindicta. Præmunio filios meos, obsecro dilectos meos, estote imitatores filij mei & matris vestræ. Recordamini mei, quæ vestri non possum obliuisci. Ego enim sum omnium miserorum miseratrix, omniumque fidelium pijssima aduocatrix. *Psal. 44.* Maria. *Eccli. 24.*

2. O gratiosissimum verbum, omni cælesti dulcedine plenum. O vox sublimis de cælo rorans, suauiter influens, peccatores consolans, & iustos lætificans. O cælestis fistula, quàm dulciter resonas in desperata conscientia! Et vnde mihi, vt alloquatur me mater Domini mei? Benedicta tu mater sanctissima, & benedictum eloquium oris tui, nam mel & lac sub lingua tua, & odor verborum tuorum super omnia aromata, Anima mea liquefacta est, vt locuta es, ô MARIA. Ecce, vt facta est vox consolationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio anima mea. Reuiuiscit namque intra me spiritus meus, & omnia interiora mea gaudio nouo perfunduntur, quoniam bona & iucunda per te mihi hodie nunciata sunt. Tristis eram, sed nunc gaudeo propter vocẽ tuam. Discipulus.

tuam. Vox enim tua dulcis in auribus meis. Grauatus eram & desolatus, sed nunc releuatus sum & confortatus. Misisti enim manum tuam de alto, & tetigisti me, conualuique de infirmitate. Vix loqui poteram; sed nunc libet etiam cantare, & gratias tibi magnificè agere. Tædebat viuere; sed iam nec mori timeo; quia te aduocatam, apud filium sciens, pro mea causa teneo, cuius misericordiæ me commendo, ex hac hora, & deinceps omni in momento. Ex quo enim locuta es ad cor desolati orphani tui, repente mutatus sum in melius, & validè interiùs recreatus. Quodammodo desperatus iacui, sed accessit consolatio tua, meque erexit

Maria. cum iucunditate, dicens:

3. Quid est fili, & quid sunt, qui volunt nocere tibi? Noli timere, ego videbo pro te fili mi. Viuo ego, & viuit filius meus IESVS frater tuus, qui est ad dexteram Patris, fidelis vtique Pontifex & intercessor pro peccatis tuis. In ipso summè sperare debes, quia ipse est dator vitæ, & destructor mortis. Ex me temporaliter incarnatus, ex Patre æternaliter genitus, toti mundo in salutem datus est. Ecce vnde spes & consolatio, & per quem fides & victoria. Sit Iesus & Maria in tua semper memoria, & non timebis inimici iacula.

Discipulus. 4. O felix hora, quando tribulato cordi meo adesse dignaris, ô pijssima virgo Maria! O si esset longior mora, ad audiendum verba tua consolatoria; nam vehementer me accendunt & afficiunt, quoniam ex intimo me tangunt & instruunt. Beata vbera tua (diuina Maria) quæ nunquam cessant dulcissimum consolationis lac fluere. Nam præ vbertate gratiæ lactentis olim pueri tui dilecti Iesu, non potes innatam tibi misericordiam denegare postulanti; sed gratiam sæpe exhibes, etiam in multis delinquenti. O mater summæ pietatis, maximè miserationis & charitatis. O virgo incomparabilis, omnibus amabilis & venerabilis. O genitrix singularis ex te nati filij Dei; sed & totius Christianitatis mater generalis, ac cuique pro suæ deuotionis affectu valde cordialis & specialis. O virgo virginum, regina mundi, & domina angelorum, trahe me post te, ne iacens maneam sub onere peccatorum. Effunde gratiam, rorem saluificum de cælis ministra, vt veraciter merear sentire, quòd tu es mater gratiæ, & fons patens misericordiæ.

Maria. 5. Ego sum mater pulchræ dilectionis, casti & sancti timoris; piæ allocutionis, & suauissimæ consolationis. Audito ergo nomine meo, exulta in toto corde tuo, inclina reuerenter, meque salutа libenter. Nam honorando matrem, honoras & filium, qui Deũ

Iesus pijs quid. habet Patrem. Ego enim sum Maria, mater Iesu, & hoc nomen mihi in æternum manebit. Iesus autem quid? Christus filius Dei viui.

viui. Hic est Saluator mundi, rex cæli & terræ; Dominus Angelorum, ac redemptor fidelium, iudex viuorum & mortuorum. Ipse est spes piorum, consolatio deuotorum, pax mansuetorum; diuitiæ pauperum, gloria humilium, fortitudo debilium, via errantium, lumen cæcorum, baculus claudorum, vnctio aridorum, leuamen oppressorum, iuuamen tribulatorum, & omnium bonorum singulare refugium. Benedic filium cum matre, & eris dilectus à Patre. Da ei honorem & gloriam, quoties mihi aliquam exhibueris reuerentiam. Eius gloria, mea lætitia, & mea laudatio, eius est veneratio. Pone me & Iesum, sicut signaculum super cor tuum; sicut signaculum super brachium tuum. Stans igitur aut sedens, orans aut legens, scribens aut operans; creber in ore, semper autem in corde, IESVS versetur & MARIA.

6. Eia amen. Seruiant tibi omnes populi, tribus, & linguæ, & incuruentur ante te omnes creaturæ. Cælum dicat: Gaude Maria; terra respondeat, Aue in æternum & vltra. Confiteantur simul omnes sancti nomini tuo magno, & exultent omnes deuoti coram te & agno Iesu Christo, filio tuo, Domino nostro. Discipulus.

CAPVT XXV.

De reddendis gratijs, pro acceptis beneficijs.

1. SIt nomen Domini benedictum in sæcula. Seruiat tibi Domine Deus, quicquid ago, lego, & scribo; omne quod cogito, dico, & intelligo. A te incipiat, & per te, & in te, omne opus meum finiatur. Quod dedisti, hoc recipe; & vnde flumina exeunt, illuc reuertantur. Nunquam melius mihi manet, nec vnquam dulcius sapit, quàm cùm totum tibi sincerè retribuo, quicquid rectum à me geritur aut cogitatur. Opto gratias agere; sed tunc veraciter ago, si totum tibi & nihil mihi dedero, ex omnibus datis & acceptis. Quid inquam possum retribuere, malus & piger seruulus? Nihil est seruitium meum, etiam si fecero omne, quod iussisti. Propterea ad nihil redactus sum, & in veritate humiliatus. Bonum mihi, quia humiliasti me; vt tu solus iustificeris, tu solus lauderis ab omnibus, nec vnquam glorietur in se puluis vilissimus. Veruntamen desistere nolo, sed laudare te cupio corde & ore; quia si dignè non possum perficere, indignum tamen est omnino silere nec recognoscere. Laus mea, Deus meus tu es, in te cantatio mea semper. *Psal. 71.* *Psal. 118.* *Psal. 70.*

2. O qui parum sentiret de gloria tua, & quid est in te gloriari, quam nihil duceret, quicquid de externa blanditur gloria? O qui parum saperet de dulcedine tua, quàm citò illi amarescceret omnis delectatio terrena? O quantum ferueret, qui paruam scintillam

Charitas Dei quid efficit vbi ineſt.

tillam charitatis tuæ haberet? Nam omnia libentiſsimè contemneret, vt tuo amori inhærere liceret. Et vetè totum illi ſuaue ac leue eſſet, quicquid pro amore tuo agere vel pati poſſet. O quantum exultaret, quàm vehementer poſt te curreret, memor omnium bonorum tuorum! Nil charius quæreret, nil beatius poſſideret, nil ſequeretur auidiùs, quàm quod amori tuo ſeruiret. Etenim amando onus non ſentiret, quia amor omnia onera portaret. Et ideo, qui de onere conqueruntur, exiguos ſe in amore teſtantur. Ex amore tibi ſeruire, iucundiſsimum eſt, & laborum ſolamen. Amor non reſpicit ad proprium commodum, nec veretur pati incommodum, ſed tuum quærit in omnibus beneplacitum.

3. O quàm dulcis res eſt amor tuus, Chriſte; quàm bene ſonat, quàm ſuauiter intrat, quàm forriter tenet & ſtringit? Vtinam me ſeruituti tuę perpetuæ obliget, totaliter capiat, totaliter ſibi ſubijciat, & proprium tuum me tibi faciat. Tunc enim maximè liber ſum, cùm ab amore tuo captus ſum, & omni proprietate priuatus & alienatus. Seruus tuus ego ſum Domine; tuus *Pſal. 142.* inquam, quia emiſti me. Libenter ſum tuus, & non pudet me proprium tuum eſſe. Nolo mei ipſius eſſe; tu iuua, vt poſsim ab omni proprietate liberari. Tu confla & accende, ſuſcita igniculum & æſtuabit cor meum, fietque purum, clarum, & amœnum; quia amor tuus fugat omne vitium, & conſumit omne peccatum. Tu tene amoris vinculum, & ſtabit meum pauperculum ſeruitium.

4. Nec ignoro, quia nihil tibi confert meum ſeruitium; ſed mihi tamen proficit, ſi ago, quod tibi gratum eſſe noui. Vtinam faciam, & non ſileam; dicam, & non abſcondam opera tua. Quando enim dignè ſufficiam excogitare omnia illa beneficia, quæ mihi indigno contuliſti? Magnam miſericordiam Domine cum ſeruo tuo feciſti; ſed ego (proh dolor) non retribui grates, ſicut dignè meruiſti. Ideoque me tenent pœnæ & dolores cordis, quia non poſſum reſpondere beneficijs tuis, tam multis, & tam magnis. Vtinam vel ſemel dignè & integrè, pro omnibus his queam tibi regratiari. Sed in quo nihil eſt, quid de illo exire poteſt? Vas namque vacuum, nil habet ad propinandum. Quid ergo faciam? Dare me aliquid oportet, quia vacuum apparere caram te non licèt; nam & omnis ingratus tibi diſplicet.

5. O ſi haberem aliquid in toto mundo, quod tibi darem, & gratum foret oculis tuis? Quid vis habere dilecte Domine? Bo- *Pſal. 15.* norum meorum vtique non eges. Cur ergo exigis à me datum? Nemo ditior te; & adhuc aliquid poſtulas à me? Volo (inquis) totum habere. Nam tibi hoc expedit, ſi vis gratiam meam mereri.

Ego

Ego dabo gratiam, & tu reddes gratiam, & sic tenebimus pariter iugem charitatẽ. Da te mihi, & totum dedisti. O Iesu fons omnis boni, fons vitæ, fons gratiæ, fons dulcedinis, fons æternæ sapientiæ; infunde nunc (pijssime) donum cælestis gratiæ, & doce me tibi semper gratias agere, & meipsum ante omnia tibi dare; quia hoc est charissimum, quod possum tribuere. Sentio hoc, & consentio. Accipe me, ecce tuus sum totus, & omnia mea tua sunt. Vnum est, quod non possum tribuere tibi. Quid hoc? Peccatum meum, quod mihi proprium est, & ideo tibi imputandum non est. Meum est peccatum, & omnis defectus in me reperibilis, mihi soli attribuendus; tibi autem gloria & gratiarum actio, pro omnibus beneficijs tuis.

Beneficiorum Dei præcipuorum catalogus.

6. Sed iam ad memoranda beneficia tua, ex multis pauca mihi recolligo, & quæ amplius mouent & eminent. Nam omnia perscrutari, nec tempus patitur, nec cogitatio præualet. Excedit enim numerositas modum, & magnitudo obruit sensum, sed & dignitas non habet precium. Nam emi non possunt, quia gratis dantur, & ideo pro eis tantùm grates requiruntur, alioquin ab ingrato omnia auferentur.

7. Primùm igitur gratias ago tibi Domino Deo meo creatori omnium, quòd me hominem rationalem dignatus es creare; & super opera manuum tuarum, secundùm animam ad imaginem tuam & similitudinem factam constituere. Magnum & primum beneficium, gratuita bonitate donatum mihi. Neque enim meipsum ego feci, sed tu me fecisti, introducens me in orbem terræ per parentes, quos tibi in hoc seruire voluisti. Et ecce melior sum omni corpore, prælatus omnibus bestijs & volatilibus cæli; quia ad imaginem Dei factus, æternæ sapientiæ capax, lucis increatæ & veritatis incommutabilis sum naturaliter particeps. Pro omni igitur quod sum, viuo, & sapio, gratias tibi perpetuas refero, optans & petens, vt omnes simul creaturæ, quæ in cælo sunt & in terra, nomen tuum laudent admirabile & superexaltatum in sæcula. Benedico te Pater & Domine cæli & terræ, qui omnia creasti ex nihilo, per vnigenitum filium tuum in Spiritu sancto. Ex pura & libera voluntate, non aliqua necessitate creasti omnia, vt notam faceres filijs hominum potentiam tuam; & mundum hunc visibilem optimè disposuisti, per inuisibilem sapientiam tibi coæternam. Benedicant te omnes creaturæ tuæ, tibi in cunctis subiectæ, & humano generi ad ministerium conditæ. Nã te iubente, cœlum pluuias congruis dat tẽporibus, & terra fructus affert plurimos. Lucent sol & luna clarè super terrã; stellæ girant noctibus per ordinẽ. Fõtes scatent, fluũt riui, narrãt in vndis pisces generis diuersi. Volant, cãtant aues cęli; saliũt in mõtibus capręe, hinnuli, &

Psal. 144.

& cerui. Oues & iumenta ad bona gaudẽt pascua, currunt per nemora diuersa animalia. Prata virent, campi florent, & omnia ligna siluarum ramos fructusque producunt. Hæc sunt opera tua Deus, qui facis mirabilia magna solus.

Quanta nobis beneficia in beneficio incarnationis Christi collata sint

8. Secundum beneficium mihi exhibitum est mysterium incarnationis, opus redemptionis, & precium salutis nostræ, fructus vtique passionis tuæ & mortis. O magnum pietatis opus, opus excellentissimæ charitatis, summæ humilitatis, & patientiæ singularis. Hoc homo non meruit, hoc Angelorum nullus facere potuit; hoc prophetæ mirati sunt; hoc Apostoli viderũt & docuerunt; hoc fideles omnes susceperunt; hoc maximè electi diligunt & recolunt. Hoc beneficium bene cogitatum excitat desideria, inflammat corda, nutrit deuotionem, illuminat mentem, purgat affectum; trahit ad cœlum, retrahit à mundo, ducit ad Christum, & vnit animam Christo. Superabundat donum istud dono prioris, vnus tamen, qui vtrumque dedit & fecit, Iesus Christus, Dominus Deus noster. Nihil enim mihi nasci profuit in mũdo, nisi & redemi profuisset dato sanguinis precio. Subuenit ergo mihi gratia, excreuit diuina misericordia, & facta est copiosa redemptio; nam vitiata natura, absque creatoris non potuit reparari auxilio. O pater misericordiarum & Deus totius consolationis, vt damnatum seruum redimeres, filium tradidisti. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quam explicare non valet mens humana, nec angelica ratio.

Psal. 129.

9. O dulcissime Iesu, principium nostræ salutis & finis; tu solus nosti, qui solus potuisti conferre opem miseris & damnatis. Nam in humillima & abiecta forma serui, apparere dignatus es hominibus, & pro mortalibus vermiculis sententiam diræ mortis (sola miserante charitate) libẽtissimè suscepisti. O Iesu fons bonitatis & pietatis, lux lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, accende cor meum meditatione huius ineffabilis beneficij, quod mihi & toti mundo exhibere voluisti. Generale quidem hoc beneficium, sicut & primum, omnibus sufficiens ad salutem, sed non in omnibus tamen efficiens fructum, propter multorum infidelitatem & malitiam. Electis autem omnibus salutare est & proficuum, propter quos omnia creata sunt, & per te (Iesu Christe) recreata. O bone Iesu, quanta nobis beneficia in humanitate tua præstitisti? Factus est frater noster & caro nostra, vt Filij Dei computaremur, & per te accessum haberemus ad Patrem, cuius offensam placare nemo dignus fuit, nisi tu, de quo ipse ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Felix anima, quæ sacramenta nostræ redemptionis studiosè recolit, affectuosè diligit, dignè veneratur, & pro omnibus tibi gratias agit, ac

Sap. 7.

Matt. 3. & 17.

tuo

tuo consilio plus quàm suo sensui credit. Nam hoc mysterium non est quisquam idoneus per se inuestigare, nec humana attingitur sapientia: sed fieri potiùs firmitate, ac puri cordis intuitu desuper illustrato. Beatus, qui meretur accipere per gratiam, quod mundi sapientes non potuerunt cognoscere per naturam. O Iesu sapientia Patris, fac me intelligere in luce fidei hoc magnum & mirabile mysterium tuæ incarnationis. Quia in illo totius nostræ salutis latet dulcedo, abundat maxima charitas, & inscrutabilis sapiẽtiæ tuæ plenitudo coruscat. Proficiat seruus tuus per augmenta virtutum, & bonarum studia actionum, ac magis magisque in hoc memoriali incarnationis arcano. cum sacræ passionis profundo instruatur, atq; totus in tua intima pertrahatur. Profunda admodum abyssus & diuinum quoddam pelagus, tantæ charitatis tantæque dignationis exhibitio; quod transnatari non potest; in quo natant & renatant spirituales pisces, parui & magni, quos intra rete fidei cepisti.

10. Maneat igitur in recordatione mea tanta charitas & dulcedo, tanta humilitas & mansuetudo; & in omni orationis sacrificio ac meditationis exercitio, occurrat & immisceatur aliquid de incarnationis passionisque mysterio, tanquam lucidissimũ thus, & suauissimum balsamum in odorem suauitatis, Deo Patri offerendum. Dicant nunc mecum, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, canticum diuinæ laudis; & hymnum mentalis iubilationis, cum gratiarum actione persoluant. Et omnes Angeli stantes in circuitu throni, procidant in facies suas, & adorent agnum Dei, qui abstulit peccata mundi, dicentes: Te decet laus, & honor, Domine. Benedictio & claritas, gratiarum actio & vox laudis, fortitudo & imperium, maiestas & sapientia, tibi Domino Deo nostro Iesu Christo, in secula seculorum. Amen. *Psal. 144.*

11. Tertium beneficium prioribus non inferius, est gratia iustificationis; qua me clementer ad conuersionem & vitæ emendationem traxisti; donans pœnitudinem peccatorum, spem veniæ, & propositum bene agendi, ac in perpetuum tibi seruiendi. Hoc clarè considerans beatus Paulus, adhortatur discipulos suos, ne tanti beneficij sint ingrati; sed vt memores cælestis gratiæ, dignas supernæ vocationi laudes studeant referre. *Videte* (inquit) *vocationem vestram fratres; quia non multi sapientes, non multi potentes; sed quæ infirma sunt mundi elegit Deus.* In me hæc considero, qui contemptibilis & inutilis huic mundo, tua sancta vocatione ereptus sum de ipsius naufragio; & ad seruiendum tibi, etiam tuo merui sociari collegio. At ne retro iterum abirem, voto me sponte constrinxi. Quod vtique non meis meritis, sed tuæ depu- *Iustificationis beneficium quantum.* *1. Cor. 1.*

to

to prouidentiæ. De quo te magnificè laudo & benedico; quia dignatus es me vocare per gratiam, dans mihi voluntatem bonam, & abijctens à me peccatorum sarcinam. Nam & suaui iugo tuo me subiecisti, emolliens mentem meam vnctione spiritus tui, quem mundus nescit, nec videt, nec sapit. Custodi hanc voluntatē misericors Domine, insuper adauge dona gratiæ, quamdiu sum in hac visibile luce. Sentio vocationem istam magnum esse beneficium, quod non omnibus datur, sed quibus paratum est à Patre; quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, vt omne os loquens inania obstruatur, & totus homo tibi subiectus sit, & non glorietur omnis caro in cōspectu tuo, nec sibi quicquam deputet de proprijs meritis vel operibus bonis. Nam si secundùm iustitiam mecum agere voluisses, iam deputatus essem cum ijs, qui in inferno sunt. Sed pepercit mihi pietas tua Domine, atq; locum tribuisti indulgentiæ, ne similis fierem filio perditionis æternæ. Magnas igitur tibi teneor laudes reddere, pro tam magnifico beneficio; & vtinam digni respondeam vocibus & moribus, cunctis vitæ meæ temporibus. Obsecro autem, vt pro gratiarū actione, acceptes meum pauperculum obsequium, quo tibi seruire cupio, & ex charitate debeo; & vt debitum seruitutis meę radicaliter procedat, ac finaliter tendat ad tuum beneplacitum & honorem; nec vnquam cor meum à tua dilectione auertatur; sed anima mea & corpus meum pariter vigeant & perseuerent in sanctissimo seruitio tuo, quamdiu spiritus est in visceribus meis, & compos meijpsius sum, & tui recordari possum. Nunquam cessat laus tua ex ore meo; & abundantia benefactorum tuorum non recedat de corde meo. Quòd si seruus tuus multis annis vixerit, dato etiam quòd centum aut mille annis esset victurus, non erit propterea tepidus vel perterritus in humilitate & subiectione tibi famulari; sed ita deuotè & voluntariè tibi in omnibus deseruiam, sicut ea hora & die, quando primū cor meum à te admonitum est & confirmatum, vt te Dominum solum pura & integra mente sequeretur. Nec huic proposito obstabit aliqua infirmitas seu aduersitas intercurrens; sed sicut nunc sentio, & te Deo meo audiēte propono, ita quoque quod semel egressum est de labijs meis, te adiuuante cupio adimplere. Sin verò per aliquam fragilitatem, vel quamlibet culpam hæc voluntas fuerit confracta, (quia non est homo super terram sic iustus, qui viuat & non peccet) adhuc non diffidam, nec te dimittam; sed mox incuruabo genua cordis mei, cum multa contritione & lachrymis, offerendo tibi tristem & sauciam conscientiam meam, ad sanandum eam medicamento gratiæ tuæ; & ad alligandum multo fortius propositum, quàm antea fuerat constitutum. Non me pœnitebit boni incepti, immo gratias

Rom. 9.

1. Cor. 1.

Gratiarum actio de beneficijs.

1. Pet. 6.

tias agam; quia hoc à te vel semel merui suscipere, quòd tibi consensi æternaliter militare. Potens es autem omnipotens & misericors Domine, qui me de nihilo creasti, quique hominis infirmitatem & casum ab initio prænosti, omnia commissa mea mihi benignissimè dimittere, ac instaurare omissa, perdita restituere, liuida curare, sordida mundare, tenebrosa illuminare, timida inclinare, extincta reaccendere, confracta reædificare, neglecta recuperare, praua corrigere, aspera complanare, curiosa restringere, vaga colligere, inordinata componere; ac totum statum mentis meæ in melius commutare, ita vt iam nil desit de priori proposito; sed iam omnis occasio mali, cooperetur mihi in melius, tibi humiliter prostrato. Hæc est mutatio dexteræ excelsi; hæc est visitatio cælestis; hæc est multiplex collatio diuinę pietatis.

12. Accipe etiam pro gratiarum actione, cuncta sanctæ Ecclesię deuota seruitia, cum vnanimi concentu totius cælestis curiæ. Et omnes sãcti ab origine mũdi, qui per gratiã tuã illuminati sunt & vocati; omnes quoq; fideles & Christiani, in omni populo, & tribu, & lingua, & natione, qui vsq; hodie sunt, & ante nos fuerũt, & post nos erũt, pariter celebrẽt & collaudẽt dulcissimũ atq; gloriosissimũ nomẽ tuũ, quod est super omne nomen benedictũ. Dicant iterũ & reuocent cũ ingenti gaudio laudes vniuersas, tuo nomini dignè dicendas; tot vtique vicibus, quot cælum stellas, quot mare pisces, quot gramina tellus, quotq; biblia continent apices. Et cũ istud totum fecerint, & pro me suppliciter dixerint, tunc adhuc confitebor tibi, quia necdum satisfactum est ineffabili laudi nominis tui, quod totis viribus cupio laudare & omnimodo superexaltare; quousque ad illas perueniam curiales laudes quas modò non possunt attingere nec prosequi mortalium hominum voces.

13. Vides nunc anima mea, magnitudinẽ & preciositatẽ beneficiorum creatoris ac redemptoris Domini Dei tui, cui ad regratiãdum non sufficit omnis creatura, quam ipse in laudem & gloriam sui æterni benedicti nominis condidit; qui nullius vtique gloriæ eget; sed sibi soli ipse solus sufficit, sua gloria est, ipse qui est. Ecce præ multitudine beneficiorum eius, non potui cuncta ante oculos tuos reducere, sed elegi ex grandi copia tria munera precioſa, quemadmodum magi Domino oblaturi fecerunt in quibus placuit penè vniuersa concludere. Nam omne beneficium, si diligẽter aduertis, aut est naturæ, aut gratię, aut superexcellentiæ: & quodcũq; aliud est, satis conuenienter ad aliquod horũ triũ habet referri. In creatione habes beneficiũ naturę; in redẽptione, beneficiũ superexcellentiæ; in iustificatione, donũ cõsidera gratię. Pro quibus omnibus & singulis, gloria tibi sit sancta Trinitas; æqualis, vna deitas, & ante omnia secula, & nunc, & in perpetuũ. Amẽ.

Matt. 2. Omne beneficium Dei triplex.

HOR-

HORTVLVS ROSARVM.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

DE *bona societate quærenda, & mala fugienda.* Cap. I.
De fuga seculi, & laqueis diaboli. II.
De vera sapientia apud Deum quærenda. III.
De pugna contra propria vitia. IV.
De deuotionis gratia acquirenda. V.
De auditione & lectione diuini sermonis. VI.
De diuina consolatione in tribulatione. VII.
De gaudio bonæ conscientiæ, in Spiritu sancto. VIII.
De bonis moribus humilis fratris. IX.
De instabilitate humani cordis. X.
De fiducia in Deo habenda tempore angustiæ. XI.
De virtute orationis, & vtilitate sacræ lectionis. XII.
De laude charitatis, & fructibus eius. XIII.
De vigili cura & labore contra tentationes. XIV.
De fraterno onere inuicem portando. XV.
De amore Christi, & odio mundi. XVI.
De imitatione sanctissimæ vitæ Domini nostri Iesu Christi. XVII.
De æterna laude Dei. XVIII.

CAPVT I.

De bona societate quærenda, & mala fugienda.

Psal. 17. I. *Cvm sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Attende diligenter, frater amãde in Christo, ne seducaris à socijs maleuolis, dissolutis, & mendosis. Iunge te fratri virtuoso, & disciplinato, & erudito, à quo audias semper verbum bonum, consolatorium, & imitatione dignum. Sicut enim carbo frigidus, coniunctus igni ardenti, fit calidus & ardens: sic tepidus socians se feruido & deuoto, fit sæpe feruidus & deuotus, doctus & morigeratus. Sic Apostoli adhærẽtes Christo, facti sunt viri sancti, repleti Spiritu sancto. Sic Marcus adhærens sancto Petro, fit eruditus in Euangelio sancto, quod audiuit ab ore beati Petri cum ingenti gaudio. Sic Timotheus adhærens sancto Paulo, fit doctus in Scripturis sanctis, à iuuentutis suæ exordio. A quo postmodũ pro-

Qui meliores euaserunt sanctorum cõmercio.

Apostoli.

S. Marcus.

Timotheus.

proficiente Dei gratia, ordinatur Episcopus in Epheso: multum prædilectus ab eo, sicut filius vnicus à patre charissimo. 2. Tim. 3.

2. Sic sanctus Polycarpus coniunctus sancto Ioanni Apostolo, fit feruidus prædicator fidei in populo, & inclytus martyr cum sancto Ignatio. Sic beatissimus Pater noster Augustinus, instructus ac baptizatus à sancto Ambrosio Episcopo, fit tandem gloriosus doctor sanctæ Ecclesiæ, illustrissimè iam nominatus in toto mundo. Sic sanctus iuuenis Maurus adhærens sancto Benedicto, fit Deo iuuante postea. Abbas sanctus, virtutibus & miraculis clarus. Sic dilectus Bernardus, adhærens venerabili Abbati Stephano in Cistercienſi monasterio, fit lumen religionis in ordine suo, & tanquam sydus clarum fulgens in cælo. Exempla sunt plurima, tam noua quàm vetera: quia prodest saluti animæ societas bona & nocet conuentio praua. Prodest lectio bona, nocet auditio mala. Prodest solitudo cum silentio, nocet tumultus & vagus discursus in mundo. Aut igitur esto solus, Deo vacando; aut cum socio deuoto, de Christi virtutibus conferendo. Caue de altis rebus curiosè quærere, stude vitia tua cognoscere, & remedia sana morbis adhibere. Polycarpus. Ignatius. Augustinus. Maurus. Bernardus.

CAPVT II.

De fuga seculi, & laqueis diaboli.

1. *Audiens sapiens, sapientior erit.* Audi (adolescentule bone) verbũ æternæ sapientiæ, super omnes sapientes mundi tibi magis vtile. Noli, secundùm beati Ioannis dictum, diligere mundum, & ea quæ in mundo sunt: sed respue omnia, tanquam stercora & venena. Cogita de fine fine fine, & cessabit tentatio. Cave animæ tuæ periculum: non sis alicui scandalum: nec loquaris indecens verbum. Si te retrahit à Deo pater carnalis, respõde, quia patrem habes in cælis. Si mater aut soror impedit, dic eis: Mortales estis & fallaces, qui me creauit, ipse me gubernabit. Qui Deo seruit, omni bono non deficiet. Commenda omnes amicos tuos Deo, orans vt se emendent, & caueant à peccatis; ne Deum offendant, & pro terrenis cælestia perdant. Magna cordis inquietudo, amicorum visitatio frequens. Mundus transit & concupiscentia eius; & tu pariter transibis, & amici tecum omnes. Pr. 12. 1. Ioan. 2. *Ibid.*

2. Multi laquei diaboli; & qui vult fieri dives & videri magnus, incidit in varias tentationes eius. Laquei quotidiani sunt, cibus & potus, oculus vagus, sermo ociosus, inconstantia cordis, & tædium boni operis. Omnia vanitas, honor, diuitiæ, & potestas. Quid quæris, quid cupis videre in mundo, vbi nihil est mundum? Totum vanum, lubricum, & dolosum, præter amare Deum, & facere 1. Tim. 6.

semper bonum. Non potes perfectè amare Deum, nisi contemnas teipsum & mundum propter Deum; qui reddet tibi centuplum in præsenti, & vitam æternam in futuro. Matt. 19.

3. O frater peregrine, non sit tibi graue elongari ab amicis & notis; qui sæpe sunt impedimentum æternæ salutis, & subtractio diuinæ consolationis. Vbi sunt socij tui, cum quibus lusisti & risisti? Nescio. Abierunt, & me reliquerunt. Vbi est, quod heri vidisti? Euanuit. Vbi est, quod comedisti & bibisti? Totum perijt. Quid nocuit, quod abstinuit? Nihil omnino. Sapiens ergo, qui Deo seruit, & seculum cum suis delectationibus funditus spernit. Verè ita est. Væ omnibus mundi illecebris ebrijs, quos citò omnis iucunda societas deseret, fugiet, atque sepeliet. Ecce morui sunt omnes. Non vltrà reuertentur ad me; ego magis sequar eos, Deo vocante. Hospites fuerunt super terram, & ego. Omnia hic reliquerunt, & ego. Tanquam vmbra subitò transierunt, & ego.

CAPVT III.

De vera sapientia apud Deum quærenda.

1. *Beatus vir, qui inuenit sapientiam.* Quære veram sapientiam, quam Christus docuit, & exẽplo suo ostendit. Verus sapiens odit iniquitatem, loquitur veritatem, & operatur iustitiam. Qui sobriè, castè, piè, humiliter, & deuotè viuit, & pericula tentationum cauet, sapiens est & Deo placet. Hic bonam famam habet, bonam conscientiam seruat, tristitiam fugat, pacem possidet, & cordis lætitiam frequenter à Deo accipit, quam mundus ignorat nec sapit. Prou. 3.

2. Sapientia mundi vanitas est, & stultitia reputatur apud Deum. Decipit suos amatores, & in fine torquet amantes. Sapientia verò carnis mors animæ est, quæ subitò tollit pariter vina bibentes & delicijs inhærentes. Nam luctus & pœna, post carnis gaudia fœda. Trahitur autem vera sapientia, de occultis verbis & sacris actibus Christi; qui suadet spernere mundum, fugere delicias, domare carnem, pati dolores, subire labores, amare virtutes.

CAPVT IV.

De pugna contra propria vitia.

1. *Regnum cælorum, vim patitur.* Multorum est incipere, paucorum proficere, paucissimorum ad perfectionem peruenire. Aut enim ad carnem nimis labimur, aut in superbiam erigimur, aut aduersis frangimur. Heu rarò hîc inuenitur, qui Deum pure quærat, & seipsum perfectè vincat, & funditus relinquat. Dixit qui- Matt. 11.

quidam deuotus: Rara auis perfectio, arduum nimis vincere seipsum. Qui non laborat pro virtute, non satiabitur eius dulcedine. Omnis virtus bonum habet sibi annexum, & recreat bene operantem. Qui vitiosè agit, generat sibi malum finem, perdit honorem, destruit quietem, inuenit dolorem, auget tristitiam, tollit boni saporem. Qui autē abstinet à licitis, securior est ab illicitis.

2. Qui canis linguam restringit, morsum non timebit: & qui silentium strictè seruat, labijs suis nō offendit. Longè est à mēdacio, à lite, à detractione, à maledictione, ab ira & murmuratione, qui libenter latet & tacet. Qui non audit mala, nec videt vana, facilius ea vitat, & negligit similia recogitare. Sensuum enim custodia puritatis est causa, pacis disciplina, deuotionis camera. Quando ita venit ad mentem, sapientia recedit à prudente. Qui iracundè loquitur, latranti cani assimilatur. Qui autem mansuetè respondet, irę motum frangit, & pro spinis rosas præbet afflicto. Benedicta lingua prudentis, quia sanat vulnera irascentis. Qui resistit vitijs, quàm citò oriuntur & parua videntur, facilius ea expellit, antequam duriora fiant.

3. Qui innititur deuotis exercitijs, orando & meditando quæ cælestia sunt, assimilatur sapienti hortulano, plantanti rosas & lilia in agro suo. Hic valde gaudebit in futuro, cum sanctis Angelis in cælesti paradiso. Angelis est similis, qui puritatem custodit mentis & corporis. Dæmonum est seruus, qui consentit vitijs, & delectatur in cogitationibus prauis. Dura est pugna delectationi resistere, sed durior erit pœna futura in æternis ignibus cruciari. Ardor ardore vincitur, clauus clauo expellitur, risus mœrore fugatur. Cùm amor Dei intrat, cuncta transitoria de corde recedūt. Sapiens est ille, qui spernit millia mille. Omnia sunt nulla, Rex, Papa, & plumbea bulla. Cunctorum finis, mors, caro fœda, cinis. Quantumcumque enim quis se extollit, nil est, mors omnia tollit. Felix peregrinus, qui habet hospitium in cælis.

CAPVT V.

De deuotionis gratia acquirenda.

1. VÆ *vobis, qui ridetis, quia flebitis.* Sicut virtus non potest stare cum vitio, sic deuotio non potest acquiri cum risu & in cōtinuio, sed cum luctu & in silentio. Perfecta autem virtus non subitò acquiritur, sed paulatim cum multo gemitu & dolore, cum firmo proposito proficiendi semper in melius; vim sibi faciendo sæpius, scilicet ieiunando, vigilando, orando, meditando, studendo, scribendo, laborando, à fabulis abstinendo, & in secreto libenter manendo. *Luæ 6.*

2. Omne gaudium, quod de Deo non est citò perit, maculat, & lędit. Bonus sermo suauis est ad audiendum, durus turbat amicum; ociosus perdit temporis fructum. Esto diligens in operando bona, patiens in tolerando mala; & beatus eris in via tua, Deum laudando omni hora. Rarò tibi vnum vel alterum deerit istorum, tristari aut lætari. Felix, qui omnia ad bonum trahit, & de aduersis lucrum sibi facit. Qui Deum diligit, amara sicut dulcia æqualiter à Deo accipit, & gratias agit. Bene & firmiter stat, qui non in se nec in homine, sed in Deo spem suam ponit.

CAPVT VI.

De auditione & lectione diuini sermonis.

Luca 11. 1. BEati, *qui audiunt verbum Dei*. Vile est solatium humanum, quod impedit diuinum. Cùm sacra lectio legitur, Deus tibi loquitur, ideo cum humilitate verbum Dei audi gratanter. Veritas non est aspernanda, à quocumque simplici proferatur. Qui bene viuit, bene docet; & qui bene legit, Dei nuncius est. Fidelis nuncius nociua tacet, vtilia refert, fingere nescit. Pura veritas, iucundum verbum. Subtilis sermo paruulis nocet, blandus sæpe decipit. Falsus narrator, pacis turbator: qui illum audit, scãdalum non euadit. Iudex discretus, omni laude dignus: durus & immisericors, non est misericordia dignus. Iracundus animus torquet seipsum grauiùs, vexat innocentes sæpius, maledicit potentibus occultè, & deridet apertè bene agentes.

2. Dolosus in verbis fallit sibi credentes, ideo paucos habebit amicos. Bonum est tacere mala, sanctum vera proferre, rationabile modestè agere. Iustum est nulli nocere, pium omnibus prodesse, religiosum verbis & moribus proximum ædificare. Prudentis est agenda præmeditari, & sine causa nil noui quærere; ignota non facilè enarrare, dubiosa non statim confirmare. Magnum bonum pro pace cordis, silentium oris: nam os fatui, quasi semper apertum rixisque proximum. Qui Deo placere desiderat, cor & os custodiat; ne deuotionis gratiam perdat, & quietem amantes offendat. Multa pulchra verba non implent saccum, nec eloquentia verborum sanctificat otiosum neque ambitiosum. Qui bene facit, bene habebit.

CAPVT VII.

De diuina consolatione in tribulatione.

Psal. 33. 1. IVxta est *Dominus his, qui tribulato sunt corde*. Nemo inuenitur tam bonus & deuotus, cui non occurrat aliquid oneris & grauitatis. Cùm ergo fueris in tribulatione & cordis mœrore, tũc

es cum Iesu in cruce. Cùm autem iterum consolaris in oratione per gratiam sancti Spiritus, tunc quasi ex mortuis cum Christo resurgis de sepulchro, & celebras Pascha in nouitate vitæ cum Iesu in corde iubilando. Cùm verò audieris aliquem indigua & dura verba tibi dicentem, tunc datur tibi de calice Domini bibere, pro medicina animæ tuæ.

2. Tace, & bibe salutis procula sine murmure, & Dominus respondebit pro re, in vita & in morte. Non obliuiscetur tui Deus. *Matt. 26.* Nihil glorioſius, quàm silendo & patiendo obstruere os loquentis iniqua; & sequi exemplum Christi tacentis coram Pilato, cui multa falsa fuere obiecta. Non enim es melior Deo tuo, pro te flagellato ac deriso, & tandem à malignis occiso. Nescit homo, quàm bonus sit & virtuosus, nisi cùm vexatus fuerit aduersis. Christus multos habet amatores & sodales mensæ, sed paucos sectores abstinentiæ.

3. Verus amator crucifixi non refugit pati dolores, nec confundi à peruersis; vt sit Christo conformis in scandalo crucis. Nam *Phil. 5.* cui Christus viuere est, huic pati & mori pro Christo lucrum est maximum. Quanto ardentiùs Deum quis diligit, tanto minùs mortem timet; & eo amplius dissolui concupiscit, vt cum Christo feliciter viuat, & in perpetuum cum Angelis gaudeat. Felix anima, quę Iesum medullitus amat, præsentia bona amore æternorum vilipendit; pro nomine Iesu mala patienter tolerat, & ad pedes Iesu humiliter se prosternit & orat, vt in virtutibus proficiat, & constans perseueret.

CAPVT VIII.

De gaudio bonæ conscientiæ, in Spiritu sancto.

1. G*Audete in Domino semper*. Congaude bonis, sustine malos, *Phil. 4.* compatere afflictis, ignosce delinquentibus, ora pro omnibus. Proijce à te malam tristitiam, quæ importat acediam & rancorem. Assume dulcem & sanctam meditationem, de vita & passione Christi; & inuenies veram consolationem; contra omnem tristitiam & tentationem. Bona vita meretur laudem, tepida conuersatio sibi & alijs est onerosa. Bona conscientia parit gaudium, mala conscientia generat sibi tormentum. Studeas semper bene agere, & eris in bona pace. Non tibi nocebunt mala prauorum, si permanseris firmus in recta via iustorum. Bona conuersatio hominis fert secum lętitiam cordis, & famam iustæ laudis. Vana exultatio, citò perit ab ore laudantis. Plus nocet blanda laus stulti, quàm dura correptio iusti.

2. Humilis oratio ascendit in cęlum, placat Deum, impetrat

gratiam, repellit diaboli fraudem. Humilis confessio meretur veniam, friuola excusatio aggrauat culpam. Vera contritio delet maculam, feruens meditatio minuit pœnam. Vana fabulatio subtrahit deuotionis gratiam, bona locutio auget lætitiam. Cauta custodia sensuum vbique necessaria, vtilis est vago clausura. Frequens oratio, firma protectio; oris silentium, pacis domicilium. Multi feruenter incipiunt, sed perseuerantia accipit gloriæ coronam. Iugum Christi amantibus est suaue, tepidis graue, superbis amarum, mitibus leue, humilibus charum. Dulcis Iesus, omnia dulcia & leuia facit. Carnalis semper mollia quærit, spiritualis talia fugit & odit. Maximè iustus dolet, quia omnes motus vitiorum extinguere nequit. Sed quare Deus ista permittit? Ideo, vt homo semper se humiliet, & adiutorium diuinum semper imploret.

3. Sicut superbus in honoribus, & diues in diuitijs lætatur; sic verus humilis in contemptu suijpsius, & pauper spiritu in paucitate rerum delectatur. Gloria & diuitiæ seruorum Dei, Christus Rex cælorum. Extra Deum omnis delectatio praua, omnis lætitia vana, omnis copia rerum inopia est. Nil quippe animæ famem satiat, nisi solus Deus, qui eam creauit. Magna libertas animi, nil concupiscere, quæ sunt mundi.

4. Vita iusti bona agere, mala pati, in omnibus Deum laudare, de bonis nunquam superbire. Ille Deum veraciter laudat, qui viliter de se sentit; & quicquid boni cogitat, loquitur & facit, hoc totum fideliter Deo asscribit. Cùm ergo de vana gloria tentaris, non consentias, sed cum propheta protinus humiliter dicas: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Fortissimus triũphus hominis, vincere quod delectat, aggredi quod terret; sufferre leniter, quod grauiter dolet. *Psal. 113.*

CAPVT IX.

De bonis moribus humilis fratris.

Iacobi 4. 1 *Humilibus autem Deus dat gratiam.* Omnis actio & locutio religiosi fratris, debet humili verecundia ornari, & nulla re vana occupari. Bonum signum futuræ probitatis in nouitijs & iuuenibus, humiles habere mores, parum loqui & præcipue inter seniores. Qui non assuescit primò audire, & discere tacere, rarò reputabitur inter doctos & sapientes. Ideo multi iudicantur stulti, quia moribus sunt inculti. Citò obedire, frequenter orare, deuotè meditari, diligenter laborare, libenter studere, discursus vitare, solitudinem diligere, deuotum faciunt monachum & tranquillum animum. Legitur in Genesi, quia Deus ad Abel & mune-

ra

ra eius respexit, ad Cain non aspexit. Quare? Quia Abel innocēs Gen. 4.
& humilis, Cain autem inuidus & peruersus. Esto Abel patiendo tibi molestum, non litiges cum Cain, ne perdas pacem & boni nominis famam. Melius est tibi rem tuam perdere, quàm offendere Deum, & lędere fratrem, ac frangere charitatem.

2. Si vis lucrari thesaurum cælestem, proijce à te terræ molem. Si cupis honorem perennem, despice gloriam temporalem. Si desideras pacem, caue contentionis locum, & iræ radicem. Si vis magnus esse in cælo, esto paruulus in mundo. Non te iustifices coram hominibus, quia vana laus humana, vbi accusat mala conscientia. Audax & verbosus, ambo vituperabiles, modum rectum non seruantes. Multi fortes ceciderunt, quia nimis de seipsis præsumpserunt. Multi infirmi conualuerunt, quia in Deo sperauerunt, & eum inuocauerunt. Humilis & mansuetus amabilem se facit omnibus. Austerus & rigidus, auertit sibi approximantes. Vincit sibi contrarios patiens & taciturnus, cum obsequio charitatis. Multiplicat amicos, qui libenter seruit alijs, & compatitur tribulatis. Qui nescit tacere cum tempus est, confundit se coram multis.

3. Prudens est & habilis in artibus, qui scit seipsum facere bonum & commendabilem in virtutibus. Ille fortis est viribus, qui fortiter resistit vitijs. Magnus est dominus, qui dominatur prauis desiderijs suis. Fortis est miles & bene armatus, qui carnem domat continentiæ armis. Dignus est locari cum angelis in cælis, qui castè viuit in terris. Homo castus, amicus Dei, & angelorum socius, virginum cognatus, & Sanctorum ciuis amatus. Humilis & castus vincit dęmones, & terret impudicos. Magnus est prælatus, qui virtuosè se gerit, & dat bonum exemplum subditis. Ille dignus est laude bonorum, qui nititur sequi virtutes eorum. Nobilis est & ingenuus, quem nobilitat sua virtus. Pulcher hic est homo, qui mundus est à peccato. Malus etsi ornatur foris, niger tamen est intus. Ille felix est & diues, qui gratia Dei plenus est, & nil cupit honoris. Fatuus est & insanus, qui amat sibi nociua, & dimittit animę salubria. Hæc est sapientia diuina, quęrere bona sempiterna, & despicere omnia transitoria.

4. Sapiens, qui à statutis patrum non deuiat, & fidei articulos custodit & seruat. Dilectio Dei & mandatorum eius, honorabilis est sapientia. Siquis à te appetit doceri, viam humilitatis ei ostende, & exemplo præcede. Verus humilis nescit inflari, spernit laudari, contemptus gaudet, læsus citò ignoscit.

CAPVT X.

De instabilitate humani cordis.

Ioan. 15. Hier. 2.

1. *QVi manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Cogitationes & affectiones hominum, variæ sunt & instabiles: sed inanes omnes & impuræ, quę de Deo non sunt. O cor humanum, cupidum nimis & insatiabile; quàm malum est tibi & amarum, relinquere Deum tuum? Cur multa inania citas, quæ te perfectè consolari nequeunt, nec plenè satiare? Quid igitur facies, quò te vertes, vt bene habeas? Reuertere citò ad cor tuum, vide in quantis offendisti; cura emendare, quæ deliquisti. Præpara Deo domũ mentis, custodi te ab irruentibus imaginibus & curis externis, vt repleatis consolatione sancti Spiritus.

2. Qui sæpius foris euagatur, rarò inde melioratur. Omnia ad nihilum tendunt, quę foris nitida apparent. Nec videntem satiant visa, nec audita implent corda; & nisi omnia referãtur ad laudem creatoris, inanis est omnis visio videntis. Hinc sanctus Dauid cũ

Psal. 91. cithara laudes canit Deo in excelsis: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Nemo stabilitur in bono creato, sed tantùm in Deo solo summo bono. Sta in veritate, & veritas liberabit te de omni mendacio & iniquitate, de tua persona fabulata. Omnia quæ de proximo malè finguntur, reuer-

Ioan. 14. tentur in caput obloquentis. Christus veritas est: & qui sequitur Christum, amator est veritatis & omnis virtutis. Qui deserit veritatem propter lucrum temporale vel honorem, perdit fidem & virtutis decorem. Deus veritas est, & mendaces non finit diu latêre. Malus ad tempus fingere potest, sed finaliter veridicus prævalebit; & fictus confundetur, vbi non æstimat. Noli aliqua cogitare nec desiderare, nisi quę recta sunt, & Deo maximè placent: hæc enim sunt virtutes, & bona opera ad honorem Dei facta.

3. Qui loquitur veritatem, & odit iniquitatem, hic magnus erit in regno cœlorum. Qui operatur iniquitatem, & odit veritatem, in æternis pœnis cruciabitur. Mane in veritate & charitate, & eris acceptus Deo, & angelis, & hominibus. Nec timeas. Malus potest auferre aliqua transitoria, sed Deus reddet patienti multo maiora & æterna. Si vis habere pacem & bonam conscientiam, ferua humilitatem, patientiam, & obedientiam. Nullus hostis peior tibi, quam tu ipse tibi grauiter commotus. Si enim proprios defectus cautè consideres, aliorum facta parum ponderabis.

CAPVT

CAPVT XI.

De fiducia in Deo habenda tempore angustiæ.

1. SPera in Domeno, & fac bonitatem. Nemo vanè exultet de bonis temporalibus: nemo de suis amicis & cognatis nimis confidat: quia omnia incerta sunt, & plena periculis. Qui autem confidit in Domino, & in necessitaee ad eum clamauerit, non deseretur ab eo, in quacumque tribulatione fuerit. Pax magna bene amanti, bona loquenti, nemini nocenti, ab omni via mala & inigna cogitatione se custodienti. Claude ostium domus tuæ, & eris in pace. *Psal.* 36.

2. Cadit facillimè, qui non proponit quotidie aliquid boni in corde, tanquam scutum contra ictum Satanæ. Multi, cùm eis non succedit prosperè, desistunt orare & repugnare. Attamen sine labore & certamine virtus non acquiritur, nec sine cautione custoditur. Vagus & leuis moribus, horret disciplinam & cellam, sicut auis capturam. Non desperes grauiter tentatus, aut duriter correptus, aut derisus, aut confusus, aut despectus: sed memento, quòd iniquitas tua despici & castigari iustè meretur. Sustine patienter, & loquere confidenter: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* In tentatione & tribulatione, homo addiscit Deum sibi esse magis necessarium, propter suam indigentiam & defectuum grauitatem. Fatuus & infidelis est seruus, qui de bonis domini sui vult superbire, & alios despicere. *Psal.* 118.

3. Qui conseruos suos despicit, & se meliorem reputat, Deum & omnes sanctos offendit. Hic error maximè in nobis oritur, quia humiles non sumus, nec proprios defectus attendimus, quos semper attendere & deflectere debemus. Vnusquisque sufficiens onus sibi ipsi est. Quid ergo prodest quòd alienis te ingeris; & plus tollis, quam portare vales? Ideo interdum homo apertè cadit aut errat, aut aliquid negligit: vt confusus coram alijs se humiliet, compati discat, erranti subueniat, & apud se casu proprio doctus dicat: Hic homo est: non angelus: sicut mihi accidit, sic & illi contigit. Fratres sumus: Ego malè, ipse fortè bene prætendit. Qui nunquam cadit nec errat, solus Deus est. Quare rides de lapsu alterius? Qui stas, vide ne cadas. Deride lapsum tuum. Aperta confusio, sæpe est extinctio vanæ gloriæ. Noscere atque excutere se quemque oportet. *1. Cor. 10.*

CA-

CAPVT XII.

De virtute orationis, & vtilitate sacræ lectionis.

1. Thes. 5. 1. *Sine intermissione orate.* Quare? Quia vbique sunt tribulationes & tentationes, vbique insidiæ, & immissiones per angelos malos. Rarò audiuntur bona noua, vbiq; insurgunt prælia multa; intus timores, foris pugnæ. Nulla dies sine labore, nulla hora absq; mortis horrore. Fiunt autem iusto Dei iudicio bella & incendia, propter hominum peccata; & vt electi excitentur flagellis ad cælestia quærenda. Ideoque continua oratio summè est necessaria, contra omnia mundi pericula: tanquam fortis lorica, contra hostium iacula. Qui non orat, non pugnat: & qui viriliter non resistit, citò vincitur, & coronam perdit. Sed quis potest semper orare & pugnare? Omnia potest, qui Deum inuocat, & in eo confidit. Nam propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Si non potes semper ore clamare, ora spiritu & mente, ora desiderio & pia intentione. Iuge sacrificium in ara cordis est bona voluntas semper bene agendi, & semper Deo seruiendi. Semper enim orat, qui semper bene facit. Qui de præteritis malis dolet, & pro futuris bonis gemit, orare non desinit. Dic cum sancto Dauid: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.*

Psal. 144.

Psal. 37.

2. Valde vtilis est sermo Dei, & sacra lectio, ad recolligendum animum per diuersa distractum, aut aliqua passione grauatum. Lectio ostendit rectam viam viuendi, exempla prouocant ad imitandum, oratio impetrat gratiam ad perficiendum. Bona est lectio de Deo, melior oratio ad Deum, optima operatio propter Deum. Beatus, qui omnia verba & facta sua ordinat ad laudem Dei, sicut in beatitudinis finem; vt sit Deus omnia in omnibus & super omnia benedictus & laudatus in secula.

3. Quomodo potest religiosus dici & effici deuotus, quem delectat magis fabulari, quàm legere & orare. Qui libenter vana audit & leuia profert, vili precio animam suam vendit. In omni tribulatione & tentatione ad orationem recurre, sicut ad portum animæ tutum, diuinum implorando auxilium. Quanto citiùs, tanto melius: quantò tardiùs, tanto peius. Quanto sæpius, tanto vtilius: quanto feruentiùs, tanto Deo acceptius. Pius & misericors Deus vult rogari, causas dat orandi, spem promittit exaudiendi dicens: *Petite, & dabitur vobis.* Horratur verbis, prouocat exemplis: minatur virgis, blanditur donis; castigat aduersis, lætificat prosperis; & sic fit vespere & manè dies vnus. Sæpe etiam dat Deus experimentum internæ suauitatis deuotè orantibus, secretò manen-

Matt. 7.

Gen. 1.

manentibus, & libenter tacentibus; quod denegat fabulantibus, & foris vagantibus.

Nuncia bona quę.

4. Qui vult bona noua audire, audiat Christum loquentem de regno Dei, de iudicio futuro, de cæleſti Hieruſalem, de felicitate ciuium ſupernorum, de ordinibus & choris angelorum, & gloria & honore omnium electorum, de præmio ſanctorum lætantium in ſecula ſeculorum. Audiat Prophetas myſteria Chriſti nunciãtes, & peccatoribus pœnas intonantes. Audiat Apoſtolos & Euangeliſtas, opera & miracula Chriſti apertè narrantes. Audiat Doctores pulchre ſermiocinantes, obſcura clarè exponentes, moribus vitam ornantes, hæreſes & errores confutantes. Capiat quilibet, quod ſibi deſeruit & placet: nõ ſpernat ſimplicia, nec reprehendat quæ non intelligit alta. Stultum eſt enim reprehendere ſapientes, & iniquum iudicare diuinos & ſanctos.

5. Stude primò humiliter diſcere & parua implere, & Deus dabit tibi maiora (ſi vtile fuerit) citiùs intelligere. Scriptum eſt enim: *Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi.* Qui multa ſcit, & legit; ſi non facit, quæ nouit & didicit, vacuus & famelicus de bona menſa recedit. Qui rarò orat, & parum laborat; diu frigidus & pauper remanebit. Qui contra vitia diſputat, & vitijs non reſiſtit, bona ſemina inter ſpinas iactat. Paruum fructum de multis verbis colligit, qui orando cor à prauis cogitationibus non præmunit. Felix anima, quæ ab omni impuritate irruente ſtrictè ſe cuſtodit: nec patitur quid morari in abdito cordis, quod oculos Dei latenter offendat. Humilis confeſsio peccatorum, purgatio eſt omnium vitiorum, in corde humili & contrito ante Deum. *Ioan. 4.*

6. Deuotus delectatur in precibus, ſtudioſus in libris, virtuoſus in virtutibus, ſuperbus in honoribus, humilis in deſpectibus, diues in prædijs, auarus in pecunijs, mendicus in eleemoſynis, guloſus in cibis & potibus, ocioſus in fabulis, ſobrius in abſtinentia, ſapiens in ſapientia, bõnus monachus in ordinis diſciplina: ſuper omnia autem delectat & lætificat amor Dei, & bona conſcientia. Si vis vincere animæ tuæ nequiſsimos hoſtes, fuge, tace, quieſce, ora, ieiuna, ſtude, labora. Sanctus cogitat ſancta, loquitur vera, operatur recta, ſpernit præſentia, contemplatur æterna. Humilis audit conſilia, prudens cauet pericula, patiens piè fert ſibi moleſta, diligens non negligit opera ſua. Qui parua non cauet, ad peiora corruet.

7. Tepidus de manè, rarò feruescit in veſpere. Qui citò abijcit à ſe torporem & arripit laborem, gaudium ſibi acquirit & magnum honorem: & ſi non ab hominibus, certè à Deo, quod eſt omnibus amplius optandum & præferendum. Nam ipſe merces

omniũ

omnium bonorum laborum, sudorum, & dolorum, perpesque corona sanctorum. Ociosus non satiatur fabulis, virtuosus etiam abstinet à licitis. Ille bene stat & rectè ambulat, qui in humilitate se fundat, & omnes mundi honores pro nihilo taxat. Ille optimè sapit & sapienter agit, qui soli Deo placere studet, exteriora fugit, interna quærit, cælestia appetit, terrena omnia fastidit atque despicit, & amorem Dei omnibus bonis semper præponit.

CAPVT XIII.

De laude charitatis, & fructibus eius.

1. Cor. 16. 1. *Omnia vestra in charitate fiant.* Nobilis virtus est Charitas, quæ omnibus virtutibus supereminet, & scientijs & donis. Hæc Deum amplectitur & angelos sociat hominibus, & de filijs hominum efficit filios Dei & amicos sanctorum. Hæc Christum fecit nasci de virgine, & crucifigi pro humana salute. Hæc animã à peccato purificat, & ad amandum Deum toto corde, toto affectu, toto intellectu, sursum trahit: ac mira dulcedine replet & accendit. Hæc de peccatoribus facit iustos, de seruis liberos, de hostibus amicos, de peregrinis ciues, de ignotis familiares, de vagis stabiles, de superbis humiles, de peruersis mites, de tepidis feruidos, de tristibus lætos, de tenacibus largos, de terrenis cælestes, & de indoctis sapientes. Hæc omnia operatur charitas diffusa in credentium cordibus, per Spiritum sanctum datum eis de cælis. Hæc alas habet latissimas & longas; volat super Cherubim & Seraphim, & super omnes choros Angelorum. Coniungit summa infimis, transit per media, redit ad summa, vnum efficit de multis; lætificat omnes & singulos, non in seipsis vanè gloriantes, sed in diuino amore se super se extendentes. Charitas circuit cælum & terram, mare & aridam; & omnia quæ videt & audit in creaturis, ad laudem & gloriam refert creatoris. Non enim est aliquid tam paruum & vile in rerum naturis, in quibus non luceat bonitas entis, opus artificis, potentia creantis, sapientia disponentis, & prouidentia omnia rectissimè gubernantis. Hæc consideratio facit animam deuotam Deum laudare, omni loco & tempore benedicere, exultare & iubilare. Per hanc animus ardescit intus, & sicut cera liquescens à facie ignis; nescit modum tenere, sed super omnia cæli luminaria volitat, vt vnicum dilectum suum, & omnium rerum conditorem, omnibus præsidentem, inueniat; quatenus in eo felicissimè gaudeat, & securè quiescat.

Rom. 7.

2. O quàm iucundè, & quàm bene illi est, cui adhærere Deo, & secretè frui datum est? O si parum mihi gustare liceat, quod angelis clarè patet, & finem non habet! Sed ad actiuã vitam redeundum,

dum, & contra tentationes quotidianas fortiter per virtutem charitatis præliandum. Sæpe enim post gaudium sequitur luctus, post solatium tristitia, post risum fletus, post pacem & tranquillitatem bellum & anxietas, & post magnam consolationem sequitur grauis desolatio, aut importuna tentatio, vel corporis læsio, aut hominum vexatio, aut amicorum subtractio, aut hostium inuasio, aut mentis conturbatio, aut derisio paruulorum, aut increpatio maiorum, aut dura correctio prælatorum. Omnia hæc contingunt ad humiliandum cordis nostri superbiam, ad compatiendum infirmis, tribulatis & tentatis. Non ergo confidamus in nobis, nec alta sapiamus, nec commoda nostra quæramus: sed in omnibus humiliemus nos, subiecti Deo & omni humanæ creaturæ propter Deum in vera charitate. Per charitatem venit Deus in mundum. Per charitatem reduxit hominem ad cælum. Per charitatem Christus descendit ad hominem peccatorem. Per charitatem & crucis ignominiam, ascendit ad Patris dexteram, & dedit homini maximum honorem. 1. Pet. 2.

3. Charitas nunquam est ociosa, operatur enim magna & sublimia, inclinat se etiam libenter ad humilia & abiecta. Ipsa perficit diligenter honesta, delectatur viliora sibi iniungi ex obedientia. Non abhorret tangere infirmorum vulnera, lauare pedes, sternere lectulos, purgare vestes, tergere sordes. Ipsa patienter fert aspera, lætatur inter opprobria.

4. Sicut ignis consumit ligna, sic charitas vitia extinguit. Cor mundat per contritionem, lauat per confessionem, abstergit per orationem, illuminat per sacram lectionem, accendit per deuotam meditationem, colligit per secretam habitationem, coniungit animam Deo per feruentem amorem. Charitas excitat os hominis ad laudandum Deum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, oculos ad contemplandum, memoriam ad recordandum, exteriora membra ad seruiendum, interiora dona ad amandum Deum super omnia bona in cælo & in terra. Ipsa charitas in humili anima delet mala præterita, munit contra futura, iustruit de præsentibus, liberat de multis dubijs, prohibet à curiosis, amputat superflua, excludit vana, arguit falsa, odit turpia, mitigat dura, illuminat obscura, aperit oranti cæli secreta, ordinat omnia intus & extrà. Charitas est bona voluntas in anima sancta, quæ non definit recta operari; quamuis debilitas vel necessitas quandoque non permittat agere bonum, quod prætendit.

5. O felix munda anima, cui Deus est omnia; quæ præter Deum nil sentit iucundum nec preciosum, sed cuncta amara ei videntur & onerosa. Talem Deus requirit, talem diligit, qui se & omnia propter eius amorem spernit & relinquit, fortiter certat, & cor-

cor suum in puritate custodit. Citò & liberè ad Deum anima pura pergit, & super omnia mundi condita euolat, quæ in terris nil commodi vel honoris concupiscit. Charitas Christi omnia vincula mundi soluit, omnia onera leuia facit; & quæcumque Deo placent, fideliter implere satagit. Vnde cum Christo orat, & dicit: Matt. 25. *Pater non mea voluntas, sed tua semper & vbique fiat.*

CAPVT XIV.

De vigili cura & labore contra tentationes.

Iacob. 4. 1. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Vbicumq; fuerit bonus homo occupatus cũ Deo, orando, meditando, studendo, scribendo, ibi assunt angeli sancti congaudendo, assunt & dæmones ipsum tentando & distrahendo. Cùm inceperis orare, fugiunt dæmones, quasi ab igne sancti Spiritus: & cùm volueris fabulari, redeunt omnes celeriter ad excitandos rumores inanes. Si autem superuenerit bonus prælatus, dissipabit mox omnes fabulantes, & arguet ocio vacantes, & bona opera negligentes. Maneas ergo in silentio, & cogita de Deo tuo pro solatio habendo: & liberaberis de tædio boni operis, perseuerans in bono, incepto.

2. Esto fidelis in modico, & lucraberis decem milia talenta in regno superno. Non sis ociosus in secreto, nec verbosus in publico, & fugiet diabolus victus à taciturno. Odit enim laborantem & tacentem, orantem & bona meditantem. Vbicumque fueris solus vel cum alijs, oportet te certare, vigilare, & orare contra tentationes carnis & spiritus. Certa fortiter, ora feruenter, labora diligenter, stude frequenter, tace libenter, sustine patienter. Spera in Domino semper, quantumcunque fueris tribulatus & desolatus vehementer. Qui seipsum in omni loco & tempore ponit ad patientiam, maiorem nunc habebit pacem, & de aduersarijs victoriam, & in futuro cum electis clariorem gloriæ coronam obtinebit.

CAPVT XV.

De fraterno onere inuicem portando.

Galat. 6. 1. *Alter alterius onera portate.* Quoniã quidem omnes in Christo vnum sumus, ideo fraternam charitatem tenere debemus in vinculo pacis, & in bono semper concordare. Omnes Christi membra sumus, renati in baptismo per gratiam Spiritus sancti, passione Christi redempti, sanguine Christi mundati, corpore Christi refecti, verbis Christi eruditi, miraculis Christi cõfirmati, exemplis Christi ædificati. Cur ergo alter alteri nocetis, fratres

fratres mei? Qui alium verbo vel facto lædit, Christum offendit. Christus vindicabit, Christus puniet, nisi citò se emendauerit. Vnum Deum Patrem habemus in cælis, omnes in Christo fratres sumus, de quacumque ciuitate vel patria hîc cõgregati, aut quantalibet parentela nobili vel ignobili generati. Vnus Deus nos omnes creauit, vnus pascit & gubernat, vnus ad vnius beatitudinis finem nos vocauit: & quotidie vocat, per vocem foris, per contritionem intus: qui se nobis videndum promisit in præmium æternum in conspectu Angelorum, cum vnanimi felicitate omnium ciuium supernorum. Si ergo à Deo vnanimiter vocati sumus, vno precio redempti, vno spiritu omnes potati: studeamus mutuò diligere & seruire. Si Christo placere cupimus, propter Christum inuicem onera nostra portemus, & ex charitate pro inuicem oremus; quia sic Deus in nobis est, & nos in Deo sumus. Quicquid ergo imperfectionis & ineptitudinis videmus vel audimus, hoc piè in bonum interpretari debemus, sicut de nobis fieri optamus.

2. O frater amande, porta, & portaberis; excusa, & excusaberis. Compatere peccanti, & compatietur tibi. Consolare lugentem, & consolaberis à gaudente. Erige cadentem, & erigeris Domino auxiliante. Sicut feceris alteri, sic fiet etiam tibi, Deo iustò iudicante & vindicante. Non mireris, nec indigneris, si cadit homo fragilis in mundo; quia Angelus cecidit in cælo, & Adam in paradiso, victus à modico pomo. Sæpe valde parua res est, vnde homo valde grauiter tentatur in seipso, vel etiam vexatur ab alio. Hoc Deus iustè permittit cõtingere, vt veraciter cognoscas, quòd si non potes parua vincere, non poteris grauiora superare.

3. Esto benignus in fratrem tentatum, & ora pro tribulato sicut pro temetipso. Bonum tuum, bonum meum per congratulationem: & malum tuum, malum meum per compassionem. Nam omnes fragiles homines sumus, idcirco pro inuicem orare & charitate tenemur. Nemo alteri improperare potest defectum eius, se neglecto. Quia si quis aliquem defectuosum despicit, quasi cæcus cæcum illudit, & surdus surdo maledicit, & stultus stultum deridet. Tace de alio tibi non commisso malè loqui, sed teipsum magis respice & corrige, quòd prauè feceris. Si rectè iudicas, & proximum emendare intendis, à teipso incipe. Et tunc procede nõ commotè, sed modestè & discretè. Si diligis me sincerè & fraternè, compatere mihi sicut tibi, & ora pro me. Qui alium corripit, & pro eo non orat nec condolet, crudelis est hostis; non medicus pius, sed onerosus fabulator. Qui pro alio sicut pro seipso orat, duplex bonum facit. Quanto quis plus habet de bono fraternæ charitatis, tanto libentius pro eo orat, vt perfectius se emendet, &

Ora pro eo quem corripis alioqui hostis es non medicus.

& oculos infirmorum non offendat. Ideo amplius contristatur, si audire noluerit, & admonenti indignatur: Quilibet est alteri aut rosa redolens, aut spina pungens.

CAPVT XVI.

De amore Christi, & odio mundi.

Ioan. 15. 1. MAne *in dilectione mea*. Vox Christi, vox dulcis ad audiendum, salubris omnibus ad obediendum. Amor Christi iucunditas mentis, paradisus animæ, excludit mundum, vincit diabolum, claudit infernum, aperit cælum. Amor Christi & amor mundi contrarij sunt, & nihil commune habent, nec simul commorari possunt. Amor Christi, currus Heliæ ascendens in cælum: amor mundi, quadriga diaboli trahens ad infernum. Amor sui, læsio sui; obliuio mundi, inuentio cæli. Plus nocet blanda locutio ficti amici quàm dura correptio hominis iusti. Cogitatio dolosi fingit mendacia, mens iusti rectè procedit in causis. Non euadet scandalum, qui alteri infert scandalum. Rector & cognitor omnium Deus, non diu patitur ouiculam suam errare & balare: sed aut baculo timoris feriens reuocat; aut amoris oculo intuens, Prou. 11. ad conscientiam reducit.

2 Vbi pax & concordia, ibi Deus & omnia bona. Vbi lis & dissensio, ibi diabolus & omnia mala. Vbi humilitas, ibi sapientia, Vbi superbia, ibi radix malitiæ. Vince superbiam, & inuenies pacem magnam. Vbi dura verba, ibi læduntur charitatis viscera. Vbi solitudo & silentium, ibi quies monachorum. Vbi labor & disciplina, ibi profectus religiosorum. Vbi risus & dissolutio, ibi fugit deuotio. Ociosus & verbosus rarò compunctus, rarò à delicto purus. Vbi prompta obedientia, ibi læta conscientia. Vbi fabulatio longa, ibi operis negligentia. Vbi propria exquisitio, ibi charitatis defectus. Vbi doctrina Christi viget, ibi salus animæ crescit. Vbi fratrum concordia, ibi dulcis melodia. Vbi mediocritas seruatur, ibi virtus concordiæ diutiùs perseuerat. Vbi discretio in corripiendo culpas aliorum custoditur, ibi nemo iustè conqueri debet, nec facilè prælato indignari Vnde quidam: *Omnibus adde* Cato. *modum, modus est pulcherrima virtus.* Vbi patientia, ibi magna hostis victoria. Vbi turbatio intrat, ibi pax citò de domo recedit. Claude oris ostium, & pondera verba tua antequam loquaris. Vbi fides & veritas, ibi pacis securitas. Vbi dolus & nequitia, ibi stulta cogitatio & cæca prudentia. Vbi charitas, ibi Spiritus sanctus. Vbi leuis suspicio, ibi frequens indignatio. Vbi veritatis cognitio, ibi rectis corde lætitia. Vbi ficta narratio, ibi sæpe amici deceptio latet. Vbi humilis confessio, ibi facilis veniæ impetratio.

Vbi

Vbi terrena sapientia deficit, ibi diuina protectio ampliùs est inuocanda. Quicumque malitiosè iniusta prætendit, ipse malum finem consequetur. Pax multa bene agenti, & ad patientiam se præparanti. Vę impio in malo, & ficto in bono: quia nemini plus nocet iniquitas eius, quàm illa ipsi. Vbi duplicitas, ibi inconstantia & multa nequitia. Bene simplici & iusto sine dolo, quia Deus cum eo, dirigens omnia opera eius itinere recto. Qui verbum suum malè seruat, quis facilè ei credet? Qui autem verbum suum in melius mutat, verbum veritatis non infringit. *Iacob. 1.*

5. Delectabile est bona audire, sed laudabile magis opere exercere. Optima collatio, vitæ emendatio. Fructus bonæ collationis, abstinere à peccatis, & proficere in virtutibus. Fructus deuotæ orationis, vnire cor suum cum Deo, in feruore sancti Spiritus. Ille deuotè orat, qui omnia vana à se excludit. Qui imaginem crucifixi sibi præponit, diabolica phantasmata citò repellit. Pulchra animæ imaginatio, passionis Christi iugis recordatio. Qui sacra Iesu vulnera quotidie pensat, mentis suę vulnera mitigat, purgat, & curat. Qui omnia terrena tanquam lutum vilipendit, nec honores desiderat; cordis munditiam acquirit, & Deo liberè vacare potest. Ille Deum summè laudat & honorat, qui seipsum profundè humiliat, & defectus suos cautè considerat, gemit, & plorat. Magnus clamor in auribus Dei, vera contritio cordis ex ore humilis peccatoris.

4. Quicquid boni facis, ad laudem Dei facias. Qui virtutes suas, & aliorũ quælibet opera bona, simpliciter & integrè, purè & liberè ad laudem & honorem Dei refert, totum Deo asscribendo, nil meritis suis nec viribus attribuendo; sed ab omnibus se spoliat & denudat, superbiam, inuidiam, & vanam gloriam funditus calcat & necat. Æterna namque gloria & honore se priuat, qui in se & non in Deo solo summo bono gaudet. Ideoque beata Virgo Maria, pro maximis donis sibi collatis, in suo deuotissimo cantico iubilans, dicit: *Exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo. Qui se aliquid esse putat, cùm nihil sit, seipsum seducit*, ait Apostolus Paulus. Qui in tertium cælum raptus, non est hoc elatus; sed quicquid boni fecit, docuit, & dictauit, hoc totum fideliter Deo attribuit, dicens: *Gratia Dei sum id, quod sum.* *Luc. 1.* *Galat. 6.* *1. Cor. 15.*

CAPVT XVII.

De imitatione sanctissimæ vitæ Domini nostri Iesu Christi.

Matt. 25. Qui quomodo Iesum vel imitentur, vel in orent.

1 *Quod vni de fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Notate verba, signate mysteria, imitamini exempla. Qui fratri indigenti subuenit, Iesum per manũ retinet: Qui onus sibi impositum patien-

patienter sustinet, Iesum & hunc crucifixum in humeris suis portat. Qui fratri contristato solatiosum verbum respondet, osculum amorosum ori Iesu tribuit. Qui alterius culpam plangit, & pro ea veniam petit, pedes Iesu lauat & extergit. Qui irascentem ad pacem reformat, lectulum floridum Iesu in anima parat. Qui fratri in mensa meliora quàm sibi apponit, Iesum charitatis dapibus & fauo mellis pascit. Qui bonas meditationes de Deo assumit, Iesum in thalamum cordis sui introducit. Qui fratri librum sacræ lectionis porrigit, vinum optimum ori Iesu propinat. Qui ociosa verba loqui prohibet, muscas de mensa Iesu expellit. Qui detractiones audire renuit, & loquentes inhonesta corripit, nigrum canem de domo Iesu baculo ferit & fugat. Qui inter refectionem bene & distinctè legit, conuiuantes in mensa Iesu poculo cælesti lætificat, & inebriat sitientes. Qui malè legit, saporem cibi minuit; & qui sæpe titubat, mappam Iesu maculat.

2. Qui mala alterius audit, & multum inde dolet & gemit, sacra Iesu vulnera tangit & perungit. Qui bona exempla & virtutes de proximo suo narrat, pulchros flores oculis Iesu repræsentat. Qui verba Iesu deuotè legit & prædicat, in naribus audientium dulcia aromata spargit. Qui defectus alterius piè portat & excusat, misericordiam Iesu citò impetrabit. Qui diffamiam alterius & scandalum proximi occultat, nuda Iesu membra vestibus tegit. Qui diuina miracula & humilia Christi opera sedulò cogitat & suauiter ruminat, mel & lac ex ore Iesu accipit. Sic enim beatissima Agnes dixit & fecit, quæ etiam pro amore Iesu sanguinem suum fudit. Qui pro debili & infirmo fratre legit aut cantat, ante incunabula Iesu cum Angelis iucundè citharizat. Qui deuotè orat, & à delicatis cibis abstinet, & proprijs rebus renunciat, cum sanctis Magis tria preciosa munera Iesu manibus offert. Qui capitia fratrum ac vestes lauat, cum sancto Ioanne Baptista Iesum baptizat. Qui cellam suam custodit & tacet, cum Iesu desertum intrat. Qui vitijs resistit & corpus castigat, cum Iesu ieiunat. Qui fratri salutare verbum dicit, cum Iesu regnum Dei prædicat. Qui pro infirmo & tentato fideliter orat, cum Iesu Lazarum visitat, & cum Maria & Martha plorat.

D. Agnes.

3. Qui pro fidelibus defunctis Missas celebrat & vigilias legit, cum Iesu ad monumentum Lazari transit, orans vt animas à pœnis misericorditer liberet. Qui cum fratribus ad commune refectorium vadit, vt sacram lectionem audiat, cum Iesu & discipulis eius cœnat & bibit. Qui eloquia Dei in mensâ lecta in corde suo recondit, cum sancto Ioanne Apostolo supra pectus Iesu in cœna recumbit. Qui in aduersis humiliter & promptè obedit, Iesum veraciter cum discipulis in montem Oliueti sequitur, vbi tra-

traditus & captus fuit. Qui in tribulatione & tentatione instanter & feruenter orat, cum Iesu in agonia cõtra diabolum pugnat. Qui suum velle & nolle totaliter relinquit, cum Iesu voluntatem Patris sui gratanter implet, & crucem in Caluariam portat. Qui pro aduersarijs suis orat, & in se peccantibus libenter indulget; cum Iesu pro inimicis rogat, ne malè pereant: sed conuertantur ad Deum, & viuant. Qui omnibus, quæ sunt mundi, sponte renunciat, & cuncta visibilia oblationi trádit, cum Iesu in cruce moritur, & cum Paulo in paradisum rapitur.

4. Qui cor suum mundum & quietum seruat, Iesum in sindone munda inuoluit, & in corde sepelit. Qui in seruitio Iesu vsque in finem perseuerat, cum Iesu in sepulchro suauiter dormit & requiescit. Qui beatæ virgini Mariæ in doloribus eius compatitur, hic iterum ab ea in angustijs suis, cum pio filio eius Iesu consolari meretur. Qui omnia verba & gesta Iesu mente recolit, & dente conterit, dulces aromatum species illi præparat, quæ ad solatium animæ tristis optimè valent. Qui de beneficijs sibi collatis humiliter & deuotè gratias agit, cum Maria Magdalena ad monumentum Iesu cum aromatibus venit. Qui post contritionem & confessionem peccatorum, firmiter se emendare proponit, cum Iesu à morte culpæ resurgit. Qui torporem mentis abijcit, & nouum feruorem arripit, nouum Pascha in spiritu cum Iesu celebrat, & alleluia cum eo in choro iubilans cantat. Qui omnia sæculi gaudia spernit, pericula fugit, religiosam vitam quærit & acceptat: cum Iesu & discipulis eius cœnaculum clausum intrat, vt in secreto liberiùs Deo seruiat, puriùs viuat, & Spiritum sanctum pleniùs accipiat. Qui omnia temporalia negligit, & in meditatione sancta ad cælestia totus inardescit, cum Iesu ad cælos pergit & ascendit. Beata anima, cui Christus viuere est, & mori cum Christo lucrum. Oportet, quòd sibiipsi moriatur, qui Christo viuere desiderat. Oportet, quòd omnia caduca relinquat, cui Christus sapere & dulcescere debet. Labor est in relinquendo, dolor in moriendo, sed æterna salus & vita cum Christo feliciter regnando. O quando hoc erit, vt solus Deus mihi totus sit, & ego illi totus intentus & vnitus? Quamdiu enim anima fidelis non est Deo vnita in gloria, non potest plenè esse beata. Sequere ergo Christum passibus amoris in vita tua, per fidem charitate feruentem: vt dignus fias videre cum facie ad faciem, Angelos beatificantem. Ad quam intuendam nos omnes perducere dignetur Iesus Christus post mortem, qui pro omnibus nobis amaram pertulit crucem, Amen. *Phil. 1.*

CAPVT XVIII.

De æterna laude Dei.

Psal. 33. 1. *SEmper laus eius in ore meo.* O dulcis vox in auribus deuotorũ, sed dulcior in præsentia Dei & sanctorum Angelorum. Si omnia organa musicorum canerent, & laudem Dei nõ resonarent; invanum concreparent, nec animam sanctam recrearent, neque satiarent. Oportet enim, quòd Deus & honor eius sit causa canendi, & omnis vanitas sit exclusa, si laus debet esse Deo grata & accepta. *Luca 1.* Si intentio tua fuerit pura, tunc poteris exultare in vera cordis lætitia cum Maria. Dulcis symphonia in cælo & in terra, laudare Deum puro corde & consona voce cum omni creatura, pro sua immensa bonitate & excellenti magnificentia. Delectabile opus laudare Deum omni tempore, diligere creatorem cæli & terræ, honorare maximè æternæ vitæ largitorem. Siquidem sanctorum Angelorum vita, honor, & gloria, laudare Deum totis præcordijs, & nunquam à laude cessare; qui nunquam possunt fatigari, nec inaniter gloriari. Hoc etiam agunt sanctorum animæ in cælesti patria, liberatæ de vinculis corporum, de laqueis Satanæ, ab omni tentatione eius securæ, & iam Deo vnitæ in perfecta charitate, & perenni lætitia, & ineffabili beatitudine repletæ. Recogitant modò liberæ cum maxima dulcedine, in quãta fuerunt tribulaitone & amaritudine, & quanta euaserunt pericula & tentamenta huius miseræ vitæ. Versa sunt eis omnia lamenta in cantica lætitiæ, & dura verbera in augmenta pulchrioris coronæ.

Psal. 147. 2. O quàm beata illa patria, vbi pacata sunt omnia, tristitia nulla, omnia iucunda, diuina laude & dulci iubilo plena. Benedic ergo & tu anima fidelis Dominum de cælis, lauda Deũ tuum Sion grauata pondere carnis. Inuoca Iesum in loco certaminis, vt asit tibi à dextris tuis & sinistris cum Angelis sanctis. Ora ne præualeat contra te dæmonum impetus, ne decipiat te mollicies carnis, ne frangat te rigor ordinis, aut labor corporis. Suscipe pro Christi amore onus sanctæ crucis, quæ aperiet tibi portam regni cælestis. Quid amplius cupis? Via regia veniendi ad Christum, est vincere propriam voluntatem, sustinere defectum, non quærere carnis commodum. Habebis certè æternam requiem pro paruo labore, æternum honorem prò humili statu & infimo loco. Sit ergo semper laus Dei in ore tuo, in prosperis & aduersis; multum enim in hoc potes promereri, si plenè te resignaueris ad voluntatem Dei. Quicquid grauitatis tibi occurrerit interius aut exterius, hoc accipe piè & gratiosè de manu benignissimi creatoris:

Deus perpetuò laudandus ab omnibus peromnia

ris: qui curam gerit de omnibus nobis, pusillis & magnis. Qui te fecit ad imaginem suam, non relinquet te in necessitatibus tuis, propter immensam bonitatem suam.

3. Aperi ergo os tuum in laudem Dei omnipotentis, cuius prouidentia reguntur omnia in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Lauda creatorem tuum, qui te fecit hominem & non bestiam: & si te muscam fecisset, adhuc laudandus esset, & bene fecisset. Non potest leo gloriari de fortitudine sua, contra muscã & culicem; quia si leo potest altiùs clamare, non tamẽ potest tam altè sicut musca volare. Ne ergo sit contentio inter magnum & paruum, inter diuitem & pauperem, inter fortem & debilem, inter sapientem & simplicem, inter regentem & seruientem. Omnes pariter laudemus Dominum Deum nostrum, qui creauit omnem creaturam mira pulchritudine & varietate, ad laudem nominis sui & gloriam, & hominum vtilitatem largiter & apertè demonstrandam. Lauda anima fidelis redemptorem tuum, qui te redemit de manu æternæ mortis, per passionem suę benedictæ crucis. Cui dignè regratiari non poteris, iam si millies pro ipso mori & crucifigi posses. Lauda protectorem tuum, qui te à multis periculis & à peccatis custodiuit. Lauda benefactorem tuum, qui tanta beneficia tibi tribuit, quæ vix enumerare sufficis. Ecce adhuc quotidie noua dona tibi transmittit, & per se etiam ad te in altare venit: in quo optimum donum, quod ipse est & habet, tibi ad communicandum prębet. Nil aliud pro his à te requirit, & tam gratum habet; nisi vt ipsum purè & intimè propter seipsum ames & laudes.

4. Cùm fueris lætus & bene tibi successerit, lauda & gratias age; quia pius Dominus te consolari dignatus est, ne in via deficias. Nam toties panem de cælo tibi ad refocillandum spiritum tuum mittit, quoties verbum Dei audis & legis, ac de incarnatione & passione Christi deuotè meditaris. Cùm fueris tristis aut debilis, lauda & gratias age: quia Deus te visitat, probat, & purgat: ne superbias, & de te præsumas. Afflictio enim corporis, sæpè est reductio ad compunctionem cordis. Cùm fueris sanus & fortis, lauda & gratias age; quia Deus dedit tibi vires, vt labores & alijs seruias, & tempus nunquam otiosè expendas. Cùm fueris in horto vel in pomario, videns diuersas species & arbores, flores & rosas, pyra, poma, herbarum vírores, & lilia odorifera, lauda & gratias age; quia ostendit tibi Deus multa mirabilia opera sua in terra germinantia: quæ omni anno renouat mira potentia ac sapientia sua, pro magna sua bonitate & hominum vtilitate. In omni ergo loco & tempore, lauda Deum, & gratias age: quia plena est omnis terra maiestate eius, & super cælos gloria eius.

Lauda Deum cum omnibus sanctis in terris, quem laudant omnes Angeli in cælis. Si laudas, Angelis assimilaris: si non laudas, ingratus es, & peior bestijs. Ecce volucres cæli cantant, pisces natant, canes latrant, pecora clamant, & omnia elementa ad laudem Dei se mouent, & magnificentiam creatoris sui naturalibus motibus demonstrant. In cunctis ergo quæ agis, habe Deum præ oculis tuis. Caue offensas: gratias age pro beneficijs impensis: & in fine cuiuslibet operis tui, corde tenus regratiando Deo sic conclude: Deo laus nunc & in æternum. Omnis spiritus laudet Dominum. Amen.

VALLIS LILIORVM

AD LAVDEM DEI,

PRO SOLATIO TRIBVLATORVM.

PROLOGVS IN HVNC LIBELLVM.

Osee 14. *IVstus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Iste libellus potest nominari *Vallis Liliorũ*, ad distinctionẽ alterius præcedentis, qui Hortulus Rosarũ intitulatur. Quia sicut ille tractat de multis virtutibus, tanquam de rubeis rosis in hortulo Iesu natis; sic iste loquitur de multis virtutibus, tanquam de candidis lilijs, in valle humilitatis à Domino Iesu plantatis, & Spiritus sancti intima aspersione dulciter irrigatis. Nã teste beato Gregorio, qui sine humilitate virtutes congregat, in vẽtum puluerem portat. De his quoque lilijs loquitur etiam Sponsa Christi, humilis & deuota anima, ad Iesum Sponsum suum in Canticis Canticorũ, ore cantans & corde iubilans, de visitatione sui & donis eius. *Dilectus meus* (inquit) *mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Et iterũ: *Dilectus meus candidus & rubicundus, inter vbera mea commorabitur.* Cui laus, honor, & gloria, in sæcula sęculorum, Amen.

Humilitas radix & mater virtutum.

Cant. 6. Cant. 5.

CAPVT

CAPITA HVIVS LIBELLI.

	Cap.
De triplici statu humanæ vitæ.	I.
De laude Dei in paupertate.	II.
De probatione deuotorum per contraria.	III.
De vero amatore Dei.	IV.
De gratitudine animæ, pro omni bono.	V.
De conformitate animæ deuotæ cum crucifixo.	VI.
De ambulatione animæ puræ cum Deo.	VII.
De pace cordis, & quiete in Deo.	VIII.
De recollectione cordis cum Deo.	IX.
De vigilatione & oratione, contra tentationes.	X.
De timore æternæ pœnæ, contra vitia carnis.	XI.
De memoria dominicæ passionis.	XII.
De inuocatione sancti nominis Iesu & beatæ Mariæ.	XIII.
De forti certamine contra vitia.	XIV.
De stabilitate in loco & in ordine.	XV.
De diuino solatio in tribulatione.	XVI.
De custodia conscientiæ.	XVII.
De solitudine & silentio.	XVIII.
De refugio pauperis ad Deum adiutorem suum.	XIX.
De paupere & infirmo Lazaro.	XX.
De claro intellectu sacræ scripturæ.	XXI.
De magnis meritis patientiæ pro Christo.	XXII.
De bonis moribus humilis monachi.	XXIII.
De prouida locutione, & fraterna compassione.	XXIV.
De incerta hora mortis.	XXV.
De æterna laude Dei.	XXVI.
De laude sanctorum Angelorum.	XXVII.
Oratio deuoti amatoris Dei	XXVIII.
De unione cordis cum Deo habenda.	XXIX.
De vera pace in solo Deo.	XXX.
De recta intentione ad Deum.	XXXI.
Oratio humilis & contriti spiritus.	XXXII.
De bona societate cum Iesu, & sanctis eius.	XXXIII.
De summo bono & vltimo fine, in solo Deo ponendo.	XXXIV.

CAPVT I.

De triplici statu vitæ humanæ.

1. EGo flos campi, & lilium conuallium. Hæc est vox Christi, ad sanctam Ecclesiam in generali, & ad quâlibet animam deuotam Cant. 2.

Christus flos campi & lilium conuallium.

tam in speciali. Christus enim est speciosus Sponsus sanctæ Ecclesiæ, & caput omnium fidelium: flos omnium virtutum, & lilium conuallium: amator humilitatis & castitatis. Qui ergo vult Christo seruire & cælesti Sponso placere, studeat vitia sua vincere, lilia virtutum colligere, otium vitare, libenter studere, libros scribere, manibus operari quod vtile est; frequenter orare, & Deo intimè vacare, tumultus fugere, secretum diligere, & de alienis rebus & sibi nociuis tacere.

2. Habitus namque exterior parum valet, sine interiore virtute coram Deo. Vas est foris ornatum, sed intus vacuum. Sicut ex bono vase vini bonus odor procedit, sic ex bono corde religiosi bona verba & sancta opera procedunt, ad laudem Dei & vtilitatem proximi. Attendè ergo frater statum tuum, in quo stas, & coram hominibus ambulas; vt Deo dignè placere studeas, & alios factis & moribus sanctis ædifices. Totum enim in te redundabit, quicquid boni feceris, & quicquid mali coram Deo commiseris. Quando ergo comedis & bibis, dormis & quiescis & quocumque volueris pro libitu tuo transis; tunc facis opera carnis, & assimilaris bestijs terrenis, quæ discurrunt, comedunt, & bibunt, & replent ventrem suum, donec saturentur. Et si quis eis resistit, illum stimulant cornibus & vngulis, terrent vultibus, & mordent dentibus, & clamant vocibus horrendis. Tales sunt carnales homines, gulosi, auari, superbi, iracundi & litigiosi; spiritum Dei non habentes, sed passiones suas sequentes.

3. Sed quando vigilas & oras, legis & cantas psalmos & hymnos, de Deo & sanctis eius; vel quando ieiunas & abstines à vitijs, & proximo seruis; aut pro peccatis tuis doles, gemis & ploras, confiteris & veniam petis; tunc facis opera Spiritus sancti, & secundùm spiritum ambulas, & religiosæ vitæ ordinem seruas. Tunc etiam sanctis angelis assimilaris in cælis, qui semper Deum laudant, & cantant, & benedicunt, & nunquam faciem suam ab eo auertunt. Quando verò superbis, irasceris, detrahis, murmuras, fallis, mentiris, alios perturbas, & de malis eorum gaudes, & de bonis tristaris; aut quando proximum despicis, & commodum tuum in omnibus quæris; tunc diabolum sequeris, & dæmonibus assimilaris per malitiam & vitia, quæ committis. Nam ipsi passiones suas & nequitias sequuntur, quantum possunt & audent facere, & in malis delectantur, quia boni non sunt, & alios seducere & peruertere nituntur. Vita ergo iustorum angelis similis, vita carnalium bestijs æqualis, vita superborum dæmonibus comparatur. Caue serue Dei, ne laqueis eorum inuoluaris, & in iudicio ab eis accuseris & confundaris.

Carnales bestijs, iusti angelis, superbi dæmonibus similes.

CA-

CAPVT II.

De laude Dei in paupertate deuotionis.

1. P*Aupar & inops laudabunt nomen tuum Domine.* Quando sentis te aridum, frigidum, & tristem in orando, & meditando bona de Deo, non debes propterea desperare, nec desistere Iesum humiliter inuocare; sed in paupertate spiritus tui Deum lauda & gratias age, & istum versiculum pro consolatione libenter lege: Pauper & inops laudabunt nomen tuum Domine. Multi enim sancti & deuoti fuerunt etiam quandoque aridi, & per longum tempus à Deo derelicti: vt discerent patientiam, & alijs compati, per doloris & inopiæ experientiam; & non præsumerent nimis de seipsis, in tempore deuotionis & iubilationis. Lege etiam versum istum sequentem, cum Propheta in psalmo: *Ego autem mendicus sum & pauper, & Dominus solicitus est mei.* In Domino confido, quia ipse virtus & salus mea. Verum est, nam omne bonum à Deo. *Psal.* 47. *Psal.* 69.

2. Noli ergo præsumere cùm lætus fueris, nec te deijcere tristitia grauatus; sed sicut Domino placuerit in oculis suis, sic esto contentus in omnibus. Nil enim boni habes à teipso, sed totum est à Deo. Cùm gratia deuotionis datur, sol de cælo lucet, & anima illuminatur, & quasi in diuitijs exultat. Sed miser deciperis, si præsumis & inflaris. Cùm verò occultè subtrahitur gratia, & ab ingrato tollitur; tunc verè pauper es & infirmus, & parum potes sustinere, & tædet orare. Sed hoc pro beneficio accipe, quòd Deus te pauperem facit & humiliat cum electis suis; & percutit dorsum tuum filiorum virga, pro excessibus tuis occultis & negligentijs multis quotidianis; vt tibijpsi vilescas, & nunquam alte de te sapias, sicut cõsulit sanctus Paulus ad Romanos: *Noli*, inquit, *altum sapere, sed time.* Magnum lucrum animæ, de se viliter sentire, & Deo omne bonum funditus asscribere. *Rom.* 11.

CAPVT III.

De probatione deuotorum per contraria.

1. G*Audete iusti in Domino.* In cælo semper est gaudium, in inferno semper est luctus, in mundo vtrumque ad tempus, ad probandum homines bonos & malos. In æstate sunt dies clariores, & in hyeme obscuriores; sic est etiam cum anima deuota. Quando gratia Dei venit, & eam illuminat; tunc multa abscondita cognoscit & intelligit, cãtat & iubilat cũ magna deuotione, quã sentit. Sed in tẽpore tẽtationis, cũ subtrahitur gratia deuotionis: tunc est in hyeme & frigore, in obscuritate intellectus, & in pauore

pauore mentis. Tunc patientia est necessaria & Deo magis accepta, crescunt virtutes per aduersa, & augentur per patientiam æterna præmia.

2. Humiliatur anima & purgatur per flagella, confunditur superbia, & euanescit vana gloria. Quamdiu viuit anima in corpore, exercetur in vtroque, pro profectu ampliore in Christi amore. Magna ergo ars, magna virtus est, bene vti bonis & malis. Benedic ergo anima mea Domino in omni tempore; lauda Deum tuum Sion die ac nocte, & erit merces tua magna vtrobique coram Deo in cælo & in terra, & omnia seruient tibi prospera & aduersa, bona & mala, læta & tristia. Vnde Apostolus Paulus ait:

Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & nihil deerit timentibus eum. Beati, qui in omnibus sequuntur voluntatem Dei.

CAPVT IV.

De vero amatore Dei.

Psal. 30. Sap. 6. 1. *Diligite Dominum omnes sancti eius*, pusilli & magni; quia pusillum & magnum ipse fecit. Verus amator Dei amat purè Deum, scilicet Deum propter Deum, & propter eum solum fruendum; & non propter lucrum ab ipso habendum; nec propter aliquod proprium commodum, nec solatium aut præmium inde promerendum; sed totaliter & finaliter propter suam infinitam bonitatem, & superexcellentem dignitatem. Ideo in laudem Dei

Psal. 105. 106. 117. 135 Psalmista frequenter dicit, & repetit. *Confitemini Domino, quoniã bonus*; & hoc dicere dulce est amanti. Sed dicere, *quoniam in æternum misericordia eius*, dulciùs sapit pœnitenti & dolenti de peccatis suis. Ne ergo desperet homo fragilis in malis suis, additur. Quoniam in æternum misericordia eius.

2. Ille autem ampliùs placet Deo, qui profundius se humiliat, & feruentiùs ipsum amat. Beatus, qui se viliorem omnibus reputat; & cauet omne, quod Deo displicere cognoscit. Beatus, qui propter Deum & beneplacitum eius, totum opus suum facit ex charitate cum pura intentione; & quicquid boni cogitat, hoc ad Dei honorem & laudem & gloriam integrè refert. Beatus, qui nil sibi retinet, sed totum Deo liberè reddit, quod à Deo accepit.

CAPVT V.

De gratitudine animæ, pro omni bono.

Psal. 33. 1. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum*. Ille magnificè Deum laudat, qui de minimis etiam beneficijs gratias maximas agit; quia ille dat, qui super omnia maximus

maximus est. Nil tibi paruum nec vile esse debet, quod altissimus tibi ex gratia liberè præstat. Non quærit Deus aliquid magis, quàm vt gratis ametur, & omnis offensa caueatur, atque gratitudo semper & vbique ei reddatur.

2. Magnus coram Deo est, qui se ex vera humilitate spernit & substernit; & omnibus bonis & beneficijs indignum se iudicat; nec in aliquo bono vanè exultat, nec laudem concupiscit. Maior tamen ille, qui sicut Iob percussus, contemptus, conuiciatus, depauperatus, neglectus, tentatus, afflictus, derisus, & confusus gratias agit, lætatur & benedicit: & omnia grauamina & exilia sibi contingentia pro maximis lucris computat, & propter Deum sustinet, & conqueri cessat. *Iob 1.*

3. Beatus qui virgam doloris, sicut Iob, de manu Dei piè accipit, & totaliter voluntati diuinæ se offert & committit. Beatus, qui hoc semper quærit & eligit, quod Deo magis placet, & pro delicijs vilia capit: & læsus lætior manet, & damnum temporale animæ lucrum reputat.

CAPVT VI.

De conformitate animæ deuotæ cum crucifixo.

1. CVm ipso sum in tribulatione. Quid est hoc Domine? Expone mihi verbum istud, quod dixisti; aperi sensum huius versiculi pro solatio serui tui. Audi fili. Quando es in tribulatione & cordis mœrore, tunc es cum Iesu in cruce. Et quando iterum consolaris in deuotione, & delectaris in hymnis & canticis diuinis, tunc resurgis cum Iesu in nouitate spiritus: & quasi à mortuis suscitaris de sepulchro, alleluia lætè canendo. *Psal. 90.*

2. Cùm autem flexibus genibus oras pro peccatis tuis, & intimè doles & ploras, tunc duris ictibus ante portam cæli pulsas. Cùm verò omnia terrena iam negligis, & sola cælestia intus meditaris; tunc cum Iesu ad cælum pergis, & angelis sociaris. Esto ergo mitis, humilis, & patiens, in omni euentu & infirmitate irruente super te propter Deum; & porta crucem tuam patienter cum Iesu, moriendo quotidie in cruce, pro æterna salute tua; quia omnis afflictio carnis patienter tolerata, medicina est animæ & satisfactio pro peccatis, & spes futuræ beatitudinis & gloriæ. Amen.

CAPVT VII.

De ambulatione animæ purè cum Deo.

1. AMbulate dum lucem habetis. Ille ambulat cum Deo in luce, qui nil cupit de hoc mundo habere, sed habet cor suũ fixum *Ioan. 12.*

ad

ad Deum in cœlo. Nam ibi est thesaurus animæ absconditus Dominus Iesus Christus, in quo omnia bona continentur. Semper miser est & eget, quicquid habet, qui Deum amicum non habet. Ille Deum habet, qui eum amat, & sermonem eius seruat.

2. Ille verbum Dei bene seruat, qui otiosum verbum nunquam profert; qui opere ostendit, quod ore prædicat; qui propriam gloriam non quærit, sed omnia bona quæ facit, & in alijs videt, purè ad gloriam Dei refert. Qui autem sibi placet, stulto placet, & Deo displicet. Ideo in omnibus bonis quæ agis & dicis, Deo placere studeas, vt ampliora bona ab eo recipias. De bonis naturæ quid gloriaris, cùm sis mortalis à vermibus mox rodendus? Audi senem iuuenis: Recipe te à rebus te distrahentibus: quia requiem non inuenies, nisi ad cor tuum redeas, & Deum super omnia bona quæras, & intimè diligas.

CAPVT VIII.

De pace cordis & quiete in Deo.

Psal. 75. 1. IN *pace factus est locus eius.* Quis est in bona pace? Qui mitis est & humilis corde. Quare vis scire de statu aliorum, qualiter sit cum eis, & teipsum negligis in multis? Ecce, qui melius scit se humiliare & pati propter Deum, hic melius est in pace. Huic omne onus fit leue, propter Deum quem habet in corde. Beatus, qui loquitur cum Deo orando, meditando, cantando, legendo; & de alienis tacet, quæ fiunt in mundo. Vbicumque es, & transis, vel fugis, cogitatio tua tecum transit. Bona meditatio lætificat, mala contristat. Ira perturbat, inuidia excæcat, odium necat. Deuota lectio instruit, oratio accendit, operatio verbum implet.

2. Sermo sanctus corda mundat, vanus maculat, otiosus scandalizat, durus grauat, pius placat, moralis ædificat, historialis fidem confirmat, cælestis ad æthera leuat. Munda ergo cor tuum ab omni malitia, & eris in bona pace. Non est pax bona, nisi in Deo & cum virtuoso, qui omnia bene agit propter Deum, quem diligit. Mane in silentio, & sustine modicum propter Deum, & ipse liberabit te ab omni onere & inquietudine. Beata vita & bona conscientia dat fiduciam ad Deum in tribulatione, & in morte; mala autem conscientia semper est in timore & in lite: Iracundus citò cadit, de vno malo in aliud peius. Patiens & mitis de hoste facit amicum, & Deum inueniet sibi semper propitium, propter pietatem erga peccantem.

CAPVT

CAPVT IX.

De recollectione cordis cum Deo.

1. *QVi non colligit mecum, dispergit*, ait Dominus noster Iesus Christus. Cùm fueris multum dispersus & indeuotus propter multiplices diaboli phantasias, & amaras passiones cordis, & hominum displicentias te inquietantes; stude te recolligere in secreto, per orationem dominicam & angelicam salutationem: & prosterne te solo tenus ante sanctam crucem, vel beatæ Virginis Mariæ imaginem, aut alicuius Sancti deuotam picturam, ad Dei honorem sanctorumque memoriam factam. Inuoca præcipuè Iesum & Mariam, cum omnibus angelis & cæli ciuibus, pro misericordia & gratia diuinæ consolationis tibi iterum reddenda: & dic cum sancto Dauid in psalmo: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Domine spes mea à iuuentute, ad te confugiendo in tribulatione mea. *Luce 11.* *Psal. 37.*

2. O Domine, doce me semper sequi & facere voluntatem tuam, & relinquere meam: quia hoc beneplacitum est tibi, & vtile mihi, pro salute animæ meæ. Domine, nunquam mihi contingat aliquid cogitare, vel desiderare, aut operari, quod displiceat tibi, aut alteri noceat, sicut præcepisti mihi & omnibus seruientibus tibi. Cùm contrarium ago, corrige me in misericordia tua, & non in ira perdas me. Quia Deus meus es tu, & ego pauper & fragilis seruus tuus, gratia & misericordia tua in omnibus maximè egens. Sit nomen sanctum tuum, nunc & in æternum, super omnia benedictum. Amen.

CAPVT X.

De vigilatione & oratione, contra tentationes.

1. *VIgilate & orate, vt non intretis in tentationem*, carnis vel spiritus, vel diaboli, vel mundi. Caro suggerit cõcupiscentiam, spiritus superbiam, diabolus inuidiam, mundus vanitatem. Christus autem è contrario docet. Nam suadet seruare castitatem, humilitatem, charitatem, & contemptum mundi: ad promerendum regnum Dei, & euadendum pœnas inferni. Vigilandum igitur & orandum, omni tempore, & in omni loco: quia nullibi securitas ab aduersario maligno, qui non dormit, nec quiescit à tentando, sed circuit & quærit, quem decipiat & molestet, & à bonis exercitijs impediat, & ab oratione cessare faciat. *Marc. 14.* *1. Pet. 5.*

2. Ideo Dominus noster Iesus Christus, sciens nequitias diaboli & vtilitatem orationis, fortitudinem hostis & debilitatem hominis, admonet fortiter discipulos suos & omnes fideles vigilare & orare,

orare, si non velint ab hostibus suis, id est vitijs, superari. Vigilate igitur & orate, vt non intretis in tentationem diaboli, nec ei consentiatis. Si non potes totum psalterium legere, lege vnum psalmum, vnum versum, vnum deuotum hymnum de Iesu, Maria, aut de aliquo sancto: ad excitandum cor tuum sursum in Deum, per gemitum & viuæ vocis oraculum. Propè est enim Deus omnibus inuocantibus se cum humilitate. Nam humilis oratio iusti penetrat cœlos, dat fiduciam ad Deum, & frangit diaboli consilium & vires, minas & nugas.

Eccli. 55.

3. Si impediris foris ab hominibus, intra cubiculum tuum secundùm Christi consilium; & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Ipse enim scit, quid cogitas & desideras, & quid opus est tibi. Sic ergo in omni petitione ora: Pater fiat semper voluntas tua, non mea: fac mecum sicut placitum est tibi, & vtile mihi. Si fueris cum alijs in choro, lege & canta cum eis, sicut angelus coram Deo. Sic canta exterius, vt compungaris interius. Sic placeas hominibus, vt non displiceas Deo & sanctis angelis eius. Deus enim magis attendit compunctionem cordis, quàm clamorem altæ vocis. Quia per humilem precem Deus placatur, per vanam gloriam offenditur. Per mœroris fletum gratia acquiritur, & virtus augetur; per dissolutionis sonum deuotio perditur, & pro omni culpa & negligentia pœna reddetur. A quibus malis diuina pietas nos semper custodiat, & ad cælestia regna perducat. Amen.

Matt. 6.

CAPVT XI.

De timore æternæ pœnæ, contra vitia carnis & superbiam mentis.

Psal. 118.

1 *Confige timore tuo carnes meas.* Vtilis est hæc oratio contra carnis vitia, & ad superbiam mentis deprimendam. Istæ enim duo mala quotidie hominem impugnant & vexant: aut enim caro illicita concupiscit, aut spiritus de bono superbit & laudem quærit. Vtrumque magnum malum, vtrobique periculum graue. Cùm te tentat caro misera citò moritura, cogita æterni ignis tormenta; & sic ignem concupiscentiæ extingues igne gehennæ, & motus maiores expellent minores, vt spiritus saluus fiat per ignem. Breuis est omnis delectatio carnalis, fallax & vana omnis mundi lætitia, omnis decor corporis, omnis honor & gloria. Sicut dolor capitis cogit dissolutum gemere & flere, sic timor mortis & ardor inferni, faciunt passionatum et tentatum à peccatis abstinere.

2. Qui sine timore est, citò corruit in malum: et qui se non humiliat coram Deo & sanctis eius, confundetur in iudicio à dæmonibus,

monibns,& punietur durisimè ab eis. Firma & vera sentẽtia ista stat, nec fallit: Siue homo siue angelus sit, *Deus superbis resistit,* Iacob. 4. *humilibus autem dat gratiam.* Misericordia autem Domini ab æterno, cum sanctis & electis suis vsque in æternum. Time ergo superbe iudicium Dei in omnibus factis tuis; & noli gloriari in vanis reputationibus tuis. Cùm feceris totum, quod poteris & debes, adhuc deficis in multis, & vix vnum pro mille reddere vales. Time virgam Dei, time baculum, time iudicium futurum. Nil transibit impunitum; nil erit in bonis irremuneratum. Si cella tua arderet, nónne timeres, & citò surgeres, & fugeres? Ecce, quid facit timor & tremor, & cogitatio de pœnis futuris, quæ nullis finientur temporibus. Expellunt namque teporem, & inducunt orationis feruorem, propter nimium inferni horrorem.

CAPVT XII.

De memoria dominica passionis, contra dissolutos.

1. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* A quo? Certè à Christo in secreto cordis, non de hoc mundo in vanis rebus. Matt. 5. Leuia enim & iocosa verba & frequens risus, non congruunt sacræ passioni Christi & amarissimis vulneribus eius. Si enim haberem vnam acutam spinam de corona Iesu in capite meo; aut in dorso meo transfixam, nunquid riderem? Minimè, sed præ dolore magis flerem, & altè clamarem. Si etiam vnum clauum crucis in pede haberem, quò irem & currerem? Nusquam vtique irem aut currerem; sed magis sederem & dolerem; & per experientiam dolorum meorum, Christo compati discerem. Et vtinam amarissimè possem flere, in remissionem omnium peccatorum meorum. O quàm sanctus dolor & dulcis fletus, ex compassione sanctorum vulnerum Domini nostri Iesu Christi largiter effusus. Expende vim argumenti.

2. Quando ergo grauaris, aut tentaris, aut infirmaris; recurre citò ad orationis scutum, & sanctæ crucis vexillum; & in sanctorum vulnerum Christi fixuris, quære vitiorum tuorum salutiferam medicinam, per deuotam orationem & seriosam passionis eius recordationem. Pondera sanctæ crucis magnitudinem, longitudinem, & altitudinem, in qua Iesus Christus pependit nudus, diris clauis pro te confixus. Numera attentè, quàm multæ acutæ spinæ in corona Domini fuerunt; quæ sanctum verticem capitis filij Dei tam acriter punxerunt, & largissimè cruentari fecerunt. Pone hæc & cętera arma passionis Iesu Christi iuxta te, pro bona custodia diei ac noctis; ne inuidus hostis diabolus inueniat te vacuum à diuinis imaginibus, & inquinet cor tuum sordidis picturis & vrticis.

3. Sit

3. Sit tibi proinde lectulus tuus sine plumis, in memoriam sanctæ natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, quasi angustum & pauperculum præsepe, virtutibus plenum; in quo puer Iesus vagiebat in cunabulis, pannis inuolutus, modico fœno pro serico pallio tectus, paruoque lacte matris virginis refectus. Sit duritia & vilitas culcitræ tuæ, recordatio quædam duri & lapidei sepulchri Domini nostri Iesu Christi pro te crucifixi & verè mortui, & in corde terræ sepulti ac grandi lapide clausi. Hic ergo in pace Christi quiesce, omnium oblitus quæ sunt in mundo; omnia reputans vilia & pro nihilo, quæ magna videntur & iucunda; vt eo cum resurgas nunc in virtutibus & gratia, & in nouissimo die cum electis in gloria sempiterna. Amen.

CAPVT XIII.

De *inuocatione sancti nominis Iesu & beatæ Marie Virginis matris eius.*

Psal. 5. 1 DIrige *Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.* Viz tuæ Domine Iesu Christe, viæ pulchræ, viæ mundæ & securæ, ad ambulandum in eis rectè & perfectè. Et omnes semitæ tuæ pacificæ & sanctæ, ad perducendum omnes fideles tuos & humiles corde, in regnum tuum cæleste. Vbicumque ergo pergis, ambulas, stas, & resides, inuoca Iesum & Mariam piam matrem eius, & hunc sanctum versiculum libenter pro conductu viæ

Psal. 16. lege; *Dirige Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.* Deinde consimiliter istum adde: *Perfice,* pie Iesu, *gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea,* ad videndum vana & loquendum otiosa, animæ meæ nociua.

2. Post hæc etiam, hunc dulcem versiculum pro viatico ciborum assume, & quasi baculum in manu firmiter tene, & sæpe orans deuotè lege: Iesus & Maria, sint mecum semper in via, in omni loco, & in omni tempore, pro bona custodia: ne fortè per deuia errem, & dispergar per multa phantasmata intus & extra. Hæc sancta oratio, Iesus & Maria, breuis est ad legendum, leuis ad portandum, facilis ad tenendum, dulcis ad cogitandum, fortis ad protegendum, fidelis ad custodiendum, socialis ad ambulandum, delectabilis ad recreandum, amicabilis ad consolandum, potens ad adiuuandum, prudens ad perducendum recto itinere omnem pauperem peregrinum & sæculi contemptorem, ad vitam æternam. Hæc sancta oratio habet secum meliores comites & potentiores milites, præ omnibus regibus & principibus mundi; & altiores sanctos, præ omnibus sanctis in cælo & in terra. Hæc sancta

cta oratio trahit ad se in feruore spiritus totamcælestem curiam, quæ sequitur cum omni reuerentia Dominum suum Iesum Christum, & dominam suam sanctam Mariam, matrem Iesu benedictam, omni laude dignissimam, ab omnibus honorandam. Qui illos pro socijs secum habet in via huius vitæ, etiam pios patronos inueniet mortis tempore. Noli iam ipsos deserere, si cupis cum Iesu & Maria semper viuere & gaudere. Bene ergo & securè ambulat, qui Iesum & Mariam in corde portat, ore sæpe nominat, labijs benedicit, manibus plaudit, pedibus tripudiat, voce clamat, corde iubilat, oculis plorat, vultu suspirat, osculis placat, brachijs amplectitur, & flexis genibus adorat.

3. Beatus, qui IESVM & MARIAM sedulò inuocat, deuotè salutat, amorosè commemorat, eximiè honorat, lætissimè collaudat, altissimè glorificat, ardentissimè amat, suauissimè eructat, iucundissimè celebrat & cantat. O quàm dulcis est Iesus, & quàm dulcis sancta Maria, dilecta mater eius. Beatus peregrinus, qui in omni loco & tempore exilij sui in corpore, meminit patriæ cælestis, vbi Iesus & Maria gaudet pariter, cum omnibus angelis & sanctis suis in maxima lætitia & æterna gloria. Beatus peregrinus, qui non quærit mansionem in mundo, sed cupit dissolui & esse cum Christo in cælis. Beatus pauper & mendicus, qui quotidie transit pro pane cæli; & donec accipiat vnam micam, non cessat supplicare humiliter ante Dei mensam. Beatus qui vocatur ad cœnam agni; & donec perueniat ad conuiuium supernum, accipit eius sacramentum.

4. Quoties enim aliquis deuotè communicat, aut sacerdos ad honorem Dei reuerenter & deuotè celebrat, toties cum benedicto Iesu & benedicta matre eius spirirualiter manducat & bibit. Iste est discipulus Iesu, capellanus beatæ Mariæ Virginis, socius Angelorum, conciuis Apostolorum, domesticus Dei, cognatus sanctorum, amicus cæli. Hic turbas fugit, fabulas vitat, verba Iesu cogitat, & cor suum cum cæteris sensibus suis solicitè custodit; ne Iesum & Mariam & omnes sanctos offendat. Hic accipiet benedictionem & misericordiam à Domino Iesu salutari suo; & quàm citò ad eum clamauerit, exaudiet eum de cælo sancto suo, in quocumque loco fuerit & periculo. Nam cùm discipuli in mari nauigarent, & præ timore submergendi Iesum inuocarent, statim ipse Iesus affuit, & dixit: *Quid timidi estis?* Habete fiduciam: *Ego sum, nolite timere.* Vox enim Iesu, vox dulcis ad consolandum, fortis ad protegendum, iucunda ad lætificandum, benigna ad indulgendum, gratiosa ad tribuendum vitam æternam.

Psal. 22.

Ioan. 6.

CAPVT XIV.

De forti certamine contra vitia, per exempla sanctorum.

Psal. 30. 1. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.* Sicut per passionem & crucem Iesu & sanctorum Martyrum pœnas, discimus aduersa tolerare: sic etiam per beatam virginem MARIAM, & per omnes sanctas Virgines, Viduas & Continentes, discimus carnalia vitia vincere, diuitias contemnere, honores fugere; & per contemptum omnium mundanorum cælestia quærere & amare. O serue Dei, stude virorum fortium patientiam insuperabilem sequi, diabolo & consilio eius resistere, & per debilium puellarum constantiam virginalem, omnia delectabilia carnis cum cæteris vitijs, longè à te proijcere & spernere. Si bona temporalia Deus dederit pro sua clementia paupertati tuæ, noli inde miser extolli, noli stultè cor apponere; quia nescis, quamdiu hîc eris, & istis fruêris. Noli longam optare vitam, sed bonam; quia melior est bona conscientia, quàm omnes thesauri mundi. Quanto enim plus habueris de rebus terrenis, tanto districtiùs inde iudicaberis.

2. Heu fallax gratia, & breuis gloria mundi, in diuitijs honoribus, prælaturis, & delicijs huius vitæ gaudere; post quæ sequuntur maximi dolores & fletus, cum diabolo semper ardere, vbi nulla est redemptio à pœnis eorũ. Sed, ô quam magna iucũditas electorum, cum angelis semper lætari; vbi summa felicitas omnium bonorum, cum Deo & sanctis eius, sine fine durabit. O quàm felices viri & prudentes Virgines, qui omnia propter Christum reliquerunt, & per arctam viam ad æternam patriam peruenire studuerunt.

3. Scitote ergo omnes fideles & deuoti serui Iesu Christi, quia oportet vos contra varias tentationes carnales & spirituales pugnare, vigilare, orare, ieiunare, & laborare, quamdiu viuitis. Oportet carnem castigare, ne intumescat, & concupiscat contra spiritum; & ne decipiat & prævaleat contra animam, trahendo ipsam in gehennam. Quid prodest hîc carnem delicatè nutrire, & postea in inferno grauissimè torqueri? Et quid iuuat hîc laudari & honorari ab hominibus, & in futuro confundi & condemnari cum impijs & dæmonibus? In mundo doctor & magnus reputari, & in numero electorum non computari, maxima confusio & derisio est coram Deo & omnibus Sanctis eius. Pro Christo autem pati & vilipendi à maleuolis, maximus honor, laus, & gloria apud Deum & omnes Sanctos. Hinc ipse ait discipulis suis, & consolatur vbique omnes fideles, pro nomine eius iniuriam &

pressuram

pressuram patientes: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & exprobrauerint propter nomen meum. Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlis.* Matt. 5.

CAPVT XV.

De instabilitate in loco & in ordine.

1. *Stabiles estote in omni opere Domini semper.* Dic bone frater, quid vtilitatis & sanctitatis tibi confert hinc illuc discurrere, & multa vbique videre & audire, & ad regnum cælorum non posse peruenire? Beatus, qui ab omni euagatione cor suum & corpus custodit, & citò ad seipsum cum gemitu redit & veniam petit. Væ tibi, qui sæpe foris euagaris, & tempus infructuosè expendis, & alios scandalizas. Pax multa libenter in cella manenti, Deo in secreto vacanti, sæpè oranti, sacros libros scribenti, scripturas studiosè legenti, ac sanctis meditationibus affectuose insistenti. 1. Cor. 15.

2. Otiosus & fabulosus, multa correptione dignus, & à communi colloquio separandus; ne fortè simplices & pusillos inficiat, & vanis verbis ac moribus peruersis scandalizet ac perturbet. Time, ô dissolute & iocose, futura ignis purgatorij tormenta; vbi pro quolibet leui & otioso verbo & cogitatu maligno, patieris à dæmonibus durissima verbera. Multo melius est ergo modò timere & cauere, pœnitere & flere; quàm in futuro cum impijs sine fine torqueri, & à dæmonibus fustigari. Certè non est risus & iocus in inferno semper ardere, vnde nullo auxilio poteris liberari.

3. Si quis ista frequenter pensaret & strictè ponderaret, omnia mundana citò contemneret, & omnia delectamenta carnis exhorreret; vt æternas pœnas euaderet, & ad cælestia gaudia post mortem peruenire. Sed væ eis modò, & amplius in futuro, qui diuina iudicia modicum attendunt, & ferè omnia pro leuibus ducunt, quia pœnas illas in corpore non sunt experti.

CAPVT XVI.

De diuino solatio, in tribulatione pro Christo.

1. *IN mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Dicitur in prouerbijs à multis: Solatium est miseris, socium habere in pœnis. Quis est iste socius tam bonus & pius, qui scit compati miseris & infirmis? Iste est Dominus noster Iesus Christus, pro nobis passus & crucifixus; qui in euangelio dicit se medicum & pastorem esse animarum, & consolatorem tribula- Ioan. 16.

Ioan. 10. torum, pauperum & infirmorum, lapsorum & vulneratorum. Nō est (inquit) *opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Et similiter de

Psal. 30. eodem loquitur sanctus Dauid, ita consolando tristes: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Et iterum in alio psalmo de quolibet tentato & tribulato, ne desperet, ita per seipsum loqui-

Psal. 90. tur Deus dicens: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Est enim verè magna consolatio tristibus & variis modis afflictis, quia Christus fuit etiam tentatus, tristis, & in multis doloribus pro nobis afflictus.

Rom. 8. 2. Nisi enim esset vtile & salubre animæ nostræ pati & tribulari in mundo, non permitteret hoc Deus fieri, qui est summè bonus & iustus, in omnibus vijs suis. Qui ergo proprio filio suo non pepercit à flagellis, tu quis es, qui audes contradicere verberibus eius, reus in multis peccatis? Iustum est enim, vt seruus malus & inutilis, non contradicat domino suo percussus, saltem in modico; quando filius in omnibus dilectus & in nullo culpabilis, tantis plagis fuit percussus. Iustum etiam est, vt de eodem calice ægrotus sanandus modicum breuiter bibat, de quo medicus sanus, totum amaritudinis poculum sibi oblatum bibit; vt totum mortis venenum purgaret, & hominem in anima & corpore necatum perfectè sanaret, & ab æterna morte liberaret. Alleuiatur igitur multum onus serui, in consideratione grauioris ponderis innocentis Domini sui. Mitigatur valde dolor languentis, si diligenter pensat, quoniam hæc afflictio piè tolerata, est purgatio pro peccatis, & spes æternæ salutis.

3. Magnum namque & honorificum est pauperi seruo, si ipse fuerit Domini sui panno eodem vestitus, & purpura filij regis insignitus, cum qua meretur ad regis æterni nuptias introire. Panni

Panni Iesu. Iesu sunt humilitas cordis, paupertas in necessarijs, patientia aduersis, perseuerantia in virtutibus. Qui virgam Dei pro munere accipit, salutem animæ ex verbere reportat, & coronam amplioris gloriæ in cælo recipiet. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem Iesum, pro nobis nudum & inopem factum,

Ps. 40. cùm esset ditissimus omnium; & sequitur eum sapienter, ferendo crucem suam in quotidianis laboribus, pro salute animæ suæ vsque ad mortem.

CAPVT XVII.

De custodia conscientiæ, in omni loco & tempore.

Psal. 118. 1. *Anima mea in manibus meis semper.* Nihil vtilius & salubrius cupienti ad vitam æternam peruenire, quàm semper cogitare de animæ suæ salute. Lege & percurre omnia, non est salus ani-

mæ,

mæ, nisi in Deo & in bona vita. Hinc ait Dominus & redemptor animarum discipulis suis: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matt. 16. Qui istud frequenter cogitat, & magis de animæ suæ salute curam gerit, quàm de temporali lucro vel corporali cibo; hic verè sapiens negociator est, quia æterna spiritualia omnibus perituris præponit & quærit. Iste est vnus de bonis & fidelibus Christi seruis, qui de Matt. 25. duobus talentis quatuor, & de quinque decem facit; & vnum non abscondit in terra, nec secludit, nec à se proijcit, nec contemnit; sed pauperi potius tribuit, vt pro se oret; aut ad altare Deo offert, regratiando ipsi etiã pro minimo dono, quod accepit. Beatus seruus super pauca fidelis & prudens, qui omnia tempora sua vtiliter expendit, & de extraneis rebus ad se non pertinentibus tacet; sed tanquam surdus & mutus propter Deum factus, pacificè tumultus sæculi pertransit, & animam suam ante se in manibus suis semper portat. Noli ergo de statu aliorum curiosè quærere, nisi quantum charitas Dei & fraterna compassio exigit.

2. Noli laudes hominum appetere, quæ vanæ sunt; nec vituperia expauescere, quæ non obsunt; sed animam purgant & humiliant, & in cælo altè coronant. Nemo dignus est à Deo sublimari, nisi qui scit pro Deo vituperia pati. Sicut enim, tu Domine Deus, passus es pro me; ita & ego debeo pati pro te, & te sequi pro posse. Tu enim sancto Petro dixisti; *Sequere me.* Ioan. 21. Sed heu mihi Domine, quia tam parum possum pati pro te. Sæpe propono, & de decem vix vnum perficio. Multa sunt verba, sed opera pauca. Totum est culpa mea, & excusatio nulla. Nam desidia & negligentia propria augent peccata mea. Quid ergo restat ad ista dicere & cogitare, nisi veniam petere & orare? Peccaui Domine, miserere mei. Sic nim omnes sancti ante te fecerunt & docuerunt, & adhuc quotidie omnes fideles faciunt. Omnes sancti & amici Dei, orate pro me; quia infirmus sum, & omnibus bonis indigeo, & ab omnibus iuuari humiliter peto.

Oratio pauperis.

3. O Sancte sanctorum, Domine Deus meus, inclina aurẽ tuam ad precem pauperis serui tui. Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper. O vtinam merear vnus de pusillis gregis tui esse in regno, quod præparasti humilibus & diligentibus te. Diligam ergo te, Domine virtus mea, ex toto corde meo, sicut præcepisti ore sancto tuo. Tu spes mea, & salus mea, & totum desiderium meum. Da mihi intellectum clarum, contra omnem errorem; cor mundum, contra omnem impuritatem; fidem rectam, contra omnem dubitationem; spem Psal. 118.

firmam, contra omnem diffidentiam ; charitatem feruẽtem, contra omnem acediam & negligentiam ; magnam patientiam, contra omnem turbationem; sanctam meditationem, contra turpem imaginationem; continuam orationem, contra diaboli impugnationem; diligentem attentionem ad lectionem, contra frequentem mentis euagationem ; bonam occupationem, contra cordis tædium & somnolentiam ; deuotam sacræ passionis tuæ recordationem, contra omnium vitiorum mortificationem. Adesto mihi in his bonis Deus meus, et confirma me in omnibus verbis sanctis tuis, Amen.

CAPVT XVIII.

De solitudine & silentio.

Psal. 54. 1. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Quare? Propter multa bona inde prouenientia, & ad cauendum distractiones cordis mei, in multis rebus visis & auditis ; quia quæ oculus non videt, nec auris audit, cor non dolet, nec citò turbatur. Igitur latêre & tacere, bonum est pro pace cordis, & obtentu deuotæ orationis. Ad hoc iuuant locus secretus, & recessus à turbis, vbi non est strepitus. Sicut enim piscis extra aquam citò moritur, ita monachus extra cellam leniter distrahitur & inquinatur. Nam prudens apis mel ex floribus colligens, statim inde euolat, & secretum gaudens repetit, & hoc in alueario cautè abscondit; vt habeat, vnde in hyeme latenter viuat. Ideo enim suauitatem odoris abscondit, ne foris vagando fructum laboris sui iterum perdat. Nam preciosa aromata, in pyxide clausa fortiùs fragrant; aperta & ostensa, virtutem odoris citiùs amittunt. Flores quoque manibus attacti læduntur, intra septa pomarij clausi seruantur, & muris altis firmati tutantur. Crescunt rosæ in hortis clausæ securæ; arescunt, & calcantur pedibus in vijs proiectæ.

2. Sic vagus & instabilis monachus vilescit sæpe foris visus; fugiens autem turbas & manens intus, reputatur sanctus. Candela ardens à vento citò extinguitur, in lucerna latens custoditur. Sic feruor deuotionis in secretario cubiculi tutiùs seruatur, & in negotijs externis faciliùs dissipatur. Igitur cellam & silentium dilige, si vis deuotus & pacificus intus permanere. Oportet, quod valde fortis sit & custoditus, qui foris inter homines ambulat, & interius non impeditur nociuis. Maneas ergo libenter in solitudine & in cella, deuotionis causa ; sicut beata virgo Maria mansit sola in cubiculo clausa, loquens cum sancto Angelo sibi misso à Deo de cœlo; vt etiam ad te veniat sanctus Angelus, Domini nun-

nuncius cæleſtis & cuſtos animæ tuæ fidelis; & recedat à te longiùs ſpiritus malignus, cum omnibus phantaſijs ſuis. Dixit quidam deuotus ſilentij amator: Rarò loquor diu hominibus, ſine aliqua læſione conſcientiæ intus. Et alius quidam: Oportet, vt ſit valde ædificabile verbum, quod emendet ſilentium. Et tertius ait: Nobile eſt verbum, in ſuo tempore dictum. Et quartus adiecit: Qui os ſuum firmiter claudit, non detrahit, nec mentitur. Dicta virorum piorũ de ſilentij laude.

3. O quàm laudabile & iucundum loquentis verbum, nil mali, nil vani, nil doli, nil falſi habens admixtum. Multi multa loquũtur, ſed non ſine periculo linguę pronæ ad malum. Pax igitur multa cuſtodienti os ſuum, & manenti in cella, & ſæpe oranti. Lauda quoque taciturnum virtuoſum, increpa vagum verboſum, caue doloſum. Fuge tumultum, dilige ſecretum, ſequere humilem & deuotum, ſuſtine patienter tibi moleſtum, propter Chriſtum pro te crucifixum.

4. Frater interrogauit ſenem, Quod eſt ſtatutum in ordine, pro pace & deuotione maximè proficuum? Reſpondit notabile verbum; Seruare à patribus ſilentium ſtatutum, vitare tumultus hominum & otium. Hæc tria in ordine valde neceſſaria, Deo & angelis accepta; ſcilicet laborare manu, contra otium; amare lectionis ſtudium, contra cordis tædium; & continuare orationis vſum, contra diaboli dolum. Hæc laudant ſancti Patres antiqui & noui, quia frater tacens & Deò vacans, ab ipſo cęlitus benedicitur, & ad contemplanda diuina ſecreta aptior inuenitur & altiùs illuſtratur. Vagus verò & fabuloſus, qui otiosè circuit, donis cæleſtibus indignus efficitur, & alijs eſt moleſtus. Neſcit ſuperbus diu tacere, quia cupit doctus videri, & præ alijs laudari. Qui præſumptuosè loquitur, à multis vituperatur: qui autem verecundè tacuerit, gratiam ab aſtantibus meretur. Magna humilitas cordis ſentire de ſeipſo vilia, & de alijs ſemper meliora. Grandis ſuperbia, abundare in ſenſu ſuo, & ſtare in propria voluntate, Deo & communitati fratrum cõtraria. Hæc eſt lepra peſsima, quam odit Deus, & percutit ſæpe ſubitanea morte. Simplex & innocens, humiliter obediens, vbique lætus & ſecurus. Laudabilis fama habere pauca verba, cauere leuia, loqui vtilia, & omnia agere cum modeſtia. *Omnibus adde modum, modus eſt pulcherrima virtus.* Et hoc eſt, quod ait Chriſtus: *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos.* Et Paulus Apoſtolus: *Omnis ſermo veſter ſale conditus ſit.* Et ſanctus Iob: *Quomodo poteſt comedi; quod non eſt ſale conditum?* Tria monacho cuilibet neceſſaria. *Cato. Matt. 18. Coloſ. 4. Iob 6.*

5. Caſtus & pudicus cuſtodit cor ſuum, os ſuum, & omnes ſenſus ſuos, pronos ſemper in malum; vt non peccet, & Deum ac

proximum offendat. Non est corde compunctus, qui vana libenter audit, & recitat coram alijs. Perdit citò compunctionis gratiam, qui non custodit cordis & oris ianuam. Monachus pronus ad loquendum, facilè excedit loquendi mensuram. Si haberes Iesum crucifixum in corde tuo fixum, non exiret citò de ore tuo verbum vanum & otiosum. Sed quia non habes Iesum firmiter in corde tuo clausum, ideo sæpe queris solatium forinsecum, debile & friuolum, parum iuuans intus à doloribus prementibus cor tuum. Solus enim Iesus præstat verum animæ solatium, & sanat omnes languores vitiorum. In breui momento & vnico verbo potest liberare dolentem ab omni malo. Nam amplior est gratia Dei in bono, quàm culpa in malo. Cur audis vanos rumores sæculi, qui sæpe te conturbant & distrahunt in corde? Quare negligis dulces sermones Christi, qui te consolari possunt, & confortare in omni tribulatione tua, die ac nocte.

CAPVT XIX.

De refugio pauperis ad Deum adiutorem suum.

Psal. 9. 1. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Beatus ille pauper, cui Deus est adiutor in omni tribulatione sua, consolator in angustia, vnica spes & confidentia in extremis, corona gloriæ in regno æternæ beatitudinis. Preciosa virtus voluntaria paupertas assumpta pro Christo, cuius merces æterna permanet cum Angelis in cælo, quò fur non appropiat ad furandum, nec raptor ad prædandum, neque latro ad occidendum. In multis periculis & curis quotidianis sunt diuites huius sæculi, à quibus liber est seruus Christi, renuncians omnibus quæ sunt mundi. Magna libertas animæ fidelis, quæ nil proprietatis habet in aliqua re mundi propter regnum Dei & amorem Iesu Christi; sed omnia possidet in Christo, qui pro nobis pauper & dolens factus. Qui pendens nudus in cruce, non habuit vbi caput suum reclinaret, vel manum aut pedem vsquam moueret. Quis huic pauperi in omnibus indi-
Psal. 148. gentijs similis? Vere nullus. Propter hoc exaltatum est nomen eius solius, super omnia in cælo & in terra, & super omnia benedictum in sæcula. O bona pauperies, nisi te Deus antè tulisset, nunc tua durities cunctis despecta fuisset. Felix paupertas rerum, quæ tollit superbiam oculorum, & occasionem multorum vitiorum.

2. Verè ille est pauper spiritu, qui de nullo verbo & facto bono superbit, nec in altiore gradu esse cupit, ne grauius cadat. O quàm magna virtus abdicata paupertas, nil habens in proprio; quæ animæ aperit cæli portam, auget gloriæ coronam, & cum martyribus meretur accipere patientiæ palmam, post huius vitæ angu-

stiam,

stiam, in Christi seruitio consummatam. Nam hoc est veraciter & fideliter Christo seruire, pro eius amore penuriam & alia multa incommoda sustinere. Beatus, qui de necessitate & infirmitate sua facit virtutem, & de omni quod patitur, sequitur Dei voluntatem. Noli ergo pauper nimis contristari, cùm inopiam pateris; nec indignari, si derideris, aut ab amicis tuis relinqueris. Conuerte cor tuum ad Christum, pauperem pro te factum & infirmum; quære solatium tuum à Deo, & in Deo solo, si optas semper esse in gaudio. Nam omnia alia solatia foris quæsita, nulla sunt, nec durant, nec sufficiunt, quantumcunque videntur magna.

3. Elige itaque Iesum Christum Dei filium, in specialem amicum & cognatum tuum, reliquos omnes relinque propter Christum. Caue omnem socium volentem te impedire à sancto seruitio Christi, & trahere ad sæculum & portas inferni. Lata est enim *Matt. 7.* via, quæ ducit ad inferos; & multi sunt, qui intrant per eam, ait Iesus Christus. Solus ipse sufficit ad perfectum solatium habendum, qui potest dare regnum cælorum, omnibus relinquentibus regnum mundi, & omnem ornatum eius. Transit enim mundus & concupiscentia eius, tanquam fumus venti, & flos agri arescens. *1. Ioan. 2.* Sta ergo frater paupercule, firmissimè in bono proposito semper seruiendi Deo; & permane cum fratribus tuis, die ac nocte in laboribus multis, in loco isto quem propter Deum primitus elegisti; & parentes ac cognatos iponte reliquisti, & integrè te Deo obtulisti; vt etiam cum eis maximè congaudeas in regno Christi, & omnibus sanctis. Nam pro paruo labore & breui dolore in mundo, reddetur tibi æterna requies in cælo. Recogita sedulò sacra vulnera Christi, & acerba vlcera pauperis Lazari, & proderit tibi in agone, quando debes mori, & de hoc mundo transire.

CAPVT XX.

De paupere & infirmo Lazaro.

1. *Ego sum pauper & dolens, Deus adiuua me.* Hęc vox pauperis *Psal. 68.* & infirmi, ad Deum suspirantis pro regno Dei. O pauper & infirme sustine patienter per modicum tempus dolores corporis & penuriam in cibis & vestibus; quia non diu hic eris, & dolebis. Gratias age Deo, quia leuius est modò flagellari cum pauperibus & debilibus, quàm postea cruciari in inferno cum fortibus & diuitibus. Recordare malorum tuorum prętеritorum, quibus Deum & proximum sępe offendisti; & sustine virgam Domini in remissionem peccatorum tuorum, de quibus non plenè pœnituisti nec satisfeciſti. Memento etiam pro consolatione tua, omnium grauium dolorum & sanctorum vulnerum Christi; quia multa & gra-

grauiora ipse flagella pro te sustinuit. Memento quoque pro al-
Lucæ 10. leuiatione tua pauperis & vlcerosi Lazari, post mortem in sinum Abrahæ latè recepti, & paueſce finem delicati diuitis, post conuiuia sua in inferno sepulti, vnde nunquam poterit liberari. Vnde nunc, quid potiùs eligendum sit tibi, an pati modicum, & egere cum Lazaro infirmo, & gaudere semper cum Christo: an delicia-ri breuiter superfluè cum diuite sano, & subitò mori, & sepeliri in inferno, & ardere iugiter cum diabolo? Intelligenti satis dictum est paucis verbis.

2. Beatus, qui intelligit, & emendat se tempestiuè de omnibus malis suis, ne damnetur cum impijs, duris verberibus cruciandus. Quem enim modò sacra verbera non compungunt, nec corrigunt; postea sæua verbera sine fructu lacerabunt, nec vnquam torquere cessabunt. Ab his malis liber est Lazarus pauper & infirmus, ab angelis sanctis in sinum Abrahæ lętissimè portatus. Audi adhuc multa beneficia Dei, huic pauperi Lazaro misericorditer ostensa. Nõ habuit (vt existimo) amicos diuites se visitãtes, nec aliquos seruos aut socios sibi seruientes; sed (sicut dicit Iesus) canes ad eum veniebant, & lingebant vlcera eius. Ipsi soli in tanta miseria, pro solatio sunt relicti. Et quid miserabilius, quàm hominem humano solatio destitui, & bestijs consolandum relinqui? Nec tamen ex ore pauperis impatientia sonuit, aut vox murmuris; sed potiùs gratiarum actio, & vox laudis. Sed cui negabat humana impietas solatium, brutorum feritas mansuetè exhibuit obsequiũm. Tu ergo infirme ne murmuraueris, si ad horam inconsolatus relinquaris, & infirmitatum stimulis agiteris; sed cogita tibi, ex diuina misericordia dispensante, id euenire; vt hîc sectus, hic vstus, non pereas. Ipse fortè in minutissimis peccatis, tu autem in grauissimis crebriùs offendisti. Patienter ergo dolores infirmitatum sustine, & te derelictum interdum ab hominibus gaude, vt cum Lazaro merearis cælestis regni ianuam introire.

CAPVT XXI.

De claro intellectu sacræ Scripturæ.

Psal. 118. 1. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Quæcumque in lege veteri & noua scripta sunt, ad doctrinam animæ nostræ scripta sunt; vt Deo fideliter seruiamus, odiendo malum, & adhærendo Deo, summo bono, corde puro, integro, & perfecto, hîc & in futuro. Quæ igitur ignoras, humiliter quære; & quæ non bene intelligis, pete reuerenter à doctioribus tibi declarari. Nam declaratio sermonũ Dei illuminat corda

corda paruulorum. Si non potes adhuc altiora capere, tunc parua cum paruulis disce, sicut Dominus Iesus dicit: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Matt. 19. Quæ ergo intellectum tuum excedunt, noli timere perscrutari; sed omnia hæc Spiritui sancto committe, & firmiter vera esse crede; quia Spiritus sanctus doctor est omnis veritatis, & non potest testis esse falsitatis.

2. Quòd multi habent multa dubia, non est culpa nec vitium sacræ Scripturæ; sed cęcitas mentis eorum, & negligentia studij in sacris libris, qui continent æternæ salutis necessaria documenta. Igitur canonicas scripturas libenter lege, & expositiones doctorum cum diligentia aduerte, & intelligere stude. Nec tamen propter diligentiam studij, est ab oratione & Missarum celebratione cessandum. Sæpe enim in oratione & in Missa, multa secreta deuotis panduntur, quæ pomposis & curiosis scrutatoribus occultantur. Prodest autem valde paruulis & rudibus, cum simplicia verba eis proponũtur; nocent verò subtilia, attamen iuuant, si obscura dicta explanantur. Et qui diligenter ad lectiones in choro & refectorio aduertunt, & cautiùs perscrutantur, quid intrinsecus verba historiæ continent; pascuntur fauo mellis ex omni verbo Dei, quod audiunt & legunt. Vnde quamdiu homo corpore mortali viuit, semper magis addiscere potest, & ad altiora capiẽda proficere: sed ad claram intelligentiam angelorum & beatorum visionem non attinget, donec ad æternæ beatitudinis gloriam Christo auxiliante perueniat.

Ne studiosiùs æquo se vexet homo in capiendo clarissimo sacrarum literarum intellectu.

3. Solidus & fortis cibus nocet paruulis & infirmis; mollis cibus & tenuis potus, nutrit infantes. Simplicia organa & moderata cantica, dulcius sæpe resonant & lætificant; alti clamores quasi dura tonitrua, debiles animos magis terrent quàm recreant. Crebra fulmina excæcant oculos, lux in laterna conseruat aciem visus. Profunda flumina submergunt incautè natantes, per pontem transeuntes euadunt pericula aquæ securiùs. Sæpe per iter planum agnus liber transit, vbi bos fortis cadit & rapitur, ligatur, & mactatur. Sic simpliciter credens & humiliter obediens, gratiam inuenit; & sibi confidens, perdit quod habet. Alta extollunt leuiter superbos, & in fine confundunt gloriantes.

4. Vidi simplices in oratione ex deuotione flere, & altè clamantes & discantantes, nil tale in corde sentire. Quare hoc accidit? Quia simplex & humilis Deo placere studet, in omni quod agit & loquitur. Vox simplicis corde apud Deum in cælo, vox vagi cordis & dissoluti cantoris, coram hominibus in vicis & plateis ciuitatis. Qui sensum psalmorum seriosè attendit, & paulatim legit & cantat, magnã deuotionis dulcedinem concipit. Vere enim

suauis

suauis est Dominus rectis corde, qui gloriam eius quærunt, non propriam laudem. Benedictus sermo ex ore loquentis & cantantis, vnde compungitur cor audientis.

5. Gallus antequam cantet, priùs seipsum alis suis verberat & excitat; sic bonus frater & deuotus orator, se primitus corrigere debet antequam alium increpet. Ille bene & prudenter docet, qui à seipso incipit; & primò emendat, quod in alijs notat & reprehēdit. Sic sanctus Paulus alios instruens, humiliter se peccatorem præ alijs nominat, dicens; *Quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorum primus ego sum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Et quare, ô sanctissimè Paule? *Quia persecutus sum ecclesiam Dei.* Vnde ergo sanctus, & vas electionis verè dignè glorificandus? Non ex meipso, non ab hominibus; sed per vocationem & reuelationem Iesu Christi, à quo didici mitis & humilis esse, & euangelio eius obedire. Nihil boni mihi attribuo, sed quicquid egi & docui, hoc totum ei principaliter asscribo; qui me vocauit per gratiam suam ad fidem, quam prædico & seruo vsque ad mortem. Nam sola gratia Dei sum, id quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit, sed semper in me manet & manebit, donec perueniam ad eum, qui me precioso sanguine suo redemit & saluauit.

1. Tim. 1.

1. Cor. 15.

CAPVT XXII.

De magnis meritis patientiæ pro Christo.

Luca 21.

1. IN *patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quando ergo aliquis durè tibi loquitur, aut te iniustè increpat, nō statim irascaris, nec durè respondeas; sed tace, aut humiliter loquere, & sustine patienter, sicut fecit Iesus. Nam accusatus à multis tacuit, & flagellatus non murmurauit. Aut si opus est loqui & prosit, tunc responde benignè & doce prudenter; sicut Christus dura alapa percussus, respondit seruo pontificis verbis rectis & mansuetis. Sic enim alios magis ædificas, & teipsum à confusione liberas. In omni euentu rerum & contradictione linguarum prauarum, tene patientiam, & tace piè ad obiecta.

Matt. 26.

Ioan. 18.

2. Attende profectum animæ tuæ in omnibus, quàm magni meriti sit patientiæ virtus; quæ ornat animam virtutibus, & ducit ad palmam cum martyribus. Hanc Christus docuit, & factis in passione exemplificauit. Cùm enim accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus populi, nihil respondit. Impleuit opere, quod dixit sermone; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Non inuenitur alicubi requies vera & pax secura, nisi in solo Deo, in vera humilitate, &

Luce 23.

Matt. 11.

benigna

benigna patientia, in qua vincuntur omnia aduersa. Si ergo in Deo tota spes tua, non in aliqua creatura, parua vel magna; quia sine Deo omnia vana, & cum Deo omnia bona.

CAPVT XXIII.

De *bonis moribus humilis monachi.*

1. *Fvge dilecte mi, fuge.* Quare? Propter multa pericula mũdi, quę sæpe homini contingunt, qui in sæculo conuersatur. Nam qui Deo vacare appetit, libenter solus est & orat, studet & scribit; & sic per multa bona exercitia, à vitiorum periculis custoditur; & tempus suum fructuosè expendit, & alios ædificat. Qui autem libenter foris ambulat, & hinc inde fabulari desiderat, rarò est, quin cor suum maculet, & indeuotior ad cellam pacis amicam redeat. Sermo pius & modestus cunctis acceptus, durus & inconsideratus offendit amicos. Qui verax est, vera loquitur: & qui fictis verbis alium decipit, oditur. Verus humilis de bonis operibus laudes non quærit; sed omnia bona Deo ascribit, & mala sibi. Qui mendacium ore profert, Christum à corde fugat; & qui alta quęrit, seipsum confundit, & iustè decipitur. Qui planè & rectè loquitur, ab omnibus honoratur & amatur. *Cant. 8.*

2. Omnes fratres sumus ab vno Deo creati, omnes pecccatores ex parentibus nati; sed per gratiam Christi ad fidem vocati & baptizati, mundamur & Christo vnimur. Nemo ergo aliũ contemnat, nemo derideat, neq; in aliquo lędat; sed potiùs propter Deum iuuet & instruat, in quantum valet, sicut sibiipsi fieri desiderat, quando indiget. Qui ergo debilem in fide sacris verbis confortat, panem cœli languenti porrigit. Qui tristem consolatur, potum vitæ sitienti propinat. Qui iracundum sermone blando mitigat, fauo mellis linguam canis vngit, ne duris morsibus aliquem lædat. Qui dissolutum tacere facit, magnam pacem inter fratres deuotos generat. Qui alijs se præfert, stultum se ostendit, & confusione dignum. Qui in omnibus se humiliat, gratiam ampliorem meretur & gloriam. Pius & humilis laqueos diaboli orando frangit & euadit, quos superbus vanè gloriando incurrit & perit. A quibus pius Iesus nos semper custodiat, & ad cæli gaudia perducat. Amen.

CAPVT XXIV.

De *prouida locutione, & fraterna compassione.*

3. *Medice cura teipsum.* Istud in mente semper habeas, antequã loquaris, & aliquem corripias, ne fortè amplius pecces indiscretè vel iniustè aliquem arguendo. Os iusti & prudentis ser- *Luc. 4.*

uat

uat tempus & modum loquendi, & personam ac naturam hominis priùs attendit; ne fortè perdat aut lædat, quem sanare debuerat. Os bene eruditum & discretum, est quasi vas solidum auro ornatum, vnguento plenum, balsamo odoriferum, & omni honore dignum. Ex bonis verbis tuis & religiosis moribus, seculares ædificantur, pigri excitantur, negligentes arguuntur, dissoluti compunguntur, ignari instruuntur, deuoti inflammantur. Magis enim per viuida exempla homines trahuntur ad contemptum seculi & emendationem vitæ, quàm per multa verba secularis scientiæ.

2. Non est magna ars & virtus, velle alios docere & corripere, sed seipsum bene regere, & correptiones piè suscipere, & feruenter se in istis emendare, hæc magna est sapientia apud Deum & homines. Disce dubiosa ad meliora trahere, ignota non iudicare, aperta mala cauere, proprium scandalum tegere, mores & defectus infirmorum supportare: & quæ non potes emendare, Deo committe. Cogita, quòd Deus in multis te portauit, & adhuc quotidie portat, nec tamen te emendas, sicut sæpe dicis & proponis: sed piè te tolerat & expectat, vt pœniteas, & infirmitatem tuam magis cognoscas, & veniam humiliter petas, & neminem spernas, nec timerè iudices. Porta ergo fratrem tuum in paucis, sicut te Deus portat in multis. Paucis verbis deuotus & humilis vtitur, ne per excessum intus distrahatur. Superbus rigidè loquitur, iracundus alios perturbat, & correptus turbatur. Mitis correptus patienter sustinet, obsecrat magis quàm increpat, peccanti condolet, & amicum factis se probat. Qui præesse alijs appetit, periculis se exponit & vilescit. Amator vanæ gloriæ nescit diu tacere, ne videatur ignarus esse. Erubescit vilia & seruilia opera facere, & post alios stare & in infimo loco sedere. Et tamen honor maximus est, in omnibus humilitatem ostendere, & alijs inferiorem se sentire, & omnibus libenter velle propter Christum seruire, qui ait: *Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Luca 22. Disce iuuenis priùs tacere antequam loquaris, ne coram senibus confundaris. Tutius est tacere, quàm insipienter loqui.

3. Magna ars scire tacere, cùm fueris correptus; & magna sapientia loqui modestè in tempore suo, quod iustum est & decet, coram eruditis. Insipiens nescit seruare tempus, & modum, & ordinem; ideo multa mala illi occurrunt, & iustè reprobatur. Iuuenis audax & ad loquendum velox, insipienti similis, & casui proximus. Si instructus audit, & correptus tacet & obedit, spes magni profectus erit; & in virtutibus quasi lilium florebit. Grandis superbia, stare in propria voluntate Deo contraria, & nolle acquiescere seniorum consilijs & verbis. Sed quia difficile est homi-

ni,

ni, in omnibus verbis & factis modum tenere, & se custodire: ideo religiosi eligunt & quærunt in secreto manere & tacere, turbas fugere, & orationi vacare.

CAPVT XXV.

De incerta hora mortis, & celeri fine huius vitæ.

1. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Felix anima, quæ sæpè cogitat de nouissima hora, quando omnia sunt cessatura in hac vita, læta & tristia, honores & vituperia. Felix anima paupercula, propter Deum peregrina facta; quæ spernit omnia mundana culmina, quantumcumque sint magna & decora. In illa vltima hora peribunt ab oculis omnia castella, villę & oppida, omnia vasa argentea & aurea, omnia fercula lauta & pocula varia cum aromatibus dulcorata. Cessabunt pariter lyra, tuba, tibia, & cithara, omnis ludus, iocus, risus, saltus, plausus, cantus, & discantus, clamor in plateis & in domibus: quia ad nihilum redigentur omnium viuentium corda, & pauebit à facie Dei omnis terra. O quàm sapiens, qui quotidie hæc pensat; & ad futura bona & æterna gaudia percipienda, cum fletu se præparat! *Matt. 25.*

2. Beatus, qui sponte deserit, quæcunque carnaliter delectant in terra, vbi omnia sunt periculis & laqueis plena. Beatus peregrinus, qui sæpe gemit & dolet in hoc exilio, & cupit dissolui & esse cum Christo in cælesti regno. Beatus, qui odit hunc mundum, & quæ in mundo allicere possunt ad peccandum, & fugit cum Helia in desertum ad monasterium, à facie multorum periculorum, quæ sæpe trahunt hominem incustoditum ad infernum. Beatus, qui vigilat die ac nocte contra tentationes suas, & frequenter orat cum Helia, dicens: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Quia melius est mihi cum bona spe mori, & decedere in gratia, quam videre mala, & viuere inter tot pericula. Nam quamdiu anima est in corpore, & corpus alitur cibis terrenis, non est homo purus à peccatis omnibus, nec liber à tentationibus suis, neq; certus à casibus futuris. Decipitur ergo valde, & errat tanquam insipiens corde, qui hîc diu viuere appetit, & multa agere proponit, & nescit an crastinum habebit. *3. Reg. 19.*

3. Memento homo nobilis & dives in delicijs tuis, qualis eris post mortem in terra sepultus. Et quid proderunt tunc omnes diuitiæ? En hodie Rex viuit & imperat; & cras non inuenitur nec auditur. Hodie in alto solio sedet, & aureo pallio vestitur; & cras sub terra sepelitur, & ampliùs nō videtur. Hodie à multis honoratur, & cras à nullo curatur. Hodie magnificatur ab omnibas, &

cras

cras priuatur diuitijs & honoribus, villis & castellis. Hodiè speciosus præ filijs hominum & in numero regum, & cras cibus vermium & fætor narium. Sicut nudus venit in mundum, sic quasi pauper & exul fertur in sepulchrum. Nam omnium deliciarum & pomparum sæculi breuis finis, mors, dolor, luctus, & pauor inuadit omnes. Moritur dominus Papa & Cardinalis, & succedit alius citò moriturus. Nemo quippe vnius diei certitudinem viuendi habet, nec impetrare potest à Papa bullam nunquam moriendi, nec obtinere pecuniam præbendam iugiter manentem. Sæpe enim post impetratam gratiam & prælaturam, repentina mors venit, & omnia simul tollit. Sicque fit, vt ita pauper & nudus homo de Roma recedat, sicut prius ad curiam venit.

4. Legitur in historijs de multis antiquis patribus, qui valde diu vixerunt: Qui fuit, qui fuit, qui fuit, & sic de alijs sequentibus, & in fine concluditur, Et mortuus est. Omnes enim morimur, & tanquam aquę labimur in terram, vnde facti sumus. Quid est totum tempus vitæ nostræ, nisi nunc breue instans; quasi ventus volans, & aurora manè pertransiens, & hospes non reuertens? Quasi fulgur cœli in ictu oculi, sic pereunt omnia regna & tempora mundi. Numera omnes dies, horas, menses, & annos vitæ tuæ, dic vbi iam sunt? Transierunt tanquam vmbra solis, & perierunt sicut aranea texens: Flauit ventus, & perijt opus eius. Nihil ergo stabile & durabile super terram, de qua factus est Adam & filij eius. *2. Reg. 14.*

5. Totum enim vanum & fragile, quicquid videtur in sæculo magnum, decorum, & delectabile. Non ergo te decipiant illecebræ, nec frangant iniuriæ. Qualitercumque sit aliquid ornatum coloribus, aut auro & argento & gemmis preciosis decoratum, vilescit & arescit mortuum ac sepultum. In omni igitur operè quod agis, & in quocumque loco fueris, quocumque pergis & quacumque transis, memor esto finis vitæ tuæ, & vltimæ horæ quam nescis. Felix, qui cupit cum Paulo dissolui, & esse cũ Christo. Hoc enim multo melius, quàm in carne diutius viuere, & à Deo peregrinari, & in fluctibus sæculi quassari & turbari. Si Iesum in mente semper geris, & verè diligis, & ad eum quotidie oras, tunc vtique fiduciam habebis de regno eius, qui ait: *Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.* Beatus ille seruus, qui meruerit audire in extremis dulce verbum Christi: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium domini tui.* *Phil. 1.* *Ioan. 12.* *Matt. 25.*

CA-

CAPVT XXVI.

De æterna laude Dei, & de desiderio æternæ gloriæ.

1. LAuda anima mea Dominum, à quo omne bonum procedit, & nunc & in æternum permanebit. Ad ipsum ergo omnia referre debes, sicut ad omnis boni principium & finem; & cum maxima gratitudine ipsum intimè laudare: vt iterum in te fluant dona cælestis gratiæ largiori munere, donec peruenias ad fontem perennis vitæ, & ad patriam claritatis æternæ, & visionem diuinæ præsentiæ & gloriæ. Nil quippe tibi melius, nil salubrius, nil suauius, nil iucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius, nil beatius, quàm ardentissimè amare & altissimè laudare Deum. Hoc centies dico, hoc millies replico. Nullum studium elegantius, nullum opus eminentius, quàm amare & laudare Deum creatorem ac redemptorem tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc age quamdiu viuis, sentis, & intelligis, hoc perfice opere & sermone, die ac nocte, manè, meridie, vespere, omni hora, omnique momento. Ama & lauda Deũ & omnia facis.

2. Pro posse & nosse, integrè, purè adhære semper Deo: vt sit Deus omnia in omnibus, ante omnia & super omnia à te dilectus, benedictus, laudatus, & superexaltatus in sæcula, & tibi bene cum eo sine fine. Exulta ergo anima fidelis in Domino Deo tuo, sicut beata virgo Maria exultauit in Iesu salutari suo. Exulta & lauda Deum tuum, qui te fecit & redemit, quia debitor Dei es in valde multis & magnis beneficijs, & quotidianis bonis tibi benignè collatis; pro quibus omnibus plenè & dignè Deo regratiari nunquam sufficis, etiamsi angelus sanctus esses. Attamen lauda & gratias age, vt homo mortalis, misericordia Dei indigens; & eam semper quærens & implorans. Non cessés orare & laudare Deum. Licèt sæpe cadis, peccas, & eum offendis, non tamen inde desperabis, sed magis te humiliabis & orabis. Ama & amaberis; quia amor omnia mala præterita emendat, purgat, & sanat, illuminat & accendit; fugat tristitiam, & parit cordi gandium; quale mundus non nouit, nec caro & sanguis sentire valet. Lauda Deum, & laudaberis; benedic, & benediceris; sanctifica, & sanctificaberis; magnifica, & magnificaberis; glorifica Deum, & glorificaberis ab eo in corpore & in anima. *Lucæ 1.*

3. Sed quando erit hoc Domine? Quando replebis os meum laude perpetua, & exultabit cor meum & anima mea, cum sanctis tuis in gloria tua? Sustine tempus ad modicum, & videbis mirabilia magna cùm sonuerit tuba nouissima. Tunc dabo sanctis

meis, pro omni labore & dolore, requiem & vitam æternam. Quid vis amplius? Prorsus nihil. Tu solus sufficis mihi Deus meus, qui das vitam æternam amatoribus & laudatoribus tuis, pro paruis immensa, pro infimis summa, pro perituris æterna. Da teipsum Deo, & totum quod habes; da ei, quicquid agis, scis, & vales, & eris ditior & charior Deo quàm fuisti. Dic cum sancto Paulo: *Tanquam nihil habentes* pro proprio, *& omnia possidentes* in Deo. Quasi viles & pauperes, ac tristes in hoc mundo; sed diuites ac hilares semper in Domino, certi de futuro præmio in cælo. 2. Cor. 6.

4. O Domine Deus, salutare vultus mei, & Deus meus; quando lætificabis me in regno tuo, clarissimo vultu tuo? O quando illuminabis omnes tenebras meas splendore lucis æternæ? Quando auferes omnia obstacula mea de medio cordis mei, pax vera, beatitudo summa, & felicitas perfecta? O quando sine omni impedimento contrariorum, sequar te securè & liberè, quocumque ieris Domine? O quando oculis meis clarè te videbo sine speculo, sine ænigmate, sine parabolis, sine figuris, sine quæstionibus, sine dubijs, sine opinionibus, sine interrogationibus à magistris? O quando omnia sciam, quę credo in Scripturis sanctis, & lego in libris varijs, & audio auribus meis à lectoribus in multis locis de Deo meo, de angelis & omnibus angelorum choris, de gloria & beatitudine cælestis patriæ, de pace & ineffabili gaudio ciuium supernorum? O quando ibi ero? Quando veniam & apparebo in conspectu tuo, & contemplabor lætam faciem tuam, & gloriam regni tui, cum Cherubim & Seraphim & omnibus sanctis? Sed nondum venit hora illa, clausa est adhuc ante me cæli porta. Ideo gemo corde & ore, quamdiu hîc fuero, donec veniam ad te Deus meus.

CAPVT XXVII.

De laude sanctorum angelorum in cælo.

Psal. 137. 1. IN *conspectu angelorum psallam tibi.* O rex altissime, Deus summe laudabilis, creator omnium rerum, angelorum & hominum; quamdiu morabor in terris, & elongabor à te, & ab omnibus sanctis angelis tuis in cælis? Heu me pauperem & infelicem, quamdiu manducabo cum hominibus panem terrenum, panem laboris & doloris; & priuabor pane angelorum, continente omnis saporis suauitatem?

Sap. 16. 2. O Domine, quando audiam vocem laudis tuæ, ex ore angelorum tuorum in cælo; sicut beatus Ioannes Apostolus relegatus in exilium, audiuit vocem multorum angelorum psallentium in

Apoc. 14. vnum: Sanctus, Sanctus, Sanctus? O vtinam essem vnus cum ipsis, &

& talem vocem haberem ? Quàm libenter vellem te laudare cum eis, & super omnia altissima cæli cantica cantare & magnificare nomen sanctum tuum in æternum ? O Cherubim & Seraphim, quàm dulciter, quàm pulchiter, quàm feruenter & excellenter cantatis & iubilatis coram Deo sine omni tædio, sine fatigatione, sine cessatione in æterna felicitate.

3. Ideo omnis vox humana est mihi rauca ; omnis cantus dissonus; omnis psalmus aridus; omnis musica grauis; omnis cithara, surda; omne organum, mutum; omnis lætitia, grandis tristitia; omnis ludus, vlulatus; omnis cibus & potus, insipidus; omnis caro, fœnum; omne vinum, fel & acetum; omne mel venenum; omne iucundum, asperum; omnis decor, fœtor; omnis ornatus, stercus; omnis honor & gloria, vanitas & fumus; omne preciosum & nobile, vile & deforme; immo omnia nulla, comparatione æternæ vitæ, æternæ gloriæ, æternæ lætitiæ, in conspectu Dei & Angelorum; qui altissimè collaudant sanctam & glorioſam Trinitatem, die ac nocte sine fine.

4. Sed quia ad ista sublimia cœlorum cantica ascendere nequeo, nec plenè ea comprehendere sufficio ; ideo meipsum plango, & valde despicio, & coram Deo & omnibus hominibus flecto genua mea, & humiliter veniam peto. Nam opera mea verè nulla sunt, sine gratia & misericordia tua Domine ; quam maximè ostendis super omnem creaturam tuam, sine numero & mensura. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm profunda sunt iudicia tua, & vera à seculo vsque in finem seculorum, super bonos & malos, super gratos & ingratos, super pios & impios ; ita vt nemo possit plene inuestigare opera tua, nec debeat iustè conqueri in aliquo facto improuiso. Benedictus ergo semper Deus meus. *Rom. 11.*

CAPVT XXVIII.

Oratio deuoti amatoris & laudatoris Dei.

1. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* *Psal. 140.*

Cupio Domine Deus meus cum omnibus sanctis tuis & creaturis, in omni loco & tempore, deuotè te laudare, benedicere & prædicare, & puro corde semper amare; & super omnia opera tua, nomen sanctum tuum magnificare & exaltare in perpetuum : quoniam tu es Deus meus, & ego pauper seruus tuus. Tu lux mea, & spes mea, Deus meus. Tu fortitudo mea, patiẽtia mea, laus & gloria mea, Deus meus. Tu sapientia mea, & prudẽtia mea, pulchritudo mea, & dulcedo mea, Deus meus. Tu musica mea & cithara, organũ meum & tympanũ meũ, Deus meus. Tu psalmus meus & hymnus meus, cantus meus & iubilus meus, Deus meus. Deus animæ amantĩ est omnia.

Tu galea mea & lorica mea, arcus meus & gladius meus, Deus meus.

2. Tu thesaurus meus, aurum meum, argentum meum, talentum meum, ad soluendum omne debitum meum, Deus meus. Tu domus mea, & castrum meum, & palatium meum, Deus meus. Tu scutum meum, & vexillum meum, turris fortitudinis & defensor vitæ meæ, Deus meus. Tu hortulus meus & pomarium meum, viridarium meum, & refrigerium meum, Deus meus. Tu aula mea, & mensa mea, cibus meus & potus meus, Deus meus. Omnis enim cibus, qui non est à te coctus & paratus, insipidus est mihi, Deus meus. Tu cinnamomum meum & balsamum suauitatis meæ, nardus mea & electa myrrha mea cum preciosis vnguentis, Deus meus. Tu rosa mea & lilium meum, tu sertum meum & corona mea, Deus meus. Tu thalamus meus & lectulus meus, sudarium meum ad tergendum, linteum ad inuoluendum, Deus meus.

3. Tu lucerna mea & lampas mea, candelabrum meum & sidus meum, Deus meus. Tu liber meus intus & foris scriptus, biblia mea, in qua tota sacra scriptura iacet, magister meus & Deus meus. Tu lector meus, & instructor meus, medicus meus & apothecarius meus, Deus meus. In te omnia inuenio & habeo, te donante & miserante; & quicquid extra te quæro & desidero, parum vel nihil mihi prodesse sentio. Aperi ergo cor meum in lege tua sancta; redde mihi lætitiam salutaris tui; dilata cor meum ad currendam viam tuam; confirma me in verbis tuis, quia non est, qui adiuuet, non est, qui præter te saluum faciat, & ad vitam æternam perducat. Exaudi me Deus meus, cùm deprecor, cùm tribulor, cùm lætor, cùm sanus sum. In omnibus me tibi commendo, & te in æternum benedico. Amen.

Psal. 21.

CAPVT XXIX.

De vnione cordis cum Deo habenda.

Psal. 114. 1 CONuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Ipse enim est requies tua, & pax tua; ipse vita, salus & beatitudo tua. Igitur omnia opera bona, quæ facis, vides & audis, semper ad laudem Dei referas, vt pacem & bonam conscientiam habeas. Non in te nec in alijs stes nec maneas nec exultes: sed in Deo solo purè, firmiter, & perfectè, qui dat omnia, & operatur omnia in omnibus, pro sua magna bonitate & immensa clementia. Quis mihi det talem gratiam, vt omnia ad laudem & honorem Domini Dei mei referam, & rectè faciam sicut teneor & possum facere; & nulla res parua vel magna à Deo me retrahat,

Animæ diligentis Deum felicitas.

neq

nec inficiat, nec conturbet, nec in aliquo impediat. Sed fortè mihi non est possibile, ad hæc modò posse venire. Est tamen totũ Deo possibile, qui animam deuotam potest sibi per gratiam in amore citò vnire. Hoc enim perfectus & purus amor Dei, in momento facere potest, quotiescumque voluerit; vt omnibus oblitis, sibi soli sim perfectè vnitus, & igne amoris eius vehementer accensus & liquefactus. Amoris est vnire.

2. O Deus meus, amor meus, in loco peregrinationis meæ, quando ero tibi totus vnitus, cum omnibus animæ meæ viribus, à te mihi datis & gratiosè infusis? Sileat ante te omnis creatura tua, Deus meus. Tu solus mihi loquaris, assis, & illumines, qui es omnia in omnibus, & super omnia cæli luminaria æternaliter benedictus. Felix anima, in hoc mundo desolata, à Deo consolata; ab hominibus ignorata, sanctis angelis nota; à malis neglecta, à bonis requisita; à superbis despecta, ab humilibus dilecta; à secularibus separata, à spiritualibus congregata; à magnatibus derisa, à paruulis honorata; foris quasi mortua, intus semper viua; carne afflicta, spiritu læta; corpore debilis, mente fortis; vultu deformis, conscientia pulchra; labore fatigata, oratione roborata; onere pressa, solatio erecta; carne in mundo tenta, spiritu ad cælum rapta, & Christo copulata. 1. Cor. 15.

3. Felix, qui Iesum & Mariam & omnes Angelos & sanctos Dei habet amicos in hac vita, duces in via, consules in dubio, doctores in studio, lectores in mensa, sodales in cella, familiares in colloquio, cantores in choro, custodes in periculis, adiutores in prœlio, defensores contra hostes, intercessores pro peccatis, subuentores in extremis, confortatores in agone, aduocatos in iudicio, patronos coram Deo, susceptores in cælo. Sit tibi religiosè & deuotè frater, postquam reliquisti seculum, pro terrenis parentibus, Deus cæli Pater, Iesus frater, virgo Maria mater, angeli amici, religiosi cognati, omnes fideles propinqui, senes auunculi, iuuenes fratres, coniuges matres, virgines sorores, pauperes nepotes, peregrini consobrini, mites & humiles consodales, sobrij & casti commensales, infirmi & debiles familiares, afflicti & oppressi conturbernales, derisi & despecti multum amicabiles, omnes deuoti honorabiles, omnes mundum spernentes & Christo seruientes cohæredes regni cælestis. Hæc est generatio sancta nobilisque progenies, ex Deo nata, Deo placita, fide fundata, spe roborata, charitate ornata, patientia armata, igne probata, constantia firma.

CAPVT XXX.

De vera pace in solo Deo quarenda.

Ioan. 21. 1. PAx vobis. Ego sum, nolite timere. In Christo Iesu tota salus & vera pax animæ consistit. Et qui Christum diligit, habet pacem, & in eo quiescit: nec vltra eum, nec supra eum, quid quærere plus affectat. Pax animæ fidelis in hac vita, ferre multa aduersa pro amore Dei & nomine Christi. Decipitur & errat, qui aliter sentit & cogitat. In vanum laborat, qui Deum in omni facto suo & cogitatu non præponit, nec ipsum purè quærit & cupit. Non est pax impijs, dicit Dominus: sed pax multa diligentibus legem tuam Domine.

Pax Christi in quo sita. 2. Pax, quam Christus docuit & promisit, in profunda humilitate existit, & in abnegatione propriæ voluntatis; in mortificatione omnis prauæ delectationis, in abiectione omnis mundanæ laudis, & externæ consolationis in rebus perituris. Custodi ergo cor tuum ad intra, & omnes sensus tuos ad extra; ne capiaris aliqua illecebra & recreatione animæ tuæ nociua. Iuuant sæpe creaturæ, si ad creatoris laudem & honorem Dei rectè & purè referantur; vel ad aliquam vtilitatem suam vel alterius profectum, moderatè & discretè assumantur.

3. Nocent autem sæpe res pulchræ, si curiosè, impudicè & malè concupitę aspiciantur, & desuper delectant; & cõtra rationem & honorem Dei placent, & animum mouent. Nam sicut boni se custodiunt, ita incauti vincuntur vitijs. Tentãt diuitiæ, corrumpunt pecuniæ, inficiunt deliciæ, necant epulæ multæ; inflant scientiæ, tument potentiæ, eleuant honores. Respuunt peruersi humiles mores, vanæ laudes seducunt animos leues. Fatui sunt omnes & vecordes, qui ista terrena quærunt & pro magno reputant, quę animam satiare non possunt, nec quiescere permittunt. Omnia temporalia defectuosa & indurabilia sunt, & præter Deum nil est perfectum, nec pro summo gaudio & optimo bono habendum.

4. In nulla ergo creatura viua, vel pulchra pictura, aut nobili genitura, aut alta statura, aut magna prælatura, pone cogitatum & desiderium tuum, si non vis falli, turbari, & inquinari: quia totum vanum, lubricum, & noxium est; nisi omnia trahas ad Deum, à quo omne bonum, & in quo omnia viuunt & consistunt. Non ergo vanè glorieris homo fragilis & mortalis, in multis culpabilis, & ad malum citò labilis, & ad standum & permanendum in bono debilis. Nec confidas tibiipsi nimis: nec stes fixè in te nec in alijs, altè cogitando & præsumendo, sed quicquid boni consideras

deras & intelligis in te & in omnibus creaturis, totum Deo purè & integrè offer & ascribe. Tunc pacem & quietem cordis inuenies in Christo, & non in aliquo bono creato; & implebitur in te & de te, dulce & sanctum verbum Christi, ab eo in monte prædicatum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cui laus honor & gloria ab omni creatura, in secula seculorum. Amen. *Matt. 5.*

CAPVT XXXI.

De recta intentione ad Deum erigenda.

1. O*Culi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* In omni cogitatione, locutione, & operatione tua, habeas semper rectam & puram intentionem ad Deum; vt omnia facias ad laudem & gloriam & honorem Dei, & proximi ædificationem. Ipse est causa omnium bonorum meritorum, atque largitor æternorum præmiorum. Ipse principium & finis omnium operum tuorum esse debet, ne perdas fructum laborum tuorum. Si memor fueris terribilium iudiciorum Dei, non vanè gloriaberis. *Psal. 24.*

2. Pessima pestis vana gloria, & velle laudari foris ab omnibus. Hoc vtique vanissimum est, & superbiæ signum, gratiæ Dei contrarium. Quid ergo facies, & in quo confides & sperabis? Non in te, nec in homine, nec in aliqua re mundi, nec in stellis cæli: sed in solo creatore Deo tuo, qui fecit te, & habet te, & omnia creata simul in manu & potestate sua sine onere & adiutore. Dic ergo, & ora cum Dauid in psalmo: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et iterum: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* *Psal. 37.*

3. Relictis ergo vanis rationibus & consilijs hominum, in cunctis necessitatibus tuis, potiùs cum precibus & sanctis desiderijs, recurre confidenter ad Dominum Deum tuum; quoniam ipse est, qui euellet de laqueo pedes tuos, vt non moueris à recta via virtutis & vera humilitate, sed stes fixus in Deo vsque in finem. Omne opus bonum propter Deum factum, lætificat conscientiã, illuminat mentem, & ampliorem meretur gratiam. Omne autem malum opus, mœstificat agentem, & maculat famam bonam, & impedit diuinæ consolationis influentiam. Qui aliquid propter vanam gloriam facit, elationis vento lucernam extinguit: & qui propter mundum agit & apparere appetit, citò Deo irascente in lutum cadit. Non ergo læteris in aliqua felicitate huius mundi, quemadmodum stulti; sed sta semper in timore Dei, & cognitione fragilitatis tuæ. Frequens lapsus & facilis error tuus docebunt te humiliter & viliter de teipso sentire.

4. Neminem velis in hac vita nimis laudare, quia nescis, qualis sit quisque futurus. Nec temere iudices cadentem, quia potest Deus citò erigere flentem. Pro omnibus ora, & omnes Deo committe. Esto vilis in oculis tuis, vt fias magnus coram oculis Dei; qui humiles respicit, & altos à longè cognoscit, & subitò prosternit. Si ab hominibus despiceris, & alij tibi præponuntur, ne tristeris nimis; quia melius & securius est humiliari cum mitibus & simplicibus, quàm à Deo reprobari cum diuitibus & elatis. Cane laudari, time magnificari; erubesce honorari, fuge reputari, quære latitare. Elige Deo vacare, sacris lectionibus & deuotis precibus sedulò immorari. Non est sine laude & honore, qui propter Deum spernit laudes & honores. Nec est sine solatio diuino, qui omnia huius mundi gaudia reputat pro nihilo; & omnia sibi cõtraria sustinet libenter pro Christo, & quotidie anhelat esse cũ eo in cælo.

CAPVT XXXII.

Oratio humilis & contriti spiritus.

Psal. 24. & 122. 1. AD *te Domine leuaui animam meam, qui habitas in cælis.* O Domine Deus, qui omnia prouidè ac iustè disponis in cælo & in terra, cum Angelis & hominibus & omnibus creaturis tuis: accipe pro magnis laudibus & gratificationibus tibi debitis, omnes tribulationes & angustias cordis mei, in vera contritione peccatorum meorum tibi modò oblatas. Conuerte mihi omne malum in bonum, & bonum semper in melius, pro gloria nominis tui & animæ meæ æterna salute. Tu scis omnem infirmitatem meam, & magnam ignorantiam meam, atque quotidianam instabilitatem memoriæ meę; quàm citò vagor huc illuc, longius à te sæpissimè. Parce mihi Domine, secundum multitudinem miserationum tuarum, & reduc me citius ad te. Conserua cor meum apud te, in deuota oratione & sacra meditatione, die ac nocte, quantum mihi est possibile in hoc fragili corpore.

2. Cupio placare benignissimam faciem tuam, muneribus sacris et precibus, et præcipuè tribus pauperum obolis, contritione cordis, confessione oris, & satisfactione humilis operis. Domine Deus meus summè amabilis, memento mei pauperis; quia homo [illegible]milis, non angelus sanctus: peccator magnus, non innocens [illegible]epidus orator, non feruidus contemplator. Et ideo nec [illegible]uitor tuus: nec inter deuotos oratores debeo compu[illegible]neo videri, nec nominari. Domine mi charissime, accepta sit [illegible]t obsecro humilis oratio mea, & amara contritio peccatorum [illegible]orum, pro dulci cantu & iubilatione Angelorum, & concordi laudatione omnium cælestium ciuium supernorum. Veruntamen

men non desperо , nec desperabo de venia & misericordia tua; quamuis sæpius cado , & grauor in meipso ex infirmitate mea. Non cesso, nec cessabo à laude tua in vita mea: sed laudabo & magnificabo te, donec ad te perueniat (ô Deus) anima mea. Nam te semper laudare & super omnia amare, summa felicitas est Angelorum & beatorum in patria.

CAPVT XXXIII.

De bona societate cum Iesu & Sanctis eius.

1. Q*Varite Deum, & viuet anima vestra.* Nihil melius, nil animæ felicius. Qui aliud quærit, nihil in fine obtinebit. Si ergo vis habere bonũ socium pro solatio, quere Iesum cum pastoribus in præsepio; aut cum sanctis Magis in matris gremio; aut cum Simeone & Anna in templo; aut cũ Martha in castello; aut cum Maria Magdalena in sepulchro; aut cum Apostolis in cœnaculo, ad accipiendum Spiritum sanctum cum magno gaudio. Beatus, qui in his & alijs sanctis locis Iesum deuotè quærit, non corpore, sed spiritu & veritate. Beatus, qui in omni loco & in omni tẽpore Iesum intimè quærit, & magnis desiderijs ad eius claram visionem & præsentiam anhelat, & quotidie se præparat. Beatus, qui Iesum in vita sua per passionem & crucem sequitur; quia in extremis bene ipsi cum Iesu erit, & ab auditione mala non timebit.

Psal. 68. Iesus vbi querendus *Luc. 1. Matt. 2. Lucæ 2. Lucæ 10. Ioan. 20. Act. 10.*

2. Non solùm Iesum quere, sed etiam discipulos Iesu, & omnes diligentes Iesum, & qui patienter ferunt aduersa propter Iesum. Amor namque Iesu & amicorum eius mundum spernit, & omne vanum & impurum longè à se repellit. Relinque ergo amicos, & notos, ac sodales extraneos, qui in solitudine & deuotione te impedire possunt; & quære pro singulari solatio tuo in secretario cellæ, familiaritatem cum sanctis Apostolis & cognatis Iesu; vt loquantur tibi de regno Dei & statu æternæ beatitudinis: & quo modo per multas tribulationes possis ad eorum societatem peruenire. Accede autem ante omnes sanctos & sanctas, cælestis curiæ ciues, ad secretum tabernaculum atque oratorium beatæ Mariæ virginis, à seculi turbis remotum, & quære ibi solatium animæ tuæ, precibus insistendo.

Familiaritas & consuetudo Sanctorũ ambienda.

3. Audi, quomodo Angelus Domini cum Maria loquitur, de incarnatione Christi & redemptione generis humani. Felix dies & beata hora, si poteris ibi facere moram cum Angelo Gabriele & beata virgine Maria, audiendo ab eis mysteria cælestia. Crede firmissimè omnia esse vera per Angelum Mariæ nunciata, sicut Maria credidit Deo, & Angelo eius sibi misso de cælo. Deinde, quære diligenter Ioannem Baptistam, præcursorem Domini nostri

Ioan. Baptista.

stri Iesu Christi, in eremo latentem, & flexis genibus saluta eum deuotissimè supplicando: Aue sanctissime & dilectissime amice Iesu Christi Ioannes. Multa bona & magna mirabilia audiui de te, quàm sancte & miraculosè sis natus: quàm strictè & religiosè fuisti à puero in solitudine conuersatus, ne leui saltem famine aut cogitatione peccares.

4. Quære ab eo, quamdiu ibidem solus manserit: & maneas cum eo, quantum placet, & tempus permiserit. Disce ab eo, quid comederit & biberit, & quis ei necessaria ministrauerit; vtrùm pater eius & mater aliqua ipsi miserint, & quandoque ad eum venerint, vel ipse ad eos videndos exierit; An etiam sanctus Angelus Gabriel ad eum quandoque descenderit, & multa secreta ei reuelauerit; Et an Iesus ei personaliter apparuerit, & manus eius confortauerit, sicut scriptum est in Euangelio: *Etenim manus Domini erat cum eo.* Quicquid de istis sit, totaliter Spiritui sancto committe; qui ipsum impleuit, docuit, & erexit, & totam vitam eius virtutibus ornauit, & vsque ad exitum vitæ, in eremo & inter homines, & in vinculis & in carcere custodiuit, & tandem cum martyrij palma animam eius suscepit.

Luc. 1.

Petrus. Act. 3.

5. Deinde ad Apostolos Christi procede, & quære sanctum Petrum: & vade cum eo in templum ad orandũ: vel etiam in cœnaculum ascende, ad accipiendum Spiritum sanctum. Quære etiam Paulum in Damasco & in Epheso, & vade cum eo per omnia ad prædicandum Euangelium Christi, non in corpore sed in spiritu. Ecce quomodo plus omnibus laborat; & quàm sæpe orat, & quàm frequenter in orando & contemplando rapitur per excessum in cælum. Sublimis volatus iste non omnibus datus, & tamen ad ima descendens dicit: *Ego non arbitror me comprehendisse* Et iterum post alia, ad instruendum humiles in vita & in passione Christi, ait: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* Sequere sanctum Paulum, & ducet te recta via ad Christum, & per crucem ad cælum.

Paulus.

2 Cor. 12. Phil. 3. 1. Cor. 2.

Andreas.

6. Vade vlteriùs, & quære Andream Apostolum in Achiæ partibus prædicantem Christum; & audi verba pendentis in cruce pro Christi nomine. Signa ea in corde tuo, & stude implere cum gaudio, inspirante & iuuante Spiritu sancto, quæcumque loquitur de passione Christi, & sanctæ crucis laudibus. Quære consequenter sanctum Iacobum maiorem, passum, & occisum ab Herode, & bibe cum eo calicem passionis huius miserabilis vitæ, patienter tolerando dolores pro amore Dei, & animæ tuæ salute.

Iacobus.

Ioannes Euang.

7. Deinde procede, & quære Ioannem Apostolum Christo dilectum, & pro nomine Iesu in exilium relegatum, ab omnibus secularis-

diligentes, Deum negligentes, & in terrenis bonis & honoribus ac laudibus finem suum & felicitatem constituentes. Qui (heu Deus) propter hæc habenda, augenda, & seruanda currunt, laborant, student, vigilant, & ferè nunquam quiescunt, nec solicitare cessant, donec aliquid acquirant. Et cùm acquisierint, siue rectum siue indirectum fuerit, adhuc non contentantur: sed ad altiora scandere & gloriari super cæteros concupiscunt, & intumescunt; doctos se iactant, magnos se æstimant, & ab alijs honorari affectant. Et tamen totum est vanum, lubricum, & nihilum; & finaliter periculosum & perditum, quod quærunt & cupiunt.

2. Certè erratis & vosipsos decipitis, quibus mundus adhuc dulcis est, & iucunda vita præsens, quia nil certi habetis de omnibus bonis vestris, & quotidie morti & iudicio Dei futuro propinquatis. Nihil enim est in hac vita ita iucundum, quin habeat aliquid amaritudinis annexum. Nil in creaturis tam precioſum & bonum & delectabile, quod possit animam hominis satiare & beatificare, ab omni malo eripere, & omni bono replere, & semper lætificare: nisi solus Deus, summè bonus, æternus, & immensus. Hic est creator omnium rerum, visibilium & inuisibilium, angelorum & hominum; qui est ante omnia, & super omnia, & in omnibus Deus benedictus in secula.

3. Quid enim dignè de Deo dici potest aut cogitari, ab aliqua creatura in cælo & in terra? Excedit namque Deus omnia, ante cuius oculos omnia videntur vana & nulla. Ideo fatua est omnis anima, & permanebit semper egena & misera: quę extra Deum aliqua quærit & diligit, quæ à dilectione & honore Dei mentem separant. Magna & mirabilia opera tua Domine; & cogitate, & perscrutari singula, non est mihi, nec alicui creaturæ possibile.

4. Quid igitur faciam, quia non possum altiora capere, nec secreta cælestia penetrare, neque cum angelis faciem Dei mei contemplari? Indignum me fateor tantis bonis frui, & cum Sanctis in cælo conuersari. Ideo me semper humiliabo & despiciam coram Deo & omnibus hominibus, quamdiu fuero, & ero vilis in oculis meis; vt Deus misereatur mei peccatoris, nunc & in omnibus horis. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meę, quibus iram merui; & placabo in gemitu & fletu Deũ, quem offendi sæpius verbis, factis, visu, auditu, & cæteris sensibus meis: quos mihi ad seruiendum sibi dedit in toto corde meo, quamdiu in corpore viuo: Sed ne desperem & deijciar in malis meis, recordabor (Domine) omnium bonorum tuorum, & omnium misericordiarum tuarum quę à sæculo sunt; donec ad te, auxiliante gratia tua, merear saluus peruenire. Libera me ab omnibus ma-

Isaiæ 38.

cularibus curis & negotijs segregatum; vbi diuina reuelatione altiùs illustratus, Apocalypsim de statu totius Ecclesiæ militantis & triumphantis, figuris & mysticis verbis scripsit, & post hæc etiam, pro omnium Ecclesiarum & fidelium eruditione & consolatione, sanctum Euangelium de diuinitate Christi vltimus edidit. Lege & stude in istis, & alijs sacræ Scripturæ libris, pro captu tuo & consolatione exilij tui in hoc mundo; non vt doctus & sapiens videaris, sed mitis & patiens, humilis & obediens, vsque ad mortem efficiaris. *Apoc. 1.*

8. Quære adhuc alios sanctos Apostolos, pro consolatione tua in Christi seruitio occupatos, pro fide & amore Christi occisos, verbo & exemplo multos ædificantes. Vide sanctum Iacobum fratrem Domini, epistolam canonicam scribentem, formam christianæ vitæ & religionis perfectionem continentem. Quære & sanctum Thomam in India, qui vulnera Christi reuerenter palpauit, firmiter credidit, & cum feruenti amore apertè clamauit, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Quære etiam cum magno desiderio, sanctum & eruditum Apostolum Matthæum Euangelistam scribentem Hebraicis literis Christi Euangelium toti mundo profuturum, omnibus nationibus, populis, & linguis varijs, ad salutem destinatum. Simili modo & affectu, quære alios sanctos Apostolos & discipulos Iesu Christi, in locis suis verbum vitæ retinentes, & populum docentes, & vsque ad mortem in vinea Dei laborantes. Isti sunt sancti & amici Dei, qui sanguine fuso, per coronam martyrij meruerunt vitam æternam. Lege ergo libenter vitam & passiones eorum, & consolaberis in laboribus & doloribus tuis: quia nihil est, quod tu facis & pateris pro Christo in seruitio Dei, comparatione sanctorum & aliorum deuotorum. Iacobi epistolæ laus. Thomas. *Ioan. 20.* Matthæus.

CAPVT XXXIV.

De summo bono & vltimo fine, in solo Deo ponendo.

1. S*Atiabor, cùm apparuerit gloria tua.* O Domine, quomodo potest homo ad hanc gloriam peruenire? Per contemptum sui & omnium terrenorum, & per ardentem amorem omnium cælestium bonorum. Testes sunt animæ sanctorum lætantes in regno cælorum, & omnes fideles certantes & laborantes contra tentationes vitiorum. Ab hoc glorioso fine & summo bono æternaliter fruendo, longè distant superbi dæmones, infideles pagani, peruersi Iudæi, & hæretici indurati, homines carnales mundũ diligen- *Psal. 16.*

diligentes, Deum negligentes, & in terrenis bonis & honoribus ac laudibus finem suum & felicitatem constituentes. Qui (heu Deus) propter hæc habenda, augenda, & seruanda currunt, laborant, student, vigilant, & ferè nunquam quiescunt, nec solicitare cessant, donec aliquid acquirant. Et cùm acquisierint, siue rectum siue indirectum fuerit, adhuc non contentantur: sed ad altiora scandere & gloriari super cæteros concupiscunt, & intumescunt; doctos se iactant, magnos se æstimant, & ab alijs honorari affectant. Et tamen totum est vanum, lubricum, & nihilum; & finaliter periculosum & perditum, quod quærunt & cupiunt.

2. Certè erratis & vosipsos decipitis, quibus mundus adhuc dulcis est, & iucunda vita præsens, quia nil certi habetis de omnibus bonis vestris, & quotidie morti & iudicio Dei futuro propinquatis. Nihil enim est in hac vita ita iucundum, quin habeat aliquid amaritudinis annexum. Nil in creaturis tam precioſum & bonum & delectabile, quod possit animam hominis satiare & beatificare, ab omni malo eripere, & omni bono replere, & semper lætificare: nisi solus Deus, summè bonus, æternus, & immensus. Hic est creator omnium rerum, visibilium & inuisibilium, angelorum & hominum; qui est ante omnia, & super omnia, & in omnibus Deus benedictus in secula.

3. Quid enim dignè de Deo dici potest aut cogitari, ab aliqua creatura in cælo & in terra? Excedit namque Deus omnia, ante cuius oculos omnia videntur vana & nulla. Ideo fatua est omnis anima, & permanebit semper egena & misera: quę extra Deum aliqua quærit & diligit, quæ à dilectione & honore Dei mentem separant. Magna & mirabilia opera tua Domine; & cogitate, & perscrutari singula, non est mihi, nec alicui creaturæ possibile.

4. Quid igitur faciam, quia non possum altiora capere, nec secreta cælestia penetrare, neque cum angelis faciem Dei mei contemplari? Indignum me fateor tantis bonis frui, & cum Sanctis in cælo conuersari. Ideo me semper humiliabo & despiciam coram Deo & omnibus hominibus, quamdiu fuero, & ero vilis in oculis meis; vt Deus misereatur mei peccatoris, nunc & in omnibus horis. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meę, quibus iram merui; & placabo in gemitu & fletu Deũ, quem offendi sæpius verbis, factis, visu, auditu, & cæteris sensibus meis: quos mihi ad seruiendum sibi dedit in toto corde meo, quamdiu in corpore viuo: Sed ne desperem & deijciar in malis meis, recordabor (Domine) omnium bonorum tuorum, & omnium misericordiarum tuarum quę à sæculo sunt; donec ad te, auxiliante gratia tua, merear saluus peruenire. Libera me ab omnibus ma-

Isaiæ 38.

malis irruentibus subitò in me, quæ retrahunt sæpius cor meum à cælestibus bonis meditandis. Adesto mihi pie Deus, & pone me iuxta te; ne incipiam vagari & elongari à summo bono, quod tu es Domine. Nam in te solo, totum bonum meum. Da teipsum mihi, & sufficit animæ meæ, Domine Deus salutis meæ. Amen.

DE TRIBVS
TABERNACVLIS.

In his tribus tabernaculis, castra tenent tres militares virtutes. In primo paupertas, in secundo humilitas, in tertio patientia: de quibus tria sunt capita.

CAPVT I.

De paupertate.

1. EST scriptum in Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Psal. 9. Magna est, Domine Deus meus, patientia seruorũ tuorum. Et hęc est victoria eorum, qui cuncta superant aduersa in hoc mundo. Dixisti enim: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luæ 21. Tu multipliciter nos probas, & vndique tribulationibus nos circumcingis, nunc foris, nunc intus, nunc apertis, nunc occultis nos examinas tentationibus: ita vt in nobis nihil sit, quod per tentationis ignem non transeat. Vis nos in omnibus tentare, in multis angustiare: vt in omnibus probati, & ex multis miseriis liberati, gratias multas tuæ referamus misericordiæ & bonitati. Hoc placitum est visumque bonum in conspectu tuo, & vtile ad profectum nostrum. Si tu Domine Deus noster pro nobis, quis contra nos? Sequar ergo te Domine, quocumque ieris, dummodo mihi dux in via tu fueris. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Confitebor tamen aduersum me iniustitiam meã Domino, & infirma mea non abscondam: si fortè à bono medico, consolationis fermenta percipiam. Vide Domine paupertatem & infirmitatem meam, attende quæ dico, tibi enim reuelaui causam meam. En desidero requiem, & tu iniungis mihi laborem. Anhelo ad sublimia, tu autem proponis humilia. Quęro delitiarum copiam, sed tu suades paupertatis inopiam. Psal. 22.

2. Estne, Domine Deus meus, istud consilium & verbum tuum? Vtique.

Vtique. Et quomodo coarctor, vt perficiatur in me? Dilige (inquit Dominus) me, & non anguſtiaberis in te. Facile eſt in igne charitatis, conſumi omnem anguſtiam paupertatis. Dulce eſt amanti compauperari filio Dei. Leue eſt omne onus, quod charitas tolerare iubet. Nec erit cuiquam labor durus, qui charitatis pane fuerit confortatus. Bene locutus eſt Domine, fiat quæſo ſicut dixiſti. Qui dediſti conſilium, fer & auxilium. Efficiatur totum ſuaue, quicquid videtur carni graue: & onus leue, quod iam antè videbatur importabile. Exultet caro mea in Deo viuo, & ſpiritus meus in Deo ſalutari ſuo. *Quàm bonus Iſrael Deus iis, qui*
Pſal. 17. *recto ſunt corde!* Diligam te Domine virtus mea, firmamentum meum, & refugium meum. Diligam etiam ſanctam paupertatem, humilitatem, & patientiam, ſequendo viam tuam & ſanctorum tuorum. Habebo amodo paupertatem pro diuitijs, humilitatem pro gloria, patientiam pro requie. Sit mihi de his cura, & placeant quęcunque ſpiritus requirit, quia caro non prodeſt quic-
Ioan. 6. quam. Delecter in his ſicut in omnibus diuitijs, & pes ſuperborum diuitum, atque ſuauiter viuentium, non moueat me. Cadent
Abac. 3. enim ipſi, cùm venerit dies illorũ, & finis eorum ſine honore. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo: qui factus eſt mihi exemplum paupertatis, humilitatis, & patientiæ.

3. Conſiderans ergo prædictas virtutes in te Domine, & in quibuſdam ſeruis tuis, inuenio te ſuper omnia humilem, Moyſen
Num. 12. *3. Reg. 17.* *Matt. 17.* verò ſeruum tuum valde manſuetum, & Heliam multum pauperem. Recordor quoque illos tecum in monte aliquando apparuiſſe; & qualiter Petrus ait, Domine ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Heliæ vnum. Secundùm quem modum, prædictas virtutes quaſi tria tabernacula aſpicio, in quibus habitare deſidero. Si dixero, quòd Dominus meus ha-
Matt. 11. bitauerit in tabernaculo humilitatis, quid conuenientius? *Diſcite* (inquit) *à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Igitur tabernaculum tuum Domine humilitas eſt, in quo verè Spiritus ſanctus
Iſaiæ 66. requieſcit. Vnde ſcriptum eſt: *Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* Moyſes verò quale tabernaculum habuit? Si manſuetudinem eius conſideraueris, non dubium quin erit patientia. Erat enim (ſcriptura teſtante) Moyſes vir mitiſsimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Hoc tabernaculum factum eſt ſecundum exemplar, quod in
Matt. 5. monte monſtratum eſt, vbi Dominus ait: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

4. Helias iam venit: ſed eamus & videamus, vbi habitaret. Quòd ſi paupertatem & abſtinentiam illius inſpexero, paupertas vtique reſpondebit, Quia ego ſum. Habitauit in tabernaculo pau-

pertatis

pertatis, magnus ille Helias propheta. Testantur corui, qui eum pascebant: spelunca, in qua latebat: asperitas vestium, quæ eum tegebat: & angelus Domini, qui subcinericium panem & aquam illi ministrabat. Quàm bonum est nos hîc esse, & quàm iucundum in his tabernaculis habitare? O si merear inter sanctorum tuorum numerum, vnus de minimis inueniri, vt locum inueniam in domo tua: & cùm defecerit virtus mea, illi me recipiant in tabernacula sua? Quàm felix etiam essem, si inter tam pretiosissima tabernacula, vel paruulum vnum mihi ædificare possem: vt dignaretur ad me venire Dominus Deus, & mansionem facere? Scio enim, quòd libenter habitat in his virtutibus Dominus & rex virtutum. Nunc igitur loquere Domine ad seruum tuum, quia audit seruus tuus; & ostende mihi secundùm multitudinem misericordiæ tuæ, sanctitatem paupertatis, gratiam humilitatis, & fortitudinem patientiæ. 1. Reg. 17. & 19. Luca 16.

5. Et Dominus: Quòniam in verbis meis quæris consolari, & in his tribus virtutibus optas erudiri, libenter faciam quod precaris. Sed de paupertate, quæ initium harum videtur, sermo incipiendus est. Beatissima paupertas, quæ specialem apud me obtinet sanctitatis locum, in tuo corde vtinam altiùs imprimatur. Audiui enim gemitum tuum, quomodo anxiatus sis in paupertate, sed displicuit mihi. Non est hæc res bona, quam audio de te. Nónne est ista, quam elegi, & signata in thesauris meis? Surge, & transi cum pastoribus vsque Bethleem; & vide hoc verbum, quod caro factum est, quod Dominus ostendit tibi; & cognosce, an ibi paupertas defuit. Vide paupertatem meam, & comparatione eius, satis modica tua paupertas, aut etiam nulla erit. Magnum vtique chaos positum est, inter meam tuamq; paupertatem. Nam ipse cùm diues essem, nulliusque egerem, pauper & exul in mundo fieri, & hoc propter te, non erubui. Tu verò, qui pauper es & nudus, qui nihil in hunc mundum tulisti, nónne istud attendere debuisti? Iam cesset querela tua. Sufficere credo ad consolationem tuam, si meæ paupertatis magnitudinem intentiùs aspexeris. Epulari autem & gaudere, non modò, sed in futuro debes. Ibi enim edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt me omnes, qui exquisierint me in sancta paupertate. Non est seruorum Dei de præsentibus lætari bonis, & mundi conformari pompis; sed despectis eius delicijs, ad paupertatis meæ delicias confugere. Verùm paupertas ac humilitas mea his cordibus delicæ sunt, quibus diuitiæ terrenæ viluerunt. An fortè cum diuite vis indui purpura & byssо, & quotidie splendidè epulari? Vide ne contingat tibi cum illo in inferno æternaliter cruciari. Hoc est autem iudicium meum, quia opera illorum sequuntur illos.. Paupertatis encomion. Luca 1. 1. Cor. 8. Psal. 21. Apoc. 18. Luca 16.

6. Vnum

6. Vnum iam supereſt, vt penuriam patienter amodo feras, aut de numero pauperum meorum non eris. Viam pauperibus ſpecioſam oſtendi, laborantibus & pulſantibus portam aperui: humilibus regni ianuam patefeci, & diues non tranſibit per eam. Vis videre intrantem? Aperi oculos tuos, & vide. Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Iucundáne viſio? Iucunda vtique, & omnino deſiderabilis. Et quomodo huc aſcendere potuit? Et quis eſt, qui eum ſequi poſſit? Memento fili, quòd Lazarus iſte fuit vlceribus & miſerijs plenus, qui eſuriens & ſitiens ante ianuas diuitis iacuit. Et qui tanta pro nomine meo pertulit, nónne intrare in gaudium meum dignus fuit? Imitare eum, ſi vis. Si enim mihi placita erat anima illius, vnde hoc, niſi quia placuit priùs paupertas & patientia eius? Vade, & tu fac ſimiliter. Amen dico tibi, niſi conuerſus fueris & factus ſicut Lazarus iſte, aut vnus è pauperibus meis, non poteris ab angelis ſuſcipi in cælis. Nemo intrabit, niſi mundus fuerit. Etſi immundus fuerit, purgabit eum Pater meus in camino paupertatis, & aqua tentationis expiabit eum: & ſic mundatus, poſt mortis occaſum ad caſtra ſanctorum reuertetur.

Apoc. 12.

7. Intellexiſti hæc omnia? Etiam Domine. Et nunc quid dicam? Venit hora, & nunc eſt, vt multi hanc ſanam doctrinam non ſuſcipiant; ſed vnuſquiſque, quod ſibi placitum & delectabile videtur, hoc magis impleat. Tu verò non ita didiciſti Ieſum Chriſtũ, ante cuius oculos paupertas eius proſcripta eſt. Audi tamen rurſus, quæ loquar tibi. Familiaris amica mea paupertas, quam in terris multipliciter dilexi, & aſtrinxi, meiſque commendare amicis diſpoſui; ſic à multis aliena facta eſt, vt vix locus ſit, quo pes eius requieſcat. Et ſi interdum videtur apud quoſdam morari, ſtatim cùm groſſiora quęque & abiectiora eam viderint diligere, timore quodam exterriti, aut deſiderio melioris edullij dicunt. Recede à nobis, viam ſcientiarum tuarum nolumus, contraria enim es deſiderijs noſtris, viæ tuæ viæ difficiles, & calles tui duriſſimi. Quare veniſti ad nos? An ideo, vt occideres nos, & pecora noſtra? Pecora carnem ſuam vocant.

Paupertatẽ multi reijciunt.

8. Ecce paupertas, quid iſti dicunt, & quantum tibi detrahunt. Sed ſcio, quia nihil mali diſpoſuiſti cõtra eos; ſed in iuſſione mea ad curanda vulnera peccatorum eorum, ad nutriendum quoque ſi quas habuerunt virtutes, ad illos acceſsiſti. Longè aliter ſentiebat ſanctus ille, qui dicebat: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et iterum lætus pſallebat: *Quoniam inops & pauper ſum ego.* Et; *Pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Verumtamen paupertas (amica mea) noli contriſtari. Non enim te abiecerunt, ſed me. Qui enim

Pſal. 22. Pſal. 67. Pſal. 85. Pſal. 87.

nim te spernit, me spernit: & qui te recipit, me suscipit. Scio, quòd non ab omnibus diligeris: taceo, quòd interdum cum indignatione effugaris. Omnia hæc faciunt tibi, quia non nouerunt te, nec quanti sis meriti apud me. Tu verò ne timeas, quia ego sum, qui elegi. Emi te, & cunctis opibus preciosiorem, cunctisque deliciis suauiorē exstimaui te. Ab infantia mea exquisiui te, & vsque ad senectam & senium non recessi à te.

9. O vos omnes, qui transitis per viā, attendite & videte, si est talis paupertas sicut paupertas mea. Filię Siō, occurrite modò, & videte regē Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua: quomodo eū reclinauit in præsepio, qui semper erat in Patris imperio: quomodo pannis eum inuoluit, qui cælum & terrā palmo concludit. Videte pannos meos & linteola mea, quibus adhuc puer inuolutus sum; & mihi similē si vidistis, venite & arguite me & paupertatē meā. Ecce signum, quod ostendi vobis, quod annunciatū est ab angelis, apparuit in terris, per Mariam virginem impletum est, vt vidistis. Vsquequo paruuli non diligitis paupertatem, cùm paruulus natus sit vobis, & paruulus datus sit vobis? Sed diuitibus videtur hæc stultitia, & superbis ignominia: mihi tamē & omnibus electis meis, sapientia est atque gloria. Considera (quęso) & alia facta mea. Ieiunaui quadraginta diebus & quadraginta noctibus, nihil manducans in illis, postea verò esurij. Vide, quid feci, Hoc erat ieiuniū meum, quòd elegi, quod opere compleui. Quis mihi laborem hunc recompensare poterit? Et quis est, qui vel in modico me imitari gestit? Quisquis ille est, dilectus mihi est. Fatigatus ex itinere super puteū sedi, & à muliere Samaritana aquam petij, & dixi: *Da mihi bibere.* Ecce, aquam ad potandum petij, qui hominibus vina dare consueui, & aquam in vinum olim mutaui. Discipuli autem mei abierunt in ciuitatē, vt cibos emerent, & reuertentes dicebant. *Rabbi manduca.* Tanquam necessitatem patienti hæc mihi ministrabāt, vt paupertas probaretur in me, & multa necessitas, quā pro salute hominū suscepi, nota fieret. Et nunc si diligis, sequere me, quia maiora his tibi demōstrabo. En pauper & nudus, tandē in cruce sum suspensus. In omni etiam vita mea parū videbar habere, iam cunctis ablatis, solus & nudus in cruce figor. Quis me pauperior, qui omni solatio humano destituor? Hęc in corde tuo scribere debes & intentè cogitare, quia ad amorem sanctæ paupertatis possunt te accendere. Ecce paupertas (amica mea) quibus verbis & exemplis te magnificaui; & nunc iterum cui assimilabo te amica mea? Similis es hominibus gaudentibus in Spiritu sancto, & dicentibus: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: vt egentes, multos autem locupletantes.*

Cant. 3. Christus quàm pauper fuerit aperitur. *Luca 1.* *Isaia 9.* *Matt. 4.* *Ioan. 4.* *Ioan. 2.* *Matt. 27.* *2. Cor. 6.*

1.Cor.4. Phil.3. *Nos infirmi, nos ignobiles propter Christum: omnia arbitramur vt ſtercora, vt Christum lucrifaciamus.* Quam apta ſimilitudo, & vtinam in multis mihi annuncietur talis æmulatio.

D. Frāciſc. paupertatis cultor. 10. Recordor iam pauperis ſerui mei Franciſci, qui paupertatem ſummè dilexit. Verè fidelis, & multū fidelis iſte ſeruus meus; qui ſic illam diligebat, vt ex cordis affectu dominam ſuam vocaret. Et cum dilexiſſet eam, etiam vſque in finē vitæ ſuæ dilexit. Ideoq; in regno meo mecum tripudiat, quia priùs in mūdo cum ſancta paupertate commerciū faciens, lætus erat. Vnde etiam illi occurrens, dignanter & dulciter eam in hæc verba ſalutabat: Beneueniat domina mea paupertas, caſtitas, & obedientia. Iſta ſcilicet paupertas, & duę prędictæ ſorores eius, ſunt principua vota religionis. Hęc de humili dixi Franciſco,

D Martinus pauper. 11. Sed & de aliis ſanctis vis forſan tibi quædā breuiter apponi, quorum paupertas toti orbi refulget. Noſti Martinum virum ſanctiſſimum, qui ob ſingularem deuotionem paupertatis, Martinus pauper & modicus meruit appellari. Ne hoc videatur tibi deſpectum, quia in paupertate fuit, & eſt ſanctorum gaudiū hinc in eius laudem ſublimiter decantatur, Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur; Martinus hic pauper & modicus, cælum diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur. Si tibi amarum videtur pauper & modicus, dulceſcat interim cæleſtis regni introitus. Proponam & alium ciuem fideliſſimum, ſanctæ paupertatis amatorem. Hic eſt beatiſſimus præſul Auguſtinus, doctor magnificus, de quo ita canit clericorum chorus; Teſtamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Chriſti non habuit. Et rurſus in hymno; Amatorem paupertatis, te collaudant pauperes, &c. Hi ſunt pontifices almi, pauperes ſpiritu, pauperes rebus, ſed meritis locupletes & clari virtutibus. Plures adhuc potuiſſem teſtes paupertatis adducere, ſed hæc breuiter ſufficiant, ne te onerare videar.

D. Auguſt. pauper.

12. Et dixi: Cur ita loquitur Dominus meus? Non enim audior audire, quæcunque dignetur magiſter & Dominus meus ſeruo ſuo dicere. Oſtende mihi alios, & ſufficit mihi. Qui ſunt iſti, & quæ omnia eorum? Iſti (inquit Dominus) ſunt electi amici mei, in eremo olim conuerſantes patres antiqui, Paulus, Antonius, Macharius, Pachomius, Arſenius, & Romæ quondā Alexius, atq; Ioannes eleemoſynarius, dilectus frater Martyrius, & pauper ille Seruulus; quorū meminit ſanctus Papa Gregorius. Horum conuerſatio cunctis eſt viuendi ſpeculum, & eleemoſynas eorum narrabit omnis eccleſia ſanctorum. In his lucebat humilitas, gaudebat paupertas, triumphabat patientia. Sed & ſanctiſſimam Elizabeth viduam, quam reticere nolui, in exemplum

Diuorum aliquot catalogus, qui paupertatem amauerūt. Eccl.31.

Elizabetæ Hungaricæ paupertas.

plum amandæ paupertatis tibi commendo Cuius vitam & mores frequenter (rogo) inspicias, vt amore virtutũ eius, ad veram perfectionẽ accendaris, & totus in amore cœlestiũ illius exemplo te erige; vt despectis mundi delectamentis, verus pauper spiritu effici possis. Iam ad proprositum ordinẽ sermo redeat, & omnis pauper pro nomine Christi diligenter auscultet. Multa habeo devobis diuitib. dicere & iudicare, sed vos nõ recipitis me.

13. Vobis dico pauperibus, audite me quoniam estis ex ouibus meis. Nolite timere pusillus grex, quia placuit Patri meo dare vobis regnum. Pauperem quidem vitam hic geritis, sed multa bona habebitis, si me in paupertate dilexeritis. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad euangelizandum pauperibus missus sum in mundum. Cùm essem in mundo, dilexi paupertatẽ: diuitias verò habere nolui, quia non sunt ex Patre, sed de mundo. Qui enim volunt diuites fieri in hoc seculo, incidunt in laqueum diaboli, & in varia desideria cordis, & difficilè intrabunt in regnum cælorum. Non est autem regnũ meum de hoc mundo. Si ex hoc mundo fuisset regnum meum, ministri vtique mei deseruissent mihi, & magno comitatũ mihi astitissent. Nunc autem regnum meum non est hinc, sed factus sum seruus & minister totius mundi. Non enim veni ministrari, sed ministrare; & dare animam meam redemptionem pro multis. Inclinate ergo pauperes mei aurem vestram in verba oris mei, & discite à me, quia in paupertate vos præcessi. Sufficiat vobis paupertas vestra, vt diuitiæ computentur. Gaudete & exultate cum ea, quia merces vestra multa est in cælo. Non turbetur cor vestrum, neque formidet; quia ego sum, qui loquor vobis. Viriliter agite, & confortamini omnes, qui amicitiam cum sancta paupertate coniungere statuistis. Permanete cum ea, & ero vobiscum. Nolite lugere neque contristari, quia diuitias non habetis, sed lętamini in Domino Deo vestro, quia eas contempsistis, & pauperes Christi facti estis.

Lucæ 12.
Tobiæ 4.
Isaiæ 6.
Matt. 11.
1. Tim. 6.
Matt. 19.
Ioan. 18.
Matt. 20.
Matt. 5.

14. O sãcta & laudabilis paupertas, quibus te laudibus efferã, quomodo te appellabo, & quibus modis te amicis meis recommendabo? O quàm mirabile exemplum ostendi cunctis fratribus egentibus propter me, quando inops & pauper factus sum propter illos? sed timeo adhuc satis quòd peregrina sis in multorum cordibus. Veni proinde, quia mittam te ad quandam famulam mihi notissimam. Peregrinare paruo tempore apud illam, donec veniat tempus visitationis tuæ. In die visitationis tuę, eris gloriosa & sublimis; nec vocaberis tunc desolata, sed dilecta mea; & eris corona gloriæ, & diadema in manu Dei tui. Tunc fulgebis sicut sol in regno Patris mei, & pulchra eris vt luna

Isaiæ 62.
Act. 14.

Psal. 90. luna in conspectu meo. Interim tamen multa pro nomine meo oportet te pati, & per multas tribulationes intrare regnum cœlorum. Noli tamen in hoc deficere, quia tecum sum in tribulatione; eripiam te, & glorificabo te.

15. Perge proinde secundùm meũ consilium ad locum, quem mõstrauero tibi. Scio, quòd domina loci illius te libenter propter nomen meum gaudenterque suscipiet. Iam mihi de illa per seruum quendam famosissimum intimatum est, quoniam tibi sancta conuersatio eius per omnia congruit. Vnde nec ipsa sine te perfecta esse, aut diu sola non potest consistere. Surge dilecta, amica mea paupertas, & veni. Sed dicis mihi, Domine quò vadam, & quomodo possum viam scire? Per me inquam transibis, *Ioan. 14.* & mox habitationẽ illius attinges. Ego enim sum via. Et quod (inquis) nomẽ est huius tam sanctæ famulę, de qua tanta bona audio Domine? Indica mihi, vt audito nomine exurgã, & transeam cum festinatione. Et cum peruenero ad illam, salutabo eam, & dicam: Benedicta filia tu à Domino, gaude & lætare filia Sion, quia ad te me misit Dominus.

16. Quid tu, ô paupertas, interrogas de nomine? Magnum est enim nomen eius apud me, & apud seruos meos præclarum valde. Ipsa vocatur humilitas. Sanctitas & virtus eius, angelis & hominibus venerabilis est. Pro hac scriptũ est de te: Bonis mẽtibus, paupertas solet esse custos humilitatis. Ecce paupertas, *Paupertas humilitatis custos. Ruth. 1.* ecce hæc est, de qua dixi tibi. Hæc est Noëmi illa, pulchra est, & amica mea est. Sicut te ab initio dilexi, ita & hanc diligo. Custodi hanc humilitatẽ, quã maximè in sanctis meis diligo. Nolo, vt derelinquas eam: nam si rectè perpendere velis, similiorem tui in omni terra non inuenies, apud quam securius diutiusque morari possis. Omnes te relinquunt, omnes despiciunt, sed humilitas vera te in domũ suam introducit. Cognatæ enim estis, idcirco simul habitare debetis. Non est beatificanda illa paupertas, quæ humilitatẽ nescit: neq; Deo placita humilitas, quæ paupertatem descipit. Sit igitur vobis cor vnũ & anima vna in Deo, nec dicatis vobis aliquid proprium; sed sint vobis omnia communia victus, vestis & omnia, quæ ad huius vitæ pertinent necessaria. Siquidẽ paupertas vestis tua interdũ videtur vilis & inculta, sed propter hoc à domina humilitate non abiicies. Credo firmiter, quòd his exterioribus innotesces, qualis apud me sis intus, dummodo non erubescas. De vilibus indumentis erubescere, signũ est latentis superbiæ & de his gloriã quærere, vitiũ hypocrisis, Calcei tui veteres sunt, nonnunquã & consractos vidi; sed humilitas in his ambulare nõ veretur, quia multi sanctorũ nudis pedibus transierunt. Vnde apertissimè legitur in

Isaia

Isaia propheta, quia dixit ad eum Dominus: *Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis: & fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* Ecce testis idoneus, ad probandum veritatem rei. Mensa tua, ô bona paupertas, simplicibus cibis tantumque necessariis contenta est; humilitas huic interesse sobrietatis conuiuio vult, pro nomine meo libentissimè. Scio, inquit, abundare, & penuriã patis vbique & in omnibus instructa sum. Omnia possum in eo, qui me confortat. *Isaiæ 20.* *Thil. 4.*

17 Scire tamen etiã debet, quisquis hæc verba legerit, quòd infirmis & debilibus paupertas condescendere misericorditer nouit: sed fortioribus hæc ardua proponit, vt habeant semper, quo crescãt. Hinc est, quòd ipsa laboribus & fatigationibus sæpe insistit, nec panẽ suum ociosa comedit vt apostoli verba cõplere possit, qui dicit: *Nulli oneros⁹ fui, sed in fatigatione die & nocte, panẽ ociosè non comedi;* & multa consimilia. Humilitas autem collaborans paupertati, de quibusdam per Prophetã conqueritur: quia in laboribus hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo (inquit) tenuit eos superbia. Et in euangelio, dum alios videret in foro stantes ociosos, increpat illos dicens: *Quid hic statis tota die ociosi? Ite & vos in vineã meã, & quod iustũ fuerit, dabo vobis.* Paupertas in stratis indispositis, aut interdũ in stramentis, culcitris, aut mattulis, requiẽ sibi qualemcumq; suscipit. Humilitas verò non in mollibus nec preciosis lectis requiescit: sed nec cum cunctis rebus, quæ sunt mundi, statuit vel exiguam amicitiã iungere. Legit enim, quia Ioannes indutus erat pilis camelorũ, & qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Et audiuit de me: *Vulpes foueas habẽt & volucres cæli nidos; Filius autẽ hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Paupertas etiã seruos & ancillas, prædia & palatia, cuncta quoque, quæ ad honestatem aut commodum præsentis vitæ pertinent, non possidet, alioquin venerabile nomẽ suum amitteret. *1. Cor. 11.* *Psalm. 72.* *Matt. 20.* *Matt. 3.* *Luc. 9.*

18 Omnia hæc humilitas nec habet, nec habere cupit; sed filio Dei coæquari volens, dicit: Ego sum, quæ veni ministrare & nõ ministrari. Ancilla Christi sum, dominari mihi non licet. Summa ingenuitas mea est, vt seruitus Christi in me reluceat. Ego quæ statui soli omniũ creatori deseruire quomodo vnquã potero his vanis & caducis vel ad horam intendere? Longè à me & à domo mea sit omnis, qui paupertatem & simplicitatem non prætenderit. Propterea scito paupertas dilectissima, quòd pro voto & cum gaudio à domina humilitate (si tamen ita vel it appellari) solummodo suscipieris. Ceteris quidem incognita es, & puto quod diu remanebis, non sit tibi curæ. Memento, quòd & ego ipse multis incognitus extiti. Si me persecuti sunt, & te *Matt. 20.* Humilitas sola paupertatem amat.

persequentur. Si me oderunt,& te pariter odio habebunt. Me-
Ioan. 13. mento sermonis mei,quem dixi,quia non est seruus maior do-
mino suo. In humilitate & patientia,erit fortitudo & consola-
tio tua,Respondens autem paupertas in persona pauperis,ad
Dominum dixit: Ego ancilla tua,fac mecum secundùm volun-
tatem tuam. Tu locutus es ad famulam tuam, & vnde hoc mihi,
vt inueniam tantam gratiam coram oculis tuis? Quam clemés
es in misericordiis tuis,vt peregrinam agnoscerés,viduam be-
nediceres,& desolatam non relinqueres.

19. Non præ gaudio se capit cor meũ,quomodo tanta maie-
stas non dedignatur me infirmam aspicere:tanta celsitudo,hu-
miliatam & conculcatam inquirere:tam potentissimus rex & o-
pulentissimus,pauperculã diligere. Et quid hæc aliud,quàm di-
uitiæ bonitatis eius, viscera misericordiæ eius, & ineffabilis
dulcedo charitatis eius?Magnũ erat,si mei recordari voluisset,
& aliquem ad me de minimis seruis suis destinasset. Nunc autẽ
Phil.2. surrexit de solio suo regali,potentiam regalem paupertate cõ-
mutans, habitu inuentus est vt pauper homo; formam etiam
serui induens;nec tantùm serui,sed etiam mali serui, vt pro o-
mnibus morti traderetur & crucifigeretur: qui nihil mortis de-
1.Pet 2. bebat,in quo nec dolus inuentus est. Per omnia similis factus
Iacob.2. mihi,ætate,habitu,& cognatione; quia puer paruulus & pau-
perculus erat: non diuites, sed pauperes etiam parentes elege-
rat. Magna mihi proinde gloriatio & exultatio, multa fiducia
Isaiæ.40. & consolatio in Christo Iesu. *Consolamini,consolamini populo
meus*,dicit Dominus Deus vester. Quis populus Domini,si
non pauperes eius?Non populus Dei,diuites seculi.

20. Væ enim vobis diuitibus, qui habetis consolationẽ ve-
stram. Propterea dixit Iesus; *Beati pauperes spiritu,quoniam vestri*
Luc.6. *est regnum cælorum*. Siue de corporali,siue de spirituali paupertа-
Matt.5. te id intelligitur, in singulis voluntaria paupertas prędicanda
Matt.11. & amanda videtur. Videte ergo ne contemnatis vnum de pusil-
lis istis,qui in me credunt, & pauperes propter nomen meum
Psalm.67. facti sunt. Ego enim,dicit Dominus Deus,sum pater pauperum,
Isaiæ 9. iudex orphanorum & viduarum. Desiderium pauperum exau-
Psal.9. diui præparationem & humilitatem cordis eorum audiuit au-
ris mea. Nolite tangere eos, neque per vim neque per fraudem
nocete eis. Ego vindex sum omnium. Ne ergo velitis eos con-
tristare, mei enim sunt omnes pauperes. Et nunc vbi estis pau-
peres mei? Nunquid non audistis vocem meam. Ecce quanta
pro vobis edidi testimonia, vt vobis grata esset dilecta pau-
pertas,amica mea.

21. Hanc dixi amicã,quia proprio actu & habitu feci precio-
sissimam;

simam: vt discant omnes reges & principes terræ, non eā habere cōtemptui, sed suscipere & venerari sicut verè charissimā; quam cęli & terræ rex super omnes reges, in sacra sua dedicauit infantia. Si non creditis verbis meis operibus credite. Ite ergo, & videte locum, vbi positus erat Dominus, aut in præsepio, aut in sepulchro. Nónne ego ipse sum Christus. Palpate ergo & videte, quia diuitias & voluptates non habeo, sed pannos & sudarium. Iam credite, quia diues non sum, & paupertatem meā diligite. Hęc ad laudē paupertatis sufficiant, quæ verè laudabilis est, & ab omnibus Dei seruis multū amari debet; quia Deus illam & omnes sācti, cunctis diuitiis mundi præferebant.

CAPVT II.

De humilitate.

Paupertas ingrata Deo absq; humilitate.

1. SED consequenter ad virtutē humilitatis transeamus. Humilitas enim, si paupertati coniuncta nō fuerit. Deo placere paupertas non potest. Sicut igitur de paupertate, ita (Domine Deus meus) & de humilitate loquere mihi. Multis modis istam commendari in scripturis tuis audio, & miris in te modis emicuisse præ cęteris inuenio. Quis sic verā humilitatem ostendere & docere potuit, quemadmodū Deus homo factus. Vnde apertè omnibus dicis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. Et si aliud exemplum verę humilitatis non haberem; quam te Dominum meum Iesum, nec aliā humiliandi causam, omnino ipse solus sufficeres. Quam sequar, si te non sequor? Cui credam, si tibi nō credo? Quis mihi persuadere poterit, quòd humilitas est via regni cęlestis: si ille non valet, qui de cælo venit? Vsquequo insipiens eris anima mea, ambulans per vias non rectas, semper errans, & ad veritatem nunquam perueniens?

2. Ecce humilitas via est, & alia non est. *Ego* (inquit) *sum via, veritas, & vita.* Humilia te, inclina te quęso anima mea, & erit Christus vita tua. Noli attendere, quid alij dicant; sed vide, quid Christus hominibus dicit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri meo, dare vobis regnum.* Ioan. 14. Luca 12. Hinc rursus & in alio loco exultans in Spiritu sancto, ad Patrem ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cęli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniā sic beneplacitū est ante te.* Matt. 11. Quid tibi videtur de Christo, cuius filius est? Verè Filius Dei erat homo iste. Si ille in mundo nihil habere voluit, qui omnia cum Patre condidit, quid tu adhuc in illo quæris & diligis? Time, quod dicit: *Vos de mundo estis.* Cùm Iesus esset adhuc cū discipulis suis, & hora appropinquaret passionis, volens illis exēplum Matt. 22. Ioan. 13.

dare perfectę humilitatis ac mutuę dilectionis: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & mittit aquâ in peluim, cœpitque lauare pedes discipulorum suorum. Et ait illis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Si ego Dominus & magister vestros laui pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt & vos ita faciatis. O verè summum humilitatis exemplum! Deus ecce, hominum seruus factus est, & homo adhuc homini aut potiùs Deo subiectus non est. Confundantur & reuereantur omnes superbi quia contempserunt consilium Filij Dei.

3. Vicisti nos Domine Iesu, vicisti nos humilitate tua; ecce confundimur in superbia nostra. Confusio operuit faciem nostram. Quid (inquis) facere debui tibi ô superbe, & nō feci? Cur respicis in me? Putas, quòd sis melior me? Si nō hoc apparet tibi, forsitan humiliasses te, nunc verò superbia tua ascendit semper. Cōuertimini filij hominū, & nolite ascendere, quia nō sum vobiscū. Si enim ascenderitis, cadetis corā inimicis vestris, & subsannabūt vos; & cognoscetis, quia superbis resisto. Humiliamini sub potenti manu mea, & exaltabo vos. Omnis enim, qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur. Quantū volebant ascendere, & ceciderunt quasi lapis in profundū? Pharao & currus eius submersi sunt in mari rubro: Adā & Eua expulsi sunt de paradiso: Angelus, & qui cū eo erant, proiecti sunt de cælo. Et hi omnes propter ascensū montis superbiæ, corruerunt in damnationē mortis æternæ. Heu heu Domine, à facie furoris iræ tuæ quis sustinebit? Deiecisti eos, dū alleuarentur. Cecidit cecidit Babylon, & facta est ruina eius magna. Sed quid faciā miser? quò fugiam? Tremēs factus sum ego & timeo, quia Deus nec Angelis nec hominibus superbientibus pepercit. Væ mihi, si sic ascendero; & væ iterum mihi, si non descendero.

1. Pet. 5. Luc. 14. Exod. 15. Gen. 3. Isaiæ 14. Psal. 72.

4. Quis ostendit mihi viam, per quam possim securè & sine periculo ambulare? *Ego* (inquit Dominus) *sum via: per me si introieris saluaberis.* Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & scandalū non erit vobis, quemadmodū contigit superbis. Ego lux mundi: Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumē vitæ. Ego forma iustitiæ, ego exēplar humilitatis. Ego pastor bonus, qui pasco oues meas. Paui eos in innocentia cordis mei, & in verbis oris mei confortaui illos, Domine, qui pascis me à iuuentute mea, ne derelinquas me. Spiritus tuus bonus deducet me in terrā rectā, propter nomen tuū viuificabis me in humilitate tua. Ipsa est, quæ saluam faciet animā meā, & ab æternis casibus custodiet eā. Si fuero humilis, saluus ero. *Memento mei Domine,* ait humilis & contritus latro, *cùm veneris in regnū tuum.*

Ioan. 10. Eccl. 24. Ioan. 8. Ioan. 10. Psal. 77. Psal. 142. Luc. 23.

tuum. Et dixit illi Iesus; *Amẽ dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* O quãta est virtus humilitatis, quæ latroni aperuit gaudia paradisi? *Adam vbi es? Domine* (inquit) *vocẽ tuã audiui, & timui, eo quòd nudus essem.* Miser, quis te nudauit, nisi superbia tua? *Eritis sicut dij*, aiebat princeps vester. Mentita est iniquitas sibi, & factus est ille, & ecce filii eius omnes miseri; & nihil deitatis inuenerunt viri diuitiarũ in manibus suis, sed labores & dolores cõprehenderunt eos. Melior est ergo iste humilis latro, quã Adam quondam iustus & elatus. Per humilitatem suam iste ascendit, per superbiam ille descendit. Sed quid dixi descendit? Vtinam descendisset: nunc autem cecidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum; quia superbia nunquam descendit, sed semper cadit. Cecidit in cælo, cecidit in paradiso, in mari, & in omnibus abyssis. Christus descendit, & de cælo descendit & ipse est, qui etiam ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.

Gen. 3. *Psalm. 75.* *Lucæ 10.* *Ephes. 4.*

5. Bone Iesu, quomodo vndiq; pugnas pro me, deponens superbos & potẽtes de sede, & exaltans humiles? Et clamasti; *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, & filius Abrahæ factus est. Domine descende, priusquam moriatur filius meus*, sic orabat quidam regulus. Et dixit illi Iesus: *Vade, filius tuus viuit.* Descendit etiam Iesus de monte, & secutæ sunt eum turbæ multę; Descendisti Domine, vt saluũ faceres genus humanũ, quod perierat ascendendo. Et quare omnes tam cupidi ad ascendendum, tam tardi ad descendendum inuenimur? *Magister* (ait alius) *sequor te quocumque ieris.* Bene dixit, sequor te; quia sequendo te nemo errat, quoniam lux es & dies; & qui ambulat in die, non offendit. Sequor te quocumque ieris, siue ascendendo, siue descendendo, quia bonum ascensum & descensum docuisti me. Bonus ascensus, de mundo ad patrẽ: libenter illuc ascendam, quoniã ibi est thesaurus meus indeficiens, & celebrantur ibi nuptiæ agni: sed & magnus dies festus omniũ sanctorum mox appropinquabit. Ascendite ad diem festum hunc. Ite & dicite fratribus meis: Ascendo ad patrẽ meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrũ. Quis ascendet in montem istum, aut quis stabit in loco sancto eius? Mons Dei, mons pinguis est iste, vt quid suspicamini montes coagulatos? Altus mons huiuscemodi, à iacentibus non videtur. Propterea Ioannes, qui pennis contemplationis eleuabatur, vidit agnũ stantem supra montem Sion. Quem Prophera sequi cupiens, orabat; *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ; & volabo, & requiescam?* Ascendit etiam Simon Petrus, & ait: *Domine, bonum est nos hic esse.* Isti viri sancti te (Domine Iesu) sunt secuti, & ostendisti eis gloriam sempiternam, quam promisisti diligentibus te.

Luc. 1. *Luc. 19.* *Ioan. 4.* *Matt. 8.* *Ibid.* *Ioan. 7.* *Ioan 20.* *Psal. 23.* *Psal. 67.* *Apoc. 14.* *Psalm. 54.* *Matt. 17.*

Humilitate ascenditur, superbia descenditur.

Iam

Iam ascensum audiui, quia transit ad regnum tuum omnis, qui relinquit mundum.

Psalm. 134. 6. Sed iterũ descendimus, quoniã modò tempus descendendi aduenit. Domine inclina cælos tuos, & descende; tange mõtes superbiæ, & fumigabunt. Descende ad nos, quia ad te ascẽdere non valemus. Si nitimur, deficimus: & si interdum adscendimus, curuum iter facimus, & peius agimus. & labimur in lutũ profundum. Si quiuerit claudus currere, & confractus pedibus ambulare, tunc potest etiam superbus proficere. Quanto plus currit, tanto magis offendit: & quo altiùs salit, eo desperatiùs in ima ruit. *Si posueris in cælum* (ô superbe) *nidum tuum, inde te detraham*, dicit Dominus. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius & arrogantia eius, plusquam fortitudo eius. Quid superbis terra & cinis? Terra es, & in terrã ibis. Descende priùs, & tunc ascendes. Vanũ est tibi ante lucẽ surgere, surge postquam sederis, quoniam quidem sic sanctos imitaris. Sedebat Iob in sterquilinio, Dauid coram Domino, Ezechiel in medio captiuorum. Sede tu, & scribe citò; Memẽto, quæso Domine, quòd sicut lutũ feceris me, & in puluerem reduces me. Et ora cum Propheta; *Peccaui, & malum coram te feci*, Nõ ergo *intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Recordare & illius Publicani, qui stabat à longè, & non audebat oculos in cælũ leuare; sed percutiebat pectus suum dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Amen dico tibi, quia descẽdit hic iustificatus ab illo, id est, prę illo, scilicet Pharisæo. Quis sicut tu Domine Deus noster, qui in altis habitas, & humilia respicis in cælo & in terra, qui suscitas à terra inopẽ, & de stercore erigis pauperẽ? Esto in humilitate nostra memor nostri; custodi paruulos tuos, & humilia peccatores vsque ad terram. Iudicare Domine Deus pupillo & humili, vt nõ apponat vltrà magnificare se homo super terrã. Ecce per scripturas sanctas trãsiens, video sicut vulneratum superbum, & ipse de manu tua repulsus est. Sed iam videre libet è contrario, qualis etiã humilis actu sit & moribus, quæ cogitatio eius, & quod signum sanctitatis eius. Et Dominus: *Ecce domi latet*, quia humilis locũ semper quærit nouissimum, sicut scriptum est: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, vade & recumbe in nouissimo loco.* Non tamen hoc fictè, sed hunc deberi sibi sentit ex digno. Alioquin non erit illi gloria neque merces apud Patrem, qui in cælis est, qui omnia videt in absconso. Si ab aliis obiurgatus & diffamatus fuerit, patienter sustinet, & humiliter tacet. Meditatur in corde, quanta opprobria sustinuit Saluator mundi. Dicebant enim Iudæi de filio Dei; *Dæmonium habet, & seducit turbas. Vorax est & potator*

Abdia 1.
Isaiæ 16.
Eccl. 10.
Gen. 3.
Psal. 126.
Iob. 2.
Ezech. 3.
Iob. 10.
Psalm 50.
Psalm. 142.
Lucæ 18.
Psalm. 112.
Psalm. 146
Psalm 135.
Psal. 9.
Psalm. 88.
Humilis & modesti mores & cogitatus qui sunt.
Lucæ 14.
Matt. 6.
Lucæ 7.

tator vini, amicus publicanorum & peccatorum.

7. Consolatur his verbis seipsum humilis, & dicit; *Non est seruus maior domino suo. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quãto magis domesticos eius?* Sequar Dominũ meum Iesum; quia ipse dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Noli conturbari anima mea, quoniam digna factis recipis: Iesus autem nihil mali gessit, nec quicquam morte dignum fecit, & tamen vsque ad mortem crucis semetipsum humiliauit. Quia si in viridi ligno, quod erat in paradiso Dei, hæc fecerunt: in arido, quod tu es, quid fiet? Et ideo iniustè querulor, iustè autem patior, quotiescumq; & à quocumque vituperor. Si fuerit humilis increpatus & accusatus, non quærit excusationes aut redargutiones; sed omnẽ offendit humiliationem, confitetur culpam, promittit sui emendationem. Cur hoc? Quia non hominibus placere, sed Deo quærit satisfacere. Paruipendit confusionem homiuum, quia timet diuinum iudicium, vbi occulta erunt manifesta. Quisquis humiliter modò confitetur culpam propriam, percipiet tunc à me peccatorum suorum remissionem.

Matt. 10.

Luca 9.

Phil 2.

Luca 23.

8. Dicit ergo humilis, siue iustè siue iniustè reprehensus; *Peccaui, & malũ coram te feci.* Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Sentit vulnus peccati interiùs, & ideo fert leuius, quicquid cruciat exteriùs. Hoc est enim magnum humilitatis indicium, confiteri in redargutione peccatum proprium. E contrario quidam superbè agunt excusando, & se defendendo coram aliis. Non (inquit superbia eorum) hoc feci; aut si feci, bene feci. Si malè non multũ malè: neque in tantum, sicut isti dicunt. Quis est ille homo, qui talia loquitur de me? Et tamen istiusmodi fabulatur aliquando publice de perpetratis malis suis, ibi inquiens fui, & talia feci; hęc dixi, & sic respondi. Quantæ miseriæ & cæcitatis est, illud ore proprio pronunciare, se malè egisse, & peccatorem se reputari ab aliis ferre non posse? Filii hominum vsquequo diligitis hanc vanitatem, & quæritis mendacium? Si interrogatus fuerit humilis, non promptulus ad responsa inuenitur, sed serus & prouidens. Non est etiam ad risum facilis, sed grauitate temperatus. Cor eius deuotione spirituali citiùs tangitur, quia de tẽporali gaudio non consolatur. Compunctioni est deditus, & ad considerandum se inuenitur primus. Studet propria flere mala, aliorum bona considerare, & infirma eorũ portare, & pio modo excusare. De magnis & sublimibus præsentis vitę rebus, de honoribus & dignitatibus, de gradibus & cathedris minimè curat,

Pſal. 50.

Pſal. 37.

Pſal. 4.

Psal.48. curat, sed omnia peritura & vana esse considerat. Homo enim cùm interierit, non sumet hæc omnia secum.

9. Et vbi (inquit) sunt, qui in hoc mundo floruerunt? Tanquã peregrinus & hospes vnius noctis; sic pertransierunt. Cõtemnit ergo omnes mundi honores, amplectitur opprobria & abiectiones. Eligit abiectus esse in domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Suscipit leue iugum Christi, abiicit laboriosam seruitutẽ diaboli. Nihil laboriosius, quàm velle ascẽdere, & hoc frustra; quia superbus timet semper, ne superetur; & quotidie deiicitur, ipso etiam ignorante. Pax autem & gaudium cum humili, qui per viam planã sanctorum graditur, & in vallibus commoratur. Valles enim abundabunt frumento, hoc est, consolatione Spiritus sancti: clamabunt & hymnũ dicent pro donis, quæ perceperunt. Propterea nil iam quærit in terrenis, quia spes eius tota suspensa est in cælestibus. Orat cũ Prophe-

Psal.21. ta, & dicit: *Spes mea Domine à iuuentute mea tu es, portio mea in terra viuentium.* Quid enim mihi est in cælo, & à Deo meo quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Subesse desiderat, aliis seruire paratus est propter nomen

Luc. 2. meum. Recordatur enim Scripturæ dicentis: *Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.* Vbi mox sequitur:

Luc. 22 *Et descendit cum eis, & erat subditus illis.* Et iterum: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Dicit ergo ad semetipsum:

Psal.61. *Nonne subiecta Deo eris anima mea, quoniam ab ipso salutare meum?* Verum tamen subiecta esto Deo anima mea: quia ipse est salus tua.

10. Familiaris est humilibus amor subiectionis, despectionis, & nullius reputationis. Et vbi possunt tales inueniri? Domine mi, tu scis. Tibi nota est omnis cõgregatio sanctorũ, quoniã humilium inhabitator es mentium. Non sum ex illis; sed miserere mei & parce peccatis meis, vt detur mihi locus pœnitentiæ, illorum saltem meritis. Gaudeant, qui huiusmodi sunt, quia magnam gratiã apud te inuenerunt. Ecce ad memoriam venit illa omnium sanctorum sanctissima Dei genitrix virgo Maria, cui

Luc. 1. ab angelo dicitur; *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum.* Et ego cur non inuenio gratiam in oculis tuis? Quia (inquit Dominus) necdũ paruus factus es sub oculis tuis. Defectus gratiæ est, propter aggeres superbiæ. Eiice primũ hanc trabem de oculo tuo, & tunc videbis, quid facturus sim humili seruo meo. Quando negaui humili gratiam? Et quando non exaudiui orationẽ pauperis? Audi prophetam: *Iste pauper clamauit ad*

Psal.33. *Dominum, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum; quia respexit Deus in orationem humilium, &*

Psal.101. *non sprenit preces eorum.* Multi elato corde accedunt ad me, &

ego

ego non exaudio eos. Petunt, non vt sanentur à peccatis, sed vt appareant sancti hominibus. Optant deuotionem, sed pati nolunt mecum confusionem: humilitatem concupiscunt, sed cum humilibus contemni ab hominibus refugiunt. Sic amare quærunt virtutes sine odio vitiorum, & falluntur in desiderio suo. Qui enim vult habere dulcedinem virtutis, exstirpare debet cor à vitiis, & passionum tribulis. Humilis autem nititur semper destruere omnem elationem cordis, & odit prælationem super alios, quæ est iniquitas maxima. Nam hæc angelos fecit dæmones, & homines constituit peccatores; quia immundus est coram Deo omnis, qui exaltat cor suum.

11. Væ, qui magni estis in oculis vestris, & coram vobis-metipsis prudentes. Væ, qui creditis omne altum sanctum; & ad omne sublime dicitis, Honor Dei est & gloria eius. Et quare decipitis cor vestrum? Multum erigimini filij Leui. Nolite ambulare in magnis & mirabilibus super vos, sed inclinate rebelles ceruicem vestram. Quod si non feceritis, ego ascendam cõtra vos, & conuocabo cælum & terram & omnia elementa aduersum vos, & pugnabit mecum orbis terrarum contra insensatos & superbos. Et incuruabitur altitudo vestra, & sublimis erit in conculcationem, & glorioſus terrę in confusionem. Væ, qui ascenditis ad latera aquilonis super montem excelsum valde, vt videatis omnia regna mundi & gloriam eorum Et dicitis; Spes nostra turris Babylonis; illic sedebimus, & gaudebimus. Sed non erit, neque stabit verbum istud. Planctum istum pro cantu audietis: *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem* tuam, quam promeruisti. Ecce malleolus & incus, virga & baculus, stridor & fletus, super omnem arrogantem. Casus & deiectio, ignominia & confusio, super omnem prę sumentem. Nolite ergo in altum extollere cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem; sed exinanite vos, vsque ad fondamentum in ea congregatione, in qua statis.

Isaiæ 5.
Sap. 5.
Isaiæ 2.
Psalm. 131.
Psal. 74.
Psal. 136.

12. Fundamentum est ipsa humilitas, & aliud fundamentum nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hoc fundamentum fundatur in montibus sanctis: diligit enim Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Babylonis. De humilibus loquendum fuerat, sed superbia Satanæ hoc impediuit. Nam sunt plurimi ad ascensum tam prompti, ad descensũ verò pigri; satis parati ad honores, ad gradus, & prælationes. Sentiunt de se magna, præsumunt fortia, & imaginantur his multa similia. Hęc mala cauenda sunt, & à corde pauperum Christi citiùs repellenda. Est etiam laudandũ in humili valde, quòd tã tardus inuenitur ad tumultus seculi, ad interiora verò sole-

Psalm. 86.

solicitus; quoniam apparere foris nimis metuit, & abscondi ab hominibus velut mortuus gaudet. Studium eius circa humilia exempla sanctorum, circa materiam propriæ fragilitatis, & memoriam humilis Iesu inter homines conuersantis. Multã inuenit seipsum humiliandi causam, & siluam magnam quærit deuotè meditandi tam diebus quàm noctibus.

13. Legit ergo in scripturis sanctis, & cõsiderat quàm longa sit à sanctorum virtutibus. Miratur eorũ exercitia, labores, tentationes, abstinentias: intuetur summã humilitatem, fortissimam patientiam, perfectam obedientiam, & plenam omnium rerum secularium mortificationem. Deflet ideo acriter, & contristatur vehementer; quia non est in eo talis virtutũ feruor, neque pro acquirendis virtutibus cõsimilis labor. Ah puluis, inquit, quid non sumus? Caro & sanguis, in quibus nos inuoluti iacemus. Terra patria nostra, terrena cogitatio nostra, animalis cõuersatio nostra, lignum & lapides occupatio nostra. Esca & potus, somnus & otium, in finibus nostris. O quantum in imo sumus, qui vix vestigium pedis de virtutibus sanctorum habemus? Et tamen adhuc superbimus, & viam humilitatis non quærimus? Adhuc in bonis tepescimus, in malis quotidie senescimus, & putari aut videri ab aliis aliquid volumus. Hoc est enim alienũ ab humili corde, quod feruet iugiter proficiendi desiderio. Cõsiderauit enim se, & abiit amarus in indignatione spiritus sui, ad interius cubiculum suum, vt ploret ibi. Deinde surgens legit in Apostolo Paulo, quid de se sentiat: *Ego* (inquit) *sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.* Et in Euangelio de beata virgine: *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Et iterum in propheta: *Humiliaui in ieiunio animam meam, & posui vestimentum meum cilicium.* Et cum Abraham: *Loquor ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis?* Omnia hęc operatur in electorum cordibus vera humilitas, quæ omnium virtutum causa est & custos.

Iacob 1.
1 *Cor.* 15.
Luc. 1.
Psal. 34.
Gen. 18.

Humilitatis laus

14. Surge nunc, atque occurrens illi, dic ad eam: Beneueniat Domina mea humilitas. Ingredere ad me, ô virtus Christi, inuentrix gratię, singularis gloriatio virginis Mariæ. Accede ad me, ô reparatio læsæ charitatis, reconciliatio totius humanæ perditionis. Per te cæli aperti sunt, & per te claustra inferni cõfracta. Per te erecti sumus, & per te ad patriã reducti. Tu de peccatoribus facis iustos, & iustos angelis associas. Tu Christũ de cælo vocasti, & Mariã super choros angelorum exaltasti. Deus licèt diues sit in gratia, nemini tamen nisi humili confert gratiam. Et quia hæc virtus præ omnibus in Maria abundauit, ideo & ipsa gratia plena fuit. Iam claret, quòd humilitas est omnium

Iacobi 4.
Luc. 1.

sanctorum,

sanctorũ,& fuit semper virtus maxima. Ipsa meretur,quod meritis non debetur;ipsa percipit,quod littera non docetur. Hæc casum nescit,quia nunquam de se magna præsumit. Qui hanc habet,diligit & custodit;in pace Christi dormiet,& requiescet, sicut Christus humilibus repromisit, *Discite à mè,quia mitis sum, & humilis corde,& inuenietis requiem animabus vestris.* *Matt.11.*

CAPVT III.

De patientia.

1. POstquam (Domine) de sancta paupertate & humilitate, quædã eloqui dignatus es, restat iam, vt secundũ promissum tuum, de patientia mirabili virtute, seruo tuo aliqua insinues. Fateor hoc namque coram te,multum me hac virtute egere,& valde mihi opus esse multa patientia. Qualis est enim vita mea,nisi quædam longa miseria,a die natiuitatis vsque in diem sepulturæ meę? Et nihil inter hęc vacat,quod non laborem & dolorem mihi multiplicet. Et quomodo in hanc veni miseriam, Deus meus? Tu nosti bene,quanta mala circumdederunt me in corporis carcere positũ:& nemo est,qui ita nouit miseriã hominum sicut tu, Domine Deus noster. Vide ergo,quàm necessaria mihi sit patientia. Quid est anima mea,quòd in terra inimicorum es? Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. Dereliquisti Dominum Deum tuum,fontem aquarum viuentium: & fodisti tibi cisternas,quę non poterant aquas continere,& ideo tradita es manibus odientium te. *Patientia virtus mirabilis.* *Vita hominis quasi quædam longa miseria.* *Baruc.3.* *Hier.2.*

2. Sed reuertere ad me, dicit Dominus,& ego suscipiam te. Propter peccata mea Domine,hęc omnia iusto iudicio tuo euenerunt super me. Peccaui cum patribus meis,& porro graue iugum super omnes filios Adam,quoniã filij iræ omnes filij eius. Verũ tamen nisis subueniisset nobis auxiliũ tuum de cælo,quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus, quæ submersæ sunt in momento. Ideoque misericordiæ tuæ multæ Domine,quòd consumpti non sumus:& bonitas magna nimis, quòd adhuc viuimus. Filij mortis eramus omnes,sed præuenisti nos in miserationibus tuis; & non sicut delictum nostrũ,sic & iudicium tuum,superabundauit misericordia tua super omnia opera nostra pessima. Recordatus es,quia puluis sumus: & homo,sicut fœnũ & flos agri. Tibi hæc dixi Deus,& Pater misericordiarũ, vt scirem miseriã meam,& causam miseriarũ omniũ rectum iudiciũ tuum. Sed tamen adhuc quæro ex omnibus his,si qua sit cõsolatio in Christo Iesu Domino nostro. Et si nõ ad plenum merear consolari, tribue saltẽ ex parte aliqua. Quis ergo *Eccli.40.* *Ephes.2.* *Isaiæ 1.* *Thren.3.* *Psal.102.*

Psalm. 118. ergo consolabitur animam meam? Multos inueni desolatores, narrantes mihi iniquas fabulationes, sed nō vt lex tua Domine.

Psalm. 144. 3. O consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigeriū, qui imples omne animal benedictione: aperi manū tuam, &

Psalm. 142. effunde benedictionem de cælo super arentem terrā meam. Expando ad te manus meas, quia sum sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit enim spiritus meus. Et ego sine te quò ibo: Et ad quem confugiam? Tu es Domine Deus meus, & ideo suscipe propitius preces meas. Leuaui ad te animā meam, tu noli me dispicere. Ostendi miseriam, tu noli oculos auertere. Peccaui, noli me condemnare. Tibi dixit cor meū,

Psalm. 36. exquisiuit te facies mea Domine, noli me derelinquere. Dixisti enim per temetipsum, nos consolari cupiens: *Venite ad me*

Matt 11. *omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et iterum: Si

Ioan. 7. *quis sitit, veniat ad me & bibat,* Sitiuit in te anima mea, quā mul-

Psal. 62. tipliciter tibi caro mea? In terra deserta, inuia, & inaquosa, ha-

Iosue 15. bitatio mea Domine. Terram arentem dedisti mihi Domine, da & irriguam superius. Neque enim parua est miseria mea, qua affligor in hac vita mea. Nam quocunque me verto, dolores & labores inuenio. Et ideo quæso, ne irascaris mihi; quia anxiatus est in me spiritus meus, & verba mea non murmure sed do-

Psalm. 141. lore plena sunt. Effudi in conspectu tuo orationem meam, & tribulationem meam ante te pronuncio. Est enim misero spes consolatio, suam miseriam amico reuelare. Et vulnus tumendum aperitur, minùs dolet & citiùs curatur. Tibi ergo reuelaui causam meam, Pater misericordiarum.

Exod. 3. 4. Et ait Dominus: Quid vis, vt faciā tibi? Animæquior esto, fili mi. Videns vidi afflictionē populi mei, qui est in Ægypto, & descendi liberare eum. Sed cùm etiam benefécero tibi, memor eris nominis mei, quia saluator & redemptor tuus ego sum. Iam noli contristari, quia ego ipse qui loquebar, ecce assum. Quare ergo mœrore cōsumeris? nunquid consiliarius non est tibi? Re-

Luce 24. cordare sermonis, quid promiserim discipulis meis; *Nō relinquā vos orphanos: sed mittā promissum Patris mei in vos Spiritū veritatis, vt maneat vobiscum in æternū.* Ille est enim, qui in aduersis consolatur corda Sanctorū. Et dixi hoc de Apostolis. Domine & discipulis tuis dixisti, & implesti in eis promissum tuum: sed de me nescio, quomodo fiet istud quoniam non fueram ibi. Et Dominus: Nónne & tu discipulus meus vis fieri? Etiam. Quod dixi

Ioan. 17. eis, dico omnibus, quia pusillum & magnū ego suscipio. Rogaui Patrem meum non tantùm pro his, sed etiā pro eis, qui credituri sunt in me per verbum eorum. Omnis enim, qui voluerit esse discipulus Christi, particeps erit bonorum omnium, quæ pro-

promisi electis meis. Elegi eos, & posui eos, vt eant & fructum afferant in patientia, & fructus eorum maneat in vita æterna. Hoc loquor tibi, vt in me pacem habeas, & in patientia animam tuam custodias. Pacem meam relinquo tibi, pacem meam do tibi, non quomodo mundus dat, ego do tibi. Patiens esto, & aduersa libens suscipe. *Ioã. 15. Ioan. 16. Ioan. 14.*

Tribulationis fructus.

5. Ne defitias in tribulationibus, quia tribulatio ignis consumens est. Purgat peccata, extinguit præsumptionem, fugat dissolutionem, ingerit salubrem tristitiam; dat odium mundanorum, & facit Christi imitatorem. Velles istis lucris carere? Non Domine. Hæc tamen operatur in tribulatione vera sapientia. Noli proinde quærere pacem nisi in Deo, pacem & gaudium in Spiritu sancto, quam mundus non potest dare. Et dixi: O pax & gaudium Domini mei Iesu Christi, quales filios tu facere consueuisti, quibus modis te mentibus electorum de cælo veniens infudisti? O pax & gaudium in Spiritu sancto, quod non datur impijs, sed manifestatur humilibus & omnibus deuotis Dei seruis. Vtinam dirumperes cælos, & ad me descenderes, & infirmam animam meam visitares frequentiùs; & experimento discerem, quoniam benignus est spiritus sapientiæ, & pax multa diligentibus legem tuam, & gustantibus suauitatem Spiritus sancti. Quàm libenter tunc ista caduca & terrena omnia contemnerem, vt eius dulcedini semper inhærerem. Quàm patienter omnia aduersantia susciperem, cùm præ amore eius graue quicquam esse non sentirem. Et quid tunc vltrà oblectare me posset, quando ille sic me absorbuisset? *Sap. 1. Psal. 118.*

Sap. 12.

3. O quàm suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios gratiæ demonstrares, pane suauissimo de cælo præstito, esurientes animas replesti bonis internis, fastidiosos diuites dimittens inanes; quia consolatione sancti Spiritus, digni non sunt. Hæc omnia operatur vnus & idem spiritus tuus, diuidens singulis prout vult, adiuuans infirmitatem nostram, & consolans nos in peregrinatione nostra, in grandi exilio quò relegati sumus. Sed scio Domine, quia hæc est hora diei tertia, quando Petrus aperuit os suum, & loquebatur verbum tuum cum fiducia magna; quando repletus est vino nouo, quod lætificat cor hominis, quando vnctus est oleo gratiæ & lætitiæ, cum consortibus suis. Hæc est hora, de qua coapostolus eius dicit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; quia non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex Deo est.* Et scripsit dicens: *Gaudete* (fratres) *in Domino semper: iterum dico gaudete, Dominus enim propè est.* Verè illi propè erat, qui tantam gratiæ copiam à Domino perceperat; vt esset ipse plenus, & *1. Cor. 12. Act. 2. Rom. 5. Rom. 8. Phil 4.*

alijs propinaret ex abundantia cordis tam multiplices cõsolationes. *Siue* (inquit) *mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, omnia propter vos charissimi*. Hæc est hora, in qua propheta lætatur, dicens: *Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi; & anima mea, quam redemisti. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et plures fuerunt, qui de hac multa præcinuerunt, & gustauerunt bonum Dei donum; virtutem quoque & gratiam, quam habebant. Deus meus, tu eis hoc dedisti; Deus, tu propitius eis fuisti, & eos interiùs per spiritum tuum docuisti. Beati sunt serui illi, qui cælestium bonorum participes fieri meruerunt, & tam dulci & pio Domino seruire die ac nocte amauerunt. Non sunt de terra vita & conuersatio eorum; sed viuunt de memoria æternorũ corda illorum. Saturati sunt de opimis bonis Domini, & vtinam dimittant reliquias suas paruulis suis; vt edant pauperes & saturentur de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Sed vbi est hora illa, de qua rursus scriptum est: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum?* Domine Iesu (si bene memini) verba tua sunt hæc. Et alia complura ad memoriam reuocare me delectat; quia scio, quòd propter me omnia facta sunt & scripta.

2. Cor. 5.
Psal. 39.
Psal. 70.
Psal. 83.
Heb. 6.
Psal 16.
Psal. 21.
Luc. 22.

7. Vbi est Iesu bone verbum salutis nostræ, quod locutus es in tristitia animæ tuę? *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et statim postea ad discipulos: *Venit hora, vt tradatur filius hominis in manus peccatorum, & crucifigatur, & occidatur.* Et alibi: *Pater, salutifica me ex hac hora; sed propterea veni in hanc horam, vt* scilicet Iesu bone moriaris pro populo, & *non tota gens pereat.* Quia nisi granum frumenti, quod est Christus Dominus, cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. O felix & beata hora, qua homo redemptus est ab ęterna morte! O læta & grata nimis tristitia, quæ perpetuam nostræ perditionis detersit mœstitiam, reddiditque mortalibus amissa gaudia paradisi. Hic erat fructus (Iesu) sacrę passionis tuæ & tristitiæ multæ pro nobis assumptæ, vt hominem perditum ad vitam perennem reduceres. Ergo illa hora non erat gaudij, sed mœroris; non consolationis, sed passionis; non pacis, sed afflictionis, vt diceres (Iesu) turbis: *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus, comprehendere me?* Hæc planè fuit hora turbinis & nebulæ, quoniam clamabãt vehementer Iudæi: *Crucifige, crucifige eum, reus est mortis.* Iesus tamen tacebat; & cùm accusaretur à principibus sacerdotum, nihil respondit.

Matt. 26.
Marc 14.
Ioan. 12.
Ioan. 11.
Ioan. 12.
Marc. 26.
Ibidem.
Marc. 14.
Matt. 27.

8. Quid nunc conquereris anima mea? Dic, vbi sit patientia tua? Tu rea es, & Iesus pro te in pœna est. Tu peccasti, & ille flagellatur. Tu fecisti hoc malum grande, quod deleri non potuit, nisi

nisi eius innocenti morte. Quid igitur retribues ei, pro omnibus quæ tribuit tibi? Et quam commutationem dabis pro anima tua? Ille pro te posuit animam suam, quid rependes ei? *Calicem* (inquam) *salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Iustè omnino. Et si volueris non ingratus esse, stude & istum bibere. *Psal. 115.*

9. Et Dominus, Potes calicem bibere, quē ego gustaui? Et dixi. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* At ille: *Bibete ex eo omnes. Bibite vinum meum, quod miscui vobis.* Et iterum dico vobis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ne dixeritis in cordibus vestris: *Durus est sermo iste, & quis potest eum audire?* Respicite ad me, & videte, quia ego solus portaui pondus diei & æstus. Et si fuerunt quidam, qui portauerunt onus graue, sed qui in comparatione mei? Ego in innocentia mea ingressus sum per foramen acus: Infixus sum in limo profundi, & non fuit in me culpa. Torcular calcaui solus, & de gentibus non erat vir mecum. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Videte manus meas & pedes meos, quia crucifixus sum pro vobis. Mittite manus vestras, & cognoscite loca clauorum meorum. Palpate vulnera mea, & videte, quia fluunt sanguis & aqua de latere meo. Afferre vasa cordis vestri, & suscipite liquorem balsami. Oleum misericordiæ & gratiæ recondite in vasis vestris. Sugite mel de perta, oleumque de saxo durissimo. Aperui ianuam cordis mei, intrate in illud. Latus lancea perforari feci, abscondite vos in illo: *Phil 4. Matt. 26. Prou. 9. Ioan 6. Ibid. Psal. 24. Psal. 68. Isaiæ 63. Psal 128. Luc. 24. Ioan. 20. Deut. 32.*

10. Quid debui vltrà facere, & non feci? Respondete mihi. Manete in me, & ego in vobis. Libenter sufferte aliquid pro me, ego sustinui tam multa pro vobis. Feci leue & portabile exemplo meo, ne formidetis crucem, quam cernitis. Accedite ad me omnes, qui in tristitia estis, qui angustiamini in visceribus vestris, qui consolationem non habetis. Ego enim sum consolator vester. Cur timetis in die mala? Ego sum protector vester, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Dicite mihi, quando non affui sperantibus in me? Quando defui clamantibus ad me. In psalmo quid scriptum est, & quomodo legistis? *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.* Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberabit eos. Ecce, quibus exhortor vos verbis, vt non deficiatis in tribulationibus. Magis gaudere deberetis, quòd tribulamini in hoc mundo. Signum dilectionis æstimate, & verè signum est electorum meorum. Aperite librum signatum, foris & intus scriptum, (vetus dico & nouum Testamentum) legite & intelligite, quia nemo sanctorum fuit, qui tentationibus & *Ioan. 14. Psal. 9. Psal. 33. Apoc. 5.*

passionibus varijs non sit examinatus, qui non sit iniuriam passus, qui non fuerit in omnibus his Deo acceptior & sanctior coram hominibus effectus. Sancti mei in aduersis proficiunt in tribulationibus odorem innocentiæ suæ per patientiam ostendunt. Bonus esse Abel renuit, quem malitia Cain non exercet. Castus quomodo quis putatur, nisi quem carnis lasciuia vincere non potuit? Pudicitiæ amator ostenditur, qui cum Ioseph casto iuuene, contra virus suadentis feminæ luctatur.

Gregor.

11. Obediens verus etiam probatur, qui proprijs voluntatibus contraire nititur. Et hic cum fideli Abraham, pro obedientiæ virtute laudabitur, & benedictione cælesti replebitur; quia magis obedit voci Dei, quàm voci carnis suæ, quæ semper proprijs motibus agitatur. De propria voluntate quid dicam? Ipsa est, quam maximè odit anima mea. Non est mihi quicquam acceptum, quod voluntate propria fuerit vitiatum. Parua & magna simul maculat bona, quemadmodum vera obedientia cuncta facit esse incorrupta. Agat bonum aliquis ex propria voluntate, & minus erit, etiam nonnunquam culpabile. Dimitte ex obedientia bonum, & fiet maius. Creuit enim vsque ad contemptum sui, & peruenit ad Iesum filium Dei, & exemplum obedientiæ eius. Quàm paucos ego inuenio, qui hoc obedientię fulgent exẽplo? Vnusquisque quod sibi bonum videtur, libenter agit, propterea sæpe errat. Scitote filij obedientiæ, quia malum agere nunquã licèt; bonum autem propter obedientiam quandoque intermittere, ad perfectum vos ducit. Sicut enim perfecta charitas seipsam non quærit, sic vera obedientia extra videre proprium, semper tendit. Mihi obeditis, cùm præpositis vestris subiacetis. Mihi viuitis, dum vos immolatis. Ego vos viuificaui, ego pro vobis occisus fui: & vos mecum viuetis, si commortui fueritis. Mortificate filij mei, mortificate proprias voluntates, proprium videre, proprium consilium, & omne paruum & carnale desiderium. Occidite inimicos istos, alioquin ipsi occident vos. Erunt vobis fudes in oculis, lancea in latere, serpens in via, & vrsa in semita, si non occideritis eos. Non sinent vos dormire in lectulo pacificæ conscientię, & pacem auferent de corde terrę vestræ; quia isti sunt, qui conturbant Israel; hoc est, fidelem animam, Deum videre cupientem. Admonui vos. Videte igitur, quomodo cautè ambuletis, quoniam dies mali sunt, & abstinete ab omni specie mala.

Propriam cuiusque voluntatẽ odit Deus, Obediẽtiæ laus & virtus.

Ephes. 5.

2. Proposui vobis patriarchas: & si parum est, adducam prophetas, quoniam ipsi tribulationes multas experti sunt in hoc seculo nequam. Primus dicit: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocabo. Tribulatio & angustia inuenerunt me, mandata tua non sum oblitus. Multa tribulationes iustorum, & de omnibus*

2. Thes. 4. Psal. 114. Psal. 118. Psal. 33.

bus his liberauit eos Dominus. Considerate tamen vim verborum, quia propheta in seipso semper inuenit laborem & dolorem : sed consilium euadendi habuit, cùm ad Deum in omni pressura cordis sui clamauit. Hic iterum dixit : *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me*. Secundus dicit : *Ego plorans ploraui, & oculus meus deducens aquam ; quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absinthio. Confregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere. Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum. Et dixi, Perijt finis meus, & spes mea à Domino*. Attende verba ista, quia verba lamentationis sunt, & scripsit hæc Hieremias propheta. Sed consolationem suam etiam inuenit, cùm iterum subdit : *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum, quia non in sempiternum repellit Dominus*. Tertius dicit : *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, immaturas ficus desiderauit anima mea. Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est*. Consolatur tamen seipsum dicens : *Ego autem ad Dominum aspiciam, & expectabo Deum saluatorem meum. Audiet me Deus meus. Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Educet me in lucem, videbo iustitiam eius*. Ecce testimonia prophetarum, quomodo sunt compuncta corda eorum, & qualiter in Deo sunt consolati spiritus ipsorum. Patientiam lob etiam nostis. Magnum vtique patientiæ speculum, datum omnibus seruis meis in solatium. Alias quoque sanctorum passiones, persecutiones, & tentationes non ignoratis. Hi namque omnes, & maximè sancti Martyres, grauioribus sunt probati supplicijs, & per patientiam sunt persecutorum suorum facti victores. Nónne si bene perpenditis, nemo dignus erit coronari, qui non legitimè videtur certare? Etenim in certamine probatur bonus miles. Deponite certamina tentationum & conflictus tribulationum, & nulla erit victoria. Et si nulla victoria, rectè nulli debetur mercedis corona. Dicit ergo S. Iacobus apostolus : *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*. Et sanctus Petrus : *Si quid patimini propter iustitiam, beati*. Et Paulus : *Quia vobis donatum est in Christo, vt non solùm in eum credatis, sed pro illo patiamini*. Tu quoque horum admonitus exemplis & doctrinis, omni tempore patientiã in corde serua ; & in omni tribulatione & angustia teipsum mihi resigna. Quis tibi nocere poterit, si bonus æmulator virtutis fueris ? Ecce omnes gemitus tui numerati sunt : & tam paruum nihil pateris, pro quo non coronaberis. In tribulatione positus, memento,

Psal. 119. *Thren.* 1.

Thren. 2.

Mich. 7.

2. *Tim.* 2.

Iacob. 1. 1. *Pet.* 3. *Phil.* 1.

1. *Pet.* 3.

quòd hæc est via sanctorum, per quam transitur ad regna cælorum.

Maioris meriti est mala pati, quàm bona operari.

13. Consolare etiam teipsum, quia Christo Iesu Domino tuo in hoc assimilaris, & gratias age, si modicum illi retribuere potsis. Dico tibi, quoniam maioris meriti est aduersa pati, quàm bona operari. Quam plurimos seruos ego videor habere, sed parũ possunt sustinere. Modica tribulatione franguntur, pauca contumelia irritantur, leui occasione scandalizantur, citò de illata iniuria conqueruntur, multa argumenta cogitant quando arguuntur.

Pax ex patientia.

Non est ista via bona, sed mihi in omnibus sanctis dissimilis valde. Quidam etiam dicunt, quia paruam pacem habent; & ego dico, quòd ideo pacem non habetis, quia patientiam non seruatis. Ideo pacẽ non habetis quia proprietarij estis, quia carnales estis, & secundùm hominem ambulatis. Vnde bella & lites in vobis, nisi ex concupiscentijs vestris? Pacem in præsenti vita non inuenietis, nisi in patientia vestra. Quanto quis patientior fuerit, tanto maiori pace perfruetur. Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat. Pax mea in patientia multa; in malorum tolerantia in contemptu secularium gaudiorum. Qui enim voluerit esse amicus Dei, sic oportet eum facere. Non veni mittere pacem in terram, sed gladium. Pax in terra erit hominibus bonæ voluntatis, quia non est pax impijs, dicit Dominus. Habe pacem in Deo, & non cum mundo; pacem non cum vitijs & concupiscentijs vestris, sed pacem contra vitia pugnando fortiter. Hæc est bona & sancta pax, & acceptabilis mihi.

Iacob. 5.
Ioan. 14.
Matt. 10.
Luc. 2.
Isaiæ 48.

14. Memento etiam in tribulatione tua, quia omnis labor & dolor finietur breui tempore, sed merces erit æterna & copiosa apud me in cælis. Rursum attende de damnatione malorum, quanta erunt cruciamenta eorum. Si tam parum modò vales sustinere, quid fiet de inextinguibili pœna infernali? Inser digitum tuum in flammam ignis, & forsitan vix tolerare sufficis. Quid ergo erit, si totum corpus mittatur in gehennam ignis? Noli proinde timere eum, qui occidit carnem: nec indigneris ei, qui flagellat miserum corpus: sed time eum, qui postquam occiderit, potestatem habet & corpus & animam perdere in gehennam. Istud dico time, istud pondera, istud frequenter cogita; & videbis quòd nihil est omnis tribulatio tua. In omnibus igitur mundi pressuris, his verbis consolaberis: *Patiens esto vsque ad aduentum Domini, quia finis omnium mox appropinquabit. Transit omnis mundus, & concupiscentia eius.* Qui etiam nihil amat in mundo, leuiùs aduersa tolerat.

Matt. 10.

Iacob 5.
1. Ioan. 2.

15. Decipiuntur omnes amatores eius, in nihilo confidentes. Sancti verò homines, ad æterna præmia anhelant, & exire de

mundo

mundo citiùs concupiſcunt. Nil in eo habere volunt; ſed theſaurum in cælo ſibi recondunt. Aduerſa tamen multa ſuſtinent, ſed patientiæ armis ſe defendunt. Sæpe carere aduerſitatibus & tribulationibus mallent, ſed tamen in omnibus his ſe manibus meis commendant, dicentes: *Pater fiat voluntas tua. Pater non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis:* & ideo nemini contingit aduerſitas, ſine mea permiſsione & iuſta ordinatione. Et dixi: Domine, tu omnia noſti; tu ſcis, quid expediat mihi. Ecce ſeruus tuus ſum ego, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Omnia iudicia tua vera ſunt & recta; hunc humilias, & hunc exaltas, quia in manu tua ſunt omnes fines terræ. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum; fidelis es & ſanctus in omnibus operibus tuis. In voluntate tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſsit reſiſtere tibi. Tu enim feciſti cælum & terram, mare & omnia, quæ cæli ambitu continentur. Dominus vniuerſorum tu es; propterea in manus tuas commendo ſpiritum meum, quia redemptor meus tu es. Liberator meus ab inimicis meis iracundis, paſsionibus, & vitijs meis; ſuſceptor in tribulationibus, conſolator in anguſtijs multis, qui circundederunt me nimis. Domine patientia mihi neceſſaria eſt, patientia defenſatrix mea. Dixi patientiæ, ſoror mea es: paupertati, amica mea; humilitati, domina mea & mater mea. Vos eſtis omnes dilectæ Domino, & verbis oris eius benedictæ. Vtinam mihi & omnibus ſeruis eius tam gratæ & iucundæ, quemadmodum illi acceptæ. Obſecro ſemel & iterum, vt permaneatis nobiſcum vſque in finem vitæ noſtræ; quia ſecuri ad Dominum veniemus, ſi vobiſcum permanſerimus.

Luc. 22. Pſal. 134. Pſal. 118. Pſal. 144. Eſth. 1. Pſalm. 15.

FINIS.

DE DISCIPLINA CLAVSTRALIVM.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

IN quibus consistit disciplina claustralis. Cap. I.
De diuersis tentationibus & insidijs diaboli. II.
De vera conuersione ad Deum, qui est summum bonum. III.
De obedientia humilis subditi erga prælatum suum. IV.
De custodia cordis, & reditu ad interiora. V.
De custodia oris, & exercitio laboris. VI.
De commendatione cellæ & solitudinis. VII
De choro, & diuino officio peragendo. VIII.
De discretione in omni spirituali exercitio seruanda. IX.
Oratio de felici consummatione in virtutibus. X.
De charitate Dei & proximi, & odio vitiorum. XI.
De abstinentia & castitate. XII.
De vtili exercitio in vita & passione Christi. XIII.
De commemoratione & inuocatione beatissimæ virginis Mariæ. XIV.
De suffragijs sanctorum studiosè petendis. XV.
De desiderio animæ ad cæleste regnum. XVI.

CAPVT I.

In quibus consistit disciplina claustralis.

Psal. 2. 1. *APprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Disciplina claustralis, si strenuè seruetur, ad magnam perfectionem ducit, ab æterna damnatione liberat, & in cælesti regno altissimè coronat. Consistit autem disciplina in tribus præcipuè; vt silentium bene seruetur, vt diuinum officium deuotè celebretur, & opus manuum impigrè exerceatur. Vbi disciplina viget, ibi maior pax & spiritualis profectus inuenitur. Vbi disciplina perit, ibi dissolutio crescit, ibi vitia regnant, & virtutes eneruantur. Vbi disciplina custoditur, ibi adest gratia cælestis, ibi deuotio floret, ibi lectio sapit, ibi meditatio dulcescit, ibi oratio feruet, ibi gratiarum actio & vox laudis resonant; mens iubilat: ibi intellectus illustratur, ibi caro marcescit, & spiritus eleuatur. Qui amat disciplinam, lætificat conscientiam, acquirit bonam famam, & adauget sibi gloriam æternam. Amator disci-

Disciplina claustralis in tribus. Ex disciplina quantum bonifructus.

disciplinæ custodit os suum, quærit secretum, fugit tumultum: vitat risum, diligit luctum, vt inueniat Iesum sibi propitium & amicum. Qui extra disciplinam esse quærit, diaboli laqueos incurrit, & deuotionem mentis perdit.

2. In tribus locis libenter esto cum fratribus, propter communem disciplinam: in choro ad psallendum, in cella ad scribendum & legendum, in refectorio ad sobriè comedendum & verbum Dei audiēdum. Vbicumque verbum Dei legitur, ibi Spiritus sanctus occultè operatur; qui malos de peccato redarguit, & bonos per spem & consolationem scripturarum confortat, vt amplius proficiant, & disciplinam ordinis fortiter teneant. Hinc Paulus admonet, dicens: In disciplina perseuerate, & tanquam filijs vobis offert se Deus. Hinc Dauid orat, dicens: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam, doce me* Et alibi multum eam commendans, ait: *Et disciplina tua correxit me in finem*. Et, *disciplina tua ipsa me docebit*. Magnum donum Dei est, habere scientiam scripturarum; sed magis præferendum videtur, seruare ordinis disciplinam. Hinc summus magister Christus, docens discipulos suos legem vitæ & disciplinæ, sic ait: *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea*. Nā tanto fit quisque beatior coram Deo, quanto feruentior est pro obseruantia disciplinæ. *Psal.* 118. *Psal.* 17. *Ioan.* 13.

3. Duo bona prætendit omnis regularis disciplina, vt statuta diligenter seruentur, & negligentes pro culpis suis corrigantur. Deuoti & boni fratris est, violentiam sibi facere contra prauitatem naturæ, & sponte se subdere disciplinæ; nec aliquid ordinatum præterire. Nam qui amat disciplinam, sapiens est, & ditabitur virtutibus multis. Qui autem odit correptiones, insipiens est, & honore carebit. Considera mores fratris disciplinati, quia non est leuis verbis, nec oculis vagus; sed ambulat in timore Dei, & facit opera sua cum diligentia, custodiens silentium, & amans cellæ quietem. Non murmurat, non detrahit; sed Deo omne iudicium committit, & seipsum præ oculis habet; & quæ sibi commissa non sunt, de illis tacet, vt liberiùs sibiipsi vacet. Nam nimis insipiens est, qui propria negligit, & alienis rebus se implicat, disciplinam ergo vbique serua, & erit tibi pax & gloria magna.

4. Omne quod non decet, studeas cauere. Quicquid Deo placet, fac cum alacritate: nec propter hominum displicentiam, infringe ordinis disciplinam. Stultè agit, qui contra conscientiam facit, & Dei offensam propter homines incurrit. Nam qui ordinem suum non seruat, per preuaricationem legis Deum inhonorat. Si videris quempiam negligenter agentem, corripe illum vt fratrem, & trahe ad emendationem, sed noli sequi eius errorem. Nec tantùm diligas, vt in malo ei consentias, ne cum ipso cadas

&

& pereas. Quisquis pro ordinis disciplina zelat, & libenter ac gratanter admonitiones capit, specialem gratiam à Deo obtinebit; & in die exitus sui de corpore ab auditione mala non timebit; sed cum electis de præmio sui laboris gaudebit, Christo dicente:

Matt. 25. *Euge serue bone, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

5. Qui negligens est & dissolutus, Deum offendit & homines, & peior paralytico iacente in grabato; quia iste defectum patitur à natura, & ille vincitur à cordis inertia. Virtuosius est passiones domare, quàm dæmones fugare. Et maioris charitatis est negligentem admonere, quàm eleemosynam dare. Quem tædet orare, & delectat fabulari, qualis feruor est in eo? Prorsus nullus. Nã si ferueret intus, vitaret omnino vaniloquia foris. Sed quomodo potest quis accendi ad feruorem spiritus? In faciẽdo sibi frequenter violentiam, contra consuetudinem malam, & tenendo ordinis rigorem, secundùm formam sibi præscriptam.

Feruor spiritus qui acquiratur

6. Tepidus semper conqueritur de grauitate disciplinæ, feruidus amplectitur cum hilaritate. Sed dicis; Timeo frangere caput meum, & incurrere debilitatẽ. Quid loqueris tepide & dissolute? Nescis, quid pateris. Times parua, & non times magna? Times dolorem in corpore, & non times grauitatem malæ conscientiæ? Times ieiunare, times vigilare, times silentium seruare; & non times in igne cremari, à dæmonibus torqueri, & à regno Dei excludi? Vanus est timor iste, de modica afflictione corporis frequenter cogitare; præsentia mala solummodo perpendere; & minùs ponderare, quæ æternaliter animam saluant aut damnant. Reuertere ad cor tuum; conuertere ad Deum, qui fecit te; spera in eo, & iuuabit te. Si non potes ei seruire sano capite, tunc seruias ei debili capite; & coronabit te rosis ac lilijs suauissimis, cum martyribus sanctis in cælis, quia sustinuisti dolores & labores in terris. Noli ergo propter modicum corruptibilis vitæ amorem, illicita admittere. Noli secularia solatia quærere. Separa te ab ineptis fabulis, intende sacris studijs, serua disciplinam, subiuga carnem, imple obedientiam, & saluabis animam tuam iuxta

In præpostere timidos.

Ioan. 12. Christi sententiam: *Qui odit* (inquit) *animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

7. Cum indisciplinato non habeas familiaritatem, ne discas leuitates eius, & similis ei fias in confusionem ordinis tui. Iunge te religioso morigerato & deuoto fratri, vt ædificeris semper in bono. Vnus indisciplinatus & verbosus multos inquietat; & qui eum compescit, optimè facit. Talis sæpè est admonendus & increpandus, vt suas dissolutiones dimittat, & ad deuota exercitia se conuertat. Nemo se per alium vitiosè excuset, sed de propria

salute

salute cogitet; & tempus sibi indultum fructuosè expendere curet, sicut & beatus Paulus dicit: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Galat. 6. Ille ad omnes bonum operatur, qui strenuè seruat disciplinam, & cæteris in conuentu dat bonum exemplum. Benedictus ille frater, qui in omnibus se vincere nititur: quia coronabitur pro omni, quod pro Christo patitur.

8. Ad tenendam formam spiritualis disciplinæ, beatus Paulus discipulos suos diligenter exhortatur, dicens: *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bona fama: si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate; quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me.* Phil. 4. Ecce quàm solicitus fuit beatus Paulus pro obseruantia disciplinæ, & pro bono exemplo posteris relinquendo. Nam maximum meritum sibi in cælestibus accumulat, quisquis disciplinam in se & in alijs amat.

CAPVT II.

De diuersis tentationibus & insidijs diaboli.

1. VBique diabolus insidiatur bonis & deuotis, maximè tamen religiosis personis, in ordine sub disciplina constitutis. Idcirco primus sanctæ Ecclesiæ pastor beatus Petrus, fideles admonet dicens: *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui resistite fortes in fide.* 1. Pet. 5. Hinc etiam beatus Ioannes in Apocalypsi clamat, præmuniens ad cautelam; *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Apoc. 12. Siquidem propter excellentiam status religiosorum dejciendam, diabolus acriùs seruos Dei tentat, & frequentiùs eos quàm seculares impugnat; quia inuidet gloriæ sanctitatis deuotorum continenter viuentium. Scit enim, quòd illi altiùs præmiabuntur in cælo, qui puriùs vixerint in mundo. Vnde quanto graviores tentationes sustinent, (si viriliter resistunt, & seipsos vincunt) tanto glorioſiores erunt apud Deum in futuro, quia fortiter certauerunt.

2. Ex quo diabolus proiectus est de cælo propter superbiam suam, non cessat circuire terram; quærens quem prauis suggestionibus decipiat, & vulneret per delectationem morosam; ad perdendam Dei gratiam, ac secum tandem trahat in æternam damnationem. Et sicut olim tentauit primum hominem in paradiso, & filios Israel in deserto: ita nunc tentat & persequitur religiosos in claustro, vt remissè viuant, & statuta sua frangant; vt prælatis suis resistant, & inobedientes fiant. Quatenus huiusmodi contagijs deprauati, cœlestem gloriam perdant; & causam

causam contra eos habeat, vnde in iudicio grauiter eos accuset. Vigilandum igitur omni tempore, & in omni loco cautè respiciendum, ne desides & inermes seruos Dei Satanas inueniat; quia ipse nunquam dormit nec fatigatur, sed à dextris & sinistris insidiatur. Desides faciliter capit: & hi sunt, qui parum laborant, & bene comedere volunt. Inermes citò vulnerat; & hi sunt, qui rarò orant, & in corde modicum de sacra lectione seruant. Foris euagantes, illecebris inficit; ociosè stantes, fabulis connectit; vt opera sua negligant, & alios impediant. Bene etiam agentes, à bono incepto reuocat; legere vel orare volentes, dormitare facit; surgere conantes, in lectulo tenet.

3. Non est locus in claustro, quem Satanas hostis monachorum non perlustret; vt vnam saltem ouiculam de grege Christi rapiat & perdat. Quapropter pastor cælestis alta voce cornu salutis sufflat, & ouibus suis ait: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Ac si dicat: Lupus rapax, circuit tabernacula vestra; serpens antiquus callidè quærit foramen intrandi ad interiora cordis vestri; vt dentem infigat per iram, aut osculo mulceat per turpitudinem. Vos ergo vigilate animo, & orate corde & ore die ac nocte. Quia ab omni parte vobis instat bellum, & nil tutum sub cælo, & aduersarij multi docti ad prælium, mittentes sagittas acutas, & laqueos abscondentes pedibus vestris; vt cadatis in itinere recto, & à sancto proposito recedatis. Sed state firmiter, & pugnate fortiter pro animabus vestris, ego Dominus ero vobiscum. Obseruate autem cautè, quales imagines vobis ingeruntur, siue de mundo siue de carne sint. Et claudite ostium cordis vestri, ac signo crucis vos armate, ne diabolus intret; quia tentare vos veniet, & ad consensum peccati trahere, vt Deum offendatis, & eius gratiam perdatis.

Marc. 14.

4. O religiosi amici Dei, attendite à callidis & mortiferis diaboli immissionibus, ne moram in his faciatis; sed mox vt sentitis motus illicitos, mentem vestram auertite, & nomen Domini inuocate, dolentes de malo vobis ingesto: & bonam cogitationem de Deo & spirituali materia assumite, & in compunctione sancta vos exercete. Sic autem facientes fugiet diabolus confusus, & accedent Angeli sancti vobis in solatium missi, qui confortabũt manus vestras contra aëreas potestates. State ergo in timore Dei, & semper circa initium tentationis vigilate, & orate cum gemitu cordis in spiritu humilitatis; nil grande, nil laudabile de vobisipsis sentientes; sed fragiles homines & inutiles seruos, veraciter vos agnoscentes. Quicquid etiam boni sapitis vel agitis, non vestræ hoc industriæ & labori, sed diuinæ gratiæ & misericordiæ ex integro adscribatis.

5. No-

5. Neminem tantum diabolus timet & refugit, quantum humilem, & semetipsum despicientem. Et contra nullum tantũ prę- ualet, sicut contra superbum, & de se præsumentem. Caue ergo superbiam, si non vis pati ruinam. Si non vis seduci & supplantari, noli extolli, nec inaniter gloriari. Quamuis in monasterio sis vel in solitudine, non es tamen liber à tentatione; quia Christum diabolus tentauit in deserto, qui erat plenus Spiritu sancto. Quã- diu ergo vixeris, oportet te pugnare contra insidias diaboli & proprias passiones. Et si interdum cessat ad modicum tempus, hoc facit ad fraudem, vt cùm incustoditus fueris & laxus, subitò & inopinatè te prosternat.

Diabolus de superbis semper triumphat

Matt. 4.

6. Tentat in choro, vt cum tædio psallas, & parum aduertas ad sensum verborum. Reducit ad mentem phantasmata rerum exteriorum, quæ priùs vidisti & audisti; quatenus fructum orationis tollat, & chorum tibi in grauitatẽ vertat. Tentat in refectorio, vt plus vel lautiùs comedas, aut etiam de aliquo defectu murmures. Tentat in cella, vt pigrè labores, aut rarius ores, vel modicè legas; sed citò inde exeas, & fabulari quæras, & tardiùs ad cellam redeas. Tentat tempore silentij, vt verbum illicitum proferas: & si loqui licet, mox ad inania & nociua instigat; vt conscientiam macules, & fratrem tuum offendas. Vigila ergo & ora Deum semper, vt det tibi gratiam cõtra Satanæ astutias, qui tam in prosperis quàm in aduersis insidiatur omnibus deuotis.

CAPVT II.

De vera conuersione hominis ad Deum, qui est summum bonum.

1. MVltæ sunt auersiones nostræ à Deo summo bono; quia ex propria iniquitate & magna fragilitate, citò labimur ad inferiora & terrena concupiscenda; quæ nos satiare non valent, nec etiam permanere nobiscum. Opus est ergo quotidiana conuersione ad Deum, à quo sępius auertimur ad nosipsos, inordinatè nos diligendo; aut aliquas creaturas vanè aspiciendo, vel etiam malè vtendo; & plus de temporalibus, quàm de diuinis rebus cogitando. Sæpe etiam odimus peruersè salutaria, & quæ sunt pro disciplina; & affectamus habere, quæ commoda sunt & iucunda; non attendentes quid dicit conscientia; & quantum displicet Deo auersio nostra ab ipso ad ista caduca. Et quamuis aliquem iustum & bonũ scimus, si contrariatur voluntati nostrę, & aliquã proponit restrictionem inducere ex virtute; incipimus ei improbè resistere, & viliter de eo sentire; & dicimus, quòd ipsi non sit credendum. Et hic error in plerisque religiosis inuenitur, qui contra beneplacitum Dei & superioris sui sensum, appetunt prosequi intẽ-

rentum suum; minùs ponderantes graue iudicium sibi immine-re, si plus quàm oportet, in causis proprijs de semetipsis confidũt. Quod ex elatione cordis, & agitatione diaboli procedit; qui in Spiritu proficere conantes, ad laxationem carnis trahere quærit. Non enim sufficit ad veram hominis conuersionem sæcularis habitus mutatio, quæ vna die vel hora fieri potest; sed illa est vera & religiosa conuersio, cum quis nititur vitia sua vincere, & magno feruore pro virtutibus instat.

Conuersio nostra ad Deũ quotidiana fit.

2. Debemus igitur, quantum possibilitas admittit, nos qui religiosum habitum gerimus, cor nostrum ab omnibus materialibus & visibilibus rebus auertere, & ad inuisibilem conditoris nostri faciem contemplandam eleuare, & anhelare semper ad cælestia; atque per singulos dies omnique hora, immo toties quoties euagatio mentis accidit, pro venia humiliter supplicare, & cum propheta gemebundè dicere: *Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis.* Quando ita facimus, Deus libenter suscipit preces nostras; & gaudent angeli sancti in cœlo de nobis; quia conuertimur ex toto corde ad Dominum Deum nostrum, qui est beatitudo omnium sanctorum.

Psal. 84.

3. Sed Satan è contrario conatur ab hoc summo bono religiosam animam abstrahere, & per diuersas occasiones & tentationes eam impedire; immittitque cogitationes superbiæ, iræ, gulæ, impudicitiæ, inuidiæ, discordiæ, duritiæ, fallaciæ, blasphemiæ, diffidentiæ, pusillanimitatis, inconstantiæ, dissolutionis, & negligentiæ, cæterorumque malorum, quæ enumerare longum est: quatenus à cælestium dulcedine & angelica puritate retardetur; & in infimis & vanis rebus diutiùs teneatur: necnon, vt propter nimiam difficultatem vincendi tentationes, Deum quærere & inuocare cesset, & sic tandem omnem spiritualem profectum & laborem pro custodia cordis, quasi ex tædio boni postponat. Hæc sunt opera inimici, à facie Dei cæli proiecti. Nam cùm ipse totus sit à Deo auersus, machinatur omne malum contra bene agentes, & præcipuè, cùm orare & ad interiora se conuertere voluerint, atque pro delictis suis deprecari. Heu nequam pessimus, insidiatur callidè omnibus bonis. Nam rete sinum per totũ mundum subtiliter texit, ac latissimè expandit: monachos & moniales, subditos & prælatos, solitarios & officiales circundat & tentat; vt vel vnum piscículum hamo concupiscentiæ illicitat, & de piscina claustralis custodiæ ad litus sæculi trahat, vbi per visum & auditum, iocum & risum, aliquo peccati contagio inficiat, quatenus nullus sine periculo euadat.

Clausturum piscina est & veluti stagnum quoddam.

4. Quapropter religiosus seruus Dei, vias suas diligenter custodiat, & euagationes tam mentis quàm corporis compescat; ne

ne summum bonum amittat, quod cum infimis teneri non potest: sed mox, vt se abstrahi & impediri sentit, ad Deum per orationem & contritionem redeat, & cum sancto Dauid oret, & dicat: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*. Sicut enim peccando, & in creaturis delectando, homo captiuatur, & à Deo separatur; sic pœnitendo, ad eum reuertitur & sanatur. Nam peccando fit sordidus, frigidus, & aridus: sed iterum pœnitendo, orando, & flendo pro commissis, intus mundatur, accenditur, & irrigatur. Et sæpe ad maiorem cautelam & rigorem seruādum, per facilitatem lapsus sui eruditur & solidatur. *Psal. 24.*

5. Ille autem verè conuersus est, nec in vacuum nomen religiosi & habitum portat; qui seculo moritur, & Christo viuere delectatur; qui omnia opera sua & cogitationes ad Deum finaliter refert. Qui honorem Dei & laudem nominis eius, in omnibus dictis & factis suis quærit & desiderat, nil de priuato amore & proprio commodo cupiens habere: sed semetipsum cum omni bono, quod fit in cælo & in terra, offert & eleuat; gratias immensas Deo summo bono referendo, à quo omne bonum creatum descendit & emanat. Conuersus verè quis.

CAPVT IV.

De obedientia humilis subditi erga prælatum.

1. AD bonum subditum pertinet, mandatum obedientiæ hilariter amplecti, & nihil de propria voluntate retinere, sed exemplo Christi, in manus Dei & prælati sui, sponte se signare quia hoc est gratissimum donum, quod potest Deo offerre. Caueat ergo omnis bonus subditus, ne prælatum suum temere iudicet, nec vias eius curiosè scrutetur, sed potiùs eius dicta & facta, in melius interpretetur. Et si quædam minus vtilia apparent, & aliqua defectuosa in eo reperiuntur, non despiciat nec arguat eum, sed excusset & piè toleret, & charitatiuè (si ita conuenit) admoneat, aut paternè obsecret per se vel per aliũ magis idoneum, quia magnum onus super se habet. Sępius etiam pro eo secretè oret, vt Deus eum custodiat & confortet; cùm nullus sit in tota domo, qui tantam quotidie sõlicitudinem pro omnibus gerat.

2. Rarò namque inuenitur prælatus, qui possit quilibet satisfacere vel placere pro voto. Ideo iuuari debet à subditis & honorari, atque portari ab omnibus, & excusari coram infirmis: qui citò suspicantur, dum ipsis resistitur, & aliquid negatur. Ipse est vtique, qui omnes tolerare habet, & in ore omnium ventilatur: cui & facilè imputatur, quod malè gestum est, aut neglectum æstimatur. Sed hoc virtuosorum non est, imò æmulorum studium: qui querunt in prælato, quod reprehendant. Non est credendum ei, nec consentiendũ, qui superiori suo detrahit, & ad resistendum illi

illi rationes quærit ; nolens acquiescere vicario Christi, qui loquitur ex ore Dei pro salute subditi, sub potestate præsidentis constituti. Nam multum superbè sapit, & periculosè agit, qui pertinaciter in sensu suo abundat; vt proprium videre ordinationi prælati sui præponat. Sed qui meritum sanctæ obedientiæ attendit, & obedientiam Christi & Sanctorum vitam pensat, absq; mora & mussitatione verbum sibi mandatum implere satagit. Nec curiosè discutit; sed etiam quòd friuolè sonat, propter virtutem obedientiæ dignanter capit, & ad profectum ânimæ suæ conuertit. Hoc enim valde laudabile est & honestum, & inter opera meritoria summè meritorium, & conscientiæ propriæ magis securum.

3. Subditorum est, humiliter acquiescere consilijs maiorum, & sine recalcitratione obedire prælatis. Hoc pro magna sapientia tene, si de propria sapientia nihil habes, & simplicem obedientiam omnibus rationibus & priuatis rebus præfers. Qui hoc facit, Deo placet; & prælato suo charus erit, qui pro eo rationem reddet. Talis subditus multum alleuiat onus prælati sui; & prouidet sibi optimè in futuro, ne sub graui discrimine cadat in iudicio coram Deo. Qui vult summæ perfectioni citò propinquare, studeat ante omnia obedientiam seruare. Magna & egregia virtus, simplex & pura obedientia, nescièns tarda molimina, nec parans argumenta, sed implens iussa sine querela. Ideoque magna ei debetur corona, & cum martyribus percipiet palmam, qui certauit fortiter, & subegit naturam, obediendo vsque ad mortem. Quoniam quidem fortissimum vincendi genus est, semetipsum perfectè vincere & abnegare propter obedientiam; quæ monachorum est laus maxima, & omnium religiosorum corona pulcherrima.

Obediẽtia summum monachi bonum.

Ioan. 6.

Matt. 26.

4. O felix & venerabilis obedientia, quam prædicauit & seruauit Iesus Christus Dominus noster, æterna Patris sapientia, dicens: Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et cùm iret ad locum passionis, ita orauit cum abnegatione propriæ voluntatis: *Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hanc etiam promptissimè exhibuit & plenè expressit, beatissima mater Iesu Virgo Maria, his verbis dicens ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sic decet omnino, sic debet niti facere, & etiam dicere bonus subditus coram prælato suo cum humilitate & reuerentia: Ecce pater, sicut dicitis & consulitis, ita libenter faciam pro viribus meis. Hæc namque virtus præfertur victimis & donis. Hæc præterita mala delet, à futuris custodit, pœnam laxat, & ab æterna damnatione saluat. Per hanc

Luc. 1.

Eccli. 4.

fit

fit homo dilectus Deo, & tam familiaris Christo, vt frater eius esse mereatur: *Quicumque* (inquit) *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Matt. 12.

5. O quam preciosa est hæc virtus in subditis, vt securi coram Deo appareant de culpis sibi obiectis. Qui hanc elegit & tenet, recto cursu ad patriam tendit, quam Adam & Eua inobediendo amiserunt; sed Christus & Maria, pro nobis obediendo recuperauerunt. Hæc sancta & simplex obedientia plus prodest, quàm alta doctrina, vtilior est, quàm potentia, & securior, quàm dignitas aut prælatura. Quòd si cum scientia & dignitate inuenitur obedientia, multum commendanda est illa anima, & magni meriti inter sanctos reputanda. Exemplum perfectæ obedientiæ claret in Abraham patriarcha, qui obediendo Deo, exijt de terra & cognatione sua, ac demum vnicum dilectum filium immolare paratus fuit. Propter quod cælesti voce benedici meruit, & pater multarum gentium nominari, atque per omne seculum honorari. Ad hanc sanè obedientiæ vtilissimam virtutem, beatus Paulus hortatur, scribens ad Hebræos: *Obedite* (inquit) *præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pernigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Hoc enim non expedit vobis. Hanc sanctam obedientiam, quæ ad salutem maximè est necessaria, commendant veteris ac noui Testamenti plura testimonia, & sanctorum deuotissima exempla. Hanc leges & iura dictant maioribus & prælatis exhibendam, cum humili subiectione & reuerentia.

Genes. 12. Obedientia in dignitate & scientia multi precij *Gen.* 22. *Heb.* 13.

6. Cogitet ergo, cui graue est obedire, & qui sæpius nititur se excusare; aut callidè ab obedientia subtrahere, quales subditos ipse vellet habere, quia vtique bonos & humiles, & non rebelles. Igitur studeat iam esse talis ad suum prælatum, quales optaret habere, si eligeretur ad præsidendum. Discat primitus alteri humiliter subesse, & reuerenter obedire; vt dignus sit alios instruere, & vtiliter regere possit; ne maiori periculo stringatur, si hoc ab alijs exigit, quod ipse minime impendit. Quomodo enim potest seruari status religionis & regimen domus in clausstris, nisi omnes subditi obediant prælatis suis? Nam si omnes regere volunt, & quilibet agere contendit, quod ei placuerit: erit confusio magna, & turbatio frequens; peribit disciplina, & crescet dissolutio; abscedet timor Dei, & libertas carnis regnabit. Vbi enim obedientia non curatur, & prælatus parum reueretur, ibi bonum regimen annullatur.

CAPVT V.

De custodia cordis, & reditu ad interiora.

1. QVamuis de facili homo ad exteriora sit inclinatus, & libenter capit aliquã cõsolationem à creaturis ex appetitu sensualitatis: tamen niti omnino debet redire ad seipsum per contritionem spiritus, ne perdat maiorem gratiam intus. Nam efficitur vagus & lubricus, si sequitur affectiones suas, in curiosis rebus videndis & habendis. Igitur semper sta super custodiam cordis tui, & ad interiora tempestiuè redi, etiam violenter te compelle intrare ad cordis secretum; quia cùm intus non est pax, non erit tibi bene quicquid foris hauseris in terrenis.

Homo nũquam non redeat in sese.

2. Multum valet pro pace & custodia cordis, si exteriora tua discretè ordinaueris, & quædam exercitia spiritualia apud te conseruaueris; vt scias quando legere, quando orare, quando operari, quando meditari: quando tacere, quando loqui; quando solus, quando cum alijs esse debeas, vt omnia in tempore suo, cum bona deliberatione facias, & nullo tempore à sancto opere & pio exercitio vaces. Quædam omnino fugere debes, vt fabulas leues & sæculi rumores, homines sæculares, mulierum allocutiones, iuuenum familiaritates, amicorum visitationes, hospitum salutationes, quia ista distrahunt mentem, & maculant conscientiam, & qui talibus delectatur, ab internis bonis minoratur.

Exercitiũ quodque suo tempore fiat.

Fugienda omnino monacho.

3. Quædam sunt fortiter tenenda; vt rigor disciplinæ in silentio & ieiunio, in vigilijs & alijs laboribus, ad castigationem corporis pertinentibus. Quia nisi corpus sub freno subiectionis contineatur, fit spiritui contrarium, & multas tentationes in animo suscitat: vnde intellectus hominis excæcatur, & feruor deuotionis refrigescit. Sunt quędam patienter toleranda; vt defectus temporalium, damna bonorum, vexationes aduersariorum, ægritudines corporum, mores imperfectorum, austeritates verborum, subtractiones solatiorum, & afflictiones amicorum: in quibus homo probatur, & tanquam in igne purgatur: & si bene vtitur istis contrarietatibus, cedent sibi ad magnum meritum æternæ retributionis. Sunt etiam quædam citò, respuenda, vt aperta vitia & peccata, Dei præceptis & virtutibus contraria. Interdum aliqua latenter se ingerunt, sub specie licitæ dispensationis, quando tamen cupiditas vel tepiditas agitat negotium vltra necessitatis terminum, ibi cauendum est seductionis venenum. Igitur secundum Sapientis consilium, omni custodia serua cor tuum, ne aliquid impurum intret, quod Deum offendat.

Tenenda constanter monacho.

Toleranda patienter.

Respuenda ilico.

Prou. 4.

4. Si te sentis aliquo vitio moueri, adhibe tempestiuè remedij,

ne diutius differendo passio crescat, & deterior fiat. Non est vitium tam graue, quin curari possit, si vulnus aperiatur, & spiritualis medici consilium requiratur. Sed aliud est scire remedium, aliud adhibere remedium. Multi sciunt, quid agendum sit, quidve cauendum, sed non adhibent diligentiam ad cordis oris que custodiam, ideo ex leui occasione trahuntur ad consueta vitia. In hac vita (quæ tota tentatio dicitur) oportet quotidie certare, & firmiter proponere, & gratiam diuinam implorare, donec status huius lubricæ vitæ & intestini certaminis fuerit finitus. Non inuenitur hic aliquod remedium, quo plenè omnes vitiorum morbi sanentur, ita quòd nullus motus concupiscentiæ sentiatur; quia hoc futuræ beatitudinis est donum, sanctis promissum. Sed tamen gratia Dei iuuante, possunt mali motus refrenari, & occasiones peccandi vitari, atquæ maculæ contractæ per singulos dies pœnitendo lauari.

Aliud scire remedium aliud vti remedio.

Concupiscentiæ motus omnino vitari non possunt, cohiberi possunt.

5. Magnus labor est cor custodire ab irruentibus vitijs, & non affici ad aliqua sensibilia foris. Aut enim creator te mouet, aut creatura; & secundùm statum mentis, mouentur leuiter corporis membra; & nihil fit in verbo vel opere, quod ex radice cordis non procedit. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*; & malus profert malum, ait Dominus. Debes ergo maximè vigilare circa custodiam cordis, & considerare quales cogitationes & affectiones intus geris; vt malas citò respuas, & bonas assumas; ac de vtilitate animæ tuæ semper solicitè pensare, iuxta illud prophetæ verbum: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus*. Si hoc fecit Dauid sanctus & rex terrenus, curam totius regni possidens: quanto magis religiosus Deo professus, omnibus curis terrenis neglectis, debet habere animæ suæ salutem præ oculis? *Matt. 12.* *Psal. 118.*

Secessus multum facit ad puritatem cordis.

6. Ad puritatem cordis valde iuuant solitudo & silentium, studere, legere, orare, meditari, & nil velle scire de statu mundi: quia sæpe plus nocent mala audita, quàm bona prosunt in libris lecta. Vix enim reperitur actio tam bona, cui aliquid mali non admisceatur. Et in omni verbo vel facto aduersarius tendit laqueos, vt ab interna vacatione mentem retrahat. Nouit quippe cor humanum, quia si non delectatur in bono, citò labitur in malum.

CAPVT VI.

De custodia oris, & exercitio laboris.

1. MAgnam ori tuo custodiam adhibe, quia de omni verbo otioso oportet te reddere rationem. *Qui non refrenat linguam suam*, ait beatus Iacobus Apostolus, *huius vana est religio*. Nã ex incustodia linguæ, multa mala solent prouenire, à quibus *Matt. 12.* *Iacob. 1.*

homo taciturnus liber est, nec indiget culpam confiteri. Velis ergo libenter tacere, & ab ociosis verbis tibi cauere; quia longa fabulatio deuotionem extinguit, dissolutionem generat, tempus malè expendit, conscientiam lædit, & alios offendit.

2. Silentium est antiquum statutum religiosorum, à sanctis patribus introductum, & cum multa diligentia custoditum. Qui hoc leuiter frangit, Deum & omnes sanctos grauiter offendit. Christus dixit: *Sit sermo vester, est est, non non. Quod amplius est, à malo est.* Breuiter ergo & planè loqui docuit, quando licet: sed quando non licet, tacendum est. Si vis bene seruare silentium, fuge publicum; & vade in secretum locum, vt ores; vel ad cellam, vt legas vel scribas. Melius esset, quòd legeres vnum psalmum vel orationem dominicam pro peccatis tuis vel amicis, quàm si starem fabulando de materijs vanis. Non est vera recreatio dicenda, ociari & fabulari; sed magis execratio nominanda, quando opus Dei negligitur, & nugæ recitantur.

Matt. 5.

Neque ocium neq; fabulatio recreatio est, sed execratio.

3. Vade ergo ad opus tuum, & labora in vinea Dei, pro denario æternæ vitæ, ne tibi improperet paterfamilias: *Quid hic statis tota die otiosus?* Laudat scriptura bene operantem, remunerat Christus seruum fidelem, arguit pigrum & negligentem, iubet ab eo tolli gratiam concessam, & dari eam feruentiùs operanti. Veniet namque tempus, quando non poteris amplius operari, nec vnum quidem verbum loqui præ infirmitate. Hoc debes modò præcogitare, & semper de extrema hora pauere, ne vacuum te inueniat. Vnde Dominus Iesus discipulis suis dixit: *Me oportet operari operationes, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.*

Matt. 20.
Luca 12.
Luca 19.
Operi vacandum.
Ioan 9.

4. Accipe ergo exemplum bona operandi à Christo Iesu, à sancto Paulo, à sancto Antonio, à sancto Augustino, à sancto Hieronymo, à sancto Benedicto, à sancto Francisco, à sancto Dominico, & ab omnibus sanctis Patribus, qui regulas monachorum scripserunt & religionem instituerunt. Reuera multum isti in ordine laborauerunt, & pro vita æterna duriter corpora sua castigauerunt, in ieiunijs multis, in solitudine & silentio, in vigilijs & orationibus, alijsque sacris Deo placitis obseruantijs & laboribus Domino seruientes. Quid igitur? æstimas, quòd tu fabulando, & hinc inde spatiando, obtinebis glorioßissimam coronam, quam sancti Dei adepti sunt sanguinem suum fundendo, nec non grauissima tormenta tolerando? Nequaquam. *Sed nisi pœnitentiam egeritis* (ait Dominus Iesus pœnitentiam prædicans) *omnes similiter peribitis.* Dura sententia, sed vtilis pro emendatione tua, & disciplina seruanda. Emenda ergo vitam, & non timebis pœnam, sed gloriam habebis æternam.

Luc. 13.

CAPVT

CAPVT VII.

De commendatione cellæ & solitudinis.

1. QVi cellam amat, & libẽter in ea commoratur, à multis peccatis & tentationibus custoditur. Quanto studiosiùs inhabitatur, tanto plus placet & amatur. Quanto negligentiùs seruatur & rariùs intratur, tanto magis horretur & fastidítur. Bene illi, qui eam diligit & incolit, quia vnctio spiritus eum docebit. Beatus, cui inhabitare cellam donatum est; & qui vsque ad terminum vitæ suæ in ea perseuerat. Solitudinis commendatio.

2. Væ illi, qui leui occasione eam deserit, & cui extra manere placet; quia citò seducetur, & capietur, & lædetur. Multi, quia eam studiosè non custodierunt, per varias occasiones inter sæculi actiones proiecti sunt, & malè perierunt. Heu, quòd tamdiu in ea perseuerare nequimus, donec fructum maturum ex ea percipiamus. Sic se homo deberet tenere, quasi quotidie iturus in sepulchrum. Nam tali homini non est cella fastidium, sed pacis domicilium. Et sicut stabili homini cella est paradisus, ita vago carcer videtur & cippus. Bonum tamen est & laudabile, si quis velit ibi propter Deum libenter incarcerari. Nam plures sancti martyres propter Iesum incarcerati & vincti fuerunt. Elige ergo ibi sponte ligari, vt sanctorũ meritis possis coæquari. Liget te potiùs timor Dei, quàm ferrum; & charitas magis, quàm indicta necessitas. Si non amor, saltem timor Dei te coërceat. Non es malè ligatus, si timore inferni compunctus, pro peccatorum tuorum pœnitudine te incluseris. Malè ligati sunt, qui corde & corpore euagari quærunt. Bene ligatus est, qui Deo professus est, & extra cellam ire inclinatus non est. Si vis in ea durare, nunquam sis otiosus.

3. Acedia & otium, expellunt monachum verbosum de cella. Amans silentium & operans cum quiete, bonus erit custos cellæ. Si tædium passus fueris, pro Christo agoniza, nec patiaris te expelli ex leui causa. Si manseris stabilis, citò vertetur carcer tuus in paradisum voluptatis. Sancti in carceribus pro Christo detenti, ab angelis sanctis frequenter sunt visitati, & abundantiùs consolati. Tu quoque, si te in cella patienter pro Christo clauseris, veniet tibi citò (Deo miserante) lumen cælitus, bonæ conscientiæ gaudium, & magnum spiritualis profectus lucrum. Qui in cella residet, à multis periculis liber est. Qui foris vagatur, innumeris periculis patet. In cella commorari quam salutare.

4. Bona cellæ nequeunt sufficienter explicari, sicut nec detrimenta extrauagantium. Custos cellæ custos est linguę, non audit detractiones, non percipit rumores, non videt vanitates, non

trahitur ad leuitates. Bonus cellita aut legit, aut orat, aut gemit, aut meditatur, aut scribit, aut corrigit libros, aut aliquid aliud boni operatur. Bonus cellita ciuis est cœli, amicus Dei, socius beatorum Angelorum, cognitor secretorum, inspector supernorum, victor tentationum, expulsor dæmonum, bellator vitiorum, contemptor mundanorum, neglector curarum, possessor quietis, obtentor pacis, amator scripturarum, speculator veritatis, gustator puritatis, continuator orationis, collector sanctæ meditationis, & destructor omnis euagationis. Cogita Deum & te solum esse in mundo, & habebis magnam requiem in corde tuo.

Luc. 2. Memento, quia angelus inuenit Mariam in camera sua orantem, non foris cum hominibus loquentem. Non qui appetit cælestia secreta cognoscere, oportet eum ab hominibus elongari. Sic enim Moyses fecit, qui relictis hominum turbis mansit solus cum Domino in monte, vt legem Domini susciperet mereretur. Has quandoque perlege, vt dulcescat tibi inhabitatio cellæ.

Exod. 19.

CAPVT VIII.

De choro & diuino officio peragendo.

1 CHorus est Dei & sanctorum angelorum locus sacratus, vbi diuinum agitur officiũ præsentibus Ecclesię ministris, cum reuerentia & deuotione psallentibus. Sicut angeli in cælo, sic religiosi ordinati sunt in choro. Opus Angelorum est, Deum semper laudare; opus religiosorum est, intẽta mente psallere & orare. Sic sta in choro & canta, quasi in medio angelorum stares. Recordare dilecte Domini tui IESV in præsepio iacentis, aut in cruce pendentis, aut in cælo ad dexteram Patris sedentis, tanquam coram assisteres & cantares. Ipse sit in corde tuo & in labijs tuis, sic pronunciandum apertè & distinctè verba Spiritus sancti, cuius opere & arte diuinum officium ordinatum est. Statue IESVM ad dexteram tuam, & MARIAM ad sinistram, & omnes Sanctos in circuitu eorum.

2. Omnes fratres tui sint tibi tanquam angeli Dei. Et cum quibus nunc psallis in terris, spera etiam te cantaturum in cælis. Vita pura & conscientia libera gaudet in diuinis. Vagus & tepidus homo cum tædio psallit & somno. Si viceris acediam, & cor ab euagatione restrinxeris, viam deuotionis paras, & semper in fine gaudebis. Multæ curæ suffocant verbum Dei, & longę locutiones faciũt distractionẽ mentis. Quicquid homo antè exercet, hoc sibi frequenter postmodum in oratione occurrit. Inimicus illuc non vadit, nisi vt zizania superseminet. Deuotus choralis soli Deo & sibi intendit, tanquã in cęlestẽ chorum translatus & eleuatus esset.

3. Fi-

Finitò sacro officio qui se gerat psaltes.

3. Finitis his, quæ in diuino officio celebrantur, non statim te effundas ad exteriora, ne perdas gratiam, quam consecutus es orando, sed potiùs post vota labiorum tuorum te recollige, & in maiori gratiarum actione ab omni strepitu solus permane, ruminando quæ audisti cantari. Quid prodest vna hora Deum laudare, & altera sæcularia & inania pertractare? Noli precioſum fructum orationum tuarum, & laborem diuini operis, pro vilibus exponere iocis & nugis. Nam citò perit deuotio, quæ non custoditur sub silentij freno.

Contra tedium obrepens inter precandum.

4. Quando autem tædium sentis ex longiori officio, pensa, quia isto finito euolabis ad cœlum. Et si hoc te non iuuat, memento, quia leuius est tribus vel quatuor horis vigilare & cantare, quàm vna hora in purgatio ardere. Magni quidem meriti est sacris canonicis horis interesse, & laudes Dei alacriter cum multis fratribus persoluere in Ecclesia sancta. Et si non possumus sine intermissione orare, aut cum perfectis contemplari; debemus tamen certis horis ad hoc deputatis, omnem diligentiam adhibere, vt intentè & deuotè psallamus. Neq; enim in tam sancto opere tibijpsi solùm proficis, æternam à Domito mercedem promerendo; sed etiam cunctis Christi fidelibus, & præcipuè animabus defunctis, prodesse potes, gratiam & veniam in quotidianis horis & Missis implorando, & tanto pleniùs, quanto sæpius & feruentiùs pro omnibus oraueris. Nam & pro quolibet verbo attentè prolato, iusto præmio non priuaberis.

5. Quicquid etiam negligenter persoluis, inde districtè puniēris. Non enim est leue peccatum, in præsentia Dei & Sanctorum vago corde stare, & ad sacra verba parum attendere. Heu quantæ irreuerentiæ est, ibi inania dicta vel facta reuoluere; vbi omnibus prætermissis negotijs, solùm diuinis congruit intendere actionibus & secretis? In hoc cognoscitur verus & internus religiosus, si in Dei laudibus fuerit feruenter intentus; si nil cogitare libet aut agere, quàm ea quæ Deo maximè placent, & cum angelicis spiritibus communionem habent. Et hoc est semper orare Deum, scilicet ex toto corde laudare, benedicere, & glorificare; quemadmodum Dauid in psalmo dicit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psal. 33. Qui ergo à Dei laudibus torpescit, aut tacet, aut se absentat, non est amicus Dei nec ciuis cœli; quia angeli semper in laudibus Dei sunt, & voce cõsona (Sãctus, Sanctus, Sanctus) in laudem summæ Trinitatis cantant. Qui etiam aues cœli rectè nominantur, quia alarum suarum sonitu ad cantandum nos hortantur. Inter omnes operationes animæ fidelis, non est tam fructuosus labor, & tam acceptabilis Deo seruitus, quàm frequenter deuotè orare, & Deũ toto cordis affectu laudare.

Angeli aues cœli.

6. Væ igitur illis, qui diuino amore non calent, sed ad extraneas fabulas se conuertunt, qui nec orant, nec alios orare permittunt. Et vbi peccata sua emendare deberent, ibi veteribus malis noua superaddunt. Tales sunt, qui ecclesiam tardè intrant, & citiùs exeunt. Qui breues Missas diligunt, & longas epulationes exercent. Qui saturati, lusibus delectantur & iocis; & pro beneficijs Dei, breues gratias vix debitè soluunt; eo quòd plus corpus, quam animam pascere gaudent. Non sic autem faciet bonus religiosus, Dei seruitio mancipatus; sed memor omnium beneficiorum Dei, quæ à sæculo sunt, cùm Iesu studeat pernoctare in orationibus, hymnos & psalmos canendo, sacras hostias offerendo, & deuotis meditationibus insistendo, & cor suum ad Deum semper erigendo.

CAPVT IX.

De discretione in omni spirituali exercitio seruanda.

1. SEruus Dei, cum discretionis moderamine, omnia agere debet. Stude ergo viam regiam tenere, vt neque nimis laxus ad carnem, nec nimis rigibus per seruorem corruas ante finem. Si vis stabilem bene viuendi ordinem seruare, inter duo extrema per medium iter incede; vt nihil per arrogantiam vltra vires attentes; & quæ commodè agere præuales, per inertiam non omittas. Non requirit Deus à te corporis destructionem, sed vitiorum refrenationem. Non exigit aliqua impossibilia, sed saluti tuæ vtilia. Dat sana consilia prouidet vitæ necessaria; vt bene vtaris corporis seruitio ad animæ profectum, & in nullo excedas discretionis modum. Nam hodie currere, & cras lassum iacêre, non est in via Dei proficere; sed seipsum confundere & profectum impedire.

2. Nunc nihil velle habere, & cras superflua sumere, non est paupertatem diligere, sed cupiditatem fouere. Nunc necessaria recusare, & cras singularia quærere; non est abstinentiam facere, sed gulam excitare. Nunc apposita nolle comedere, & cras de defectu ciborum murmurare; non est abstinentis animæ signum, sed impatientiæ monstrum. Nunc tam multum legere vel scribere, vt dolor capitis sequatur; non est animam pascere, sed impotentem ad alia bona opera reddere. Hodie nihil loqui, & cras dissolutum fieri, aut silentium frangere; non est zelum ordinis habere, sed multos in ordine scandalizare. Hodie tam altè cantare, vt cras nequeas resonare, aut vix os ad cantandum aperire, non est Deũ laudare, sed alios in choro turbare. Quicquid modum excedit, & discretionẽ nõ tenet; nec Deo placet, nec diu durare solet.

3. Ne-

3. Necessarium est ergo in omni spirituali actione, ad perficiendum opus debitè inceptum, vt communem serues institutionem, & singularitatis caueas notam; atque in dubijs & obscuris causis, superioris sequaris consilium; & cum discretionis moderamine, obedientiam custodias sine fictione. Semper in summo deuotionis gradu posse consistere, non est fragilitatis humanæ: & nimis ad exteriora declinare & terrenis insolui, non est profectus hominis spiritualis, sed perditio totius religiositatis. Quòd si specialis gratia fueris à Deo visitatus & inebriatus, hominem te noueris esse, non angelum; & carnis sarcinam adhuc gerere, non animæ stolam: datam gratiam recole, non innatam. Caue igitur, ne velis sapere plus quàm oportet sapere, sed gaudium tempera timore; nec velis altiora præsumere, ne postea humiliatus desperatione frangaris. Cùm exteriùs laboraueris, & necessaria negotia tractaueris; non totus in visibilibus defluas, sed frequenti meditatione te sursum ad Deum erigas. Pensa, ad quid exteriora ista fiunt & exercentur; quia seruum Dei iuuare debent, non impedire: quatenus terrenis bene moderatis, ad æterna & inuisibilia facilius tendatur. Vt autem virtutem discretionis in operando, & donum sapientiæ possideas in vacando; meliùs hoc impetrabis deuotè orando, & humiliter à Deo petendo, quàm propriæ industriæ vel labori confidendo.

CAPVT X.

Oratio de felici consummatione in virtutibus.

1. ORo te Domine Pater sanctissime, qui omnia in numero, pondere, & mensura fecisti; qui famulatum tibi debitum, ab omni creatura rationali vis exhiberi, & præcipuè in seruis tuis spontaneum seruitium diligis & exquiris dirige actus meos spontaneos in beneplacito tuo, & ad imperium æternæ dispositionis tuæ rebelles motus carnis meæ reflecte, propriasque voluntates ex integro frangere mihi concede. Sic ordina cunctas affectiones meas, vt malas statim ab initio respuam, bonas fortiter teneam, puras diligam, teque sine corporea imaginatione contemplari discam. Sic tempera vires meas & operationes exteriùs, vt non totus inhæream infimis: sed semper potens sim me conuertere ad interna: & sine graui tardatione, ascendam ad cælestia. Sic me conserua in æternorum desiderio, in amore sanctarum virtutum, in fruitione cælestiũ, vt tu Domine Deus ampliorem inde habeas honorem, & ego salubriorem profectum suscipiam. Non mihi veniat ex tua visitatione pes superbiæ, nec me vexet pestis vanæ gloriæ. Non me sinas Satanæ decipi illusione, neque falsa rapi dul-

dulcedine, nec priuata deuotione extra communitatem recedere, neque immoderata frangi exercitatione, sed da mihi cuncta cum discretione agere, sine solerti consilio nil prætendere; cum timore & reuerentia maiestatis tuæ, in conspectu tuo mundè ac liberè, sine omni passione & corruptibilium rerum affectione incedere.

2. Da humilem & quietum spiritum possidere, effusum & immoderatum nunquam esse; nulli quoque creaturæ vitioso affectu inhærere, sed tibi soli cor meum mundum & tranquillum conseruare; vt semper ad cælum mente erectus, & tibi Deo meo secretè intentus, à nulla re visibili capiar, sed verus mundi contemptor permaneam. Sic exteriora pro loco & tempore da congruenter perficere, vt nullum interioribus meis sint detrimentum; sed omnis labor & actio pro te assumpta, ad liberiùs postmodum vacandum, iuuamen mihi præstent & ducatum. Omne etiam quod ago exteriùs, aut quicquid interiùs intelligere possum, da mihi simpliciter & purè, pro maiore nominis tui honore, & beneplacentioris voluntatis tuæ amore perficere, meque ipsum tibi in omni ne desiderabili aut naturæ contraria, promptè resignare, patienter quoque præsentis vitæ sarcinam, quoadusque iusseris, & meæ vocationis terminus venerit, perferre; corpus quoq; & animam tibi creatori meo fideliter commendare. Memẽto mei Deus in hora extremæ necessitatis, & fac misericorditer cũ seruo tuo; qui non in meritis meis, sed in tua miseratione & pietate confido.

CAPVT XI.

De charitate Dei & proximi, & odio vitiorum.

1. DEus est beatitudo animæ, nec vllo bono creato fit anima beata, nec veraciter sapiens; nisi Deum super omnia amando, & omnia infra Deum ex corde vilipendendo. Vnde Paulus dicit: *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Charitas nobilis est virtus, & ex Deo nata: quæ animam, quam replet cælestem facit, & mundo alienã. Charitas odit vitia, damnat delicias, persequitur malum, & vim facit naturæ: vt vincat, quicquid Dei & virtutibus est contrarium. Sicut aqua & ignis contrariantur, sic charitas Dei & amor mundi non sociantur. Quanto magis seipsum quis vincit, & defectus suos emendat: tanto plus amor Dei in eo crescit, & carnis affectus marcescit & decrescit. Qui malè se habet, & de hoc non dolet, sed incorrigibilis manet: lædit charitatem, & dissipat bonum pacis. Non est aptus ad concordiam, nisi qui relinquit suos peruersos mores, quibus offendere potest Deum & secum habitantes. Si vis habere cha-

Phil. 3.

charitatem Dei, & seruare pacem inter fratres, frange propriam voluntatem, & nihil age per elationem, sed in omnibus humilia temetipsum. Via ad charitatem, est descendere per humilitatem. Nam qui elatè de se sentit, longè à charitate recedit.

Carnalitas sese sæpe obtrudit specie charitatis.

2. Sæpe putatur esse charitas, & est magis carnalitas. Libenter bibere vinum, & loqui cum feminis, caro est. Lautè comedere, & ornatè vestiri, caro est. Diu fabulari & parum operari, caro est. Rarò orare & frequenter foris vagari, caro est. Ad mensam festinare, & ad ecclesiam tardare, caro est. Ille veram probatur habere charitatem, qui funditus odit mundi vanitatem, & carnalem fugit familiaritatem. Sancta quippe charitas non quærit in hominibus solatium terrenum, sed spiritualem profectum. Nam animam potiùs pensat ad Dei imaginem factam, carnem verò ad malum procliuam refugit, vt sibi nociuam. Charitas non debet dici, vbi zelus non est iustitiæ, nec feruor disciplinæ. Quisquis Deum & proximum veraciter amat, iniurtam Dei & animarum damnũ dissimulare non debet. Pax cum virtutibus bona est cum vitijs verò nunquam, sed semper mala. Ibi est bonus status & pax in domo; vbi defectus emendaretur, & vitia citò resecantur.

CAPVT XII.

De abstinentia & castitate.

1 SObrius victus & potus, sanitas est animæ & corporis. Inopia rerum, paupertatem docet amare. Rara virtus, continentia in delicijs. Abundantia temporalium, occasio est iurgiorum & mater vitiorum. Tutior est castitas in paupertate, quàm in diuitijs multis. Corporalis egestas, medicina est animæ fidelis. Dolor cordis prohibet risum, & timor Dei oculos claudit petulantes. Sicut nocet visus impudicus, ita impedit auditus de inhonestis. Cauendum est animæ sanctæ de corporis propinquatione, quia caro citò afficit carnem. Diligere pulchra & appetere mollia, non est pro virtute castitatis. Qui autem abiecta & amara amplectitur propter castitatem, potest facilius vincere carnem. Quanto enim caro plus premitur, tanto spiritus plus eleuatur. Qui se elongat ab omni tactu corporis, percipiet in anima suauitem castitatis. Qui diligit solitudinem, purior erit à sorde mundanorum. Qui reputat corpus sum carcerem esse animæ, non curabit illud ornare nec ostentare, quia citò conuertetur in lutum & fœtorem.

2. Exteriora hominis considerare, & in pulchritudine vel fortitudine gloriari, vanissimum est & vitiosum. In multa abstinentia

tia & castigatione corporis, cõuersati sunt sancti, & pro afflictione præsenti, receperunt consolationem Spiritus sancti. Non est dignus à Deo consolari, qui in transitorijs bonis delectatur, & de penuria contristatur. Qui patienter sustinet laborem & dolorem in seruitio Christi, recipiet plenam mercedem, etiam pro minimo passu. Castitas multos habet impugnatores: sed qui veraciter se humiliant & Deum adiutorem solicitè quærunt, ac sensus suos cautè custodiunt, victoriam Christo duce obtinebunt.

CAPVT XIII.

De vtili exercitio, in vita & passione Christi.

Vitam & passionem Domini quantum profit meditari.

1. OPtimum exercitium & suauissimum solatium, quod in hac vita potest haberi, est vita & passio Domini nostri Iesu Christi: quia tam in vita actiua quàm contemplatiua, perfectissimè hominem docet sine errore & multis argumentis, quod in alijs scientijs rarò inuenitur. Igitur firmissima & tutissima via ad perfectionem, & mentis illuminationem, atque æternæ vitæ introductionem, est conformari filio Dei in omnibus virtutibus & moribus eius. Disce ergo ad eius amorem & honorem, cuncta exercitia tua trahere & ordinare: & tanquam præsentem Iesum, in omni loco & tempore attende: & cum multa reuerentia & singulari deuotione, ad auditionem & prolationem dulcissimi nominis eius Iesu, caput humiliter inclina, genua flecte: & cum omnibus Angelis & Archangelis & vniuerso cœtu sanctorum, maiestatem eius atque diuinitatem adora, benedic, & collauda. Et hoc est Christum per fidem & dilectionem habitare in corde tuo, oculos mentis ab eius imaginatione nunquam auertere, ad eius beneplacitum semper tendere, & nihil eius amori præponere, sed quicquid boni audieris, vel legeris aut feceris, in ipsum totaliter reducere & finaliter referre: quia ipse est fons vitæ, & sapientiæ, & disciplinæ; apud quem non perit nec minima cogitatio de eius memoria habita, nec vacua erit oratio ad eum cum gemitu fusa.

Ephes. 5. Christum habitare in nobis quid

2. Conforma ergo te sanctissimæ vitæ Iesu, eius paupertatem, humilitatem, patientiam, & contemptum in hoc mundo, pro tuo modulo imitando. Pensa qualiter ab initio sanctæ natiuitatis suæ, vsque ad exitum mortis in cruce, pro te laborauit, pro te sustinuit, & se totum tibi impendit: quod nullus Angelorum, nec aliquis sanctorum fecit, vt meritò super omnia diligendus sit, & sine intermissione recolendus, ac summo cum honore venerandus. Istud beato Paulo sapuit super omnem sapientiam & doctrinam, cogitare scilicet Iesum Christum, & hunc crucifixum

1. Cor. 2.

Et

Etsi alia multa nouerat vel legerat, nil tamen ea existimauit, ob eminentiam passionis & charitatis Christi; quæ tanta est, vt nulla creatura possit ei dignè vel pro minimo puncto regratiari. Ideoque omnibus postpositis rebus mundi, & subactis carnis passionibus, dicebat idem Deo iam plenus: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Phil. 1. Phil. 1.

3. O dulce & salutare verbum, nunquam obliuioni tradendum! Quàm felix & sancta anima, quæ hoc dicere potest: cui Christus totum est, quicquid viuit, quicquid sapit, quicquid legit, quicquid intelligit, quicquid credit, quicquid sperat, quicquid amat, quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid boni operatur? Verè viuit, & beatè viuit; cui Christus est omnia in omnibus, & super omnia singulariter dilectus: qui magis in Christo, quàm in seipso manet: nihil de seipso tenens, sed in Christo dulciter ac fruitiuè quiescens. Si viuere, est Christo viuere; & hoc est sibiipsi mori, & à seipso deficere, & maximè lucrari; quia hoc est mortem perdere, & vitam æternam inuenire in Christo Iesu Domino nostro. Talis anima licèt adhuc sit in mundo, & carnis nube tecta, & diuersis molestijs pressa; tamen sursum mente habitat in cælo, vbi Christus est in dextera Patris sedens. Ad quem quotidie suspirat, desideranterque tendit; & donec obtineat, laborare & orare non desistit. Meditatio in verbum diui Pauli.

CAPVT XIV.

De commemoratione & inuocatione beatissimæ virginis Mariæ.

1. GLoriosæ virginis Mariæ benedictæ matris Iesu memoriam agere per omnia decet; cuius meritis & precibus quotidie te commendare debes, & ad ipsam in cunctis necessitatibus confugere, sicut filius plagis percussus, ad matrem suam dilectam. Nam dulce nomen MARIAE, fiduciam donat inuocanti & nominanti. Et ipsa consequenter parata est loqui verbum bonum ad filium suum IESVM, pro anima tribulata & miseriam patiente. Nisi enim MARIA quotidie cum sanctis in cælo pro mundo oraret: quomodo mundus adhuc stare posset, qui tam multis peccatis Deum offendit, & tam parum se emendat? Inuocanda est ergo MARIA ab omnibus Christi fidelibus, à iustis & à peccatoribus, & præcipuè à religiosis & deuotis personis; qui continentiæ propositum tenent, & per sancta desideria ad cælestia anhelant, & nihil cum mundo habere vel agere volunt.

2. Sed quid petendum est? Primùm pete indulgentiam peccatorum tuorum: deinde continentiæ virtutem, atque humilitatis donum Deo gratissimum: vt semper humilis in conspectu Dei inue- A Maria quid postulandum.

inueniaris, viliſque & abiectus deſideres reputari: nec de aliquo bono velis gloriari, ne perdas totum, quod videris habere. Dole, quòd tam longè es adhuc à veris virtutibus, à profunda humilitate, à ſancta paupertate, à perfecta obedientia, à puriſsima caſtitate, à deuotiſsima oratione, à feruentiſsima charitate; quæ omnia pleniſsimè fuerunt in Maria matre Ieſu. Ideo procide ad pedes eius, ſicut pauper & mendicus; vt ſaltem minimum gradum de his virtutibus obtineas, qui ad ſummum aſcendere non valet propter deſidiam tuam.

3. Quicquid habere deſideras, per manus beatæ Mariæ humiliter roga; quia per eius glorioſa merita iuuantur, qui in purgatorio ſunt & in terra. Magna gratia magna gloria eius in ſalutari ſuo Ieſu, ſuper omnes Sanctos in cælo; ſed totum pro omnibus nobis, quę degimus in mundo. Securè ergo fidelitati eius te committe, cuius orationes Deo ſunt acceptæ; nil aliud tamen petens nec quærens, niſi quod ipſi & dilecto filio eius placet, & ſaluti tuæ expedit, prout ipſi meliùs noſcunt. Pro peccatis orare, & cor in humilitate cuſtodire, multum placet Deo & beatæ Virgini. *Luc. 1.* Nam ipſa de ſola humilitate gloriata eſt ante Deum, & de cæteris tacuit; & quantamcumque gratiam habuit, ab humilitate non receſsit.

Oret voce pia pro nobis Virgo Maria,
Vt digni ſimus gratia, amore Dei. Amen.

CAPVT XV.

De ſuffragijs Sanctorum ſedulò petendis.

Sanctorum auxilium flagitandũ.

1. SAnctorum cum Chriſto regnantium ſuffragia, inſtanter petere non negligas. Quia (ſicut cernis) in valle lachrymarũ degis, & inter hoſtes quotidie verſaris, & adhuc longè à Deo peregrinaris. Stude ergo cum ſanctis & amicis Dei, tempore incolatus tui amicitiam facere, & ad eos ſpecialem familiaritatem habere, & hominum notitiam & allocutiones inutiles declinare. Melior eſt tibi vnius Sancti oratio, quàm omnium ſecularium amicorum viſitatio. Plus te conſolabitur Chriſtus in ſilentio, quàm longa hominum loquacitas, in conuiuio & riſu multo. Habet iuſtus internum gaudium, quod non percipit animalis homo inhians terrenis. Si paupertatem & ſimplicitatem diligis, aderit tibi frequenter Ieſus cum angelis ſanctis. Etſi non manifeſtè, tamen inuiſibiliter & occultè conſolabitur te in ſcripturis.

2. Beatus, qui recreationes ſuas quærit non ab hominibus, ſed in lectionibus ſacris & precibus deuotis, ad bene viuendum &

ad cælestia amanda, sicut fecerunt Sancti visibilia contemnentes. Qualis vnusquisque est, tales etiam socios diligit; deuotus deuotum, pudicus pudicum, sanctus sanctum, vagus vagum, dissolutus quærit dissolutum. Si ergo desideras cum Sanctis regnare in cælo, oportet te multa pati pro Deo, & cum Sanctis humiliari in mundo; quia parum prodest Sanctos labijs honorare, & moribus contraire. Si vis Deo & Sanctis placere, doma carnem; frange propriam voluntatem; certa contra vitia, labora pro virtutibus; inspice vitam Sanctorum, lege doctrinam eorum; vt cum Sanctis sanctus fias, & à Sanctis erudiaris; per Sanctos adiuueris, à Sanctis exaudiaris, cum Sanctis coroneris. Placet eis frequens gemitus in cælum, dolor pro peccatis, silentium oris, firmũ propositum emendandi, desiderium proficiendi, patientia in aduersis, gratiarum actio pro beneficijs collatis. Delectat etiam Sanctos cantus deuotus, alacritas in vigilijs, laus psalmodiæ, confessio peccatorum, postulatio veniæ, celebratio Missarum, orationum lachrymæ, & omnis obseruantia regularis disciplinæ.

Sãcti quomodo colendi.

3. Qui ab istis bonis tepescit & recedit, perdit deuotionis gratiam; nec est Deo acceptus, neq; Angelis charus, sed Deo & Sanctis omnibus contrarius. Nam qui ex Deo est, verba Dei audit, verba Dei libenter legit & scribit; libenter vigilat & orat; libenter abstinet & laborat; libenter tacet & Deo vacat; libenter est in cella & in Ecclesia, nunc istum nunc illum Sanctum inuocando, & flexis genibus gratiam postulando pro passionibus vincendis, pro tentationibus resistendis, quibus adhuc grauiter impugnatur; vt eorum precibus glorioſis deuotus permaneat, & post huius vitæ agonem, ad æternæ quietis mansionem pertingat, vbi omnes Sancti cum Christo feliciter regnant. Non enim erit frustra petitio coram Sanctis, quæ pia intentione eis offertur ad honorem. Nam qui tam sedulò orauere pro inimicis suis, dum premerentur ab aduersarijs; quanto libentiùs nunc orabunt pro suis supplicibus, vt sibi citiùs valeant associari in cælestibus gaudijs; quos norunt in Dei seruitio quotidie laborare, & pro æterna vita multis suspirijs & lachrymis Christum orare? Dat magnam fiduciam rogandi Sanctos, quòd & ipsi fuerunt homines mortales & peccatores, multis criminibus & varijs passionibus dudum inuoluti & grauati; sed per gratiam Dei liberati & iustificati, maximas nunc gratias Christo referunt pro omnibus malis, quę euaserunt: læti in æterna beatitudine, quam gratia diuina opitulante percipere meruerunt.

Ioan. 1.

CA-

CAPVT XVI.

De desiderio animæ ad cæleste regnum.

1. VNicum & singulare desiderium sanctorum in hac vita fuit, nihil commune habere cum hoc seculo, sed per contẽptum terrenorum tendere semper ad præsentiam Christi & consortium angelorum. Vnde & beatus Paulus vehemens amator Christi, omnia terrena perfectè despiciebat: & ad cęlestia æstuans, dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Non est omnium tale desiderium sed perfectorum, qui dicere possunt: Nostra conuersatio in cælis est. Nam valde pauci ita nudati inueniuntur, qui totum affectum suum ad æterna erigunt, & de terrenis diuitijs & honoribus nihil ambiunt. Qui autem amore Christi accensi, in paupertate & contemptu sui gaudent, atque cor in humilitate deprimunt, & de paruis negligentijs etiam strictè seipsos reprehendunt: qui necessaria vitæ sobriè & cum timore capiunt, & potiùs minus quàm amplius requirunt: hi sunt veri contemptores mundi & amici Dei ad patriam festinantes, parati de corpore exire, & ad Christum citiùs peruenire; non habentes, quod possit eos in sæculo delectabiliter retinere.

2. Felix anima, cui tale desiderium inest, & per singulos dies feruorem addit feruori: non desistens orare & clamitare ad Christum, donec aperiatur sibi porta cæli, & ingrediatur regnum Dei cunctis fidelibus promissum. O beata patria, vbi perpetua lætitia, pax summa, clara Dei notitia, charitas perfecta, & beatitudo cõsummata. Ibi melior est dies vna, quàm hîc mille millia, quia ibi penuria nulla; hîc miseria multa, pax rara, cognitio parua. Quid miseri loqui possunt de felicitate superna? Quid mortales capere sciunt de æternitate vera & vita sempiterna, nisi sub quadam caligine & scripturarum velamine tecta? Gemat ergo anima fidelis mundi circumfusa tenebris, ad gaudia lucis æternæ, ad societatem patriæ cælestis, indesinenter oculum mentis sursum eleuans, vbi Christus est in gloria Patris, per æterna secula regnans. Amen.

FINIS.

DE FIDELI DISPENSATORE.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA CAPITIS PRIMI.

De instituto Martha, & cuiuslibet dispensatoris boni. § I.
De fideli & prudenti seruo. II.
Recapitulatio de fideli seruo. III.
Quantum confert homini fidelitas. IV.
De fiducia in Deo, tempore paupertatis. V.
De liberalitate, & dandi libertate. VI.
De premeditatione circa operanda. VII.
De prudentia religiosa in omni facto. VIII.
Quòd prudens sit sibijpsi intimus. IX.
De passionibus vincendis. X.
Quòd certis quibusdam horis vacandum sit Deo. XI.
De custodia oris. XII.
De bono exemplo dando. XIII.
De vitandis occasionibus scandali. XIV.
De non credendis nouitatibus, neque alij referendis. XV.
De vtilibus narrationibus. XVI.
Qui sint vitandi. XVII.
Cum quibus est conuersandum. XVIII.
De quibus materijs est interrogandum & colloquendum. XIX.
De reuelatione scripturarum mysticarum, à Deo impetranda. XX.
De spirituali collatione seu collocutione. XXI.
De quotidianis operibus quomodo fiant. XXII.
De consilio maiorum in spiritualibus causis considerando & recipiendo. XXIII.
De reuerentia prælatorum. XXIV.
De cauenda familiaritate cum prælatis. XXV.
De periculo pauperum in officijs. XXVI.
De vitandis cuique rebus sibi non commissis. XXVII.
De prauia consideratione. XXVIII.
De differentia inter sapientiam & prudentiam. XXIX.
Quòd necessaria est prouidentia, habenti curas temporales. XXX.

§. 1. *De instituto Marthæ, & cuiuslibet dispensatoris boni.*

QVia nunc charissime officium suscepisti Marthæ, non debes bonũ & sanctum ministerium acediosè peragere: sed fideliter propter Christũ, qui omnia nobis administrat, & propter æternã salutem tuam, exercere. In quo de quibusdam necessarijs considerationibus admonendus es. Sic enim beatus Paulus dicit; *Hic autem quaritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.*

§. 2. *De fideli & prudenti seruo.*

VNde oportet eum esse fidelem, cui committitur ministerium tale: sed & prudentem nihilominus, ne videatur sæpius errare. Fidelem intellige in commissis, ne res negligat, ne malè custodiat, & ne quicquam, quod vtilitati aut communitati prodesse possit, per ipsum deprauetur, sed magis pia cura emendetur. Prudentem verò in ipsis rebus, pro tempore & personis distribuendis. Vno tempore conuenit dare, quod alio tempore licet negare. Quibusdam vtile est & pium condescendere in petitionibus, quibusdam verò oportet te magis resistere. Quorundam etiam necessitates, charitatis officio præueniendæ sunt. Si ergo discretè agis, & necessitatem pensas in hominibus, prudentiam non abiecisti. Si compateris infirmis & miseris egenis, (quia te ipsum prius consideras, qualiter & alijs charitatem bene facias) charitatem induisti. Talem te cupio, videlicet fidelem in opere, & prudentem in consilio. An non talem seruum Dominus in Euangelio requirit? *Quis est*, inquit, *fidelis seruus & prudens, quem constituat dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Pro te est, si fidelis fueris: quamuis te minùs prudentem æstimare debeas, sicut Paulus dicit; *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Et iterum; *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Sic enim de seipsis sapientes, efficiuntur sapientiores.

Rom. 12.

§. 3. *Recapitulatio de fideli seruo.*

QVis est autem fidelis seruus, nisi qui non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi? vt quicquid agit, eius amore faciat, eius gloriam tantummodo desideret & expectet, atque ipsius magis quàm suam voluntatem sequatur, & dicat; Pater fiat voluntas tua, non mea. E duobus tamen seruis, fidelis potiùs est quàm prudens eligendus, atque instituendus ad negotia. Siquidem fideli seruo nihil charius in domo; & amico fideli, nulla ponderatio est, maximè in consilio. Sed quid aliquem tam fidelem & vnanimem facit

Luce 22. Fidelis seruus prudẽti præstat.

facit hominem, secundùm cor Dei, cui liberè credi possit? Primò vtique timor Domini; dehinc dilectio sine simulatione; postremò, nullius terreni commodi quæstus, fidelem seruum constituunt. Talis erat vas electionis Paulus, cui credita sunt tam multa preciosa & magnifica secreta. Et ipse fidelis inuentus est in domo Dei, & prudenter se agebat in omnibus. Vnde ita dicit: *Non quærens, quod mihi vtile, sed quod multis.* Item: *Non quæro vestra, sed vos: nec quæro datum, sed fructum.* 1. Cor. 10. Phil. 4.

§. 4. *Quantum confert homini fidelitas.*

FIdelitas ergo si fuerit inuenta in homine, reddit ipsum superioribus suis charum & pretiosum, æqualibus amabilem, cæterisque sodalibus suis valde venerabilem & gratiosum; ita vt nemo iustam aduersus eum habeat querelam, sed lætentur omnes de virtute fidelitatis eius. Nosti aliquos inter nos, & quantæ sint recommandationis, frequenter audis, & gaudenter etiam pertractas. Quæris imitari, vt bonum possideas, quod in alijs laudas, & bene facis; sed melius dum perficis. Si quando intelligis te deficere, doles imperfectionem tuam; & velles vtique talis inueniri, vt nemo imponeret querelam seruituti tuæ. Ministras enim Dei seruis, & ideo formidas, ne sis indignus & inutilis, negligens aut tardus, prodigus aut nimis parcus. Sed si niteris tamen facere secundùm tuam possibilitatem, respiciendo semper primò Dei voluntatem, atque deinde proximi necessitatem; erit Dominus propitius tuæ insufficientiæ, quam debes maiorem, quàm alij putant, in te recognoscere. Nemo securiùs excusatur, quàm qui culpam propriam agnoscens se humiliat. Etiamsi alij excusant, bonitati eorum plus deputa quàm tuæ innocentiæ.

§. 5. *De fiducia in Deo, tempore paupertatis.*

IN domo vbi abundat paupertas, & multi commensales sunt, ibi angustior est via ministrandi. Nec idcirco tamē deserenda est cura pietatis, sed de Dei misericordia confidendum. Vnde in Euangelio habes: *Misereor turbæ, quia iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & ieiunos eos nolo dimittere in domos suas, ne deficiant in via.* Discipuli dicebant: *Dimitte turbam, vt eant in castella, & emant cibum.* Sed Iesus respondit eis; *Date illis vos manducare,* vt probaret eos, quanta esset fides illorum in tanta multitudine, cum tanta paupertate panum & piscium. Illi desperabant de sufficientia, dicentes: *Sed hæc quid inter tantos?* Benignissimus Dominus, quid post hæc dixerit, audi: *Facite homines discumbere?* Accepit panes, benedixit, insitque discipulis suis, vt apponerent turbis. Et manducauerunt, & saturati sunt, & Marc. 8.

In egestate presumendum de Dei liberalitate.

ſuperfuit de fragmentis. In hac lectione intuere fidem, quantum valeat; quomodo non eſt deſperandum, ſed ſuſtinendum, te non habente, quid apponas. Da quantum potes, & Dominus prouidebit de futuro. Multum valet fides bonorum in neceſsitate. Nec franguntur, niſi humana plus quàm diuina auxilia ſperantes. Exempla fidei audiſti ab alijs, ſed nunquid non etiam expertus es? Dico, quòd audiui à fratre probato; quia in quadam domo, cùm adeſſent multi hoſpites pauperes, laborantes cum cæteris, ponebatur rete ad capiendum aliquos piſces; & tot capti ſunt, quot hoſpites aduenerant. Et conſiderantes hoc fratres, Deo gratias egerunt, quia tam clementer prouiderat Dominus.

§. 6. *De liberalitate, & dandi libertate.*

2. Cor. 8. QVando igitur voluntas tua prompta eſt, ſecundùm id quod habes, Deo accepta eſt; non ſecundùm id, quod non habes. Deficiente autem ſubſtantia, excuſatio eſt facilis, dummodo non obſiſtat tenacia aliqua, aut timor penurię ſequentis. Prouidentia tamen cùm ſit bona, parcitas nimia ne inſidietur, cauendum eſt. *Date* (inquit omnium dator) *& dabitur vobis*. Quamdiu vel vnum panem habueris, dimidiabis cum Chriſto; nam retribuetur omnibus benefacientibus hic & in futuro. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. In te liberalitas ſemper agnoſcatur in timore Dei, cum dilectione hominum & odio vitiorum. Amplius deſideres te benefacere, quàm tenere aliquid in craſtinum. Qui hodie dedit, cras etiam dabit. Neque auaro (vt ita dicam) datur, quod Chriſto datur, aut tenaci, aut ingrato, aut neſcienti, aut obliuiſcenti: vt neceſſe ſit de ſingulis ſolicitari ſumptibus, & dicere, Quis nobis aliàs aliquid redonabit? Oculi tui ſemper ad Dominum, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Spera in Domino, & fac bonitatem, & ne amittas liberalitatem: loquere confidenter ad Dominum cum Propheta: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Vnum adhuc ſcio, quòd grauę poſsit eſſe danti libenter: ſi reſtringitur manus eius per obedientiam ſuperioris. Et ne virtutem obedientiæ perdas, penſa, quòd melior eſt obedientia quàm victimę. Attamen bona voluntas tua perfectè poteſt implere in paucis, quod optaueris facere in omnibus diuitijs. Qui paratus eſt dare exiguum, cùm habuerit parum: non vtique tardabit dare maiora, cùm Domino largiente ditior fuerit. In modico diſce, quod in magno æſtimas te facturum. Humanæ fragilitatis eſt, nimium ſolicitari de futuris, ne

Dandũ eſt quàm diu quid habemus.

Luc. 6.

Pſal. 111.

Pſal. 33.

Pſal. 144.

vti

vti liberaliter posse concesis, miseræ mentis est. Parco semper est inopia, fidenti totus mundus plenus diuitiarum est. Vide ergo, ne detrimentum temporale inferat tibi nocumentum spirituale; sed deficientibus opibus terrenis, non deficiat fides tua, quinimmo confidas magnificè de Dei prouidentia. Qui promisit cælestia & æterna, non negabit temporalia. Non tamen semper donat pro nostro libitu, ne simus abundantes in sæculo; & minùs idcirco desideremus, quę sursum sunt in cælo. In curis temporalibus consistenti, vix potest deesse talis imperfectio, quin teneatur sæpe cupiditate rerum; videlicet amore possidendi, aut timore eas amittendi. Vnde opinor, quòd nemo plenariè cognoscit, qualis sit affectus suus; nisi cùm res cœperit actitare temporales, & curas habere exteriores. Sed qui in his occupantur, & tamen amorem creatoris præponunt in corde suo defectuosis creaturis, non tam facilè ruunt in culpam. Et si se delinquere aliquando in paruo deprehenderint, festinent mundare conscientiam.

§. 7. *De præmeditatione circa operanda.*

AD eruditionem tuam, habe præmeditationem aliquam prudentem circa agenda. Aliqui sunt tardiores, aliqui quodammodo præcipites in factis suis. Tardi sæpe bona omittunt, aut parum operis inchoantes non perficiunt. Viuaciores verò, dum inconsideratè currunt, leuiter impingunt. Vnde in medio semper virtus consistit. Debes igitur seruare mensuram possibilitatis tuæ, & cogitare quod solet dici: Multum facit, qui rem debitè & bene facit.

§. 8. *De prudentia religiosa, in omni facto.*

NEcessarium tibi est habere aliquam prudentiam, sed humilem, religiosam, & verecundam; ne videaris superbus, austerus, & audax; quasi cum auctoritate faciens, vel imperans. Multo melius est, vt obsecrando loquaris quam iubendo ea, quæ oportet fieri. Eris prudens, si cuitas videri prudens. Nam si vis videri prudens, necesse erit, vt hoc alijs foris ostendere velis verbo aut facto. Quod cùm feceris, non potest contingere, quin excedas aliquando mensuram prudentiæ tuæ; ita vt dicas magis ad facta tua vel aliorum quam expediat; vel excuses negligentiam tuam plus quàm iustum sit; & per hanc ostentationem, amittas viam veræ prudentiæ, quæ consistit in humilitate maximè.

§. 9. *Quòd prudens sit sibijpsi intimus.*

ERis prudens, si fueris semper proximus cordi tuo. Ibi disce, quod iuuet te omni tempore. Ibi constitue tibi mansionem, a facie inimici. Inibi ascende per orationem lachrymantem ante pedes IESV, vt vincas omnem passionẽ, & fumigantem delectationem mundi & carnis aduersum te. Hæc est via prudentiæ, amare iustitiam, & odire iniquitatem: bene facere, & malum pro veritate sustinere: exteriora agere, & interiora non obliuisci: curas ad tempus habere, alienum tamen esse ab omnium rerum blandimento: non sequi trahentem concupiscentiam, sed reluctari per virtutem magnam. Non tu eas sequere, sed illæ te sequantur. Tu verò quò vadis? Ad eum, qui misit te, vt facias opera tua omnia in charitate, & custodias ea summa humilitate: hoc enim iter, quo ostenditur salutare Dei. Et enim dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis.* Et rursum: *Ego sum via, veritas, & vita.* Si hucusque veneris, non priuaberis spiritualibus profectibus: sed eris sicut liber scriptus foris & intus, similisque patrifamilias proferenti noua & vetera de thesauro suo; dum exteriora agis, & apud altissimum sit cogitatio tua. Quàm simile etiam huic sẽsui, quod in psalmo legisti? *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.* Hæc tibi signabis, quotiescunque tumultus ferre grauaris. Nam actio non est causa perturbationis nostræ, sed magis passio.

Matt. 11. *Ioan. 14.* *Matt. 23.* *Psal. 36.*

§. 10. *De passionibus vincendis.*

IGitur circa eas vigilandum est, ne incipiant surgere, & possint prævalere. Quid sic turbat oculum prudentis, sicut frequens ira? quid ita inquinat, sicut concupiscentia? Quid ita excæcat, sicut munera & blandimenta noxia? Ingemiscit propheta aduersus passiones istas, & confitens Deo abscondita cordis sui, sic orat: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Cor meum conturbatum est*, ecce ira pacem tollens: *dereliquit me virtus mea*, ecce concupiscentia vigorem animi molliens: *& lumen oculorum meorum non est mecum*, ecce auaritia munera secum portans, sed oculos veritatis & iustitiæ plerumque eruens. Nunc ergo vide, qualiter euadas laqueos venantium, in quibus omnes positi sumus. Nullus alteri obijcere potest, Quid concupiscis? Ecce in concupiscentia omnes generati sumus. Et quia bellum omni ex parte instat, cauti simus. Deus adiutor noster, & ideo intentè oremus. Suauis est & mitis, ideo accedamus. Misericors est & clemens, ideo non desperemus. Po-

Psal. 37.

In omni passionum genere ad Deum recurrẽdum.

tens

tens est & diues in misericordia, propter hoc non deficiamus, sed cum Apostolo dicamus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4.

§. 11. *Quòd certis quibusdam horis vacandum sit Deo.*

SIc tempera actiones laboresque externos, vt tamen orationi, lectioni ac meditationi scripturarum vaces aliqua ex parte dici. Si potes, fiat exemplo Prophetæ in psalmo: *Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Considera sequentes versus eiusdem psalmi, & docebunt te vacare tibi & sperare in Domino. Nam vltimus sic concludit: *Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.* Nota in hoc versu, quòd carnales & animales terrena sapientes, & interiora dissimulantes, non diuidunt tempora sua, vt aliquando retractent opera sua, & sciant, quid desit eis. Sed non est talis actio bonorum, qui mensurant thalamos cordi sui hinc & inde, ne fortè in vacuum currant. Multi per multa currũt, 1. Cor. 6.
sed vnus accipit brauium. Distrahitur sæpe mens in labore, ideo reuertatur post laborem ad vnionem sui, quia vnio ista multa vtilia docet: & hoc est, quod dicitur, Vnus accipit brauium. Inuenies tempus sufficiens vacandi, si nullum indulges ociositati, non solùm operis, sed & sermonis & cogitationis. Beatus homo, qui in sui consideratione sæpe vigilat; ne fortè propter incuriam de tenebris ad tenebras vadat.

In summis negotijs etiam inuenit homo diligẽs tẽpus quo sibi vacet.

§. 12. *De custodia oris.*

CVstodi etiam diligenter verba oris tui, vt dixisse aliquid postmodum non pœniteat. Qui inter multos conuersatur, maiori indiget custodia: quia ab omnibus considerari potest, cuius conuersationis fuerit. Quis ita simplex, vt non discernat, qualiter se habeat aliquis in opere & sermone? Hoc ideo replico, vt cogites, quia spectaculum facti sumus angelis & hominibus: & 1. Cor. 4.
vt neminem habeas tam socialem, coram quo minùs honestè & virtuosè te geras. Non des vnquam occasionem dissolutionis, per verba rara, vel signa vana: quia generat hæc leuitas duplex malum: in alijs exempli boni, in te etiam sancti propositi dissipatio est. Noli esse fabula hominum, vt aliquis dicat: Hæc & hæc mihi ille recitauit, volens se excusare per te; quasi ideo accusanda leuia non sint, quia tu dixeris, qui melior putaris. In hoc multi frequenter delinquimus, quòd nostra errata exẽplis aut verbis aliorũ iustificamus; tanquã nobis idcirco liceat, quia idẽ & alij faciunt. Credo, quòd pluribus sæpe displicet, quòd citò, ociosè, aut incõsideratè aliquid dixerint. Quomodo audet se homo per alteri⁹ negligẽtiã defẽdere in malo, quãdo nihil minùs per hoc peccat

coram Deo? Quare cæcus cæcum sequeris, vt in foueam pariter cadatis? *Bonum æmulamini in bono semper*, ait Apostolus. Et *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Galat. 5. 1. Cor. 4. & 11.

§. 13. *De bono exemplo dando.*

ATtende tibi, vt quantum vales, omnibus sis causa boni exempli, vt in te clarificetur nomẽ & vita Iesu Christi. Nemo veniat ad præsentiam tuam, quin ædificatus & lætus decedat à te. Tu verò retine apud te, quòd non sis dignus alicuius alloquio: sed magis tibi proficit aliorum visus, sermo, oratio. Caue tamen familiaritatem eorum, qui imitandi non sunt, quamuis in Christo diligendi. Prædixi, & iterum dico, vt totaliter ambules, ne fiat prouerbium hominum loquentium sibi placita, de quocumque volunt. Non potest quis melius tollere fabulationes leuium hominum, quàm vt ipse leuis in verbis & moribus suis non videatur. Benignus tamen & alacer apparere debes, ne horrori sis maximè verecundis & modestis fratribus.

Familiares tibi ne sint, quos imitari nõ debes.

§. 14. *De vitandis occasionibus scandali.*

NOn stes ad loquendum diu in aperto, alijs laborantibus & occupatis circa iniuncta opera, ne dicatur tibi: *Quid hic statis tota die otiosi?* Non des occasionem loquendi venientibus ad fenestram, sed expedias eos verbis benignis & vtilibus: neque cum tristitia dimitte illos, sed cum pace & gaudio, refectos cibo potuque necessario: postea commenda te orationibus eorum, & dic eis: Iam ite dilecti fratres, & agite gratias Deo, & oretis pro me. Si aliquid plus addideris pro eorum consolatione, bene retribuet tibi Dominus. Cùm veniunt aliqui in occursum transitus tui, non debet te latêre, quin prægogites, si iustam & vtilem potuerint habere causam illuc accedendi, & penes tuum scire, non des occasionem volenti occasionem: vnde si te subtrahis talibus, postmodum non lugebis. Semper tamen paratus esto, ad satisfactionem poscenti te: sed otiari nullum patere apud te, sed fraternè admone eos, vt transeant, quia tibi non vacat: Christus est, qui tibi loqui desiderat. Hoc modo te liberas à superfluis, & illos ad quietem suam cellæque custodiam inducis. Nihil tamen temere iudices: sed vide, quanto charitas, quàm amica fraternitas traxit eos ad te. Discretè ergo age in his, vt aliquando audias venientes, aliquando sinas transire etiam loqui volentes.

Matth. 20.

§. 15. *De non credendis nouitatibus, neque referendis.*

ET quia sæpe diuersa percipis, & noua tibi plerumque dicuntur, non facilè credas, difficilius ea consequenter alijs dicas; &

multo

multo sit melius, si omnino sileas. Quid ad te? Iesum sequere, & sine mortuos sepelire mortuos suos. Huiuscemodi distractionibus & curiositatibus seruus Dei intendere nullo modo debet; sed ędificationi & custodiæ cordis sui, orando, legendo, meditando, & alia opera sancta in nomine Dei faciendo. In actibus Apostolorum habes, quòd Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui: sed talis vsus nimis damnabilis sit apud claustrales, Deum præ oculis habentes. Rumoribus non indulgendum.

§. 16. *De vtilibus narrationibus.*

SVnt tamen quædam, si referantur ex charitate, quæ ædificant etiam audientes. Sicut denunciatio alicuius defuncti, petitio suffragij pro tribulato, conuersio peccatorum, status deuotorum, & alia his similia; quibus est condolendum seu etiam congaudendum, prout causæ requirunt. Considerare similiter diuina iudicia super statum mundi, prodest bonis & electis Dei ad contemptum eius; sicut sunt pestilentiæ, fames, incendia, prælia quę terrarum, & cęteræ tribulationes graues: quibus gloria mundi prosternitur, & delectatio carnis amaricatur. Hæc mala sæpe boni & spiritnales ad profectum suum trahunt, & per exempla talia, se & cæteros ad compunctionem cordis, ad luctum peccatorum, ad emendationem vitæ, & ad præparationem mortis secum excitant; quę etiam in sacris codicibus & Ecclesiasticis historijs, manifestè leguntur. Sed hunc salutarem profectum plures indeuoti & verbosi aut nescinnt aut non intendunt, sed quasi in fabulam deductionis peruertunt. Vnde potes elicere, quòd sicut boni & virtuosi ad bonum omnia, quæ audiunt vel vident, conantur inducere, ita instabiles & vagi, tepidi & dissoluti, hæc eadem ad suam malitiam exercendam inflectunt. Ideo perspicito, quid sit quod audisti; & quis fructus esse valeat vltrà dicendi.

§. 17. *Qui sint vitandi.*

PRopterea noli libenter approximare secularibus, neque personis magnis; nec eo etiam conuenias, vbi nosti esse multitudinem presbyterorum; quia statui tuo non congruit, nec officio.

§ 18. *Cum quibus est conuersandum.*

CVm simplicibus & deuotis, & bene sentientibus de Deo; & cōsentientibus tibi propter Deum in bono, sit sermocinatio tua & crebrior sociatio. Et quicumque non concordant cum spiritu tuo, illis cede propter pacem tuam & ipsorum, quia defensor & iudex noster Iesus Christus clarè nos interiùs agnoscit, ante quem humana iudicia sępissime errant. Si desideras aliquem ædificare,

ficare, soli meliùs dicis ; quia multis nonnunquam displicet, quod vnus vel duo gratanter audiunt.

§. 19. *De quibus materijs est interrogandum & colloquendum.*

QVestiones in scripturis noli mouere in communi audientia, neque de materijs altis & curiosis libenter loquaris : sed quæcumque sunt humilia, virtuosa & amabilia, deuota & excitatiua ad amorem Christi, pacifica, pudica, & honesta coram Deo & hominibus, hæc loquere & exhortare. Si verò audieris aliqua difficilia & obscura moueri ab alijs, tace primò, & cogita, quòd sis discipulus Christi ; quem non oportet docere, sed audire humiliter verba seniorum ; & cum verecundia & reuerentia vtilia interrogare, & discere in silentio. Vnde Paulus dicit: *Docere autem mulieri non permitto* : id est, non patiar, quòd insistat aliorum doctrinæ, qui infirmus est & debilis in virtutibus, & quodammodo adhuc carnalis est, in quo sæpe abundant passiones superbiæ, iræ, rixæ, gulę, inuidiæ, vanæ gloriæ, & cæteræ pestes cordis & morum leuitates : cui neq; est experientia & annosa exercitatio spiritualis vitæ & disciplinæ, sed vana & indeuota scientia, & assueta ad non interrogata leuis responsio. Istum enim non decet, præsentibus alijs & peritioribus, quicquam loqui, docendi saltem modo. Non dicas ergo opinionem tuam, ne ostendere scientiam tuam cum Heliu videaris ; qui beatum Iob meliorem & sapientiorem se ausus est docere, & duriter increpare, ac rationibus compositis ingeniosè vincere ; sed Deus spreuit eum, & reprobauit, eo quòd superbè & animosè iusto & sancto viro se prætulisset.

1. *Tim.* 2. Cui nō liceat in seniorum cōsensu loqui.

Iob 20.

§. 20. *De reuelatione scripturarum mysticarum, à Deo imploranda & à proximo.*

QVando autem desideras aliquid obscurum intelligere, & de dubiis certificari, primùm à Domino pete sensum & intellectum illius reuelari ad profectum tuum, & pro gloria eius. Contigit aliquando cuidā in tali forma Deum oranti ; cùm se iterum contulisset lectioni, statim ei aperiri ignorantiam eius : qui consolatus in verbo Domini, didicit habere recursum frequentiorem ad Deum omnia scientem. Tamen rursus hominis sensus quandoque à Deo humiliatur, ne capiat verbum tenebrosum ; vt non eleuetur cor eius, & cadat in laqueum diaboli, autumans se aliquid scire, cùm nihil sciat. Et nisi Deus voluerit nobis reuelare nónne tenebræ vidēntur esse scripturæ ? Ideo secundùm consuetudinem sanctorum Patrum, quærendum est humiliter à fratre aliquo, vt exponat & declaret nobis intellectum obscurioris lite-

rę. Sic enim discipuli interrogabant Dominum dicentes: *Edissere nobis parabolam zizaniorum.*

§. 21. *De spirituali collatione seu collocutione.*

CONfert etiam non modicam scientiæ vtilitatem, studiosa & vnanimis duorum sibi bene consentientium diuina collatio. Vnde Saluator noster ait: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et alibi: *Dum hæc autem adhuc loquerentur, stetit Iesus in medio discipulorum suorum,* & ait: *Pax vobis,* & cętera, quæ de resurrectione eius pleniùs leguntur. Amor ergo in diuinis scripturis commendabilis est, per quem & carnalia & ociosa tanto celeriùs vitamus, quanto maior est in nobis. Senties in operibus tuis effectum meliorem, si diuinæ scientiæ fueris speculator & impiger imitator. *Matt. Ioan.*

§. 22. *De quotidianis operibus quomodo fiant.*

CVm opus tibi videtur, vt aliqua necessaria procures, vel etiam quædam ad meliorem durationem reformes; fac in Dei nomine sine multa quæstione, & eris liberior à retractione eorum, qui contradicere potuerint. Ex quadam leuitate quædam oppositionem faciunt, & nescio qualem probationem in alijs quærunt. Qui ergo silere scit & facere, sapientem viam tenet. Hæc in quotidianis & leuibus obseruanda puto. Decet tamen fratris alicuius verba patienter audire, & propter virtutem humilitatis discendam, sequi interdum inferiorem: sed non semper, cùm putatur fieri aliud magis inconueniens; quod bonæ & puræ conscientiæ meliùs relinquo, quàm imperitè consulam. *Quę ex æquo facturus es, cela alios.*

§. 23. *De consilio maiorum in spiritualibus causis considerando & recipiendo.*

DE spiritualibus & maioribus causis, superiorum primò est voluntas consideranda; deinde ipsorum, si dubitas, requirenda sententia; vt quicquid iudicauerint, pro meliori accipiatur consilio. Si non acquieuerint vel satisfecerint interrogationi, expectanda est responsio. Fortè maturè se deliberant, perspicientes alia æquè ibidem concurrentia vel obuiantia, vt non tam facilis & certa possit solutio dari. Postquam semel aut bis sanè intellexerint negotium quærentis, non expedit nimis insistere ad informandum eos, ne generetur aliqua grauitas aut molestia ab vtraque parte. Quietius est ergo amodo tacere, & aliud consilium quærere, sicut sanctus ait: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Cũ desunt humana, diuina sunt inquirenda suffragia, vt effectũ cõcedat salutarẽ causis necessarijs. Sed prędaue tibi, *Psal. 120.*

vt

vt quantum minus valet, importunè aliquid postules; & dum sentis parum proficere petitionem tuam, noli vexare te per aliquam impatientiam, sed recordare: O felix patria, sanctorum replens desideria, & miserorum nescius grauamina.

§. 24. *De reuerentia prælatorum.*

COram senioribus exhibeas te verecundum & morigeratum; & nihil temere in verbo aut opere à te percipiatur, sed humilitas & simplicitas. Semper senioribus reuerentia deferatur & honor; siue dignitate prælationis, siue auctoritate officij, siue ætate temporis & conuersatione venerabiles fuerint, humili corde exigeris reddere debitam subiectionem; & beatus, si imples eam, & deuotè veneraris prælati tui præsentiam.

§. 25. *De cauenda familiaritate cum prælatis suis.*

QVorum tamen societatem declinare debes, vbicunque aptè & quotiescumque licitè potueris. Quia multis fuit nociuum, quòd paruam reuerentiam coram senibus & prælatis habuerunt, & seduxit corda paruulorum & inexpertorum talis consuetudo. Ideo sapienter facit, qui magnorũ hominum notitiam, & prælatorum familiaritatem deuitat; quia non bene decet, nec ædificat intuentes. Neque hoc ad subtrahendum quicquam sanctitati illorum dicitur: sed ad cautelam nouitiorum & simplicium proponitur. Quidam ex familiaritate nimia & alloquijs magnorum, audacius se rebus & negotijs altioribus immerserunt: quod forsitan non feciissent, si liberiores erga superiores suos non fuissent. Etiam aliquando cæteris fratribus se præferentes, putabant se aliquid esse: sed in fine decepti sunt, quia hominibus & non Deo placere voluerunt. Proinde vtile iuuenibus est, & nouis palmitibus expediens, propter futuras occasiones male, nunquam talia quærere, quæ spectant ad superiorum gratiam & familiaritatem minùs cautam. Sed humiliora & simpliciora loca & officia exquirant sibi, gaudentes in abiectione omnium pomparum mundi, & quòd ignoti & parui habentur in oculis hominum reputati. Verum non est paruus fructus spiritualis gratiæ, quando se homo ab omni temperat propter Christum amicorum inclinatione; & eius appetit solummodo gratiam, qui confortat pauperem, & exulem consolatur in abscondito.

§. 26. *De periculo pauperum in officijs.*

CAuendum est pauperi, ne efficiatur præsumptuosus & audax, & obliuiscatur paupertatis & inopiæ suæ, in qua natus est.

Melius

Melius illi esset, si semper vitam in egestate duceret; quàm post paupertatem in terrenis substantijs superbiret. Maledictum sit aurum & argentum, & omnis preciosa substantia desiderabilis visu pereat, quæ pauperem & simplicem ad superbiam & mentis cæcitatem perducit. Verè infelix homo, qui in terra sibi nomen inuenit, & laudem finem suum posuit. Quid ita metuendum pauperi & inopi, sicut exaltari & prædicari? Multi quando latebant, Deo viuebant: quando nesciebant, Deus illos visitare dignatus est; & tanto familiarius, quanto minùs sociati erant hominibus. Sed dum ad negotia temporalia peruenissent, hinc inde dissipati, non potuerunt cogitare quid fuissent; & aliter his contigit, quàm putassent. Absconde ergo charissime modicum te ad momentum, & vide quid prodest omnis labor hominis, & operatio multa sine fructu. Fructus est sanctitas & puritas cordis, plenitudo dilectionis, delectatio in operibus bonis, finis verò vita æterna est.

§. 27. *De vitandis cuique rebus sibi non commissis.*

OBserua quoque cautiùs, vt de ordinatione maiorum aut fratrum consilio, non multum adijcias tibi; aut de qualibet re, quæ non est tibi commissa: quia non parui periculi est, rebus ad te non pertinentibus, aliquo modo conscientiam occupare. Quisquis curis multis se interserit, seipsum lædit. Qui verò vnũ, quod super omnia est, solummodo quærit, in pace multiplici erit conscientia eius. Potes teipsum inquietare talibus, & proficies nihil. Ad tuum conceptum rem quamlibet habere, erraticum videtur & impossibile. Noli igitur errare, quia error finem non habet, id est, perfectam consummationem. Si vis esse bonus & perfectus seruus Dei, non tuam sed Dei opta in omnibus voluntatem. Eius sequere animo humili ordinationem, & omnia tibi parebunt; nil etiam tuæ disconueniet voluntati, sicut scriptum est: *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Dies est homo iustus, propter lucem veritatis & iustitiæ; qua illuminatur à sole Christo, scilicet ad videndum ordinationem omnis æquitatis eius. Iste ergo perseuerat ordinatione Dei, hoc est, mente constans est & immobilis super omnibus, quæ ei contingere possunt, ferens cuncta æquanimiter; quia ab illo procedunt, cuius nutui omnia subsunt & obediunt. Noli in isto vel in illo tuam velle impleri voluntatem vel electionem, quæ sæpe proprietaria est & iniusta, sed dic, Sicut Dominus voluerit, ita fiat; nam ita fieri melius est. Quicquid etiam per seruos suos instituerit, pro bono fit, & inde lucet seruus Dei bonus; quoniam omnia in bonũ accipit, sciens, quia consummatio perfectionis est alienatio omnis pro- *Psal. 118.*

priæ

priæ voluntatis. Rariùs ergo statuè tibi consilium tuum, & firmiter non ponatur in animo, quod est incertum, an fiat vel fieri expediat; quia in rebus cunctis, finis inspiciendus est. Et quæ ad bonum finem dirigunt, laudem habent, non quæ in facie apparent: nam ignota sunt plerumque talia, quamuis probabilia foris videantur.

§. 28. *De præuia consideratione.*

IDcirco sapientes & eruditi viri, res quaslibet intuentur à longè, & longanimiter expectant: rimâtes tacitè, quis sit finis intenti operis; ne festinantia rem confundant, & præcipitio corruant. Prouidentia namque regitur status sapientis; & actio eius vniuersa (si plena sit oculis) erit probatissima & stabilis. Ipsius est rerum causas, puta initium & finem debitum discernere; & quæ sint agenda, quæ etiam vitanda, semper præuidere, ne inconfusè
Iacobi 1. fiant. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei, si vtilis ei esse possit & expediens: aliter illam desiderare non debet, quia damnabilem rem exoraret.

§. 29. *De differentia inter sapientiam & prudentiam.*

SApientia tamen cælestium rerum magis videtur esse, prudentia verò seu prouidentia ad temporalia negotia congruentiùs spectat. Quia cælestia & æterna sapere potiùs iubemur, temporalia autem omnia in transitu habere docemur. Vnde licentèr conceditur vsus necessarius bonis & sanctis viris pro ponendo viatico. Sed non in omnibus cernitur tantus diuinæ dilectionis radius, vt quod dignitate & elegantia mentis proponunt, hoc exerceant auidiùs. Norunt sancti, quòd hæc ima præsentata supernis sint abiectissima, nec precio laudis alicuius ducenda. Itaque quodammodo assimilantur caducis, qui caduca petunt; & priuantur gloria cælestium, qui satiantur temporalium. Quæ omnia prudens dispensator debet animaduertere; & ne terrestrium rerum distributione dispergatur nimium, bonis sempiternis suum renouare cordis palatum studeat. Tantoque libentiùs (dum illi vacat) immoretur superis, quo magis constat, quòd grauis est & periculosa omnis cura temporalis, quæ diuinis non releuatur sustentamentis.

§. 30. *Quòd necessaria est prouidentia, habenti curas temporales.*

EGet quippe maiori prouidentiæ luce, qui inter temporales curas, tanquam inter vitæ tenebras versatur; & illi bonum est, si tantummodo rebus mutuatus, non alligatus corde externa ministret. Laudabile satis, si in negotijs sancto non desit otio; si curis ad tempus pro fraterna causa intentus, nihilominus inueniatur meditatione æternorum & contemplatione suspensus. Qui enim

enim sanctæ Marthæ fideliter implere negotium satagit, beatissimæ Mariæ dignus habebitur aliquando dulcedine foueri, & consolationis diuinę & allocutionis silentio immorari. Quo ille rectè censetur aptus, cui iam fraternæ necessitati seruire placet; & Christi tantùm dilectio super omnem temporalem curam amabilis, in intentione præcipua est. Non sicut is, cuius foris videtur ministratio; sed ab intus non ardet vera dilectio, & intẽtionis non lucet pũra simplicitas, & simplex puritas. Sua enim commoditate perdit lucrum charitatis, & libitu proprio destituitur à Christi beneplacito. Nam omne quod agitur, si in veritate & puritate non manserit, in interitum vadit & euanescit. Tetigi paululum boni dispensatoris necessarium institutum, qualiter sibiipsi debeat etiam intentus & præsens esse, nec rebus exterioribus varijsque negotijs totaliter inhiare. Quinimo, eligat secundùm affectionem suam cordialem, nullis implicari curis, sed insistere (quantum opportunè concessum fuerit) studijs theoricis. Veruntamen quisquis per diuinam voluntatem tanquam seruus à Domino fuerit aduocatus, ad faciendum opera misericordiæ, impleat mandatum obedientiæ: & ne declinet ad propriam nimis quietem, sed magis offerat se per bonam & promptam voluntatem, ad seruiendum Deo viuenti in secula seculorum. Amen.

Externis rebus impeditus subinde redeat ad sese.

CAPVT SECVNDVM.

De ministerio Marthæ, et otio Mariæ, et de concordi conuenientia ad inuicem.

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

De comparatione Marthæ ad Mariam, id est, actiuæ ad contemplatiuã, & quòd vtraq; laudabilis, nec altera ab altera separanda. §. I.
De opere Marthæ. II.
De opere Mariæ. III.
De admonitione Marthæ. IV.
De consolatione Marthæ. V.
De admonitione Mariæ. VI.
De increpatione tepidæ Mariæ. VII.

§. 1. *De comparatione Marthæ ad Mariam, id est, actiuæ ad contemplatiuam, & quòd vtraq; laudabilis, nec altera ab altera separanda.*

QVamuis eligibilior pars Mariæ sit & suauior, tamen beatæ Marthæ sororis eiusdem pars laboriosa laudabilis est, & Deo accepta; sicut per seipsum Dominus ait in Euangelio: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus, qui est in cælis.* Ministrare Ioan. 12.

specia-

ſpecialiter ſpectat ad Martham, ſicut vacare ad Mariam. Non tamen iſtæ duæ ſorores ab inuicem ſeparari, nec debent de ſtatu ſuo contendere: ſed magis ſtudeant pariter Chriſtum hoſpitio recipere, vt in omnibus poſsint perfectè ſtare, & quotidianis proficere virtutum augmentis.

§. 2. *Opus Martha.*

Luc. 10. *2. Cor. 8.* MArtha ſeruiat, laboret, atque prouideat bona coram Deo & hominibus, vt ſoror eius Maria liberiùs vacet diuinis. Nec murmuret contra ſororem ſuam, quòd eam ſolam reliquit miniſtrare: ſed potiùs adhortetur, vt in quiete & ſilentio ſe teneat, & nullis ſe mundi occupet negotijs: ſed IESVM ſemper præ oculis *1. Pet. 1.* habeat, in quem Angeli proſpicere concupiſcunt. Audiatque eũ, & miretur de verbis gratiæ, quę procedunt de ore eius; atque talem ſe exhibeat, vt digna ſit auditu diuino. Tam purum & abſque terrena mole cor ſuum præparet, vt cæleſtibus deſiderijs accenſa, quandoque mereatur introire cum ipſo, ad inconſueta dulcedinis eius gaudia.

§. 3. *Opus Mariæ.*

MAria verò ſorori ſuæ compati debet, & ſæpius Dominum orare; vt dignè & deuotè valeat miniſtrare ſibi & alijs neceſſaria huius vitæ; vt patiens ſit in aduerſis, fidelis & prudens in omnibus negotijs ſuis: atque ſic exteriora moderetur & ordinet, vt ſeipſam interiùs non omnino negligat: ſed cùm tempus occurrerit, exemplo ſuo ad vacandum ſibi paululum, in ſecretum ſecedat. Nec ſibi ſoli & Deo viuere magnum & gaudioſum reputet, ſorore relicta ſub ſarcina. Sed pio conſiderationis oculo, eius memor ſit apud dilectum ſuum; nec non conſolationis verbo, quantum valet, ſubleuamentum deferat. Memento Maria, quòd non vales liberè vacare, niſi Martha voluerit pro te laborare: & niſi illa exteriora diſponeret, tu minùs lucidè interiora videres. Vtilis eſt tibi ſororis tuæ ſolicitudo, vt nõ perturbetur tua deſiderabilis ſolitudo. Ne ergo velis ſororem tuam contemnere, aut iudicare minùs ſanctam, quia occupatur rebus tranſitorijs vilibuſque materijs. Magis autem hoc cogita, quantam tibi in humilitate ſeruitutis ſuæ præſtat contemplandi occaſionem. Quæ licèt exteriora procuret, diſpenſet, & cuſtodiat; alia tamen habet in intentione cordis, quæ principaliùs amat. Nam Ieſus Chriſtus vtique eſt finis, pro quo in tantum laborat; propter quem etiam ſibi non parcere à manè vſque ad veſperam nõ refugit, vt alij fructum ſpiritualem ex hoc maiorem conſequantur. Dilige proinde ſororem tuam, & defer ei compaſsionem, orationem, reuerentiam, &

excu-

excusationem. Si quid minus potest in spirituali conuersatione; hoc tu supplere desidera per sancta & deuota exercitia tua. Non tamen ex te illud præsumas, aut de te plus quàm oportet sapere velis: sed Dei gratia te exhortante interiùs, bonum charitatis tuæ studium in hoc commenda, quia omnia bona opera tua ei communicare debeas, quæ plura impedimenta deuotionis habet quàm tu Soror enim tua est, & illi debes, quidquid boni apud Deum habere vales.

§ 4. Admonitio Marthæ.

AVdi iterum & tu Martha, quæ solicitaris circa frequens ministerium. Caue ne turberis in opere, & ne deficias in tribulatione: quia satis abundanter & causarum tumultus aduenient tibi, & aduersitatũ contra te varietas non deficiet. Beata eris, si omnia patienter accipis, & cum gratiarum actione, à Deo esse bona & mala salubriter sentis. Semper igitur tibi opus est patientia atque prudentia; vt per patientiã mala superes, & per prudentiam aliis bona misericorditer impendas, quamuis sint etiam ingrati. Attende tu quibus seruias, & qua mercede laboras. Nónne Christus est, cui te totam contulisti? Eius Martha es, & eius voluntatem facere debes, ne offendas & pecces. Potens est Dominus tibi dare gratiam maiorem, & ostendere etiã gloriã suam; vt quæ tam sedulò & deuotè ei ministras in mundo, tandem iuxta eum recumbas in regno eius.

§. 5. Consolatio Marthæ.

EIa Martha, magna erit merces tua in cælo, tantũ esto fidelis in ministrãdo. Propterea serui, fer curam, præpara quę opus sunt ad vitam istã: siue in coquina, siue in braxatorio & cellario: siue terendo semina; siue molendo sinapis, siue alterius generis grana. Opus si vile est, tamen preciũ vita æterna est. Quicquid enim expendis in vsum fratrũ Christi, reddet tibi iustus iudex in die iudicij. Quando omittis propriam voluntatem & vtilitatem aliquam, seu quando postponis spiritualẽ lectionẽ propter aliorum necessitatem, tunc emis à Christo hæreditatẽ æternæ vitæ, & ille fit tibi preciosum & firmissimum pignus solutionis æternæ gloriæ. Vnde Patri sic dicit: *Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.* O Martha, multa potes operari opera bona, si sis voluntaria & parata. Egent seruitio tuo serui Christi, & sine tua cura non sunt in Deo liberi. Si tamen vis esse meritorium opus tuum, fac ex animo bono, & non cum tristitia neque cum tædio. Magnam potes exercere charitatem in fratres, magnam etiam generare lætitiam, dum esuriunt & sitiunt, nec habent Ioan. 12.

quod manducent: & tu subuenis necessitatibus eorũ, apponẽdo ea quæ Dominus concessit infirmitati corporis humani. Attende, quid Isaac patriarcha dixerit Esau filio suo: *Tolle* (inquit) *arma tua, pharetram, arcum tuum. Cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Similiter benedicet te, ô Martha, quicumq; recreatus fuerit cibo & potu in nomine Christi per ministerium tuum: nec erit tantùm benedictio tua temporalis quædam retributio, sed potius æternę hæreditatis firma perceptio.

Gen. 27.

§. 6. *Admonitio Mariæ.*

ALloquenda est iterũ soror Marthæ Maria, vt domi sedeat ac meditetur vt columba verba cælestia. Tanto affectu quæ æterna sunt cogita felix Maria, tam suaui gustu sapiant tibi interiora bona, vt minùs cures exteriorem indigentiam. Minimè quoque contristeris, si datur quandoque minus, si sapiat minùs, si præparetur tardiùs, si quid aliud defectuosum fuerit in Marthæ manibus. Non enim parum ipsa ędificatur, quòd tam sustinens videaris in necessitate: nec erit ei alio tempore onerosum meliorare, cùm Dominus donauerit, considerata patientia tua in tempore, quo non potest. Quanto tu fueris patientior, benignior, & quietior; tanto sorori tuæ fit omnis labor leuior, & occupatio tolerabilior. Considerat namque fructum spiritualis incrementi ex te, & consolatur non modicùm in suo opere, quia tu pasceris spiritu magis quàm carne. Ipsa etiã gaudet coram Deo, quòd tam facili contentaris ministerio, ne grauetur super modum: sed parcis labori eius, ac vacandi orandique indulges largius tempus. Satis reprehensibile esset, vt cùm quietis iter ambulare deberes, molesta fias etiam laboranti.

§. 7. *Increpatio tepidæ Mariæ.*

IN omnibus exhibe te mitem, patientem, deuotã, terrena non curantem: sed Deo vnitam, & eius contemplationi crebrò intendentem. Alioquin quomodo locum imples Mariæ, si non inuigilas quieti & custodiæ tui? Aut non æstimas esse onus grauis iudicij, habere tantum prouidentiam in temporalibus, & minùs vacare studiis spiritualibus. Time, ne auferatur pars tua à te propter ingratitudinem tuam, & detur sorori tuæ facienti fructus bonos. Quæ huiusmodi est, non digne fungitur sancto otio Mariæ; sed expelletur ab omni mox spirituali dulcedine, ex iusta ratione. Sed mirũ forte videtur, quomodo aliquid reprehensibile de Maria sentiri possit, quæ à Christo laudari cognoscitur. Hic sciendum est, quòd multi in loco sanctorum stant,

Maria etsi Christo vicina, tamẽ alicubi reprehensibilis.

stant, qui tamen conuersatione sua multum à sanctis distant. Multi etiam nomen religionis habent, qui tamen adhuc seculari vita torpent. Multi foris quiescunt ab occupationibus ex officio commissis, qui nondum tamen conquiescunt ab externarum rerum concupiscentiis. Exquadam enim infirmitate spiritualis feruoris prouenit, quòd plures in quiete videntur positi: nec tamen vt dignũ est, sibi vacare nituntur. Ideo (vt tactum est) in loco Marię huiusmodi sectatores negligẽtiæ redarguuntur tanquam ab igne diuini amoris alienati, & in deuotione tam remissi. Sed quæ vera est Maria, sectatur semper Iesu vestigia, & dicit cum sponsa: *Sub vmbra illius, quem desiderauit anima mea, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 8. Hæc pauca de ministerio Marthæ & otio Mariæ, si considerata seruentur solicitè, fiet vt post præsentes labores, reddatur nobis fructus dilectionis, cum corona iustitię. Amen.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

De commendatione Marthæ, & fidelis dispensatoris. §. I.
De profunda abnegatione sui. II.
Declaratio literalis illius Cant. Introduxit me rex in cellaria sua. III.
Qualiter teipsum consolaberis in Christo. IV.
Duæ interrogationes fiunt. V.
De spirituali intellectu, super eodem verbo. VI.
De aspiratione ad cælestia. VII.
De spirituali esu & potu, de cellariis Christi. VIII.
De hilaritate vultus & promptitudine, ad externa opera charitatis, post gustum diuinæ suauitatis. IX.
Quis sit aptus diuinis colloquiis. X.

§. I. *De commendatione Marthæ, & fidelis dispensatoris.*

INueni adhuc aliquid suaue in scripturis sanctis, quod te (ô Martha) delectet in officio tuo. Tunc enim opera nostra leuiora fiunt nobis & dulciora, si confirmationẽ trahant ex eloquiis sanctis, atque imitationem demonstrent iustorũ præcedentium exẽplis. Vilescere possent fortè opera pietatis apud nõ intelligentes virtutũ merita, nisi forent à beatissimis hominibus magna cum deuotione continuata. Magnus quoque honor est, & nullius erubescentię locus: quando pro cælesti regno sponte quis se humiliat & seruum facit, exemplo Iesu Christi & sanctorũ eius incitatus. Dicit enim in Canticis sponsa, figuratè ostendis

Labor nobis leuior collatus cum exemplis antiquorum ex sacris litteris.

dens per mystica verba, quid bonitatis in hoc Christus velit, quòd quidam in laboribus sic deseruiunt, *Manus meæ* (inquit) *distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Manus sponsæ hi sunt qui amore Christi opera charitatis exercent in fratres, quorum virtus interior & actio exterior sic abundat ex affectu dilectionis ad omnes, vt amara & despecta oculis humanis tractare, ad qualemcumque consolationem debilium & impotentium delectentur. Sed & digiti pleni sunt myrrha probatissima; dum singula & distincta officia, & Spiritus sancti ordinatione formata, sic fiunt in domo Dei: vt omnes, qui ad agendum aliquid deputati fuerint, non ex proprio consensu, sed magis trahantur per salutarem obedientiam: renunciantes proprietatibus omnibus: etiam cum grauitate quandoque cordis, & amaritudine valida. Etenim sic in veritate efficiuntur myrrha probatissima, cùm in rebus paruissimis, & in quibus foret aliqua naturæ consolatio, seipsos relinquere & mortificare laborant. Potest igitur probata myrrha accipi, dum quis propter Christum, carnalem vitam crucifigit laboribus, vigiliis, & ieiuniis. Sed fit tunc myrrha probatissima, cùm in nullis rebus sibi viuit; sed superatis apertis & grossioribus mortificationum stimulis, etiam valde subtiles propriæ voluntatis motus immolat. Quòd cùm fecerit, nimirum cum Christo in cruce sitiente, potum felle mixtum spiritualiter gustat. Cui competit illa in cruce pendentis responsio: *Consummatum est.*

Cant. 5. Explicatio huius ex Cãticis ca. Manus meæ distillauerunt Myrrham, &c.

Ioan. 19.

§. 2. *De profunda abnegatione sui.*

NAm cùm aliquis ad tantã peruenerit abnegationis profunditatẽ, vt neque in magnis neque in paruis, nec in aduersis nec in prosperis, suam exquisierit voluntatem, iure etiam de se dicere potest: Consummatum est. Hoc est; Quicquid virtutis, quicquid perfectionis, quidquid spiritualis est conuersationis, in hoc vno munere adimpleui, videlicet in plenaria mei abnegatione. Et hæc est myrrha probatissima. Sed antequam huius myrrhæ speciem quis agnoscat, in multis sæpè grauitatibus seipsum experitur; quàm facilè caro remurmurat, quoties trepidat, quoties subruit, in quo conflictu intelligit, quantus sit labor non facere quod concupiscit; quàm durum frangere ad omnem nutum alterius suos conceptus animi. Si ergo hæc & his similia, latiùs excogitata pertransierit, tanquam veræ mortificationis probamenta (quæ omnia fortes Christi amatores ardentissimo affectu subire festinant) inueniet procul dubio quam veraciter dictum sit; *Et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Probantur enim à minimo vsque ad maximum eorum digiti,

Verbum Christi Consummatum est, amde iis dici queat, qui in totũ se abnegauerint.

& à summo virtice vsque ad plantam pedis, sine tentatione nihil vacat in ipsis. Nam modò iubentur exteriora, modò compelluntur ad sui custodiam introire; nunc huc illucq; discurrere, nunc etiam quieti insistere; modò paulo plus vigilare, & paulo pòst vigilias nequaquam protrahere: nunc quodlibet protinus abiicere, nunc quod horrent, sine mora perficere. Si est aliquod genus supplicij, quod martyres facit; tunc maximè illi martyres fiunt, qui toties verbo Dei, tanquam gladio submissi plectuntur; quoties sibiipsis per obedientiam moriuntur. O quam sublimiter de talibus filiis gloriari potest sponsa Christi mater ecclesia dicens: Manus meę distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Martyrij species quædam est sibi toties per obedientiam mori.

§. 3. *Declaratio literalis, Introduxit me rex in cellaria sua.*

ACcipe & aliud verbum ex ore Sponsi, aptum ministerio tuo, quod etiam priùs putabam inducere ad consolationem: sed præuenit me Deus quasi nescienter, docens me primùm debere mihimetipsi interius mori, antequam dignè possem aliis foris deseruire. Vtputa si adhuc impatiens in paruis lęsionibus essẽ, qualiter tunc aliorum infirmitates bene sustinerem. Et si adhuc superbus esset animus meus, quomodo portarem sine murmure murmurationes, sine contradictione detractiones, & indisciplinatorum mores. Constat namque quòd patientia & humilitas, summè necessariæ sunt ministrantibus. Est autem intentum verbum istud, quod sponsa cum multa etiam iucunditate loquitur, dicens: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Habeat ipsa intellectum huius verbi, in ministerio Christi absconditum. Tu æstima apud te magnum, si inueniatur etiam in te per opus aliquod extrinsecum, æquè ipsi gratum. Nam si hoc ipsum verbũ (*Introduxit me rex*, &c.) traxerit quis ad boni cellarii officium, inueniet vtique plenum sensum & perfectum, intus sapidum, & foris non otiosum.

Patientia & humilitas in Officiis cum primis necessariæ.

Cant. 1.

§. 4. *Qualiter teipsum consolaberis in Christo.*

PRopterea libenter & perseueranter age, quod agis, & quodã mentali gaudio vtere in opere tuo, retinens apud te verbum suauitate plenum; *Introduxit me rex in cellaria sua.* Hæc est enim voluntas Patris tui, qui in cęlis est, & eius qui in terris; vt ita facias, sicut ordinatum est tibi. Nam potes coram iudicantibus te confidenter protestari, quia non ego ipse introduxi me, sed introduxit me rex in cellaria sua: Deus rex cæli & terræ, maris & omnium quę in eis sunt, rex magnus super omnes reges: qui cuncta sapienter regit, quę potenter creauit: rex potens, rex clemens,

Explicatio paraphrastica huius ex Cantico sponsæ: Introduxit me rex, &c. iuxta literam & spiritum.

mens, solus, & singularis rex, regens etiã eos qui reges vocantur; rex regum & Dominus dominantiũ mecum disposuit, & in me fieri voluit; vt aliquo saltem tempore vitæ meæ, ego pauper & indignus homuncio implerẽ ministerium istud, respiciendo ad ea quæ sub cura cellarii posita sunt. Siue enim hoc ideo ordinauit, vt qui ad maiora & altiora vitæ contemplatiuę minùs valui, in bonæ saltem actionis vita fructũ haberem; siue vt humilitatis & patientiæ & cæterarum virtutũ profectum, ad mei vtilitatẽ meliùs sic apprehenderem; siue vt eius dumtaxat voluntatẽ hoc modo plenaria mei abnegatione facerem; siue quocunque alio occulto beneplacito eius (mihi tamen semper placito) nequaquã dissentio, non contradico, non refugio: sed gaudeo & gaudebo de tanto iniuncto seruitio, quia introduxit me in cellaria sua. Hic etiam pater noster vicarius & amicus Dei, in me hoc ipsum adimpleri voluit; vt fratribus domus huius, meo pauperculo labore subseruirem; & ego paratum me esse cupio, quandiu valeo vel pedẽ mouere. Si ita incipis sapere, & tanquã diuinum considerare beneplacitum; tunc & hilariter ac reuerenter, omnia perficere delectabit animam tuam. Sed ad quid introduxit te pensare etiam habes, nec ignorare causam vtilem debes. Non enim ideo introductus es, vt tu fruaris bonis illic repositis, alii inediam sustineant. Sed potiùs intelligas, idcirco te vocatum & introductum, vt per tuum laborem aliis sit requies; per tuam curam & prouidentiam, subleuentur pauperes Christi: ita vt necessitate adueniente, tibi interdum subtrahas, vnde pascatur esuriens & sitiens Christus; & ex bono opere fraternæ dilectionis, tu ipse plus reficiaris in corde, quàm caro tua cibo aliquo corporeo. Tunc proficies maximè in tam sancto officio, si spiritualem requiris fructum; non curans aliquod terrenum commodum vel incommodum; sed indefesso mentis desiderio, præter solum Deũ non optas possidere thesaurũ aliquem in terris; neque aliud quodcumque lucrum expectas de labore tuo, quàm cælestem vitam & gloriam æternam in futuro cum Christo. Nam te perseuerante, & omnia perficiente secundùm eius bonam voluntatem, faciet ipse tandem tecum hanc gratiam, vt merearis eius intueri faciem perrennis gloriæ; & tanto dulcius & sublimiùs sentias verba huius amoris cantici verificari in te, quãto glorioſior est illa cælestis domus, abundans cellariis optimis diuersorum meritorum sanctorum, quàm hæc paupercula & lutea domus paruo contenta cellario; in quo absconduntur victualia ad sustentationem fratrum nostrorum, pauperum & peregrinorum: ita vt dicas in dulcedine animæ tuæ, *Introduxit me rex in cellaria sua.*

§. 5. *Duæ interrogationes.*

SEd iterum video aliud requirendum, secundùm grossiorum intellectum, respicientem forinsecus atrium, quid in hoc voluit significare verbo, (*cellaria*) quasi multa essent, cùm & vnum cellarium videatur sufficere: Quare etiã addidit (*sua*,) quasi eius esset possessio, & non nostra, vt magis communis esset demonstratio? Intellige bonam rationem harum quæstionum. Quia nonnunquam infirmiores cum fortioribus, & ideo felicioribus in vna domo simul commorantur: sæpe debiles egent indulgẽtiùs ministrare sibi aliqua necessaria, quibus, saniores non indigent. Ne ergo possent quidã ex hac plenitudine misericordiæ scandalizari, dicere maluit sponsa benigna mater fortibus adolescentibus, pro excusatione debiliũ filiorum, se à rege clementissimo introductam in cellaria: quatenus visa copiosa benedictione, vnicuique ex eisdem ministraret, quantũ opus esset ad naturę congruentiã. Et bene satis subdidit (*sua*,) vt vnusquisque seruorum Dei, videns se de cellario Christi participare bonum corpori necessariũ, sciat esse totum à Deo: nec hęc parua & vilia adiutoria, sine gratiarum actione autumet sibi concessa: immo cum supplici mente, pro his minimis vicẽ deuotæ confessionis Deo refundat: quem nulla creatura sufficienter, pro minimo quantulumcumque beneficio, laudare sufficit. Valde enim magnum est, quòd tam magnificus Dominus & rex omnium regum, nos pascere dignatur de donis suis, cui nihil dignũ retribuere possumus. Etiã pulchrè spõsa, cùm dixisset. In cellaria, addidit Sua: vt nemo inde quicquã sibi arroget, sed de eius bonitate sibi porrigi necessaria confiteatur, atque cum propheta cantet Domino, dicens: *Propter nomen tuũ deduces me, & enutries me.* Ex hinc similiter admonere omnes voluit, ne de vlla proprietate adinuicem contenderent: vt neque iste inflatus dicat, Istud meum est; nec ille, Hoc meum est: talique iniqua proprietate vnus contra alium concupiscat, in perditionẽ salutis suæ. Placuit ergo dicere Cellaria sua, vt audito, quòd omnia sint Dei, tollatur mox omnis proprietas rei: fiantque per ipsius dispensationem nobis communia, & eius dignatione nostra, quæ verè duntaxat illius sunt propria. Sic ergo patet, quàm vtiliter & compatienter positum sit (*cellaria*,) & non cellarium: quàm salubriter & gratanter adiectum (*sua*,) quæ pariter omnia considerata, non modicam conferunt bono & fideli custodi diuinæ consolationis gratiam: eo quòd tantum inuenerit in Christi seruitio virtutis viam, nec non meritorum plurimorum fertilitatem. *Psalm. 30*

§. 6. *De spirituali intellectu, super responso ad eadem interrogationes.*

EXpleto secundum paupertatem meam sensu rudiori, iam ad interiorem spiritus medullã te transmitto; quàm tamen non à me audies, sed vt ab introductione Sponsi capias; verbũ illius, optimè fauco. Non enim paruam credo eum percepisse internæ consolationis pinguedinem, qui sibi conscius est de abscondito & nouo hoc exultationis fructu: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Mihi quidem misero, & sterilitatẽ cordis sæpius patienti, præciosum nimium esset, si aliquando post singultus & pulsationes fortes, ad huius Sponsi miserationẽ promerendam, de præteritis malis potuero veniã inuenire. Si etiam contra morbos vitiorũ & ægras affectiones animi, valuero aliquas species medicinales impetrare. Nec hoc est vtique, quod sponsa, quæ amore flagrat, inebriata ab vbertate domus Dei reuertens, auribus nostris infudit dicẽs; *Introduxit me rex in cellaria sua.* Quid est ergo, quod loquitur? Ignorare me fateor. Tu verò si intelligere potes, (sicut dignũ est) congaudeo gratiæ diuinæ. Parum tamen, quod à longè stans, sentio per rimas cellariorũ, in quibus sponsa iam introducta potitur melioribus Sponsi bonis, libẽs propono; vt si placuerit cordi tuo, accipias illud desideranter. Si quis Christum sincerè & intimè amans, huius vitæ qualitercumque blandientis gaudia contempserit, illum non dubito posse experiri, quid cælestis dulcedinis vox ista cõtineat: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Quicunque autem in hac valle misera sufficere sibi gratulatur, quòd temporalis prosperitas & rerũ affluentia non ei deficiat; hinc profectò alienus & tanquã immundus repellitur ab interioribus diuitiis nec ei conuenit gustare dulcissimũ verbum, *Introduxit me rex in cellaria sua.* Habet enim iam hic promptuaria sua & horrea frumẽti, vini, & olei sui; quibus multiplicatis delectatur & requiescit, nõ in pace Christi, sed in corde terræ. Sanctis igitur & fidelibus electorum mentibus, solùm hæc amicabilis reuelatur intelligentia, cui intentam aurem accommodare te velim; vt merearis & tu particeps esse bonorum horum, spiritualiumq; gaudiorũ. Si quando igitur interius Deo persenseris te iunctum, & tibi hoc sæculũ penitus amarescere; Si etiam inter sacras lectiones, infundi tibi compunctionẽ atq; mentis illuminationẽ desursum venientem; Si etiam post deuotam & perseuerantẽ orationẽ, desideriũ æternę vitæ incalescere & augmentari perceperis, vnde hæc bona procedere autumas, nisi de cellariis supernis? Si insuper altius te attrahi ad inuisibilia bona perspexeris, ac omnem cogitatum tuum in Dominum

Introduci in cellaria Sponsi, mystícè quid.

Psalm. 143.

minum iactari; ita vt solius Dei memor sis, in quo vita, salus, & requies summa est; petieri sque, vt cum ipso felici vita viuas, & amodo non reuertaris ad miserias istas; quamdiu tale aliquid tibi sentire donatur, cur negare potes, quòd introduxit te rex in cellaria sua? Nec Deo difficile est ostendere tibi charitatem suam, vt videas eius arcana in altissimis cõdita, pro cuius amore libenter exteriora opera ministrare non recusas, quantumcumque sint humilia & despecta.

§. 7. *De aspiratione ad cælestia.*

HOc tamen tuum est, dignè Deo conuersari, & in externis negotiis mentem à supernis non auertere: sed ad illa gustanda secreta, de nouo semper aspirare. Quàm felix eris, si internæ Dei vocationi, sine mora gratulanter occurreris? Si hoc vel alio etiam modo dixeris: Domine, qui laborem & dolorem considerabas, quam libentissimè ad te venirem, optimè nosti. Ecce assum, fiat mihi secundùm verbum tuum, quod olim dixisti: *Et ego manifestabo ei meipsum.* Sed & hoc erat, & semper est desiderium meum. Vtinam inueniam gratiã in oculis tuis, & tibi placeat pauperculum seruitium meum. Nil quippe sic charum esse poterit seruulo tuo, sicut habere gratiam in conspectu tuo; & agnosci inter filios tuos, qui nec dignus sũ vocari seruus tuus. Domine, quicquid dico, quicquid aliud desidero, ecce totus in manibus tuis sum, fac mihi secundùm verbum tuum, secundùm beneplacitum tuum, secundùm ordinationem tuam, & secundùm omnem voluntatem tuam.

Psal. 9.

Ioan. 14.

§. 8. *De spirituali esu & potu, de cellariis Christi.*

ADhuc te cũ Domino sermocinante, si dixerit tibi: Qui mihi ministrat, me sequatur; sequere eum, quocunque ierit. Qui scis, an velit præire, & præparare viam, atque aperire signacula, vt introducaris in cellaria sua? Sequere eum, & quodcunq; tibi dixerit, facito. Si dixerit tibi, bibe; etiam bibe de calice eius. Est enim vinum hoc optimum, & cellaria nostra non habent simile. Charitas enim vinũ est. Dum ergo impleris illa, optimo vino inebriaris. Vbi inuenies eam, nisi in cellariis eius? Et quod est precium eius: Non comparabit eam quis nummis, sed spretis illis & omnibus, quæ sunt mundi. Bibe charissime, & inebriare dulcedine charitatis: Ecce hydria coram te est, & fons vitæ. Deus enim charitas est. Si dixerit comede, quodcũq; inueneris comede: Totum bonũ est, quicquid ibi reconditum vides. Mel inuenisti, comede quod satis est. Si obtulerit etiam partẽ piscis assi & fauũ mellis, sume reliquias eius. Cumque liquatæ fuerint in ore tuo, facient te sentire mirabilẽ dulce dinem. Aperiat ipse

1. Ioan. 4.

Prou. 25.

Luca 24.

Christus piscis assus & fauus mellis.

sensum, in pisce asso & mellis fauo. Nã ipse est piscis, in passione assatus; & fauus mellis, in resurrectione apparens lętus discipulis suis, & loquens de regno Dei. Si passionem deuotè recolis, de pisce asso comedis: & si de resurrectionis eius gloria & potentia diuinitatis incundaris, mel in cera inueniſti. Si etiam panẽ porrexerit, & aqua sapientiæ salutaris te potauerit, surge in

1. Reg. 15. morem Heliæ, & comede, & bibe; quia tibi grandis restat via, donec venias in montẽ Dei Oreb. Nam tempus est comedendi, & tẽpus laborandi. Descendente te ad nos nihil coctum inuenies, neque quid assum igni. Manduca ergo ibi, & bibe coram Domino, erit enim necessarium tibi. Adhuc enim quinq; anni restabunt tibi, & erit fames in terra, Quamdiu enim sumus in corpore, quod quinque sensibus distinctum est, peregrinamur à Domino; & ideo esurimus & sitimus vsq; in horã hanc, donec veniat regnum Dei. Nec potes dicere. Sufficit mihi: nisi cùm apparuerit gloria Domini, & allata fuerit arca cordis tui in templũ cælestis Hierusalem. Bene & prosperè te agente cum Domino, quidni difficulter redeas ad solita, ad tumultuosa, ad laboriosa

Luce 9. onera? Si dixeris cum Petro; Bonum est mihi hic esse, non admiror; quia & ego idipsum vociferarer, si tã vicinus essem. Sed nondum venit hora tua, forsitan audies; Nec ideo adduxi te, vt perpetuò maneas: sed scias, quomodo oporteat te in domo mea conuersari. Propterea stabiliui te vino dilectionis, & cibaria dedi tibi in abundantia, & nolui te fraudari à desiderio tuo: en vident oculi tui, quę promiserim seruientibus mihi. Reuertere iam in pace, & visita fratres tuos; ne fortè expectent, & quęrant te dicentes: Vbi est cellarius noster? Venies autẽ iterum ad me, cùm vacuum tibi fuerit. Caue, ne contristes mendicum, in nomine meo venientem. Et quomodo videbis faciem meam, fra-

1. Cor. 11. tre tuo contristato & infirmante? Quis enim infirmatur, & ego

Matt. 25 non infirmor? Auditurus es in nouissimo die: *Esuriui, & dedisti mihi manducare? Sitiui, & dedisti mihi potum: Infirmus fui, & visitasti me.* Affer mihi adhuc vas aliud, & dabo tibi oleum misericordię, & effundes illud super septem opera pietatis. Vade ergo, & fac omnia sicut nosti me velle, & ero tecum. Esto fidelis

Apoc. 2. vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

§. 9. *De hilaritate vultus & promptitudine ad externa opera charitatis, post gustum diuinæ suauitatis.*

Exod. 34. Quàm iucundus & placidus redeat ad Martham,

IAm vltrà quid ego loquar, nisi congaudendo tibi, si reuersus fueris cum gratia cælesti ad infirma corporis nostri? Splendida facta erat facies Moysi, ex locutione Domini in monte Sinai. Et vnde hoc, nisi quia introduxit eum Dominus in cellaria sua?

Quàm

Quàm splendida & hilaris apparebit etiã nobis facies tua, sermo placidus & suauis, gressus pulchri & pacifici, & omnis denique actio & prouida & ordinata; dum veneris visitare egentes & sitientes egressus à conspectu Domini, quia sine benedictione venire non potes. Et tuum est vtique Domino dicere, antequam vadas, & descendas de monte in Ægyptũ, præsentes scilicet tenebras: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Nobis equidem proficit hęc benedictio, sed tibi principaliùs. Quanto tu paratior ad necessaria nostra, tanto nos cogis arctiùs ad diuina mysteria. Quanto quoque deuotior & affabilior visus fueris à nobis, tanto fit acceptabilius, quicquid humanitatis impenderis. At verò cùm talem te inuenerimus, quid nisi obstupescentes congratulabimus, dicentes: Vnde ista copiosa mentis & corporis lętitia? Fuit-ne hodie Dominus apud te, & nesciebamus vsque modò? Beatus es tu, & beati omnes, qui seruiunt ei, & qui non discedunt ab eo; donec reddant illi animas suas, quas tam frequenter ponunt pro fratribus suis. Quid respondebis ad hæc collata beneficia, nisi humilia & deuota oris & cordis cantica? Quid me intuemini, aut quid in me admiramini? Dei dona sunt, quicquid vidistis in me vase fictili, in testa arida, & in tenui calamo. Et vt gloria Domini mei Iesu Christi manifestetur, noueritis, quia non meis meritis ad vos me misit Dominus, sed vestris bonis operibus participem me fieri. Ecce dico vobis: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Exhinc est omne, quod cernitis. Propter quod rogo & vos dilectissimi mei, vnà mecum gratias agite super inenarrabili dono eius. Deprecemur quoque seduli eius dilectionem, vt quando hîc pariter subsistimus, spiritualis gratiæ consolatione nos refouere digneturr: ac tandem in sua æterna cellaria perducat, vbi omnium electorum corda referta sunt pace dulcissima, & lętitia persultant opulentissima. Colligite ex his præmissis, quàm pium sit seruire fratribus: quàm placitum Deo & angelis quodammodo æquale, qui missi leguntur in ministerium propter eos, qui hæreditatem capient æternæ salutis: quàm multiplex etiam virtus, quę clarior & verior per actus probatur, quam cogitatione imaginaria possidetur. O quàm magnam dat fideli seruo fiduciam nunc in tempore isto, & dabit maiorem in extremo examine sermo Domini, quem locutus est dicens? Euge serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. Pius Dominus, qui remunerare semper solet famulantes sibi, non idcirco denegabit tibi abscondita dulcedinis suę, quia te promptum externis & seruilibus operibus mancipasti.

qui suauiter versatus est cũ Maria.

Gen. 32.

Vox diui Clemẽtis.

§. 10.

§. 10. *Quis sit aptus diuinis colloquiis.*

IVuat tamen valde pro adipiscenda crebra ipsius amicitia familiariter colloqui per interna mentis verba. Et qui hæc sibi concedi desiderat, oportet vt ineptas locutiones & occupationes caueat, ne humanus visus ipsum nimis delectet: quia amor Christi, distractis & extraneis mentibus nescit copulari. Felix nimis charissime, cui donatum est huiusmodi experiri solatia. Sed nunc ora pro me, vt sua intima consolatione dignetur Dominus mentem meam largiùs illustrare, atque à cunctis mundi negotiis intactam custodire.

HOSPITALE PAVPERVM

CAPITA HVIVS LIBELLI.

DE *contemptu omnium mundanorum bonorum.* Cap. I.
De quinque panibus in deserto huius vitæ. II.
De duplici pugna carnis ac spiritus. III.
De instabilitate humani cordis. IV.
De obedientia simplicis ac humilis fratris. V.
De triplici signaculo sanctæ crucis. VI.
De pia compassione cum infirmis. VII.
De perseuerantia in bonis inceptis. VIII.
De variis antiqui hostis insidijs. IX.
De scuto bonæ voluntatis contra hostes. X.
De laude Dei in omni opere bono. XI.
De vitio vanæ gloriæ & propriæ complacentiæ. XII.
De variis bellis impiorum, & patientia piorum. XIII.
De malitia prauorum contra innocentes. XIV.
De inuidia diaboli contra salutem hominum. XV.
De armatura Christi & sanctorum contra vitia. XVI.
De vtilitate frequentis orationis. XVII.
De priuatis orationibus, quasi iaculis acutis in hostes. XVIII.
De versiculis ante initium operis legendis. XIX.
De septem virtutum gemmis bonæ congregationis. XX.

CAPVT I.

De comtemptu omnium bonorum mundanorum.

Psalm. 22. 1. DOminus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Quid habet homo amplius de omnibus bonis suis & diui-

diuitijs terrenis, nisi victum & vestitum. Vnde ergo superbit? Et cum obierit, omnia hîc dimittet, & nihil secum sumet; nisi modicum operculum ad tegendum corpusculũ suum sepeliendum, postea à vermibus corrodendũ. Qui de omnibus prętertis reddet rationẽ Deo, quibus vsus est, siue paucis siue multis reddet ratione Deo, quibus vsus est, siue paucis siue multis; tanquam de expensis pro viatico sibi concessis, quę cum vsura strictè requirentur. Quantumcumque aliquis magnus fuerit, diuitiis vel honoribus sublimatus, non est ex hoc sanctior, nec perpetuus bonorum suorum dominus: sed tantum seruus conductus ad tempus, sub potestate superioris Domini sui cęlestis regis, & æterni imperatoris ac iudicis; qui omnia tribuit ad lucrum bene agendi, non ad spatium & causam peccandi. Reddet autem pius Dominus mercedem congruam, immo vltra condignum bonis seruis suis; pro paruo labore æternam requiem, pro breui tristitia æterna gaudia, pro omni contumelia & iniuria pro se passa ęternam gloriam & coronam.

2. Dat etiam nunc vnicuique dona sua, quantum sibi placuerit, secundùm occulta iudicia sua iusta & recta, in omni loco & tempore sine errore. Nam bonis omnia ad bonũ ordinat, & malis ad pœnam conuertit: ita vt nemo de iudiciis Dei iustè conqueri possit, nisi de seipso indigno & ingrato; meliora de proximo, optima semper sentiens de Deo. Quidam honorabilis vitæ sacerdos in partibus Hollandiæ, post mortem illustris domini sui, prædicauit sermonem in populo dicens, Dominus noster Comes Hollandiæ mortuus est, charissimi oretis pro eo. Fuit hîc paruo & breuissimo tempore, habens aliquos vsusfructus & reditus annales, quos iam amisit & secũ sumere non potuit. Si modò haberet aliqua hæreditaria manentia bona, maximè ipsi conuenirent.

Defunctũ Dominum suum quomodo quidam commendauit populo.

3. Cùm quidam nobilis princeps mori deberet, ait corã multis sibi astantibus ministris: O qui semper pauper custos ouium fuisset, quanto securiùs mori posset quàm ego! Alius quidam magnus dominus cùm ęgrotaret, venerunt multi postulantes aliquid, pro memoriali & seruitiis impensis: O Domine domine, quid ego habebo, & quid dabis mihi modò? Tunc ille ait: Ecce omnes isti, quæ sua sunt quærunt, & nemo de anima mea cogitat; & ego ignoro, vbi hac nocte hospitabor & manebo. Et sic mortuus est, & serò pœnitens, cognouit omnia mundana esse vana & deceptoria, quæ quasi in momento & tanquam fumus euanescunt. Felix ergo pauper rebus & virtutibus diues, qui cum Propheta in fine vitæ suę dicere potest confidenter: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit,* propter nomen sanctum suum.

Vox nobilis cuiusdam, dum iam animã ageret. Itẽ alius.

CAPVT

CAPVT II.

De quinque panibus in deserto huius vitæ.

Matt. 4. 1. NOn *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Deus Dominus ac Saluator noster, locutus est olim antiquis sanctis per legem & prophetas, & nunc adhuc nobis quotidie loquitur in scripturis sanctis, per sanctos doctores veteris ac noui Testamenti expositores, quid credere, & qualiter viuere, & Deo seruire debeamus. Libenter ergo lege & scribe verba sanctorum ex ore Dei pro salute multorum. Dixit deuotus sacerdos dominus Florentius Dauentriensis vni de fratribus suis: Indifferens mihi est, nec multum refert, vtrum in antiquo an nouo Testamento lego, vtrumque enim Deus fecit.

Florentij dictum de lectione sacræ scripturæ.

2. Cùm venerabilis magister Gerardus Magnus horas legeret cum discipulo suo, postea ab eo quæsiuit: Intelligis bene Ioannes, quæ legis? Qui respondit: Nõ omnia. Dixit ergo ipsi secretè. In singulis versibus & verbis psalmi, varius & mysticus sensus mihi occurrit. Gratias Deo & sanctis Doctoribus, qui me fideliter variis sensibus instruxerunt. Igitur de misericordia & gratia Dei, accipe quinque panes in deserto huius vitæ, ad virtuosè viuendum vtiles & efficaces. Primus panis est dolor cordis, de omnibus malis præteritis in seculo gestis. Secundus est confessio oris, de quotidianis defectibus in ordine commissis, & de magna negligentia multi boni operis. Tertius est panis diuinæ consolationis in oratione, de spe veniæ, & de remissione peccatorũ. Quartus est panis gratificationis, pro beneficiis à Deo acceptis, tam in prosperis quàm in aduersis. Pro quibus omnibus Deus sit iugiter benedictus, cuius misericordiæ non est numerus, qui vsque modò non desinit benefacere nobis. Quintus est panis internæ iubilationis & contemplationis, de spe æternæ beatitudinis, & magnitudine futuræ gloriæ cum Deo & omnibus sanctis eius. Lauda ergo Deum pro quinque panibus istis, & multis aliis beneficiis eius in his tribus signatis, scilicet bonis naturæ, gratiæ, & perennis gloriæ.

Gerardi vox de sensibus sacræ scripturæ.

CAPVT III.

De duplici pugna, carnis & spiritus.

Psalm. 118. 1. NArrauerunt *mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Custodi ergo omnes sensus tuos, ne seducaris à vanis & illecebrosis dęmonũ figmentis. Nam quamdiu homo viuit, pugnare eum oportet, ne vincatur: sed non semper ęquè fortiter tentatur. Igitur in hoc bello positus, clama precibus & sedulis cordis gemi-

gemitibus ad Dominum in cælis. Caro trahit deorsum, spiritus trahit sursum. Caro quærit mollia & blanda, spiritus contra suadet dura & aspera. Si sequeris carnem, decipieris: si sequeris spiritum, coronaberis. Aliorsum nos trahit caro atque spiritus.

2. Attende diligenter, & caue ab omni parte; quia non es tutus ab hostium iaculis, vbicumque fueris, vel intus vel foris. Sint vulnera Christi cordi tuo firmiter infixa: Iesus & Maria custodes in omni via. Istos pro armis indue, & pro gladio & baculo in manu retine. Cum indoctis, inexpertis, & indiscretis; cum importunis & audacibus, noli multum loqui; ne leuiter offendaris. Cum humilibus & simplicibus Deum diligentibus, libenter loquere & consiste. Iuuat bona societas colloquens de Deo, nocet mala societas fabulans de mundo. Caue obloquentes, sequere simplices & tacentes.

CAPVT IV.

De instabilitate humani cordis.

1. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Quare? Propter laborem & dolorē & multa aduersa, quæ mihi occurrunt, & à Deo me separant. Quid igitur faciam, & quò me vertam, vt melius habeam? Sustine patienter, & expecta Dominum confidenter; quia iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Nam propter superbiam & mentis elationē deflectendam, iustè patimur, affligimur, deprimimur & despicimur. Reduc ergò ad mentem vitia & peccata tua, cum foris despiceris, & tacebit querela & indignatio tua de obiectis. Nemo purus à peccato, nemo liber à sorde, nemo innocens à culpa & pœna, omnes enim peccauimus. Solus Deus purus, sanctus, & immortalis, æternus, immensus, inuiolabilis, & super omnia laudabilis in secula. Sit ergo tota spes & lætitia tua in Deo, & bona voluntas etiam parata pati pœnam propter Deum. Omne gaudium mundi citò transit, & omnis laus eius plena iræ & dolo. Omnis etiam delectatio carnis, pœnam habet sibi annexam, & meretur confusionem & defectum. Qui multa habet, multam curam ex eis patietur. Qui modicis scit contentari, pacatior erit. *Iob. 10.* *Psalm. 33.* Aduersa mundi huius, leuiter toleranda. *Prou. 20.* *Iob. 15.* *Rom. 3.*

2. Infelix est & miser, qui Deo non seruit. Perdit totū quod habet, qui Deum non amat. Vanus est & instabilis, qui in creaturis spem ponit, & Deum negligit. Beatus, cui Deus est omnia in omnibus & cum Paulo Apostolo lætus dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi? per quem mundus mihi crucifixus est & ego mundo.* Legitur in Prouerb. de pigro & instabili corde in Dei seruitio: *Vult piger & non vult.* Hoc est: Vult bene comedere & bibere, & non vult laborare & ieiunare. Vult *Gal. 6.* *Prou. 13.*

diu

diu dormire,& non vult citò surgere. Vult fabulari,& non vult vigilare & orare. Vult alios durè corripere, & non vult modicum sustinere. Vult alios docere,& seipsum negligit emendare. Huic debetur virga & baculus,nisi se emendauerit in prædictis defectibus. Qui autem permanserit stabilis in virtutibus, erit hic in æternum benedictus Amen.

CAPVT V.

De obedientia simplicis & humilis fratris.

Prou.21. Obediētiæ laus ac meritum.

1. VIR *obediens loquetur victoriam*, ait Sapiens: Quomodo? Quia qui simpliciter obedit, vincit seipsum, propriam voluntatē relinquendo,& alterius voluntatem humiliter sequendo. Inde magna pax & concordia oritur, bona conscientia acquiritur,& cordis lætitia augetur. Ille confidentiam ad Deum obtinet, & mori non timet; quia Deus est spes eius, cui vsque ad mortem perfectè obedire paratus fuit. Nam opera bona in obedientia simpliciter facta, Deo sunt gratissima, & maximè meritoria. Qui superiori vel æquali aut minori se subdit & obedit, diabolum vincit & prosternit: qui instigare solet, ne quis alteri humiliter cedat, sed duriter resistat. Ex quibus iræ, rixæ, & alia multa mala, inter fratres & pacatos sæpe nascuntur. Hæc humilis Iesus Christus non docet; sed potiùs ad simplicem obedientiam omnes reuocat, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Homo obediens homini propter Deum, maximū honorem Deo facit,& ei placet. Sine obedientia, aut parua aut nulla sunt opera nostra æstimanda aut ponderanda. Cum humili & prompta obedientia etiam complacens Deo valde parua & vilia seruitia, ex charitate pro vtilitate communi facta.

Diabolus præcipuè obedientibus grauis.

Matt.11.

2. Verus obediens nō est tardus, nec negligens, nec querulosus; sed pro posse paratus ad omnia Deo placita. Siue ergo obediēs orat, siue laborat, siue vigilat, siue dormit, siue loquitur aut tacet, siue stat aut ambulat, siue scribit aut legit, siue intrat aut exit, siue comedit aut ieiunat, omnia ex virtute obedientiæ in bonū & ad meritū ipsi cōuertuntur. Igitur semper in gaudio est & pace, qui seipsum vincit, abnegat, spoliat, & vilificat; & ad obediendū propter Deū, Deo & eius vicario, corde & animo, omni hora sponte se resignat. Aperite huic cælum sancti Angeli; fugite dæmones superbi; occurrite Patriarchæ & Prophetæ; succurrite Apostoli & Euangelistæ; intercedite martyres & cōfessores; supplicate Sacerdotes & diaconi, implorate virgines, viduæ, & continentes; subuenite omnes Christi fideles fratres & sorores: suscipite animam pauperis humilis, simplicis & obe-

obedientis fratris vobiscũ de ergastulo corporis, & in sinũ Abrahæ cũ paupere quondam Lazaro collocare; vt requiescat in pace Christi dulciter, & sine timore sõfidenter; donec in nouissimo die resurgat cum omnibus Sanctis, in æterna gloria feliciter. Amen.

CAPVT VI.

De triplici signaculo sanctæ crucis.

1. POne me, vt *signaculum*, diuini amoris *super cor tuum*, ad amandum me super omnia: & scribe sanctæ crucis signum in pectore tuo, & omnia sacra passionis meæ vulnera cõtra maligni spiritus iacula. Crux etenim mea salutis via, triumphale signum, & inexpugnabile scutum, fugat corporis & animæ pericula. Igitur in tribus locis præcipuè, statue sanctæ crucis signum; super cor, super os, & super brachium tuum, cõtra omne vitium. Signa cor tuum, ne cogites mala, sed semper bona de Deo & beneficijs eius; vt habeas cor custoditum, ab omni malitia tutum, cum Deo & omnibus Sanctis vnitum. Signa os tuum, vt non loquaris mala, nec leuia, nec proterua; sed bona, sancta, & vtilia; & eris Deo charus & acceptus, & ab omnibus iustè laudatus. Signa brachium tuum, manus tuas, & digitos tuos; ne facias aliqua illicita, sed pietatis opera, proximo profutura; & de omnibus istis Deum benedic & lauda. *Cant. 8.*

2. Cogita ergo semper & vbique bona; loquere semper bona, age semper bona, & erit passioni Christi conformis vita tua, triplici signaculo sanctæ crucis præmunita. Per crucem Christi superabis omnia tentamenta, læta, tristia, dulcia, & amara; quę subitò irruunt ad cordis tui secreta. Vix enim est aliquid tam bonũ, quod proponis facere; quin diabolus nitatur impedire, & ad malũ semper trahere & maculare. Noli ea attendere, noli reputare, sed omnia tanquam stercora respue. Iesum inuoca cruce te consigna: ad Mariam iuxta crucem fuge, geme, plange, cõdole: à cruce noli recedere, sed cum Iesu & Maria, opta viuere & mori in hac vita, vt intres cum eis in tabernacula æterna. Amen.

CAPVT VII.

De pia compassione cum infirmis.

1. SVpportate inuicem in charitate, *quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Nemo de se præsumat, nec infirmos despiciat; quia nullus scit, quid adhuc de se fiet, & an perseuerabit. Omnes fragiles sumus, omnes adiuuari indigemus, omnes bonum cupimus, & malum abhorremus. *Estote ergo misericordes,* (ait Dominus) *Ephes. 4. 1. Pet. 4.*

Luca 6. minus) *sicut & Pater vester cælestis misericors est.* Noli nimis esse iustus, ne obstupescas & indurescas, & perdas aut lædas ægrum, quē sanare & consolari debueras. *Superexaltet* ergo *misericordia iudicium,* iuxta beati Iacobi Apostoli sententiam. Quam benignus sacerdos Dominus Florentius secutus dixit: Semper plus lucratus sum pietate quam rigore & terrore. Verum est, sic Christus docet.

Iacob. 2.

Florentij vox de pietate.

2. Qualem te facis erga fratrem proximum, talem inuenies alium postea (recto iudicio) ad teipsum. Quæcumque enim bona agis in fratrem debilem, tristem ac læsum, Christo facis tanquam Angelus reuerenter Domino Deo ministrando. Igitur cautus sis & solicitus, vt tempus tuum vtiliter expendas, & omnia bona ad laudem Dei referas, & nihil tibi vanè attribuas. Nam Dei dona sunt omnia; quæ habes; scilicet esse, viuere, intelligere, cogitare, loqui, & operari. Quando laudem & gloriam Dei in his queris, sursum ad Deum cum Angelis in cælum pergis: sed quando inanem gloriam quæris, & gaudes, & tibiipsi places, & super alios te eleuas; tunc deorsum cadis, & cælum perdis, gratiam amittis, & pœnam incurris ob superbiam & mentis elationem, quā diabolo instigante concipis, & à te non abijcis & despicis. Fœtet enim & immundus est ante Deum & coram Angelis eius, omnis qui exaltat cor suum, & in seipso gloriatur. Qui autem verè humilis est & sibi vilis, omnibus benignus, pauperi misericors, infirmo cōpassiuus, tribulato consolatiuus, erranti instructiuus, cadenti erectiuus, dubitanti confirmatiuus, hic accipiet benedictionē & misericordiam à Deo in hoc exilio, & vitā æternam in cælo. Amen.

CAPVT VIII.

De perseuerantia in bonis inceptis.

Marc. 14. 1. *SVstinete hic, & vigilate mecum.* Hæc locutus est Iesus discipulis suis cum iret ad locum passionis suæ, passurus mortem pro nobis. Hæc cogitare & ad se trahere debet, quicumque monasterium vel deuotam congregationem intrat; quasi Christus sibi ore dicat. Sustine hic, & vigila mecum, ora & præpara te ad tentationes futuras. Exemplum enim vigilandi & orandi ostendi tibi & alijs, vt ita facias, & in bonis inceptis perseueres. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Multæ tentationes bonorum, multæ & consolationes eorum. Non sunt tamen condignæ omnes passiones iustorum, ad futura præmia æternorū gaudiorum. Cùm venerit tentatio, mox assit oratio. Non desperes, nec recedas à loco; constans esto, & commenda te Deo.

Matt. 14.

Rom. 6.

2. Fe-

2. Felix, quem faciunt aliena & propria pericula cautum, humilem & mansuetum, misericorditer compatientem, obsequiosum, affabilem, & neminem spernentem. Beata congregatio, vbi Iesus est in medio eorum, vita, virtus, pax, & concordia morum. Non autem mireris, nec scandalizeris, nec turberis, nec formides, nec desperes, si interdum contingunt aliqua defectuosa, in congregatione bonorum fratrum aut sororum & in religiosis locis & personis; aut si aliqui recedũt à bonis inceptis; aut quidã murmurant in abstinentijs; aut tepescunt in virtutibus & deuotis exercitijs, à Deo & sanctis institutis. Nam fragiles sumus & instabiles, ad malum proni, & ad surgendũ pigri. Et nisi Deus gratia sua nos semper adiuuet, stare & perseuerare nõ valeamus; nec hostibus nec vitijs resistere. Deo autem iuuante, omnia possumus & incipere, & proficere, & consummare.

3. Igitur ad cautelam attẽde, quia in Angelis suis Deus reperit prauitatẽ; & primus homo cecidit in paradiso victus à pomo. Et multitudo filiorũ Israel perijt in deserto, murmurando, inobediẽdo, carnes cõcupiscendo. Etiam Christo præsente & prædicante, contigerũt aliqua defectuosa & imperfecta inter Apostolos & sequaces eius, quis eorum inter eos esset primus & maior in regno cælorum. Quos ipsa pia redargutione compescuit; & exẽplo suo ac verbo, docuit non alta quærere, sed humiliter inuicem seruire, & inuicem ex charitate purè diligere. Quod nobis facere & implere, concedat Iesus Christus Dominus noster. Amen.

Iob 4.
Num. 14.
Num. 25.
Num. 26.

CAPVT IX.

De varijs antiqui hostis insidijs.

1. RESISTITE *diabolo, & fugiet à vobis.* Quomodo? Per fidẽ & crucem Iesu Christi. Quibus armis? In vigilijs & ieiunijs; in laboribus diurnis & orationibus nocturnis; in sacris lectionibus & deuotis meditationibus; in paupertate & castitate; in humilitate & simplicitate; in silentio à vaniloquijs; in solitudine à seculi tumultibus; in compassione cum afflictis; in supplicatione pro aduersarijs; in perfecta obedientia, & multa patientia; in forti certamine contra vitia; in perseuerantia omnium virtutum; in abnegatione proprietatis, & contemptu altitudinis, laudis, & honoris. Qui enim in his & alijs pijs actibus & exercitijs, sedulus & firmus permanserit, verè Deo placet & diabolo resistit. Nam varijs modis & dolis, religiosos magis quã alios tentat, odit, terret, & inquietat; ita vt nemo liber ab eius laqueis existat, in quocunque loco & statu, aut in qualicũq; ordine & clausura fuerit. Quid igitur restat facere? ad Dominũ confugere, ad Iesum clamare, ge-

Iacobi 4.

mere,& plorare; vt ipse te semper adiuuet,cõfortet,& custodiat; & post multa pericula,ad se (vbi vera & æterna pax est)benigne cum gratia perducat.

2. O quã bene & prudenter facit,qui omnia terrena relinquit, & omnes vias peccãdi vitat, & in secreto à negotijs seculi se abscondit. O quã vtiliter & fructuosè studet, qui in vita & passione Christi quotidie se exercitat; & omnia curiosa & alta quę à Deo & internis retrahunt,dimittit, vt de vltimo fine & iudicio sæpissimè penset. Fidelis & prudens seruus,qui humilia exẽpla Christi & sanctorum eius deuotè sequitur,& latas vias magnorum cauet & fugit. Nã diuitibus & magnatibus maximè insidiatur diabolus, & per honores & delicias decipit & perdit. A quibus pauperes & simplices sunt sępe magis liberi,sed nõ penitus securi. Nã videntes multos doctos in hoc mundo florere, & socios suos ad altiora cõscendere;tentãtur similia habere & licitè possidere. Sed Christus contradicit,& melius suadet,dicens:*Vendite,quæ possidetis,(&* à vobis non habetis,nec fecistis,nec creastis-) *& date pauperibus. Nolite thesaurizare vobis super terram, vbi omnia pereunt. Thesaurizate vobis thesauros in cœlis*,vbi omnia bona in æternũ manẽt. Fuge ergo mundũ,& sequere Christũ; vt euadas infernum, & intres cum eo cœlum.

Diuitibus & honoratis maximè instat diabolus.

Luca 17. & 18. *Matt.* 6.

CAPVT X.

De scuto bonæ voluntatis contra hostes.

Psal. 90. *Ioan.* 14.

1. *Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno;* in longis matutinis; nec in die à demonio meridiano,in laboribus multis & ieiunijs strictis. Iesus Christus, via, veritas, & vita salus,virtus,sapientia,aderit tibi à dextris tuis & sinistris in omnibus,quę legis, cantas & agis; vt perseueres lætus, in Dei semper laudibus. Ipse adiutor tuus, custos, & protector fortis ab omnibus hostibus malignis. *Si Deus pro nobis*, ait Paulus, *quis contra nos?* Vis non timere hostem? Ama Christum. Quanto enim plus in te crescit amor Dei, tanto plus vilescit amor mundi, & perit timor mali. Amor Dei mortem non timet, nec diabolum, nec infernum. Tene ergo fortiter scutum bonæ voluntatis in amore Dei, & peribit omnis timor & fraus inimici.

Rom. 8.

Psal. 5.

2. Bona volũtas odit omne malũ,cauet pro posse omne peccatum; respuit fictũ;negat falsum,fugit mendaciũ,detestatur omne vanum & inhonestum. Bona voluntas bene placet Deo, diligit omne bonum,omne verum, iustum & sanctum, quærit pręterea vbique honorem Dei in omni opere & sermone bono, in omni loco & tempore, quamdiu vixerit in mundo. Bona voluntas con-

congaudet proximo in bono, contristatur de malo; subuenit in necessarijs, orat pro delictis; indulget offensis, miseretur infirmis, consulit meliora errantibus. Bona & perfecta voluntas habet Deum semper præ oculis, & cupit soli Deo placere in bonis operibus & cogitationibus suis; aliorum profectum corde & ore amat, & suum reputat; propriam voluntatem citò abijcit, laudem spernit, reputari subterfugit: omnia enim vana reputat, quę à Deo retrahunt, & in infimis delectatur.

3. O frater paupercule, infime, & despecte, noli deficere in tribulatione & dolore; quia probaris cum Christo in cruce, & cum martyribus in clausura & carcere. Sustine ergo modicum patienter & libenter, qui non potes multa ferre gaudenter, sicut multi sancti fecerunt. Fer saltem pauca leuia verba, qui non vales pati dura verba. Sustine tu pro Christo aliqua tibi grauia, quando tam multi seculares sustinent pro mundo grauiora sine numero. Noli perdere meritum tuum per impatientiam, qui omni die & hora potes promereri per piam sufferentiam, regnum Dei & æternam gloriam. In tribulatione & dolore, statue ante te passionem Iesu Christi; & feres leuius omne graue, quod te premit.

4. Nemo est in mundo, cui non occurrit aliquid contrarium, in corpore vel in animo. Nullus sine labore & dolore sub cælo; vnusquisque sibiipsi onus est & passio, siue solus sit, siue cum alio, in otio vel negotio. Necessaria ergo gratia Dei, & magna patientia intus & extra, tanquam scutum bonæ voluntatis, contra inimici iacula, & carnis vitia, & mũdi blandimẽta. Indue armaturã Christi serue Dei, & certa, vt bonus & fidelis miles, crucifixo firmiter adhęrendo. Tota vita Christi crux fuit, sic & tua erit. Ipse enim dicit: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me* in regnum meum. Luce 9.

CAPVT XI.

De laude Dei in omni opere bono.

1. *Auda anima mea Dominum.* Omnia bona fac ad laudem Dei, & quandocumque aliqua bona cogitas, loqueris, & operaris, dic in fine: Deo laus, Deo gratia. Quia sine Deo & gratia eius, nil boni potes perficere, nec incipere: nec bene, rectè, & virtuosè consummare. Deus omnis boni initium & finis, dat & reperit, quod dedit. Recedat ergo superbia, iactantia, & vana gloria; veniat & intret humilis oratio, deuota meditatio, gratiarum actio, & vox laudis omni tempore. Psal. 145.

2. Quomodo potest aliquis venire ad puritatem & pacem cordis? Audi breuiter, & serua versum istum in psalmo: *Declina à malo,* Psal. 33.

Psal. 33. *lo, & fac bonum.* Custodi cor tuum à malis phantasijs, os tuum à verbis nociuis, manus tuas ab actibus illicitis. Ecce hic homo accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Cogita ergo semper bona, loquere semper bona, age semper bona; & erit in pace vita tua, cum conscientia bona. Pax omni bono, humili, mansueto, simplici, omnibus renuncianti, & vsque ad mortem obedienti. Væ omni malo, iniquo & doloso, peruerso, superbo, inobedienti, nemini plus quàm sibi nocenti.

CAPVT XII.

De vitio vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ.

Luca 12. 1. *Nolite in sublime tolli,* ait humilis Iesus. Non ergo vanè glorieris terra vilis & cinis in teipso, cùm bene tibi fuerit: nescis enim, quid futura pariet dies si stabis an corrues. Dicit beatus Paulus ad Romanos: *Noli altum sapere, sed time.* Noli superbire in bono, ne cadas in malo. Deus enim superbis resistit, tam Angelis quàm hominibus superbientibus, & de seipsis præsumentibus, & sibi complacentibus. Heu, superbia insidiatur omnibus, prælatis & subditis, secularibus & religiosis. Superbia morbus valde contagiosus, citò inficit cor hominis: tentat castos & deuotos, iustos & innocentes, doctos & potentes.

Rom. 14. Iacobi 4.

Prou. 20. 2. Quis ergo gloriabitur castum se habere cor inter homines, vt viuat ab omni malitia purus? Verè nullus. O Deus, tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Iesu Christe. Tu ante omnes, & inter omnes Angelos & sanctos, benedictus es in secula.

Psal. 40. Psal. 50. Oro itaque Domine Deus, sana animã meam, quia peccaui tibi. Cor mundũ crea in me, & omnes iniquitates meas dele; vt sim totus purus, totus tuus, tibi placitus & acceptus. Mihi autem vilis & abiectus in oculis meis; vt inueniam gratiam & misericordiã coram te & omnibus sanctis tuis, nunc & semper, pie Iesu Christe.

CAPVT XIII.

De varijs bellis impiorum, & patientia piorum.

Psal. 34. 1. *Expugna impugnantes me, quoniam multi bellãtes aduersum me.* Patientia ergo est tibi necessaria, & præcipuè gratia Dei confortans te, intus & extra, in omni loco & tempore. Multa sũt bella in mundo, multus labor & dolor sub cœlo, sed non in cœlo. Et quis enumeret omnia mala mundi, & occulta iudicia Dei? Quis nisi Deus solus, iudex, iustus, fortis & patiens, hominum malitiam vincens, lucens & pluens super bonos & malos? Non est, qui se abscõdat à calore & notitia eius, & possit præterire iudicium

Psal. 55.

dicium eius, & effugere manus eius. In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos. Dic ergo cum Dauid in psalmo: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et: *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* Non ponas spem tuam & pacem in homine, nec in aliqua creatura cœli & terræ; si non vis errare, falli, & turbari. Salus in solo Deo viuo, vero æterno, & summè bono, qui omnia creauit ex nihilo, & regit recto iudicio. *Prou. 15.* *Psal. 33.* *Psal. 33.*

CAPVT XIV.

De malitia prauorum contra innocentes.

1. BEne fac Domine bonis & rectis corde. Beati, qui ambulant in innocentia sua, coram te Domine: & sine dolo, in bona simplicitate quærunt te. Beati omnes, qui ante omnia & in omnibus verbis & factis suis, laudem tuam, gloriam tuam, honorem tuum, & amorem tuum, secundum omnem voluntatem tuam prætendunt; & nil proprietatis in omni opere suo habent, nec habere cupiunt. Sit Iesus in corde tuo, in omni loco & tempore, in labore & quiete; sine fictione, sine murmure, sicut decet humilem seruũ Dei, ad omnia bona paratum die ac nocte. Non sic impij, non sic; sed tanquã puluis, quẽ proijcit ventus à facie terræ: & in quibus non est timor Dei ante oculos eorum, nec amor Dei in cordibus eorum. Quid ergo in eis & inter eos regnat? Omnis iniustitia, lis & discordia, superbia, inuidia, fraus & nequitia. Hæc vita prauorum, qui non cessant malignari; & bonos ac simplices inquietare. Sed bonis ad meritum, ipsis malis ad supplicium: bonis ad virtutum profectum, impijs ad malorum cumulum. Da nobis Domine, cum bonis in virtutibus perseuerare. Amen. *Psal. 124.* *Psal. 1.*

CAPVT XV.

De inuidia diaboli, contra salutem hominum.

1. INuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum; & inde lis & discordia multa, inter homines est exorta. Heu, diabolus pessimus hostis generis humani, princeps tenebrarum, & rex super omnes filios superbiæ, non cessat adhuc tentare & inquietare fideles Deo seruientes. Fecit discordiam in cœlo, inter Angelos; item in paradiso, inter Deum & hominem; inter Adam & vxorem eius, trahens eos ad peccandum; inter Abel & Cain, ad litigandum & occidendum; inter Iacob & Esau, ad odiendum. *Sap. 2.* *Iob 41.* Diabolus vbique serit discordiam.

2. Circuit quotidie per mundum, ad peruertendum; inter secularem & religiosum, ad deridendum: inter laicum & clericum, ad

ad detrahendum: inter doctum & ignarum, inter ſtultum & ſapientem. Fremit inter ſuperbum & humilem, inter fortem & debilem, inter magnum & paruum, inter pulchrum & deformem, inter nobilem & degenerem, inter ſenem & iuuenem, inter prælatum & ſubditum, inter taciturnum & loquacem, inter deuotũ & diſſolutum, inter taciturnũ & loquacẽ, inter ſimplicẽ & aſtutum, inter veracẽ & mendacem. Inter hos & alios multos bonos & malos Satan diſcurrit, nitens ad malum trahere, & à bono impedire. A quo nos cuſtodire & protegere dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter: qui per crucẽ ſuam principem mundi vicit, & precioſo ſanguine ſuo de manu eius nos redemit. Qui cum Patre, &c.

CAPVT XVI.

De armatura Chriſti & Sanctorum contra vitia.

Epheſ. 6. Matt. 24.

1. *ACcipite & induite armaturã Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Qui enim perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit. Et ſi quis aliquando ceciderit, & in aliquo offenderit, non tamen deſperet, ſed citò pœniteat & reſurgat, cautiùs ſe cuſtodiat & emendet. O quàm bonum conſilium & ſalutare remedium, certans contra omne malum dictum vel factum, promittens certanti & pœnitenti magnum meritũ, & vincenti ac perſeueranti æternum gaudium, poſt hoc exilium poſſidendum. Vnde Ioannes Baptiſta prædicãs regnum Dei & contemptum mundi, ait; *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ*

Matt. 3. Luca 6.

cælorum. Et Dominus: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem, dabunt in ſinum veſtrum.*

1. Cor. 10.

2. Arma militiæ noſtræ, non carnalia ab extra, ſed ſpiritualia dona ab intra, charitatis opera, humilia ſeruitia, orationes, fletus, & ieiunia. Arma aurea, ſũt ſanctiſsima nomina Ieſus & Maria, & omnium Sanctorum nomina deuotè inuocata. Arma pauperis & humilis ſerui Dei ſunt, crux, claui, lancea, precioſa quinq; vulnera, & omnia paſsionis Chriſti ſtigmata in memoria ſcripta. Arma argentea, ſunt ſacræ ſcripturæ eloquia, doctorum volumina, clericorum iura, canonicorum decreta, monachorum ſtatuta, deuotorum preces, humilium mores, obedientium exempla. Arma ænea & candida, ſunt ſanctorum martyrum prælia, & grauia eorũ tormenta pro fide catholica, ad deſtruendum idola vana, & ad exaltandum nomen Ieſu Chriſti crucifixi, ſuper omnia regna & culmina mundi, & luminaria cæli.

3. Arma ferrea, ſunt cilicia & ieiunia, & pœnitentium dura opera carni oneroſa; longæ vigiliæ, preces multæ, lachrymæ amarę pro animæ ſalute; calores in æſtate, labores in meſſe, frigora in hyeme;

hyeme: dolores in capite, in dente, in crure, in pede, & in alijs membris corporis, ad domandum vitia carnis, & ad resistendum diaboli sagittis. Arma virginum, viduarum, & matronarum, sunt castitas, verecundia, taciturnitas, humilitas, modestia, honestas, sobrietas, abstinentia à delicijs & ornamentis noxijs: mansio in domibus, cautio à vijs publicis, & firma custodia cordis & oris in omnibus operibus, téporibus, & locis. His armis nos induè Iesu pijssime, & ab hostium defende periculis: vt ad te securè peruenire mereamur, intercedentibus Sanctis tuis pro nobis. Amen.

CAPVT XVII.

De vtilitate frequentis orationis.

1. *Apud me oratio Deo vitæ meæ*, in omni loco & tempore. Vbicunque ergo fueris, assit tecum sancta oratio pro socio & solatio, siue breuis siue longa, pro temporis congruentia. Deuoto seruo Dei omnis locus aptus ad orandum, omne tempus breue ad bona meditandum. Scriptum enim est, & quotidie in Missa legitur: *Pleni sunt cæli & terra gloria tua, osanna in excelsis.* Vis fructuosè & breuiter orare? Offer Deo cor tuum plenè, & ora: Obsecro, saluifica, benedic & sanctifica me Domine, qui habitas in cælis, fiat voluntas tua in me omni tempore. Et si rectè sapis, & bene intelligis, ac prouidè conspicis: tunc omnis bona actio, locutio, & cogitatio de Deo, de virtutibus & sanctis scripturis, est supplex oratio. Hęc ad cælum pulsat, veniam petit, gratiam & gloriam impetrat. Et quando hæc facis ad laudem Dei, congaudent sancti Angeli, turbantur dæmones, ædificantur proximi fratres & sorores, qui ad orandum excitantur oratione frequenti. *Psal. 41.* *Matt. 21.* *Psal. 117.*

2. Non ergo cesset os ab oratione, nec manus ab opere, nec cor à meditatione, nec pes tardet à diuino seruitio. Surgat tecum oratio nocte de lectulo: vigilet & cantet tecum hymnos & psalmos in psalterio: quiescat tecum in dormitorio; præcedat & sequatur te in choro; sedeat tecum in refectorio; doceat te in locutorio; soluat tecum gratias cibo sobriè sumpto; transeat tecũ in agrum; plantet tecum sepes in horto; redeat tecum in cubiculum; mundet tecum pedes à luto verborum; lauet tecum manus à sorde operum; comitetur te in omni loco priuato & aperto; habitet tecũ in silentio, sit tecum in principio laboris, in medio, & in fine eius. Ad laudem & gloriam sanctæ Trinitatis.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De priuatis orationibus, quasi iaculis acutis in hostes.

Psal. 32. Verbum Dei scutũ aduersus omnia tela inimici.

1. VErbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbum Dei scutum animæ fidelis ad protegendũ, & iaculum acutum contra inimicum. Multæ fraudes antiqui hostis, multæ vanæ immissiones eius contra deuotos, simplices, & humiles. Sed Christus, Dei virtus & sapientia, omnibus potentior est in cælo & in terra; qui vno solo verbo potest Satanam vincere, & conterere sub pedibus suorum. Igitur si repentinus timor irruit super te, ora & lege: *Esto nobis Domine turris fortitudinis, à facie inimici.* Si caro putrida stimulat, ora & lege: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Si praua suspicio influit, ora & lege: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Si mala tristitia te premit, ora & lege: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Si vana gloria inflat, ora & lege: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam.*

Psal. 60. Psal. 118. Psal. 50. Ibidem. Psal. 113.

Psal. 70. Psal. 118. Psal. 12. Psal. 79. Psal. 24.

2. Si desperatio molestat, ora & lege: *Spes mea Domine, à iuuẽtute mea; de ventre matris meæ, tu es protector meus.* Si tædium mẽtem occupat, ora & lege: *Adiuua me, & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.* Si somnus opprimit, ora & lege: *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, praualui aduersus eum.* Si acedia impugnat, ora & lege: *Excita Domine potentiam tuam, & veni. Confirma me Deus in verbis tuis, ne deficiam in via.* Si labor aggrauat, ora & lege: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.* Si iracũdia conturbat, ora & lege: Da patientiam Domine & pacem seruo tuo, ne perdam coronam animæ meæ in cælo. Tu enim dixisti: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Luc. 21.

Psal. 118. Rom. 14. Ioan. 6. Psal. 44. Psal. 72.

3. Si appetitus honoris & altior status te allicit & implicat, ora & lege: *Inclina cor meum Deus, in testimonia tua, & nõ in auaritiã. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem in via tua viuifica me.* Si cibus & potus immoderatus te tentat, ora & lege: *Regnũ Dei non est esca & potus, sed pax & gaudium in Spiritu sancto. Spiritus est, qui viuificat, caro nõ prodest quicquam.* Si curiositas audiendi noua aut videndi pulchra te mouet, ora & lege: *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Omnia enim infima, caduca: omnia mũdana, vana, quantũcumque sint decora. In solo Deo, omnia bona, plena, sine fine. Si Iesum sequeris, & omnibus renũciaueris, omnia in eo possidebis. Post multa sacra verba, hoc vnum retine: sæpe ora, sæpe lege: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino totam spem meam.*

CAPVT

CAPVT XIX.

De versiculis ante initium operis legendis.

1. IN *corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Nam citò corruet homo in malum, si nõ habuerit aliquid boni in corde suo, de Deo Iesu salutari suo. Vt ergo promptè habeas Deum in mente, omnia, quæ audis & vides, legis & pensas, trahe ad Deum. Memor esto nominis Domini Dei tui, die ac nocte, vt bene sit tibi cum eo, quia sine eo, semper malè tibi erit, vbicumque fueris, & quicquid habueris. Quando suscitaris in nocte, aperi oculos tuos, & lege versiculum istum, & dic ad teipsum: *Surge, surge, qui dormis, & illuminabit te Christus;* qui promisit coronam vigilantibus & orantibus. Cum pulsatur iterum, mox lege: *Ecce Sponsus Iesus venit, exite obuiam ei.* Qui tardè venit, confundetur, & benedictione carebit. *Psal.* 118. *Ephes.* 5. *Matt.* 25.

2. Cum vocatus fueris ad laborem, lege: *In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula,* & fac opera tibi iniuncta; quia melior est obedientia, quàm victima propria. Inter laborem sæpe ora, psalmos deuotè rumina, fabulas caue, Iesum inuoca, & genua flecte. Ad sonum campanæ, lege: Aue Maria, & ei te commenda. Ad pulsum chori, lege: Hoc signum magni regis est, eamus, & offeramus ei munera, aurum, thus, & myrrham. Quando chorum intras, lege: *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Quando cum alijs stas in choro; lege: *In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctũ tuum, & confitebor nomini tuo.* Quando exis è choro, lege: *Deduc me Domine in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Quando intras sacristiam, lege: *Verè locus iste sanctus,* in quo sacerdotes & ministri se præparant ad diuina celebranda. Quando gradum dormitorij ascendis, lege: *Act.* 3. *1. Reg.* 15. *Eccli.* 4. *Matt.* 2. *Psal.* 5. *Psal.* 37. *Psal.* 118. *Gen.* 28.

3. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum, alleluia.* Quando descendis, lege: *Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet manere.* Quando intras cellam, lege: *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Quando exis foras, lege: *Dirige Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam. Domine sequor te, quocumque ieris, quia verba vitæ æternæ habes.* Cùm redieris, lege: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula,* cum Iesu & Maria, & tota cæli curia; quia melius est hic, quàm in platea. Cum pulsatur ad prandium, lege: *Beatus, qui manducabit panem, in regno Dei. Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui est in cælis.* *Ioan.* 20. *Luc.* 19. *Psal.* 117. *Psal.* 113. *Psal.* 5. *Matt.* 8. *Ioan.* 6. *Matt.* 17. *Luc.* 14. *Ioan.* 4.

4. Ante

Pſal. 79. 4. Ante guſtum cibi, lege: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis, in menſura.* Si malè ſapit cibus, lege: Pſal. 68. Ioan. 19. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Cùm ergo Ieſus accepiſſet acetum dixit Patri: Conſummatum eſt, & mox inclinato capite emiſit ſpiritum.* Felix, qui cum Ieſu in cruce moritur, vt cum eo reſurgere mereatur. Si cibus bene ſapit & potus, pro cõmuni paratus, lege: Pſal. 118. Sap. 12. Pſal. 30. Pſal. 123. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo!* O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, & quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te! Ante initium operis, lege: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Omnia ad laudem Dei, lege: Adeſto omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, lege: Aſsiſte mihi, ô pia virgo Maria, cum Ieſu dilecto Filio tuo, ſaluatore meo.

5. In fine omnis laboris lege: Deo gratias, Deo laus pro omni bono. Ante lectionem in libro, lege: Pſal. 118. Pſal. 103. *O æterna Sapiëtia, reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Emitte Spiritum tuũ, & creabuntur in me virtutes & dona gratiæ, cum ſpe futuræ gloriæ. Poſt ſtudium, pone librum ad locum ſuum, & recogita quæ Ioan. 13. legiſti, memorans verbum Domini, quod in cœna dixit: *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* In omni verbo Dei inuenies mãna cæli, ſi rectè intelligis, & bene viuis. Si malè viuis, lapis eſt non panis ſuauis. Conuerte cor tuum ad humilem & pium Ieſum, & inuenies animæ tuæ ſolatium; & omnia aduerſa conuertentur tibi in bonum & æternum gaudium.

CAPVT XX.

De ſeptem virtutum gemmis bona congregationis.

Pſal. 111. Pſal 1. Prou. 10. Pſal. 118. 1. *Generatio rectorum benedicetur, & iter impiorum peribit.* Benedictio Domini ſuper caput iuſti: maledictus verò, qui declinat à mandatis Domini. In omni bona & deuota congregatione, fulgent præcipuè ſeptem commendabiles virtutum gemmæ, tanquam deuotionis ſigna, Deo & Angelis placita, ſed dæmonibus contraria. Prima gemma eſt obedientia in ſubditis, vt omnes ſuperiori ſuo ſpontè, promptè, & humiliter obediant; & vnuſquiſque propriam voluntatem ſuam relinquat, & cũ Chriſto omni hora dicat: Pater non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Pater fiat voluntas tua bona, & non mea mala. Sic vincitur diabolus, & conſilium eius annullatur; creſcit obedientiæ meritum, & augetur cæleſte præmium.

2. Secunda gemma eſt concordia in bonis moribus; vt ſimul laborent, vigilent, orent, ieiunent, edant, & inuicem ſe confortent,

tent, iuxta verbum Iacobi Apostoli: *Orate pro inuicem, vt saluemini* Tertia gemma est constantia in locis; ne locum suũ leuiter deserant, nec pro cõmodis proprijs mutent; sed pro Christo firmiter se sustineant, vt à Christo audiant; *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Quarta gemma est patientia in aduersis; vt parati sint dura & aspera pro vita æterna sufferre; quæ sibi possunt contingere, siue à seipsis, siue ab alijs, Deo iusto permittente. In loco enim vbi multi congregantur ex diuersis ætatibus & nationibus, rarò est, quin ibi contingat aliqua turbatio in verbis vel factis. Ideo necessaria est patientia, optima medicina contra omnem turbationem, iuxta sancti Pauli doctrinam *Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi*. Quæ autem ista sint onera, quotidiana experientia docet: scilicet infirmitas corporum, & imperfectiones animorum, & virtutum defectus in omnibus nobis; quia nemo perfectus in omnibus, nisi solus Deus. Iacobi 5. Luca 22.

3. Quinta gemma est mansuetudo sermonis ad consodales, nutriens charitatem, delens iram, & faciens pacem inter fratres: vt nemo alium verbo, signo, facto, risu, ioco, serio turbet, lædat aut offendat: sed sicut seipsum attendat, diligat, & Christum præ oculis semper habeat, qui dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris in mundo, & vitam æternam in cælo. Sexta gẽma est gratitudo pro beneficijs Dei, laudans ac benedicens Deum pro omnibus bonis, ab initio mundi vsque ad finem & consummationem sæculi. Tanta enim sunt beneficia Dei in cælo & in terra, vt nemo explicare vel numerare ea sufficiat. Ideo omnia Deo retribuenda sunt, & ab omnibus laus semper soluenda. Septima gemma est perseuerantia finalis in omnibus virtutibus prædictis, cum multis alijs donis istis annexis. Hæc ducit prudentem & fidelem seruum in paucis, pro quinque talentis lucratis, in gaudium Domini sui æternæ pacis requiem; vbi cum Iesu & omnibus Sanctis gaudebit semper in gloria. Amen.

FINIS.

DIA-

DIALOGVS NOVITIORVM.

PROLOGVS.

Ioan. 6.

1. COlligite, quę ſuperauerunt fragmẽta, ne pereant. Verbum Chriſti eſt ad diſcipulos ſuos. Cùm enim omnipotens & miſericors Dominus, de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſſet, iuſſit reliquias fragmentorum colligi, ne perirent. Myſticè autem loquendo, fragmenta ciborum ſunt verba doctorum & exempla bonorum, quæ à ſtudioſis fratribus frequenter penſari debent, & in libris vel in tabulis (tanquam in cophinis) ad vtilitatem legentium diligenter inſeri & obſeruari. Hac conſideratione inductus pro nouitijs exhortandis quorundam prædeceſſorum meorum monita & exempla, Deo iuuante, huic opuſculo inſerere cogitaui: quatenus his bonis auditis laudetur altiſſimus Deus, à quo bona cuncta procedunt; & multi legentes iſta, ad contemptum mundi ampliùs accendantur.

Verba doctorum & exempla bonorum, fragmenta ſunt, quæ colligi oportet.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

Qvod locutio de Deo, multum prodeſt nouiter conuerſis. Cap. I
Quòd meliora ſunt in exẽplũ trahenda, & deteriora vitanda. II
De laudabili ſtatu religioſorum, ſi bene ſeruetur. III
De periculis nouitiorum, ex conſortio mundanorum. IV
De ſacerdote tentato, & à Deo conſolato. V
De iuuene clerico, qui relicto ſtudio monaſterium intrauit. VI
De matrona, quæ filium conuerſum planxit: ſed poſtea ad Deum conuerſa, gratias egit. VII
Quòd potiùs eſt Deo obediendum, quàm amicis. VIII

DIALOGVS NOVITIORVM *de contemptu mundi.*

Nouitius.

1. ROgo te Pater chariſsime, vt amore Ieſu Chriſti, diligentè ad me reſpectum habeas, quæ ſalutaria ſunt edoceas, exceſſus meos ſtrictè corrigas, paſsionibus meis remedia tempeſtiuè adhi-

adhibeas;& si qua exempla bona nosti,mihi etiam imitanda proponas. Idcirco enim mundum,& ea quæ in mundo sunt, reliqui: vt in statu religionis pleniùs discam voluntatem Dei,& faciam; à periculis tentationum securiùs viuam; & tandem finito huius vitæ stadio, æternæ beatitudinis præmia cum fidelibus Christi merear adipisci. Scopus monasterium ingredientium.

2. Intendo namque de cætero,totam vitam meam ad Dei seruitiũ ordinare,& modicum temporis,quod mihi remanet,in religione consummare. Quapropter paratus sum omnem subire laborem,& tuis admonitionibus acquiescere,ac seniorum obtemperare statutis,pro mea salute editis & profectu; sicut nouitium decet,& status religionis requirit.

CAPVT I.

Quòd locutio de Deo, multum prodest nouiter conuersis.

1. LIbenter audio, quod dicis;& si potero prodesse, faciam quod hortaris. Adsit nunc Spiritus sancti gratia,vt eloquar digna; quatenus Deo nostra colloquia placeant,& proximis vtilia fiant. Siquidem magna ars docendi est, recta debitè proferre, & eadem testimonijs sacris confirmare. Cupio autem tecum de Deo & seruis Dei aliqua loqui,vt tibi ex auditione solatium veniat,& mihi meritum ex huiusmodi collocutione accrescat. Cõfido in Domino Iesu, quòd pietas eius non deerit nobis orantibus, qui præsentiam suam promisit de se loquentibus affuturam dicens: *Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Senior. *Matt. 18.*

2. Hinc est,quòd duobus discipulis ambulantibus in via,& de se loquẽtibus,in specie peregrini apparuit,& ait: *Qui sunt hi sermones,quos confertis ad inuicem ambulantes,& estis tristes?* Et dixerunt: *De Iesu Nazareno.* Ecce,qualiter pius Dominus de se contristatis, præsentialiter occurrit. Et quia non de secularibus negotijs,sed de factis nostri saluatoris loquebantur; idcirco ab eo meruerunt cõsolari,& in diuinis scripturis pariter erudiri. Moxque in amore Christi, tam vehementer sunt accensi; vt ex dulci colloquio eius,mirabiliter illuminati dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,dum nobis loqueretur in via,& aperiret scripturas?* Sicut enim bona colloquia accendũt corda piorũ in amorem cælestium,ac germinare faciũt opera virtutũ;sic vaniloquia corrũpunt bonos mores, & gratiã Dei perdunt, deuotionẽ extinguunt, cõscientiã maculãt,& alios scãdalizant. Oremus ergo ad Dominũ,vt illuminet vultũ super nos, & custodiat nos ab omni opere malo, *Luca 24.* *Luca 24.* Quid colloquia bona, quid mala efficiunt.

Luca 10. *Iacobi* 2. malo, & sermone otioso. Sedeamus cum Maria Magdalena ad pedes Iesu, ad audiendum verbum illius, quod potest saluare animas nostras; & in omnibus actibus nostris, ad beneplacitum Dei tendamus.

Nouitius. 3. Confortasti me, & instruxisti verbis optimis & exẽplis. Vtinam custodiam vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea. Vtinã dirigantur omnes viæ meæ, in conspectu Dei mei semper. Sed nõ pigeat te, ad interrogata mea respondere. Dic quæso, quomodo potest quis ad perfectum seculi contemptũ venire, & verus Christi discipulus effici? Video namque multos seculum relinquere, & postea tamen ad secularem vitam redire. Alios etiã considero habitum religionis assumere, sed à pristino feruore languere. Cum alijs Ecclesiam intrant, sed deuotionis gratiam non degustant. Quosdã etiam intueor ad exteriora defluere, & paulatim ad noxiã libertatem declinare. Rogo te, non me patiaris à via perfectionis exorbitare; sed quid cauendum sit, quidve tenendum doceas euidenter.

CAPVT II.

Quòd meliora sunt in exemplum trahenda, & deteriora vitanda.

Senior. 1. BOnus discipulus paratus est acquiescere magistri sui consilio, nec quicquam temere contra eius sententiam agere presumit. Sic seruat humilitatem, implet obedientiam, meretur gratiam, tenet pacem, custodit conscientiam, & auget sibi gloriam. Qui enim aurem suam præbet sapientiæ & doctrinæ in principio, non poterit de facili errare; sed gaudebit de beato fine, breui labore transacto. Tantoque plus proficiet in virtutibus, & sapiẽtior erit, quanto humilius superioribus se submittit. Nam arbor, quæ in altũ crescere debet, oportet quòd radices mittat in imò, ne cadat. Non ergo paueas repentino timore, sed in Deo statue fiduciã firmam; relinque propriam voluntatem, & subijce te in vera humilitate. Dominus erit in latere tuo, qui protegit gradientes simpliciter, & humilibus sua secreta reuelat.

Prou. 3. *Matt.* 11. 2. Vt autem melius perseueres in bono, à melioribus viuendi accipe normam, à doctioribus inuestiga sapientiam, ab expertis quære consilium, & cum deuotis tracta sermonem. Si autem videris quosdam à via veritatis errare, & retro post Satanam abire; noli pereuntes imitari, sed bonos & feruentes studeas, semper æmulari. Quære cum paucis saluari, qui per angustam portã intrant ad vitam. Nam Christo teste, *lata & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt qui intrant per eam.* Væ eis, qui à Domino Deo recedunt, & redeunt in Ægyptum; hoc est, in hunc

Matt. 7.

mundum

mundum peccatis tenebrosum, vt pascant carnem suam citò morituram. Beatus autem homo, qui metuit Dominum; & in lege eius meditatur die ac nocte, vt ambulet in vijs eius. Attamen pius Dominus non deserit suos, sed sicut bonus pastor consolatur oues suas, quæ vocem eius audiunt, & sequũtur eum vsque ad mortem; eligentes magis mori in bello tentationum, quàm peccato consentire, vel turpiter ad seculũ redire. Talibus enim dicit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quid timendum sub tali pastore viuere, pro æterno regno militare, quod ipse dare promisit? Et quidem faciet, quod promisit. Nec solũ gaudia futura, pro cõemptu mundi promisit se daturum; sed etiam in præsenti dat seruiẽtibus sibi consolationem Spiritus sancti, quæ longè melior est & suauior, quàm omnis lætitia mundi. Nam sæpè orantibus deuotionis gratiam infundit, & in lege Dei meditãtibus lumen intelligentiæ aperit; vt gustata suauitate spiritus, caro vilescat & mundus. Vnde perfectè huic seculo renunciantibus Dominus ait: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Luca 12. Matt. 19.

3. Sed quia multi vanas consolationes quærunt, & ad exteriora se cõuertunt, idcirco deuotionis gratiã non sentiunt, nec cælestem illuminationẽ accipere merentur. Est ergo tutissimus status placendi Deo, & meritorius amplioris gratiæ & gloriæ, fugere mundum, amicos relinquere, temporalia contemnere, arctiorem vitam assumere, proprijs renunciare, sub obediẽtia viuere, laboribus insistere, vigilijs & ieiunijs carnem macerare; lectionibus & orationibus incumbere, contra tentationes & vitia quotidie certare; præsentia fastidire, æterna desiderare, gratiam Dei instanter quærere, inuẽtam solicitè custodire, viliter de seipso sentire; alijs libenter obsequium impendere, soli Deo optare placere; sine querela inter fratres niti conuersari, & in sancto proposito, ac proficiendi desiderio firmiter perseuerare. Hæc ad verum Christi discipulum pertinent; hæc seruum Dei ad cęleste regnũ indubitanter perducunt. Vnde benignus magister electis discipulis suis: *Vos* (inquit) *estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Via tutissima ad placendum Deo. Luca 22.

4. Placent, quæ dixisti. Ex his namque verbis cõfortatus sum in Domino, & in spem vitæ æternæ, pro qua laboro, lętus respiro. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et verè, qui Deo fideliter seruiunt, & modò bene habebunt, & in futuro maiora percipiẽt. Omnia enim cooperantur electis in bonum, tã præsentia quàm futura. Nouitius. Rom. 8. Ibidem.

futura. Quapropter precor tuã clementiam, vt vacillantẽ animã sacris eloquijs cõfirmes, & si qua bona exẽpla de alijs nosti, mihi etiã libenter exponas. Quamuis enim multa præclara facta de veteribus sanctis audiui, opto tamẽ bona noua audire de modernis. Veruntamen causas à spirituali profectu tardãtes priùs mihi aperi, vt inimici fraudes cauere, & calles iustorum valeam inoffenso pede transire.

CAPVT III.

De laudabili statu religiosorum, si bene seruetur.

Senior. Monachorũ conditio nobilis ac sancta, si quidem seruetur.

1. STatus religiosorum magnus & sanctus est, si bene seruetur: si quisque sic viuat, vt regula docet & habitus demonstrat. Sed non est ideo frater securus, & spiritualis mox censendus, quia cũ bonis ambulat, & sacras lectiones frequenter audit, & bene cantat: sed quia toto corde nititur implere, quod promisit: & facit, quod debet. Quod si ex fragilitate excedit quãdoque, aut aliqua tentatione vincitur, vel passione mouetur: citò se corrigere studeat & multum doleat, reum se cognoscat, nec excusando culpã augeat; sed ad petendam veniã spõte se humiliet, vt Deus ignoscat. Pius enim Dominus, quamuis offensus sit & contemptus fletibus, & precibus confitentium citò placatur, sicut Dauid sanctus pœnitendo testatur: *Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.*

Psal. 50.

Phil. 3.

2. Igitur magno conamine ad anteriora te extende, quę retro sunt & huius mundi obliuiscere; nec ad remissos & infirmiores respice: sed ad quid venisti, & quid te agere oportet, attende. Nam qui proficere vult, omni die incipere debet: nec vllum laborẽ abhorrere, nec aliquod tempus otiosè præterire. Non igitur lõgos dies nec annos plures in religione computes: nec de dignitate ordinis glorieris, nec loci amœnitate delecteris: sed quam longè adhuc à veris virtutibus distes, pensa: & in quantis vitiorum sordibus iaceas, diligenter pertracta. Nam qui se aliquid esse putat, ipse se seducit. Per elationem quippe gratia Christi perditur, & bona diu quæsita citiùs euelluntur.

Galat. 6.

3. Igitur occulta super te iudicia Dei metue, omnia opera tua districte discute, altiora noli quærere nec curiosa rimari: sed quę tibi præcepit Deus, cogita semper. Et quamdiu in corpore peccati manes, non securitatem à tentationibus, non requiem à laboribus tibi audeas polliceri; sed sicut strenuus miles certa contra vitia; & donec accipias coronam glorię, scutũ patientiæ in omni tentatione & angustia corde firmissimo tene, vt cum Apostolo Paulo dicas, mortis articulo imminente: *Bonum certamen certaui,*

Eccli. 3.

uaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex. Et quidem Dominus noster Iesus Christus non misit Apostolos suos ad quærendũ honores temporales & commoda carnis; sed ad crucem portandam, & proprię voluntatis libertatem abnegandam. Vnde sequaces suos hortatur, dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* 2. Tim. 1. Matt. 16.

4. Indue ergo armaturam Dei, & sta in præparatione pugnæ; quoniam multi bellantes aduersum te, caro, mundus, & diabolus; qui non cessant impugnare die ac nocte innocentes, & Christo seruire volentes. Sed ne timeas eos, nec audias, neque credas eis, nec consentias suggestionibus eorum pulchris & fictis; quoniam in dolo tecum loquuntur, vt capiant & decipiant, atque à Deo elongent, & ad omne malum finaliter perducant. Quapropter vigila in orationibus; & aduersis insidias diaboli, diuinum flagita humiliter quotidie auxilium, & fratrum expertorum acquiesce consilio; ne tentatio tibi dominetur, & mundus rursum te illiciat & inuoluat. Habeto igitur in mente, quod in Apocalypsi ad consolationem militum Christi in seculo pugnantium legitur: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo; & dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Apoc. 3.

5. Sicut iam supra ad emendationis studium, & perfectæ mortificationis agonem, me animasti; ita nunc pericula à bono incepto retrahentia, & ad secularia desideria inuitantia, ad cautelã mihi planiùs describe. Dolendum enim vehementer, cùm quis labitur in teporem, refugiendo parui temporis laborẽ. Sed magis deflendum, cùm aliquis relicto Dei timore reuertitur ad seculũ, diaboli sequendo instinctum; sicut infelix Iudas fecit; qui propter pecunię quęstum reliquit Christum, & cum Pharisęis iniit consilium; ac tandem peruenit ad laqueum, miserabiliter finiendo vitam præsentem, & mortem incurrendo sempiternam. Aperi ergo os tuum, & denuda dolos serpenti antiqui; qui sub specie boni decipit multos, vt sępe probasti. Nouitius.

CAPVT IV.

De periculis nouitiorum, ex consortio mundanorum.

1. SVnt multa, quæ impediunt incipientes; sunt plura, quæ retrahunt proficiẽtes; sunt verò valde pauci, qui ad perfectionem perueniunt, & omnem difficultatem per vię meritum transcendunt. Quidã nãque feruenter incipiunt, sed orta tentatione à proposito sancto resiliunt, & ad pristina vitia relabuntur. Et quia Deũ purè nõ quęrũt, nec integrè se resignant, tot obstacula inue- Senior.

niunt, quot tentamenta eis occurrunt. Hi enim ignorãt aut obliti sunt, quod elegerunt; quia pro Deo & pro anima sua certare, atque pati aduersa venerunt, sicut Dominus apertissimè dicit: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Quomodo? Per tolerantiam videlicet alienæ malitiæ, & perseuerantiam in statu bonæ vitæ. *Ioan. 16.*

2. Multi enim sic Deo seruire volunt, tãquam nihil grauitatis passuri, sed cum omni iucunditate sint hic victuri. Sed qui talia quærunt, terrena adhuc sapiunt, & religiosorum certamina non nouerunt. Vtinã recalescant, & per fructum boni operis se exerceant; ne per proprium commodum decepti, æterna præmia perdant. Studeas ergo ad sufferentiam laborum & dolorum te præparare; quatenus in futuro cum Christo æternaliter gaudere, & cum triumphatoribus mundi in cælo coronari merearis.

3. Ad cautionem igitur tuam animaduerte, quæ dico. Si non vis decipi in via Domini, si intendis proficere, & in bono perseuerare; fuge consortia hominum secularium, caue occasiones tentationũ, vt non videas nec audias quæ mundi sunt; ne corpore associatus eis, etiam mente inquineris. Vilipende honores, diuitias, & voluptates, quæ seducunt amatores suos, nec vnquam satiant possidentes. Qui enim volunt diuites fieri in hoc seculo, incidunt in laqueum diaboli, & in desideria multa; de quibus non poterunt sine magna gratia Dei liberari. Hæc autem tria vitia prædicta, foueæ sunt & radices omnium peccatorum. Vt ergo melius vincas & tutius viuas, nec venenosi serpentis morsibus intereas, qui mille modis insidiatur animarum saluti; fuge, tace, quiesce, abscondere, elongare. Ama nesciri, disce mori, luge præterita, sperne præsentia, meditare futura. Hæc breuis regula maneat in memoria tua, & docebit te vincere omnia terrena. *1. Tim. 6.*

Honores, diuitiæ, ac voluptates seculi, omnium peccatorum radices.

4. Relinque etiã notos & amicos, parentes & vicinos, vt Christum inuenias, & Angelorum socius postmodum fias. Beatius est tibi, vt elongatus innocenter viuas, & solus salueris; quam cum multis lupis & draconibus, discumbendo & canendo pericliteris. Nam rarò diu bonus permanebit, qui secularibus personis libenter se immiscet. Citò quoque deuotionem suam perdet, qui solicitè eam non custodit, sed varia amicorum solatia petit. Lumen in lucerna clausum, fulgorem suum retinet & ardorem: extra verò positum & eiectum, leui flatu extinguitur & tenebrescit. Quòd si omne rarum, charum censetur; tanto erit quis Deo charior & hominibus reuerentior, quãto rariùs foris videtur. Et si omnibus religiosis & deuotis excursus nociuus est, & occupatio interdicitur secularis; præcipuè tamen iuuenibus & nouellis nocet visitare amicos seculares, ac patriam requirere natiuam, quam

Nota similc.

quam reliquerunt. Noli ergo affectare familiaritatem extraneorum, qui habitum geris deuotorum, sed per contemptum mundanorum disce scandere ad societatem ciuium supernorum.

5. Quid ad te de statu mundi scire, nouos rumores inquirere, & talia triuola audire; vnde postea cogaris phantasticari; & vix queas orando, ac gemendo, & legendo, expellere ea de corde? Quidam sub specie pietatis inducti sunt, ad conuertendum amicos & cognatos; & dum inter illos morari nõ timuerunt, inimici fraude circunuenti, suum propositum infregerunt. Oportet namque quòd valde fortis sit, & bene fundatus in virtutibus, atque in omni actione & locutione incedat circumspectus; qui fructificare debet in populo, & absque periculo conscientię conuersari in seculo. Et zelus quidem animarum laudandus est, si sit discretus, rectus, purus, nullaque vanitate infectus: qui rarò inuenitur in nouellis, & nondum plene mortificatis. Quid enim proderit homini, si totum mundum lucretur, & seipsum perdiderit? *Matt. 16.* Dilige aliorum salutem, sed tuum caueto periculum. Nõ est prębendam perdere, aut corrigiam amittere: animam periculo exponere, aut votum frangere, vel à sancto proposito resilire.

6. Tutiora loca inermibus & infirmis sunt quęrenda. Arduum enim nimis in seculo continenter viuere, & immunem se à peccato conseruare. Dauid vir sanctus, fortis & armatus, cùm persecutionem à Saul rege pateretur, ad tutiora loca in deserto cum suis militibus ascendit: ibidem latuit, donec sęuitia hostis cessaret. Et tu ergo longe ab amicis & secularibus hominibus discede, ne peccatis prauorum inuoluaris: & post casum inopinatũ plangas te errasse, & pœniteat bonis consilijs non credidisse. Siquidem tenellus flos citò manu capitur, tactu lędитur, & facillime spina perforatur. Sic imperitus iuuenis & nouiter conuersus, nisi fugiat & recedat à societate mundana, incenditur celeriter igne carnalis concupiscentiæ, & inquinabitur pice lubricalis vitæ, discurrendo per mortifera itinera gulæ, luxuriæ, auaritiæ superbię, & inuidię, velut equus effrenis sine timore, & tanquam insensatus sine ratione. Si enim vix potes tentationibus resistere occasione remota: quid in medio laqueorum pręsumit mens infirma? Ecce alij precibus, alij promissionibus aggrediũtur animum iuuenilem: laudant corporis formam, suadent incolere patriam & augmentare progeniem: nec debere parentes relinquere, quos Deus pręcepit ore suo honorare. Sicque verbis pulchris, & humanę sapientiæ cantilenis, melodizant auribus pudicis: donec moueant arbusculam Deo adhęrere cupientem, si forte audiat & acquiescat amicorum consilijs: & secum abducant incautum ad seculum, qui iam mentis pedem leuauit ad cęlum,

& propoſuit incunctanter intrare monaſterium, ac Dei ſe facere ſeruum, propter ſummæ beatitudinis promiſſum.

7. Alij etiam viceuerſa duris increpationibus, crebris irriſionibus, & mordacis linguæ ſtimulis prouocant innocentẽ, ac humiliter incedentem nominant hypocritam, amentem. Quid tu (inquiunt) infatuate prætendis, quòd amicos deſeris & bonos dies contemnis? An tu ſolus ſanctus eris, & ſolus regnum Dei intrabis? Putas nemo bonus erit & Deo placebit, niſi ita fecerit & ierit, ſicut tu facis & tranſis? An ſoli monachi & tui ſimiles ſaluabuntur? Deſine, deſine miſer, quia non vales perficere, quod cœpiſti. Nonne vides, quàm multi à religioſitate iſta receſſerũt, & quàm pauci ibidem perdurarunt? Mane nobiſcum, reuertere ad amicos, eſto lætus ſocius, fruere bonis conceſsis, Deus erit propitius. Hæc & his multa ſimilia dicere conſueuerunt ſapientes mundi, inimici crucis Chriſti, vt decipiant ſimplices, & peruertant à via iuſta Chriſtum ſequi volentes. Contra quos dicendum
Pſal. 118. eſt, cum Propheta in pſalmo: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.* Et item: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.*

8. Caueas ergo tibi à ſibilis ſerpentum, quoniam ſubuerſores ſunt tecum, & diabolus eſt princeps eorum. Quem enim diabolus per ſe vincere non poteſt nec defraudare; illum per ſatellites ſuos peruertere quærit, aut blanditijs irretire, ne ſeculum reliquat. Nam mundus ſcit tot dolos & nequitias, tot inuentiones confingit & rixas habet; vt nemini pax tuta ſit, nec firma fides; & vix aliquis euadere poſsit innocuus, niſi ſegreget ſe ab hominum turbis, & Ieſum quærat (vt Euangelium docet) in locis deſertis. exi ergo citò cum Abraham patriarcha de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram ſanctam, id eſt monaſticam vitam, & laudabilem in Chriſto congregationem, vt audias legem vitæ & diſciplinæ, & ſeruias Domino Deo tuo fideliter omnibus diebus vitæ tuæ; donec finito laboris tui certamine, æternum regnum accipias; vbi in conſpectu Dei & ſanctorum, cum Angelis ſanctis ſemper exultes.

9. Noli retro reſpicere cum vxore Loth, neque maneas in Sodoma carni ſeruiendo; ſed ſalua te in montibus ſuperna quærendo, & Angelicum ducatum per obedientiæ viã humiliter ſequere, vniuerſas propriæ voluntatis affectiones pro Deo mortificando. Fuge cum Helia, à facie Iezabelis peſsimæ mulieris; & perge in ſolitudinis ſecretum, perpetuæ continentiæ ſeruando propoſitum: donec in curru igneo, poſt turbinem ſeculi leueris in cælũ. Perſeuera etiam cum beato Samuele, in tabernaculo fœderis coram arca Dei, in habitu religioſo deuotè ac reuerenter Domino

miniſtran-

ministrando: vt audias vocem Dei loquentis de excelso, cœlestiũ consolationum libamenta prægustando, ac tandem pleniſsimè his Domini verbis consoleris in morte: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Esto igitur fidelis vsque ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ. Quã nemo meretur dignè accipere, nisi qui legitimè certauerit, & vsque in finem perseuerauerit in virtute. Sed vt iam dicta factis comprobem, etiam exempla perseuerandi tibi describam.

CAPVT V.

De sacerdote tentato, & à Deo consolato.

Senior. 1. ERat apud nos sacerdos quidam Alardus nomine, cupiens seculo renunciare, & canonicæ religionis habitum acceptare. Sed antequam inuestitus esset, tentator affuit, ad memoriam ei priores seculi delicias reducens, quibus diu prodigè vtebatur: cœpitque tristari vehementer, quia parẽtes & amicos reliquisset, & iam inter alienos tanquam exul à patria sua viuere deberet desolatus. Tristitia igitur suborta, secuta sunt & alia nõ pauca grauamina, veluti tonitrua dura. Nam tædium loci, & difficultatem ordinis, hostis ei incussit malignus; & quàm bene posset viuere in partibus suis, & multis eque prodesse amicis. Hæc enim sunt fraudulenti serpentis iacula, quibus sæpe nouitiorum corda nititur vulnerare; vt à sancto proposito eos resilire compellat. Sed Deo miserante, dum adhuc sacerdos staret in acie certaminis, lux cælestis consolationis emicuit, & totam nebulam mundanæ tristitiæ dissipauit.

2. Itaque spiritu Dei, cõtra diabolicas immissiones reaccẽsus & confortatus, cœpit intra se cogitare ad quid venisset; & solerti ratione propositum iam arreptum perpendens, virili animo seipsum erigebat, dicens: Ecce Deo prouidente, hunc locum emẽdationis gratia, sponte supplexque intrasti; nunc multo plura pro tuis necessarijs inueniſti, quam pridem in seculo reliquisti. Paucos amicos propter Christum postergasti, sed iam plures spirituales fratres, maiori charitate tibi coniunctos, pro carnalibus recepisti. Cuncta, quæ ad vsum huius monasterij pertinent, tua sunt, ac tecum diuiduntur in charitate. Alij pro te laborant, alij pro te orant, alij pro te legunt, alij scribunt; nemo hic otiatur, nemo propria possidet, omnia in commune conferuntur.

3. En tot habes hic seruitia, quot sunt claustri officia, cũ vniuersa familia. Quid ergo habes conqueri? aut quid times Deo libero corde seruire? Subijce te incunctãter suauissimo iugo Christi; tolle super te onus Domini leue; obliuiscere populum tuũ, & domum patris tui, vt pro paruis magna recipias, pro tẽporalibus

æterna, pro vanitatibus huius sæculi glorioſiſsimũ regnum Dei quatenus cum Paulo Apoſtolo veraciter proloquaris: Tanquam nihil proprietatis habentes, & omnia in communitate poſsidentes. Hæc & ſimilia eo cogitante, & ſanctorum Patrũ veſtigia per ſingulos dies cõſiderante, confortatus eſt in melius animus ſacerdotis. Et poſt probationis tẽpus habitu regulari indutus eſt, atque anne cõpleto ſolenni voto profeſſus. Qui poſtmodum in ordine annis triginta laudabiliter viuens, in bona ſenectute obdormiuit in pace.

CAPVT VI.

De iuuene clerico, qui relicto ſtudio monaſterium intrauit.

Senior. Adoleſcẽs quidam à ſtudijs ad monaſterium deſiuit.

1. FVit quidam iuuenis ſcholaris, primæuæ ætatis flore vigeſcens; qui ſtudio literarum deditus Dauentriæ, nonnunquam à conſtudentibus ſocijs & promotis ad ſtudium Pariſienſe inuitabatur promiſsis & donis. Sed quorundam deuotorum cõſilio ab hac intentione reuocatus eſt, & informatus ne ſe periculo daret deſiderio altioris doctrinæ. Interea accidit, vt duo germani fratres conſodales eius, corpore & ingenio habiles, de ſchola Dauẽtrienſi verſus Pariſios ſe transferrent. Cumque paruo tempore ibidem in ſtudio ſtetiſſent, vno die ambo defuncti ſunt.

2. Sed & alij quidam ex ſtudentibus ad magiſterium promoti, poſt multas expenſas & diuturnos labores, cùm cœpiſſent ſcientia & fama clarere, ex hac luce repentè ſunt ſubtracti. Audiens hoc præfatus iuuenis de ſuis coætaneis ſtudentibus, compunctus eſt ampliùs, atque in breui valedicens ſcholaſticis rebus, diſcipulus Chriſti inter regulares effectus eſt.

CAPVT VII.

De matrona, quæ filium conuerſum planxit; ſed poſtea ad Deum conuerſa, gratias egit.

Senior.

1. MAtrona quædam diues, & ſecularis, filium vnicum habuit tenere dilectum, ætate & ſcientia ac moribus adornatum. Hic cæleſti inſpiratione afflatus, elegit Deo potiùs humiliter ſeruire, quàm in ſeculo paternis bonis tranſitoriè frui, & mercari. Receſsit ergo ab aſpectibus amicorum longiùs, petijtque monaſterium regularium, ad famulandum Domino ſecretiùs & perfectiùs, cunctis mundi retinaculis abdicatis. Quem mater vidua ſubſecuta, precibus ac lamentis ſtuduit reuocare, ſed minime valuit.

2. Illa igitur ad ſua abeunte, & in mœrore graui exiſtente, contigit

tigit in eadem ciuitate casus infaustus, vt cuiusdam potentis diuitis filius, ab altero seditiosè percussus, plangeretur extinctus. Quo audito, matrona rem gestam exhorruit, & ad se tandem reuersa, alienis periculis docta propriam tristitiam temperauit, atque semetipsam redarguit dicens: Quàm bene tibi accidit, vt hoc de filio tuo non audias, nec de cætero formides? Nonne tutiùs in monasterio Deo seruit, quàm apud te in seculo periret? Ex illa demum die ad bonitatem Dei conuersa, gratias maximas egit, nec vltrà filium quasi amissum planxit; sed de eius conuersione summopere gaudebat, fratres regulares specialiter dilexit, hospitio sæpius recepit. Et hoc mihi in mensa sua recitauit.

3. Gratanter audio, quod dicis: & spero, quòd mihi proficiet & multis. Satis dolendum, quòd multi parentes ita inordinatè filios suos diligunt: quòd magis eos seculo nutriunt, quàm Deo; quòd plus cupiunt illos diuitijs ac honoribus sublimari, quàm virtutibus & bonis moribus pollere. Heu, quòd non recogitant, quàm subitò mors filios à parentibus separat, nec vllus hominum quantumcumque diues vel nobilis fuerit, poterit semetipsum aut aliquem amicorũ à mortis lege liberare; sed oportet nos omnes ante districti iudicis tribunal præsentari, vt referat vnusquisque prout gessit in vita, & recipiat pro qualitate meritorum suorum irreuocabilem sententiam, æternam scilicet gloriam vel pœnam. Nouitius.

CAPVT VIII.

Quòd potiùs est Deo obediendum, quàm amicis.

1. ESte sentis pro tua salute. Nam qui Deo seruire statuit, debet ei potiùs quàm parentibus obedire. Hinc est, quòd veritas sequẽtibus se discipulis, ait: *Qui amat patrem vel matrem plus quàm me, non est me dignus.* Non ergo audiendi sunt, qui propter solatium amicorum suadent in seculo manendum; sed illi potissimùm imitandi sunt, qui propter amorem Christi elegerunt ab amicis elongari; quatenus Deo liberiùs seruiant, deuotiùs ei inhæreant, & frequentiùs pro amicis exorent. Vnde si vię Dei voluerint aduersari, & ingressum religionis impedire, vitãdi sunt & relinquendi. Nam & omnium religiosorum legifer & magister Iesus Christus Dominus noster formam perfectæ abrenunciationis ostendit, cùm dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.* Senior. Luce 14.

2. Attende, quòd non dixit Dominus. Quære primum, an placeat parentibus vel amicis: sed hoc satage facere, quod mihi noueris maxime placere. Dimitte ergo mortuos sepelire mortuos suos: Matt. 8.

suos; tu autē sequere me, & quęre primùm regnū Dei, & iustitiā
Matt. 6. eius. Habebis enim thesaurum in cælis, si renunciaueris omnibus terrenis. O quàm stolidi sunt & cæci, qui pro vili & breuissimo delectamento carnis, negligunt quærere æterna gaudia cæli; qui nunc formidant subire sacri ordinis disciplinam, & non ponderant inextinguibilis ignis perpetui flammam.

3. Ah, nimium differt humilis habitus monachorū, & larualis aspectus dæmoniorum. Valde dissonant inter se deuotus cantus religiosorum, & intolerabilis planctus dānatorum. O si scirent donum Dei, & gustassent, quàm suauis est Dominus, & quàm iucundum est cælesti Domino seruire, libenter terrena cūcta relinquerent, quæ nec diu tenere valent, & ad religionis statum cōuolarent, per quem recto itinere ad cælum conscenderent. Vnde pius Dominus pusillos corde cohortatur, ne præcepta salutaria in Ordine perhorrescant; sed potiùs cum omni humilitate obedientiæ iugum suscipiant, dicens: *Tollite iugum super vos, & discite à me,*
Matt. 11. *quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Quàm nobis præstare dignetur Iesus Christus Mariæ filius, qui regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

EXERCITIA SPIRITVALIA.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

DE *feruida exhortatione ad virtutes.*	Cap. I
De firmo proposito seruando per diem.	II
De eleuatione & directione cordis ad Deum.	III
De custodia cellæ & sensuum exteriorum.	IV
De hora surgendi, & de officio diuino.	V
De refectorio, & cibis sumendis.	VI
De fabulis & otio vitandis.	VII
De beneplacito Dei, & confidentia in aduersis habenda.	VIII
De examinatione conscientiæ completorio finito.	IX
De scrutinio conscientiæ in speciali.	X
De horæ dormitionis & nocturnæ quietis.	XI
De virtute sanctæ obedientiæ.	XII

CAPVT I.

De feruida exhortatione ad virtutes.

Ephes. 4. 1. RENouamini autem spiritu mentis vestræ, ait beatus Paulus Apostolus. Solēt boni religiosi habere deuota exercitia, quibus

bus ad spiritualem profectum & virtutis amorem quotidie excitentur. Tales secretum petunt, & tumultus fugiunt populares: vitam suam solicitè discutiunt, & si in aliquo offenderint, mox illud digna contritione purgare nituntur. Vigilant circa cogitationes suas: quibus affectionibus mouentur, animaduertũt; atque contra euagationes cordis, frequenti oratione ac sacræ lectionis meditatione se muniũt, & dicunt: *Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei.* Necesse est enim cor in diuersa rapi, & vitijs repentè sordidari, quod internis ac deuotis exercitijs non insistit. Psal. 118.

2. Omnium exercitiorum primum, & ad purgationem mentis vtile magis, est passiones vitiorum agnoscere, & remedia eorum à Deo cum gemitu & lachrymis postulare. Nam pauperes, ægroti, & vulneribus corporis afflicti, luctuosis precibus opem curationis à transeuntibus sedulò petunt. Misericors autem & pius Dominus non despiciet orationem contriti spiritus, pro æterna salute gementis. Habeas igitur exercitia tuæ conuersationi congrua, quæ te instruant, renouent, & accendant: Non debent hæc priuata excludere communia; sed ad ea te promptiorem magis reddere, vt in nullo detrimentum internæ pacis incurras. Quòd si ab inceptis tuis occasione aliqua impediris, quanto citiùs vales, stude ad teipsum habere recursum.

3. Frequenter etiam tuum inspice libellum, vt clariùs tibi innotescat internus profectus tuus siue defectus. Secundùm datam tibi gratiam, præformà institutionis tuæ normam. Nemo melius instruitur ad omne bonum, quàm Spiritu sancto intus agente; cuius vnctionem, mitis & humilis faciliùs promeretur. Sapiẽtia est ordinare vitã suam, & debitum actibus suis imponere finẽ. Oportet etiã cõueniẽtia media inquirere, quibus ad principale perueniatur intentum. Plus proficit vna determinata actio sapiẽtis, quã magna occupatio stulti. Qui importunè & incõsideratè agit, facilè offendit, & dolebit ipse offensus. Qui autem matura vtitur prouidentia, de salubri semper fine gaudebit. Esto memor propriæ fragilitatis, etiã dum bene tibi successerit, & altum de te sapere noli. Est qui elatos humiliat, Deus malleus superborum.

CAPVT II.

De firmo proposito seruando per diem.

1. OMni manè proponendum est, qualiter præsens dies vtilius expendatur. Contra vitia, quę magis infestant, diligentiorem adhibe curam. Quotidiana exercitatio, gratiæ meretur augmentum; & perseuerantia boni, ad virtutis culmẽ ducit agentem.

Forte

Forte vltima dies ista: forte nouissima hora: forte cras te nō inueniet. Custodi propositum, tempus negligere noli, nō redit hora transacta. Certa bonum certamen. Ora pro gratia, & dabitur tibi de cælo victoria sancta. Stude minora vincere, ne ad deteriora labaris, ignauia prævalente. Semper lex Dei in corde tuo versetur, gratiarum actio & vox laudis ab ore tuo non tepescat.

2. Omne tempus cum Deo non expensum, plange velut amissum. Caue otiosos texere sermones, & inutiles circuitus deuita per ædes. Stet in ostio cellæ pro signo notabile breue: quod te præmoneat exeuntem, & redarguat diu tardantem. Periculum tuum, inter homines multos. Orto iam die, benedic creatorem cœli & terræ, qui tibi adhuc spatium bene viuendi concesit, & solem suum pro varijs vsibus super te fecit oriri. Christus viuere tibi sit, & cuncta opera tua ad Christi dirige laudē. Ipse spes tua tota & præmium æternale, quod expectas: gratiam autem humanam non queras, nec affectes.

3. Si nō vis decipi, noli laudibus stultis delectari. Nouit Deus cor tuum, quàm impurum sit & vanum. Ne credas adulanti: sed potiùs increpantem ausculta, qui bene consulit, dum tua corripit errata. Habeas semper ad manum orationis vsum, contra omnia aduersantia inuincibile scutum.

CAPVT III.

De eleuatione & directione cordis ad Deum.

1. ANte opus externum, priùs eleua cor ad Deum. Quicquid boni feceris aut dixeris, memor videlicet, quòd sine eo nihil boni poteris facere aut dicere: & si quid feceris aut dixeris, non magnipendas, sed inutilem te seruū veraciter reputabis. Offendit enim oculos diuinę maiestatis, etiam leuis elatio cordis. Vtinā saltem vel vnam diem vel mediam horam cum Deo integre expendas. Heu nimis instabilis es & impurgatus, etiam vbi deuotior esse deberes.

2. Opere finito, aut horis persolutis, gratias age Deo de bene peractis: & de negligentijs intercursis, veniam flebiliter pete. Magna ablutio est delictorum, humilis veniæ deprecatio corā Deo & sanctis Angelis eius. Ad singulas horas dic salutationem Angelicam, aut quod facile te recolligat cum Deo, & citiùs inflammet. *Qui non colligit mecum*, (inquit Iesus) *dispergit: & qui non est mecum* intus collectus, *contra me est*, vagando in externis. Hic enim promior est ad malum, infirmiorque ad resistendum, quia intima sua reliquit & Deum. Matt. 21.

3. Nomen Iesu & Mariæ crebrò in ore, semper in corde sit pro solatio

solatio primo. In extremis senties, quantum profuerit tibi amor Iesus internus. Sanctorum quoque nomina, cum reuerentia inuoca & honora. Mira deuotorum experimenta, fidem præbent verbis ostensis: Nec pigeat dicere aliqua suffragia, cùm festum agitur in ecclesia sancta. Homo tristis & grauatus, ad amicos accedit sibi magis fideles. Et tu ergo ad Dei Sanctos humiliter accede, & cum bona fiducia necessitatem tuã precãdo reuela. Licet enim modò in magna sint gloria, fuerunt tamen aliquando in miseria nostra. Norunt ergo miseris charitate pleni plenius misereri. Siue intus sis, siue foras trãsieris, anima tua in manibus tuis sit semper. Deus autem semper in corde tuo, siue res sint tristes, quoniam iuxta illud Psalmistæ: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me:* Dominus nobiscum est in tribulationibus. Siue sint lætæ: quia ipse est qui lætificat iuuẽtutem nostram: ipse est, in quo sincerè gaudendum, iuxta illud: *Lætamini in Domino, & exultate iusti.* Non enim est vera aliunde exultatio. Vnde beata virgo: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Vnde & Psalmista: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Memor ergo sis, si gaudere vis, vt in Domino gaudeas. Nec propositi tui hodierni obliuiscaris, quod (heu) nimis citò per incuriam perit. Oculi tui super vias tuas, quia vbique sunt insidiæ hostis maligni, ad capiendum animas vagas.

CAPVT IV.

De custodia cellæ, & sensuum exteriorum.

1. CVstodi diligenter cellam tuam, & custodiet te. Tutior locus non est seruo Dei in hoc mũdo, quàm latêre in secreto: vbi Patrem orêt libera mente, ostio cubiculi clauso. Periculosus semper exitus cellę: mansio eius quies deuotissimæ vitę. Qui assuescit cellam suam incolere, citò pacem cordis hauriet, & tutabitur à periculis maximis & multis. Solitudo deuotionis est mater, turba verò conturbat. Christus, qui non potuit impediri in turba, declinauit tamen à turba. Vita solitaria Deo & Angelis grata, pacis semper amica. Qui potest capere capiat, solitarius regnum Dei in silẽtio habet. Finis religiosi est, omnibus terrenis abdicatis, Deo vacare in puritate cordis, & custodia oris. Fortis, qui contemnit sæculum: fortior, qui vincit seipsum, abnegando omne proprium, propter Christum sponte pauper effectus. Si nõ vis distrahi & lædi, noli alienis rebus implicari. Quod tibi nõ est commissum, taceat super hoc os tuum. Si videris geri non recta, ne temere iudices tamen facta tibi ignota. Bene delibera antequam loquaris, ne capiaris in verbo.

2. Cauc

2. Caue à frequenti exitu, & vbi opus non habes, ne accedas. Si obedientia iubet vel vtilitas requirit, vade cum decenti disciplina, & citò ad tua reuertere secreta. Foris oculos custodi, aures obtura à rumoribus, refrena linguam, & bonam meditationem assume. Antequam exeas, orationem præmitte. Pro diligenti custodia viæ, lege: *Dirige Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam. Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea.* Iesus & Maria sint mecũ semper in via. Inter opera tua, memor sis dilecti tui Iesu cuncta cernentis sub cœlo, qui corda rimatur in omnibus locis & horis. Si non vis irretiri, noli circumspicere multum. Oculi duces sensuum citò cor vagum inficiunt. Quid prodest videre, quod non licet habere? Foris sæpe hauritur, vnde inferior homo inquinatur. Difficile est res pulchras videre, & non affici visis. Imago semel inspecta, & non statim euulsa, aut noxam generat aut rixam in corde carnali. Ad cauendũ ergo laqueos apertos vel occultos, libentius sis intus quàm foris.

Psal. 10.

3. Rediens itaque ad cellam, velut ad tranquillitatis portum, fige in ea stabilitatis anchoram, per orationem feruentem & lectionem deuotam. Non enim patitur cella tepidum & ociosum in sedium morari. Flecte statim genua, vel caput inclina ante crucifixum, & saluta præcipuè Iesu matrem Mariam dominam nostram. Dicito attente, & replica sæpe hunc versum: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Domine bonũ est nos hic esse, super omnia desiderabilia terræ, locus enim iste sanctus est. Quamdiu ergo spiritus tuos rexerit artus, sit cella requietionis tuæ domus ac tumulus, donec tibi aperiatur paradisus cœlestis. Est enim via breuis de cella ad cælum, si in ea cœlicam duxeris vitam.

Psal. 131.

4. Deinde gestus tuos retracta, quid operatus sis foris & locutus. Plange, quòd tam fragilis sis: quod leui etiam motu resilis à proposito sancto. Quid lucratus es, si Deum perdidisti propter fabulas? Ecce, sine Deo omnia vanitas: meditari autem de Deo, mira mentis suauitas. Vtinam damno tuo erudiaris, ad cautelam ampliorem foris habendam. Redi tandem ad teipsum, licet inquinatus & distractus. Recupera in secreto, quod in publico foris amisisti. Heu rarò exitur sine periculo, rariùs sine culpa reditur. Reuersus gemens tace, & omnia tibi nociua exclude. Memor sis Dei solius: nec te moueat de cætero spatiandi discursus. Vidi frequenter euagantes, & nullum fructum inde ferentes.

5. Tempore laboris vel scripturæ, ad breues orationes recurre. Rumina ex psalterio versiculũ, aut Euãgelicũ repete verbũ, quod te cõmonefaciat & tædiũ pellat. Oportet, quòd sis diligẽs operator aut deuotus orator: si in Dei seruitio proficere ac perseuerare con-

contendis. Quamuis igitur sæpissimè euagationes patiaris mẽtis impuræ, ad solita tamen orationum arma, & bonarum meditationum studia, citiùs te conuerte. Omni die, specialem articulum de Christi passione assume: nec non memoriam beatę Virginis Mariæ tuis interfere exercitijs, pro deuotione collectis. Libenter sacros codices scribe, quatenus libro vitæ merearis inscribi: & à Christo, pro modico labore, perenni præmio ditari.

CAPVT V.

De horâ surgendi, & officio diuino.

1. QVia religiosus es, idcirco altioribus sanctitatis studijs obligaris. Recedat igitur somnolentia ab oculis, torpor euanescat, & mollities carnis. Virilem animum indue, ad diuinum opus perge maturè. Esto paratus ad singula, quæ noueris faciẽda: erit enim merces operi tuo magna, & gloria infinita. Cumq; fuerit hora surgendi, ne tardes in lecto, sed assuesce surgere citò: & signa te sanctæ crucis signaculo trino. Recordare verbi Domini Iesu discipulos excitantis: *Surgite* (inquit) *vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Lege & Pauli verbũ: *Hora est iam nos de somno surgere,* & aperti sunt oculi nostri surgere ad Christum. *Luca 22.* *Rom. 13.*

2. Pulsato ad chorum signo, occurre tẽpestiuè cũ primis, & loquere cum regibus sanctis: Hoc signum magni regis est. Eamus, & quęramus eum. Sta in choro cum metu & reuerẽtia, & psalle nomini Domini altissime. Sis integrè tibi collectus, ac Deo firmiter intentus. Diligenter ausculta Dei verba, quæ ibi legũtur & cãtantur. Noli tędio vinci, sed coge corpus spiritui seruire. Datur enim frequenter noua gratia deuotè psallenti. Si non ad primum oris tui sonum lectio sapit aut psalmus, expecta Domini gratiã, & perseuera vsque in finem. Veniet incũctanter Dominus, & visitabit desideranter ad se clamantem. Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuũ in omnibus, quæ audieris & legeris. Et scies, quia multiplex eius lex, & beatus, quem ipse docuerit testimonia sua, ad faciendum ea omni tempore, cum diligentia magna.

3. Inclinationes, & prostrationes, ac alias bonas cõsuetudines, cum omni humilitate obserua, quibus torpentia corda excitantur, ne dormitent præ tædio corpore lasso. Nam cuncta, si debitè agantur, ad meritum non exiguum computantur. Ipse Dominus noster Iesus Christus, instante hora passionis suæ, flexis genibus & vultu prostrato orauit ad Patrem. Sanctus quoque protomartyr Stephanus, positis genibus pro lapidantibus se supplicauit. Beatus Petrus Apostolus, curuatis in oratione genibus, viduam mor- *Luca 22.* *Act. 7.* *Act. 9. 40*

mortuam suscitauit. Maria Magdalena inclinans se, & prospiciẽs in monumentũ, vidit Angelos sanctos. Sta ergo reuerenter, sicuti decet Christi seruum, aut prosterne te humiliter, vti oportet, nil prætereundo quę sacra institutio iubet. Pigritiam in sedendo, & lenitatem in eundo vel stando, vbique deuita.

4. Modestiam, cum religiosa hilaritate, prout religioso congruit, moribus ostende. Ne autem distraharis ab astantibus, aut aliquid confusè ibi agentibus perturberis. Respice coram te, & diuinis sic fixè intende arcanis, vt non mouearis diabolico instinctu: cuius astutia sępe confusio fit & risus, ex leui facto & modico tumultu: quod lamentandum est, & omni modo pręcauendum. In loco sancto temere quicquam agere, impunè non cedit. In præsentia Dei & Angelorum frequentia, nil præter diuina cogitare licet, nulla terrena pertractare decet: præcipuè in horis & Missis, ad deuotè canendũ & silenter orandum deputatis. Transiẽs per Ecclesiam vel cœmeterium, recordare obitus tui diem tibi ignotum. Intuere quoque sepulchra mortuorum, quos sequeris in breui, humo simili operiendus, & obliuioni tanquam mortuus à corde tradendus. Terra es, & in terram ibis, hominum pedibus mox conculcandus. Memẽto vltimi finis: ecce cuncta velut vmbra declinant, & in interitum vadunt.

CAPVT VI.

De refectorio, & cibis sumendis.

Ante pastũ precare pro defunctis.

1. ANte refectionis horam, nõ negligas pro benefactoribus & amicis defunctis orare. Hoc enim piũ est, & valde salubre. Ad quod teneris, ex debito fraternę charitatis & iure diuino, pro beneficijs tibi impensis. Sicut tibi optas fieri post mortem, ita te nunc exhibeas amicis defunctis, in celebrando & orãdo fidelem. In mensa recordare dominicæ cœnæ; quid Christus Dominus egerit & dixerit discipulis suis. Sit prælatus tuus in medio fratrũ, tanquam verus vicarius Christi: reliqui fratres conuescentes, sicut Apostoli sancti. Ordo quippe tuæ professionis, ex Apostolica vita sumpsit exordiũ, vt docet regula beatissimi patris Augustini. Attende sacræ lectioni magis, quàm epulis sumendis. Et ne appetitus gulæ alliciat nimis & increscat, amarum fel Christi & acetum in cruce potatum, tuis poculis intermisce.

2. Ante sumptionem cibi, leuatis oculis mentis in cælum, ora cum Propheta: Cibabis nos Domine pane lachrymarũ, & potum dabis in lachrymis, in mensura. Modeste & cũ timore Dei comedendum est: quia eleemosynæ fidelium sunt labores egenorum. Semper ad commune refectorium vadas: quia ibi maior animæ fru-

fructus, & puriori inde conscientia, cum gratiarum actione prandio facto resurges. Ibi cum debita mensura & maiori disciplina, necessitas sumitur naturæ, & superflua resecantur. Ibi susurria nullatenus audiuntur, sed verbum Dei sine murmure cum silentio pertractatur.

3. Qui autem in priuato libenter comedunt infirmitate non cogente aut disciplinam fugitant, aut gula vincuntur. Officiales, propter hospites & necessitates vrgentes, sæpiùs adesse non possunt. Bonum tamen exemplum in edendo & loquendo, alijs dare tenentur: ne occasione officij liberiores effecti, extra disciplinam tendant, qui cæteros subdiscipliná seruare iubentur.

CAPVT VII.

De fabulis & otio vitandis.

1. PRandio facto ori tuo frenum impone, quia tunc promptior est homo ad loquendum & ridendum. Memor sis pauperis Lazari, ab Angelis in sinum Abrahæ deportati; qui hîc in egestate magna & doloribus vixit. Diues autem delicijs & scurrillitatibus vacans, sepultus est in inferno nunquam inde exiturus. *Luc. 16.*

2. Disce formam vitamque Iesu, in omni humilitate & simplicitate cordis imitari. Tolle quoque quotidie crucem tuam vincendo tuos defectus, ac tentationibus viriliter resistendo. Nam corpore refecto, caro plus tentat, ideo laboribus & studijs est refrenanda diurnis. Si grauiora non potes agere, fac libentissimè parua. Numquam otio vaces, neque fabulis delecteris. Custodiam tibi & bonum exemplum fratri exhibere teneris.

CAPVT VIII.

De beneplacito Dei, & confidentia in aduersis habenda.

1. IN omni igitur re facienda intus vel foris, beneplacitum Dei perquire: & eius honorem maiorem, omnibus vtilitatibus tuis præpone. Dum triste aliquid aduersum que occurrerit, ne pauces repentino timore: sed ad Dominum humiliter confuge, qui non deserit sperantes in se. Nam de se præsumentes Deus humiliat, & confundit in sua astutia confidentes. Omnes electi aduersis multis probati sunt, & quotidie probantur; vt in veritate humiliati & purgati in præsenti, in futuro glorioſiùs exaltentur. *Iudith. 6.*

2. Quando in aliquo excedis, non concidat cor tuum: nec desperes consuetudine praua vel subita commotione deuictus. Sed agnosce reatum tuum, confitereque delictum; proponens firmiter emendare & cauere de cætero, prout oportet. Præsumptuosus

citò desperat in aduersis ; humilis verò contemptus & exprobratus, magis in Deo confidit, oppressusque conualescit. Qui honores non desiderat, nec propria commoda quærit, securus & gaudens pergit vbique. Angustias patietur, quisquis terrena sectatus.

3. Ex charitate fraterna & obedientia sancta relinque priuata, & fac quæ tibi senseris aduersa. Omnia supplebit Dominus; & multo melius, quàm tu poteris cogitare. Si iniuria tibi fit, pensa quia bene meruisti. Libenter iniurias remitte à quocunque inflictas, vt Deus iterum tibi cunctas dimittat offensas. Cum audieris aliquem tibi durius loqui, noli contendere verbis austeris: sed patienter fer fratris infirma, & indisciplinatum doce ratione prudenti. *Qui verbo non offendit, ille perfectus est vir*, ait beatus Iacobus. Vtinam tot bona & sancta verba studeas proferre, quot prius vana dixisti. In recompensatione igitur leuium nocentiumque verborum, tace compunctus, vel loquere solertiori modo præmissus.

Iacobi 3.

CAPVT IX.

De examinatione conscientiæ completorio finito.

1. SErò iam facto, examinanda est conscientia de statu defectus hodierni, si solito pigrior vel feructior extitisti. Non parcat tibi ipsi in defectibus corrigendis, sed argue, quæ propria iniquitate commisisti. Tu reus es, tu hæc & illa feci sti. Recogita, quid in choro, quid in Missa, quid in conuentu, quid in mensa, quid foris, quid in cella hodie egisti vel omisisti.

2. Quando totum emendabis? Quando satisfacies Deo, & Angelis eius, & hominibus? Debitor es omnium : & ad soluenda debita peccatorum, vix vnum habes integrum nummum. Quis est iste nummus? Confessio oris, ex vera contritione cordis. Loquere ergo cum Propheta, pro venia impetranda : Confitebor aduersum me iniustitiam meã Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. Siquidem tempus magis opportunum ad recollectionem cordis, varijs occupationibus per diem distracti, videtur esse hora completorij, ad quietem sanctæ vacationis pro serenatione conscientiæ purgandæ deputata.

Confessio oris ex vera contritione vnicus nummus noster. *Psal. 31.*

3. Væilli, qui hanc horam negligenter præterit ; & de die in diem, de hora in horam locutiones protrahit ; & statum cordis moresque & actus vix semel in die examinat, quod omni hora facere necessarium foret. Quamuis enim tu negligas intima tua discutere, Deus tamen nil patietur inultum abire. Vsque ad minimum namque quadrantem, exiget talentum tibi commissum. Dedit siquidem vnicuique sensus, & legem vitæ ac disciplinæ con-

Matt. 5. & 25.

constituit ad bene agendum, & ad meliora semper proficiendum; nullum verò tempus otiosè vaneque consumendum. Ad te ipsum vel serò reuertere miser homo, totus deditus externis; qui ignoras, quando veniet Dominus, & quàm velox tibi instat exitus mortis.

CAPVT X.

De scrutinio conscientiæ in speciali.

1. QVoniam igitur *iustus in principio sermonis accusator est sui;* ideo diligentiùs perscrutanda est quotidiana conuersatio in speciali. Stultus odit increpationes, vanus non curat, superbus se excusat, piger dissimulat, dissolutus irridet. Sapiens verò vias suas considerat, præterita retractat, futura præcogitat, vitia exhorret, scripturas amat, precibus insudat. Doce sapientem, & amabit te. Securus in bonis ambulas, si mala non lateant. *Prou. 18.*

2. Capitulum culparum ergo tibi noueris diligentissimè esse seruandum. Multi computant pecunias & expensas rerum, pauci conscientiam & negligentias temporum discutiunt: ideoque magis deficiunt, quàm proficiunt. Loquuntur bona, & non faciunt: detestantur mala in alijs, seipsos autem negligunt in multis. Tu verò aliter institutus es. Et si verè proficere velis, omni vespere te discutere non omittas. Quod si feceris, renouaberis spiritu mentis, & pacem habebit tabernaculum tuum. Securè dormies, & non erit qui exterreat quiescentem in Christo. Mirum valde & tremendum nimis, quòd quis audeat ire dormitum, aliquo graui delicto occupatus, nec compunctus neque confessus. Proh dolor, plures percepi tu sua malitia & peccatorum fœcibus, subita morte extinctos, & omni amicorum solatio destitutos. Ad cauendam ergo detestabilem negligentiam in examinatione conscientiæ propriæ, de omni verbo & opere iudicium tibi hora congruenti statue, & rationem villicationis tuæ à teipso exige strictè. Serue male & piger, dic qualiter hunc diem expendisti?

3. Ecce notaui, quòd hodie suscitatus, non statim alacriter surrexisti; pigritasti in lecto, vix ad vltimum signum te erexisti, & post alios tardior venisti. Non cantasti fortiter, nec attendisti diligenter. Vana retractasti, & præ inopia deuotionis etiam dormitasti. Acceleraſti ad finem & ad lectū, & hoc mihi valde est suspectū; quia sicut impræparatus chorū intrasti, sic indeuotus existi. Verba multa prōpsisti, paruum fructū retulisti. Tardè etiā hodie ad opus accessisti, acediosè, laborasti. Locutus es inutilia, interrogasti curiosè, iudicasti suspiciosè, risisti sępe dissolutè, detraxisti, cōmotus fuisti. Corde & oculis euagatus es in choro, in mēsa, & modicum ad lecta attendisti. Secularia verba cautè auscultasti;

verba Christi & sanctorum dicta malè retinuisti. De cibo & potu cogitasti, & auidè comedisti. Gauisus es de melioribus fercu-lis, desideraſti ampliùs, de vilioribus murmuraſti. Non fuisti patiens in modico defectu, nec continens à meliori; sed magis tibi quàm fratri asidenti id adaptasti. Quæsiuisti te in paruis, & maiora (scilicet fidelitatem & charitatem) perdidisti. Negligenter horas legisti, sine deuotione, sine debita attentione, & sine distincta prolatione verborum.

4. Vide vbi corruisti, & desine superbire & gloriari de bonis à Deo perceptis. Gemens deplora interioris hominis statum, multis passionibus implicatum. Scrutare abscondita cordis, si ira, si inuidia, si concupiscentia, si auaritia, si impatientia aut tristitia te mouit & superauit. Nec solùm de malis peractis inuestigandum est, sed etiam de bonis neglectis perquirendũ. Si beneficia Dei cũ gratiarum actione cogitasti. Si pro amicis & aduersarijs orasti, si reuerentiam prælato, & minoribus fratribus dulcedinem charitatis exhibuisti. Si infirmis & tentatis compassus fuisti. Si petenti auxilium, si mœrenti solatium impendisti. Si denique honorem Dei simpliciter & purè quæsiuisti. Si humanam laudem strenuè vitasti. Si propriam voluntatem promptè abnegasti; si te nulli prætulisti. Si patienter correctiones accepisti: si pœnitentiam iunctam humiliter implesti. Si nemini molestus fuisti; si læsus clementer indulsisti; si ab iniuriato veniam postulasti. Si deuotè celebrasti; si attentè cantasti; si pertinax non fuisti. Si ad humilia opera festinasti; si contemptus non contraxisti. Si malum pro malo reddere non cogitasti, sed in bono malum vincere studuisti. His sacris scrutinijs mens tua inuigilet: istis se frequenter discutiat, increpet, & emundet; vt gratiam cautè conserues, amissam recuperes, & ad spiritualem profectum vehementius inciteris, deflens omne malum, quod hac die perpetrasti.

CAPVT XI.

De hora dormitionis & nocturnæ quietis.

1. ANte quam vadas dormitum, bona meditatione & oratione te studeas præmunire. De passione Domini vel futuro iudicio, quod te magis compungit, seriosè memento. Inuoca Iesum & Mariam, & Angelos sanctos; vt te custodiant, ac illusiones nocturnas à te longiùs repellant; ne sit somnus tuus bestialis, sed sobrius, pudicus, & quietus. Ad sobrium somnum iuuat bona custodia cordis ac sensuum per diem. Quæ enim vigilando exercentur, horum imagines in somnis libenter apparent. Signa frontem, os, & pectus: vt Deus cor tuum ab omni malo præseruet, reneſque constringat.

2. Sit

2. Sit lectus tuus velut sepulchrum, in quo quieturus es modicum, paulo pòst iterum surrecturus ad vigilias & Dei laudes celebrandas. Quantò præparatiùs transis dormitum, tanto expeditior eris ad surgendum. Deuotos hymnos & Psalmos rumina corde & ore, donec incipias suauiter obdormire. Verbum Christi in cruce vltimò dictum, in memoriam mortis eius & expirationis, tribus vicibus lege, sursum ad cælum oculis eleuatis: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis*, per filium tuum maximæ charitatis. *Luc. 23. Psal. 30.*

3. Honestè & verecundè membra tua componas, nuditatem veles; nec crebro te vertas, sed quietè & custoditè iaceas; memor Christi cruce pendendis, qui in patibulo, non in molli lecto moriens obdormiuit.

4. Si caro titillat, si tetra imago incidit, si quęuis alia passio mouet, nec quiescere te finit; ad orationem conuertere, signum crucis tibi imprime; flagellum, coronam spineam, lanceam, ac totam armaturam crucifixi oppone; ante cuius virtutem non potest hostis stare malignus, nec tentationis illusio perdurare. Adhibe quoque ignem æternum, supplicia sanctorum martyrum, confessorum constantiam, & virginum fortia trophæa. Attende lapides Stephani, craticulam Laurentij, fustes Marcelli, vngulas Vincentij, vepres & vrticas Benedicti, flammas sanctæ Agnetis, rotam Catharinæ, acutissimas testulas Agathæ, bullientes aquas Cæciliæ, lachrymas, amorem, contritionem, & pœnitentiam Mariæ Magdalenæ: dentes bestiarum, horridos carceres, nec non dura vincula pedum sanctorum. Sic Deo iuuante, & ista te cogitante, ignem igne superabis, diabolum confundes, Sanctos honorabis, & in pace Christi dormies & requiesces.

CAPVT XII.

De virtute sanctæ obedientiæ.

1 SEcurissima via ad cælum est stare in obedientia, & viuere sub disciplina, nec propria vti libertate. Qui perfectè se subijcit homini propter Deum, dabit ei Dominus gratiam specialem in præsenti, & exaltabit eum in gloria sanctorum. Tamdiu erit lis in homine, quamdiu manserit in propria voluntate. Deus sufficiens est causa & ratio, ad obediendum prælatis nostris. Multo tutius est obedire, quàm præcipere.

2. Citò erit in pace, qui citò se subijcit & obedit. *Vir obediens loquitur victorias*, ait Sapiens: & qui recalcitrat, stimulum patietur & cadet. Si vita alicuius prælati non est ita perfecta & laudabilis, sicut status & ordo requirit, tu tamen bene facis obediendo *Prou. 21.*

in bono; quia non ab homine, sed à Deo præmium accipies. Dilige præsentem, quem habes, sufferre patienter, vt mitius feras sequentem. Si hunc non haberes, forsitan duriorem sustineres. Oportet te vnum habere, nec pro tuo libitu inuenies aliquem, etiam si plures fueris perscrutatus. Bonus discipulus tam malum magistrum non habuit, quin ei in bonum cesserit, quòd humiliter obtemperauit.

3. Exemplis igitur Christi & sanctorum eius, studeas simpliciter & purè obedire propter Christum, propter conscientiam & bonam famam, propter pacem cordis & æternæ vitæ gloriam promerendam. Nemo tam quietè viuit, nemo tam securè moritur, sicut verus obediens, & in omnibus Deo & hominibus subiectus. Hoc tribuat munus, qui regnat trinus & vnus. Amen.

ALIA SPIRITVALIA EXERCITIA VIRI RELIGIOSI.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

Breuis admonitio spiritualis exercitij. Cap. I.
De oratione. II.
De dilectione. III.
De operatione. IV.
De choro. V.
De vigilijs matutinis. VI.
De meditatione post matutinas. VII.
De custodia cellæ. VIII.
De exitu ad laborem. IX.
De obedientia, & humili responsione. X.
Ad quid omnia exercitia sint dirigenda. XI.
De refugio ad Deum semper habendo. XII.
De meditatione passionis Christi. XIII.
De viri confidentia in Christo. XIV.
De commendatione cellæ. XV.
De contemptu consolationum terrenarum. XVI.

CAPVT I.

Breuis admonitio spiritualis exercitij.

1. AB exterioribus peruenitur ad interiora, ab inferioribus ad superiora, à corporalibus ad spiritualia. Paulatim proficit homo

homo, & hoc per quotidiana exercitia. Et licèt primò multa sint grauia, tamen in consuetudinem ducta fiunt leuia & sapida.

2. Tria sunt omni religioso necessaria, sine quibus non potest diu stare in bona vita: hæc sunt, oratio, lectio, & operatio. In istis omni die se exercere debet, & semper in aliquo horum occupari.

CAPVT II.

De oratione.

Orationis vires.

1. ORatio illuminat, oratio purgat, oratio consolatur, oratio lætificat, oratio impetrat fauorẽ; oratio alleuiat laborem, oratio nutrit deuotionem, oratio præbet fiduciam, oratio expellit pigritiam: oratio fugat dæmonem, oratio vincit tentationem.

Oratio perinde atque gratia necessaria.

2. Non te pigeat orare, si vis à vitijs liberari. Oratio semper est necessaria sicut & gratia, sine qua viuere spiritualiter non possumus. Orare debemus pro gratia, quia gratia est, qua tantum indigemus. Melius est orare quam legere, & in tempore suo vtrumque est agendum.

CAPVT III.

De lectione.

Oratio vbique semper præcedat, intercedat, sequatur. Lectio quantum commodat.

1. LEctio debet esse quasi oratio: & antequam legas, præcedat oratio. Lectio sacra ignorantiam nostram erudit, dubia soluit, errores corrigit, bonos mores instruit, facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad feruorem, incutit timorem; recolligit mentem, recreat fastidiosum animum. Et quia non potes continuò orare vel legere, debes aliquid vtile exteriùs operari. In qua operatione oratio præeat, oratio intercurrat, oratio totum finiat.

CAPVT IV.

De operatione.

Operari manibus quàm bonum.

1. OPerari manibus bonum est corpori, deseruit spiritui, ædificatio est proximi, & reparatio est sensus nostri. Etsi interdum pigri sumus, tamen perseuerando vincimus. O quàm deoti fuerunt Sancti, qui sine intermissione orabant. Quam studiosi, qui nunquam sacra lectione satiari potuerunt. Quam feruentes, qui frangi laboribus non valuerunt!

2. Qui propter Deum sibi aliquam violentiam facit, Deus ipsi maiorem gratiam dabit, & citò in virum perfectum mutabitur. Consuetudo mala, per bonam consuetudinem vincitur. Et bona consuetudo tandem in naturam vertitur; quod primò fuit difficile, postea leue videatur ac facile.

CAPVT V.

De choro.

Qui in choro psallit, simul & orat & legit & operatur.

1. ISta tria, oratio, lectio, & operatio, occurrunt nobis faciendo in choro, quia ibi præcipuè frequentatur oratio, in psalmis, hymnis, & collectis. Ibi etiam lectio sacra recitatur in matutinis, in epistolis, & euangelijs. Nec vnquam deest ibi perfecta eruditio, si fuerit diligens aduertentia. Ibi loquitur IESVS nobiscum, cùm cantatur; *Salus populi ego sum*. Et iterum, nos loquimur cum Iesu, cùm dicimus; *Spes mea Domine à iuuentute mea, adiuua in opportunitatibus, in tribulatione.*

Psal. 70.

2. Ibi est operatio bona & perfecta, cùm corpore stamus & ore cantamus. Non est paruus nec infructuosus labor, die noctequè chorum frequentare. Non est etiam otiosus, qui deuotè orat, immo maximus labor ad orationem se dare, cùm orare non libet. Non est otiosus, qui scripturas legit, aut legere audit, aut de eis meditatur & ruminat. Fit homini chorus paradisus, si incipit delectari in omnibus diuinis scripturis.

CAPVT VI.

De vigilijs matutinis.

Vigiletur in oratione media nocte.

1. OMni media nocte statim vt suscitatus fueris, surge alacriter; & præpara cor tuum ad vigilandum & psallendum Domino in lætitia & exultatione. Si non habes deuotionem in choro, psalle æquo animo, & expecta gratiã Domini de cælo. Sæpè dat Deus in fine quod iustè antè denegauit. Vult vt laboremus, vult vt patiẽter expectemus. Vult vt gratũ nobis sit & magnum, quod dare disposuit. Vult vt cognoscamus veraciter, quia à nobis nihil boni habemus, sed totum de sua gratia & misericordia nobis cõstat. Oremus ergo, cantemus, & laudemus Dominum Deum nostrum, qui fecit nos, quia nihil iucundius, quàm Deum corde & ore laudare. Longè sit somnolentia, longè & pigritia, vbi in conspectu angelorum & coram oculis maiestatis Dei stamus.

CAPVT VII.

De meditatione post matutinas.

1. FInitis matutinis, offer teipsum Deo in sacrificium laudis perpetuæ; vt in sui nominis laude & amore, tota die ac nocte, te dignetur conseruare. Hoc enim principale opus nostrum & se debet Deum semper laudare; & omnia opera nostra exteriora & interiora, parua & magna, ad eius honorem purè & integro cor-

corde agere. Vita angelica est, chorum cum deuotione & reuerentia frequẽtare Nam ibi plures deuoti visiones angelicas habuerunt, sæpius in spiritu rapti sunt, frequenter illuminati, dulciter consolati, & fortiter accensi sunt.

CAPVT VIII.

De custodia cellæ.

1. FInitis primis vel tertijs, studeas te continere à verbis multis & circuitionibus; sed quanto celeriùs potes, cellam pete, & aliquid boni exercitij propone, quod tibi per totam diem deseruiat. Statue firmiter, quòd hodie velis te custodire in omnibus moribus & sensibus tuis: Habere scilicet pudicos oculos, non curiosos, pauca & vtilia verba, gressum maturum & incessum humilem; & in omnibus motibus & statu nihil agere aut prætendere, quod cuiusquam offendat aspectum. Vbicumque necesse fuerit te esse, omnibus priuatis prætermissis, studeas tempestiuè venire. Nec assuescas malum vsum, posterior sæpius veniendo. Propositũ quolibet die renouandum.

2. Nihil æstima, quod facis, si non priùs feceris, quod debes. Esto igitur vbicumque cum primis alacer, & paratus in omni loco & tempore ad hoc deputatis. Communia semper præpone proprijs & priuatis. Alterius potiùs quàm propriam studeas facere voluntatem, & eris omnibus dilectus, tam Deo quàm fratribus. Pauca verba & humile responsum habeat os tuum. Melius est tacere, quàm imprudenter loqui. Libenter sis in cella: si non potes, custodi os tuum.

CAPVT IX.

De exitu ad laborem.

1. ANtequam exeas, & postquam intraueris cellam, breuem habeas orationem. Noli cor tuum effundere ad exteriora, sed disce manibus operari & corde orare. Nemo statim perfectus est, nec vna die acquiritur virtus & deuotio ista; sed quotidiano exercitio & diligenti proposito, efficitur homo deuotus & internus.

CAPVT X.

De obedientia, & humili responsione.

1. QVod tibi semel inhibetur, sic studeas dimittere, vt nõ sit opus secundò. Quod tibi pro bono dicitur, pro bono accipe, & eris semper inde melior. Non quæras excusationem in defectibus, sed humiliationem cum emendatione. Si vis semper lucrari & amari, humilia te, & tace sustinens. Virtutes semper lætificant, passiones mœstitiam generant. Sacram scripturam dilige, libenter

libenter in corde lege, & aliquid inde extrahe. Disce deuotè meditari, cum gemitu cordis orare, & mentem ad Deum eleuare.

CAPVT XI.

Ad quid omnia exercitia sint dirigenda.

1. OMnia exercitia ad hoc dirigenda sunt, vt passiones vincãtur, vt propria voluntas mortificetur, vt mundus contemnatur, & Deus diligatur: vt caro refrenetur, & spiritus ad cælestia eleuetur: vt omnibus affectionibus mitigatis, puritas cordis & tranquilla mens possideatur. Modicum laborabis, & magnam requiem inuenies. Breue est tempus peregrinationis nostræ, sed præmium nostrum erit gaudium sine fine. Multi maiora tolerant pro mundo, quàm nos pro Deo. Multi duriora patiuntur, & viriliùs agunt pro inferno, quàm nos pro cælesti regno.

CAPVT XII.

De refugio ad Deum semper habendo.

Psal. 26. Abacuc 2.

1. *VIriliter age, & confortetur cor tuum.* Dominus erit tecum, in omni tempore & loco. Quære illum, & inuenies; clama, ne cesses: si moram fecerit, expecta eum, & non morabitur. Dic ad eũ; Veni Domine, & noli tardare; Domine ad adiuuandũ me festina. Adiuua me Iesu bone, & salua erit anima mea. Seruus tuus sum ego; da mihi auxilium gratiæ tuæ, & bene mihi citò erit.

2. Domine dignare esse mecum, & ego libenter volo esse tecum. Domine propter te incepi, propter te mundũ reliqui, propter te patior tentationes istas. Propter te suscepi labores istos, propter te morior tota die. Propter te æstimatus sum sicut stultus & inutilis homo. Propter te arguor & corrigor; propter te surgo & canto; propter te ieiuno & vigilo; propter te laboro & scribo; propter te cellam custodio & taceo. Propter te omnia ago & sustineo: quia tu bene dignus es, & largus ad retribuendum mihi, in tempore tibi beneplacito. Domine suscipe seruum tuum in bonum, & non timebo, quid faciat mihi caro vel homo.

3. Domine Iesu, esto tũ refugium meum, & vnicum solatium meum. Esto tu specialis amicus meus, quia omnes amici mei me reliquerunt. Esto tu spes mea, quia vana spes in hominibus. Esto tu gaudium meum & lætitia cordis mei, quia omne gaudium mundi totum inane. Esto tu dux meus, & notus meus, & socius meus in via hac, qua ambulo; quia homines citò deficient, & auferentur à me. In te cantatio mea, in te consolatio mea; in te tota fiducia mea. Sis tu salus mea & honor meus, amor meus & dulcedo mea. Da mihi amare crucem tuam, & imitari vestigia passionis

sionis tuæ. Scribe vulnera tua in corde meo; & da mihi ex desiderio sustinere improperia & iniurias vndecumque illatas, & tibi configurari in vita & in morte. Tu mihi viuere sis, & mori pro te magnum lucrum videatur.

CAPVT XIII.

De meditatione passionis Christi.

1. MVlta bona confert passio Christi frequenter cogitata. Et quandocumque aliquid aduersitatis vel grauitatis extra vel intra occurrerit, tunc specialiter est recurrendum ad passionem Christi, & pensandum quanta Dominus sustinuit pro nobis indignis. Et in hoc debemus consolari, quia dat nobis de calice suo bibere; & vult, quòd discamus, in nobis suam passionem perfectè sentire. Modicum confert, pœnas Christi cogitare; nisi homo velit, similia libenter tolerare. Debemus etiam pensare, quanta passi sunt Sancti tormenta pro nomine Christi.

CAPVT XIV.

De virili confidentia in Christo.

1. IGitur abiecto timore seruili, induere spiritum feruoris & dilectionis. Accipe fortitudinẽ, & induere armaturam Dei, vt possis resistere in die malo. Confide fili, & noli timere; quia *tecum sum* dicit Dominus, *vt eruam te*. Confortare & esto robustus, quia plures nobiscum sunt quàm contra nos. *Ego* (inquit Dominus) *ante te ibo & pugnabo pro te; eroque tecum, ad quæcumque perrexeris*. Pone ergo totam spem tuam in Domino, & noli esse pusillanimis corde, sed constans & virilis ad omnia. *Deut. 31. Iosue 1.*

CAPVT XV.

De bono cella.

1. SIt tibi cella paradisus, chorus cælum, lectio sacra cibus. Sit tibi silentiũ amicus, labor socius, oratio auxiliarius. In choro sis stabilis & quietus, tibi & Deo maximè intentus. In cella aut legens, aut orans, aut operans inueniaris. Ad loca, vbi multi conueniunt & loquuntur, non transeas. Tene te solitarium, & senties bonum. In labore & communi societate, rarò aut parum loquaris. Rarò egredere foras, & si euocatus fueris, citò reuertaris. Vbicumque esse debes, sine mora venias.

2. Humiles & compositos mores habeas, & omnes sensus tuos sub disciplina custodias. Disce pro Deo pati, in omni necessitate & grauitate. Non sis importunus, sed omnia fac cum tranquillitate. Cum patientia & humilitate, omnes vinces aduersitates. Viriliter age, & confortetur cor tuum, & fugiet inimicus.

CAPVT

CAPVT XVI.

De contemptu consolationum terrenarum.

1. BEatus, qui non habet consolationem in terra. Beatus, qui despicit omnem requiem temporalem pro Christo. Beatus, qui pati scit, cùm à Deo & ab hominibus derelictus fuerit. Beatus, qui ordinationem Dei expectat, & omnia de manu eius accipit.

2. Disce sine humano solatio viuere, etiam cùm copia adsit cõsolatorum. Fragile & indurabile est solatium in hominibus confidere, aut nimis de eorum præsentia gaudere, vel de absentia contristari. Nec enim tu diu hîc eris, nec illi etiam diu tecum permanebunt. Citò cuncta obliuioni tradentur: & ideo tamquam nihilum & inane, omnes res mundi in corde tuo censeantur. Sit locus tuus proprius, regnum Dei & mansio cœlestis: vbi Christus est in dextera Dei Patris. Nulla terra, nulla patria, nulla ciuitas tibi placeat aut alliciat ad videndum: sed tantùm cælestis habitatio Sanctorum; vbi sunt nouem ordines angelorum, laudantes Deum in secula seculorum. Amen.

DOCTRINALE SEV MANVALE IVVENVM.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

DE commendatione sacræ scripturæ.	Cap. I.
De differentia Clerici & Monachi.	II.
De thesauro eloquiorum diuinorum.	III.
De bonis scriptoribus librorum.	IV.
De firma custodia librorum.	V.
De ornatu claustri bene fundati.	VI.
De indocto clerico, sine sacris libris.	VII.
De cantu Ecclesiæ in hymnis & psalmis.	VIII.
De festis Christi, & reliquijs Sanctorum.	IX.
De moribus humilis fratris, & vitijs superbi & pigri.	X.
De abnegatione sui & omnium rerum.	XI.
De desiderio cœlestium gaudiorum.	XII.

CA-

CAPVT PRIMVM.

De commendatione sacræ scripturæ.

1. *Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam.* Igitur ante omnes artes disce sacram scripturam legere & rectè intelligere, firmiter credere, bene ac iustè viuere, vt ad vitam æternam possis Christo fauente feliciter peruenire. Nam ignorantia diuinæ legis, mater est erroris & ianua mortis, priuatio honoris, virtutis, & salutis. Verbum autem Dei & doctrina Christi, lumen vitæ, salus mundi, porta cœli, cibus animæ, iucunditas cordis Deum super omnia amantis. Dicit quidam poeta deuotus, monachus factus: *Eccli. 6.*

Hoc est nescire, sine Christo plurima scire.
Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis,
Noxia nempe tibi.

2. Nil ergo sacræ scripturæ præponendum, nil Christo superponendum, nil illi coæquandum, qui dicit: *Ego sum ostium ouium: per me si quis introierit, saluabitur.* Et iterum: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Nemo venit ad cælum, nisi per me. Nemo liberabitur ab inferno, nisi per me. Vnde sanctus Petrus contra Iudæos libera voce clamat, & dicit: Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos saluos fieri, nisi nomen Domini nostri Iesu Christi filij Dei. *Ioan. 10.*

CAPVT II.

De differentia clerici & monachi.

1. *Oves meæ vocem meam audiunt,* ait Dominus. Ille vocem Iesu audit, qui mundum spernit, carnem domat, diabolo resistit, & vitia sua vincit, & Iesum ex toto corde suo diligit, & pro posse sequitur. Est magnum vitium, in scolis loqui incongruè latinum; sed maius est vitium, coram Angelis offendere quotidie Deum peccatis, nec inde dolere. Est etiam magnum vitium apud logicos nescire soluere argumentum; sed maius est vitium apud monachos frangere ieiunium & silentium. *Ibidem.*

2. Est magna confusio apud rhetores, titubare in lingua & verbis; sed maior est reprehensio apud deuotos cantores, errare in hymnis & psalmis, nec attendere ad sensum verborum in scripturis. Dicitur, quòd scientia non habet hostem, nisi ignorantem; & conscientia non habet acriorem arguentem, quàm seipsam malè regentem. De nullo magis conqueri & indignari habes, quàm de

de teipso, ô homo inobediens Deo, conscientia propria te accusante, absque teste aliquo in iudicio. Cùm enim contra virtutem & conscientiam agis, teipsum lædis & confundis. Igitur in omnibus agendis, sis custos cordis & oris, cùm sis ad mala pronus. Ad hæc iuuat optimè, in solitudine manere, orare, studere, scribere, operari.

CAPVT III.

De thesauro eloquiorum diuinorum.

Psal.118. 1. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.*

Libri sacri quos fructus assectant.

Vbi? In libraria nostra, multis sacris codicibus ornata. Nã libri doctorum, thesauri sunt clericorum. Docent enim ignaros, arguunt ociosos, excitant torpentes, stimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, consolãtur lugentes, laudant humiles, vituperant superbientes, confortant debiles, reprimunt præsumentes, concordant rixantes, mitigant turbatos, lętificant tristes, subsannant vanè gloriantes, iustificant pios, damnant peruersos, sanant languentes, saluant pœnitentes, honorant veraces, confundunt fictos & mendaces, defendunt iustos & misericordes, vindicant omnes iniqua agentes, scriptum est in psalmo: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium. A quibus malis nos semper custodiat Iesus Christus Dominus noster. Amen.

CAPVT IV.

De bonis scriptoribus librorum.

1. *Audi Israel precepta Domini, & ea in corde tuo quasi in libro scribe.* O dulce verbum & vtile consilium, cordi firmiter inserendum, & piæ memoriæ iugiter commendandum. Sed quia cor hominis est instabile, & memoria multũ vaga & labilis; ideo oportet adhibere infirmo animo vtile remedium, contra obliuionem & frequentem errorem; vt verba Dei scribantur in libro, ne pereant semina sancta ex ore prolata. Quoniam quidem vox audita citò perit, litera autem scripta diu manet ad legendum & prædicandum. Prodest autem multum exemplar bonum & correctum ad bene scribendum, & delectat ad sæpe legendum. Vnde quidam amator scripturæ, ait sacros libros scribenti:

Libri in subsidium memoriæ eduntur.

Scribito correctè, distinctè, protrahe certè:
Nec nimis acceleres, ne qua imperfecta relinquas.

Ille enim rem bene facit, qui nil negligit, quod status & ordo requirit.

2. Non conturberis in labore præ tædio, nam Deus est causa omnis

omnis boni operis, qui reddit vnicuique propriam mercedem, secundùm piam intentionem, in cælis. Cùm mortuus fueris, non desperabis, orabunt enim pro te, qui legerint volumina tua, olim à te satis bene scripta. Dicit Dominus in Euangelio: Qui potum dederit calicem aquæ frigidę sitienti, non perdet mercedē suam. Multo magis qui dat aquam viuam sapiētiæ salutaris legenti, in libro digito Dei scripto, non perdet mercedem suam in cælo.

CAPVT V.

De firma custodia librorum.

1. *Ponite librum istum in latere arcæ fœderis, in testimoniū coram Domino, vt sit in bona custodia, & magna reuerentia, coram sacerdotibus & omni populo.* Hæc verba & multa alia præcepta locutus est Moyses famulus Domini ante mortem suam, mandans Leuitis custodire librum legis in arca Dei aurea diligenter obserata. Igitur cum magna cautela & firma clausura, seruanda est libraria sacrorum eloquiorum ab omni putredine pulueris; ab incendio ignis & stillicidio humoris; à raptu furis & strepitu clamoris; à luto pedum & morsu vermium; ab omni macula & ruptura foliorum. Non enim dignus est in sacro libro legere, qui nescit bene custodire, & in apto loco negligit reponere. *Deut. 31.* Bibliotheca sedulò seruanda.

2. Sic accipe librum in manibus tuis ad legendū, sicut Symeon iustus puerum Iesum in vlnas suas, ad portandū & osculandum. Et postquam legisti, claude librum, & gratias age de omni verbo ex ore Dei; quia inuenisti in agro Dominico thesaurum occultum. Ab omni igitur sorde seruandus est thesaurus Ecclesiæ à sanctis doctoribus elaboratus & editus; à bonis scriptoribus scriptus & collectus, pro multorum consolatione à Deo prouisus. *Luce 1.*

CAPVT VI.

De ornatu claustri bene fundati.

1. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Placet nāque Deo & sanctis eius claustrū bene fundatum, à tumultu seculi segregatum, multis deuotis fratribus & sacris libris ornatum. Hoc etiam piè creditur placere omnibus Deum amantibus, & diuina libenter audientibus; quia claustrum summi regis est castrum, & cælestis Imperatoris palatium, paratum religiosis personis ad habitandum, & Deo fideliter seruiēdum. Verè locus iste sanctus est, Deo & Angelis eius acceptabilis, dęmonibus terribilis, deuotis amabilis; ad obsecrandū Deum multum optabilis, delectabilis, suauis, & honorabilis. Non est hic aliud, (sicut legimus & canimus) nisi *Psal. 86.* Claustri religiosi dignitas.

nisi domus Dei ad orandum, aula Dei ad laudandum, chorus Dei ad cantandum: altare Dei ad celebrandum; porta Dei ad intrandum cælos, scala Dei ad transcendendum nubes, atrium Dei ad sepeliendum mortuos, hospitale Dei ad recipiendum peregrinos, cœnaculum Dei ad reficiendum pauperes, mensa Dei ad communicandum ægros.

2. Sicut sancti angeli in cœlo Deum semper laudant, & stellæ in firmamento cæli clarè fulgent; sic religiosi & deuoti monachi nocte surgentes, hymnos & psalmos in choro cantant. Deo laudes immolant, angelos lætificant, dæmones fugant, & seipsos alarum vocibus excitant, ne dormittent. Sicut nobilis ciuitas muris, portis, & seris firmatur; sic etiam religiosum monasterium, multis deuotis fratribus, sacris libris, & doctis viris, tamquam gemmis & preciosis lapidibus decoratur: ad laudem Dei & honorem omnium sanctorum suorum, qui cum eo gaudent nunc in cælis, quia secuti sunt vestigia passionis eius in terris.

CAPVT VII.

De indocto clerico sine sacris libris.

Psal. 118. 1. SEruus tuus ego sum, da mihi intellectum Domine. Nam legere & non intelligere negligere est. Et quomodo possũ intelligere, nisi aliquis docuerit me? Et quis melius docebit, quàm tu Deus in omnibus? Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Melior est auditio & eruditio doctrinæ tuæ, negociatione auri & argenti, & cunctis opibus. I gitur ad te Domine confugio, doce me facere voluntatem tuam, & relinquere meam. In hoc stat totum, quod summè est necessarium; vt omni tempore dicam: Pater fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Nihil mihi melius, nihil animę meæ salubrius. Domine, tu omnia bona mea. Tu doctor meus, tu liber meus, quia sine te indoctus sum, & ad omnia inutilis.

Ecclesiasticus homo sine libris quibus similis.

2. Væ clerico indocto & sine sacris libris, qui sibi & alijs sæpè est causa erroris. Nam clericus sine sacris libris, quasi miles sine armis, equus sine frenis, nauis sine remis, scriptor sine pennis, auis sine alis, ascensor sine scalis, sutor sine subulis, tector sine tegulis, faber sine malleis, sartor sine acu & filis, rasor sine cultris, sagittator sine iaculis, viator sine baculo, cæcus sine ductore. Omnes isti parum vel nihil valent, nec proficiunt sine instrumentis & bono instructore. Similiter claustrum & congregatio clericorum sine sacris libris, quasi coquina sine ollis, mensa sine cibis, puteus sine aquis, riuus sine piscibus, saccus sine vestibus, hortus sine floribus, bursa sine pecunijs, vinea sine botris, turris sine custodibus

stodibus, domus sine vtensilibus. Ab omnibus his malis & animæ damnis custodiat nos pius Dominus noster Iesus Christus; & sit ipse nobis omnia in omnibus, nunc & in perpetuum. Amen.

CAPVT VIII.

De cantu ecclesiæ in hymnis & psalmis.

1. *Laus eius in ecclesia sanctorum.* Surge frater, qui dormis, & illuminabit te Christus. Surge piger, campana sonat, vocat te Christus. Surge citò periculũ est in mora. Ecce Iesus venit cũ Maria, & omnis Angelorum chorus te expectat cum corona, quã potes promereri in hac hora. Sed Satan è contrario suggerit: Iace, & dormi adhuc modicum: satis mane est, adhuc tempestiue venies. Sic suadet & blanditur caro fragilis, trahit & decipit hostis callidus, cùm ei obeditur & dormitur. Nihil enim est tam bonum, sanctum, & iucundum, tam diuinum & salutiferum, quin malignus dæmon hoc nitatur impedire, & ad malum semper trahere. Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Inimicus hoc fecit. *Psal.* 149.

2. Sed quomodo hæc euellam, Domine? Respondet sanctus Petrus: Resistite ei fortes in fide. Et beatus Iacobus similiter: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Si malũ ingerit, noli consentire. Si delectat caro, respue, contere, & repelle. Igitur inuocandus est Iesus, & Spiritus sanctus cum omnibus donis suis, qui humilibus dat gratiam, vt det etiam tibi virtutem contra diaboli malitiam. Spiritus enim sanctus suggerit menti semper bona, humilia, pudica, sobria, honesta, pacifica, simplicia, benigna, deuota, cœlestia, æterna. Sed heu spiritus malignus fallacia plenus, aut aperta mala suggerit, aut si bona quędam prædicat, mala intentione facit, vt seducat. Ipse omnis doli artifex, mille modis impugnat, repulsus redit & tentat. Cùm bona agis, dolet, & si dimittis, gaudet; mala autem suadere numquam cessat.

Aduersus Satanæ insidias crebro psallendum.

Sit ergo crebrò deuotus psalmus in ore, dulcis Iesus in corde, sancta Maria in voce. Nam his auditis nominibus, fugiet longè à te hostis immundus. Quot enim sancta verba nominas, tot iaculum in hostem iactas. Si cessas orare & legere, hostis incipit vincere & gaudere. Sed si in prece perseueras, fugit superbus, quia confusus. Ante orationem omnia præsentia exclude, in oratione Iesum Christum tibi præfige, aut in præsepe, aut in cruce. Post orationem gratias age; & quocunque ierit, cum eo vade & permane. In omnibus quæ agis, cogitas, & loqueris, sit finis, Benedictus Deus de omni bono, in cælo & in terra.

CAPVT IX.

De festis Christi, & reliquijs Sanctorum.

Psal. 25. 1. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Hæc domus tua Deus, multipliciter & sublimiter decoratur festis tuis, & Sanctorũ tuorum reliquijs venerandis in multis locis, vnde deuotio fidelium maximè excitatur ad laudãdum. Decorasti Domine cęlos, sanctis Angelis: firmamentũ, Sole, Luna, stellis; aëra, auibus; aquas, piscibus; terram hominibus & bestijs, cum alijs innumeris bonis, pro vsibus nostris. Et nunc in fine seculorum, pro speciali munere dedisti te ipsum nobis in Sacramento, tanquam dulce manna in cibum; ne essemus in hoc mundo sine Deo & Angelorum cibo. Et ideo omnis locus & Ecclesia, vbi fuerit hostia consecrata in altari vel in arca clausa, debet haberi in maxima reuerentia, cum omnibus libris, vasis, ac vestibus ad cultum Dei pertinentibus.

Christi tẽpla & festa. 2. Vide ergo & considera mira Dei opera in sancta Ecclesia. Templa Christi & Sanctorum, castra sunt Christianorum; vt in eis vigilent & orent, & contra diabolum pugnent. Festa Christi & Sanctorum designant gaudia cęlorum; vbi nunc cum Christo regnant, qui mundum contempserunt. Nomina Sanctorum, & præcipuè Iesus & Maria, sunt plagę & tonitrua dæmoniorum; quibus terrentur, vt fugiant à facie eorum. Gesta Sanctorũ confirmant corda pusillorum, vt constantes sint, & per arctam viam eos sequantur. Scripta Sanctorum, lucernæ sunt viatorum, ne in fide errent, sed sanctorum dictis firmiter credant. Signa Sanctorum confundunt facta malorum, ne bonos opprimant, & in suis malitijs glorientur. Ossa Sanctorũ roborant fidem populorum, ne mori timeant, sed cùm electis resurgere confidant.

Sanctorum nomina cui vsui sint Christianis.
Gesta.
Scripta.
Signa.
Ossa.

Imagines. Picturæ. 3. Imagines Sanctorũ excitant mentes deuotorum; ad amorem & venerationem eorum, vt pro nobis orent. Picturę Sanctorum, scripturę sunt laicorũ; vt videãt quid agere & quò tendere debẽt.

Organa Pneumatica. Cantica. Organa musicorũ in Ecclesia mouent corda tepidorũ, ad optãda æterna præmia beatorum. Cantica psalmorũ accendunt animas aridorum ad pristinũ feruorem, per ora multorũ. Carmina hymnorũ recreant aures clericorum, vt cantent & exultent in cõspectu Dei & Angelorum. Sicut fistulæ multæ in organo dulcem sonũ reddunt audientibus; sic multi fratres concorditer psallentes, valde placent Deo & omnibus cęli ciuibus. Omnes ergo simul oremus, & Christum inuocemus: Ad societatem ciuium supernorum, perducat nos Rex Angelorum. Amen.

CAPVT

CAPVT X.

De moribus humilis fratris, & vitijs superbi & pigri.

1. RESPEXIT *Deus in orationem humilium, & non sprevit preces eorum.* Optima doctrina, docens nos humiliter orare, & de misericordia Dei non desperare. Vide ergo Domine humilitatem meam, vilitatem meam, infirmitatem meam, & quotidianum defectum meum; & dimitte mihi omnia peccata mea, propter nomen sanctum tuum, & merita Sanctorum tuorum in cælo, & bonorum in terra. Non veniat mihi pes superbiæ, nec vana gloria decipiat me, nec mala tristitia dejciat me. Nulla quoque despectio conturbet me, ne fortè peccem tibi per impatientiam meam. Esto mihi adiutor in bonis, & protector à malis, Deus meus, misericordia mea. Tu spes mea à iuuentute mea, consolator meus in omni tribulatione mea. Tu salutare vultus mei, Deus meus, & nemo alius. In te tota salus, virtus, & gloria mea. Amen. *Psal. 101.*

De humili fratre.

2. FRater humilis & deuotus, paupertatis amator, simplicitatis sectator, patientiæ seruus, obedientiæ filius, castitatis custos, innocentiæ testis, concordiæ socius, disciplinæ discipulus, pacis amicus; sibi rigidus, alijs benignus. Hic secretum quærit, tumultum fugit, silentium amat, longa colloquia vitat, soli Deo vacare appetit, omnia terrena despicit, omni tempore cum Christo esse desiderat.

De superbo fratre.

3. FRater superbus, seu humili contrarius, audax & austerus, vagus & verbosus, multis tædiosus & onerosus, facilis ad iram, difficilis ad veniam petendam: propria quærit, communia negligit; rarò bene contentus, nunquam in se pacatus.

De pigro fratre.

4. FRater acedioſus, quasi semper infirmus, vltimus ferè in omni loco & horis, otio & somno deditus. Tardè ad opus venit, citò inde recedit, pronus ad exitum, segnis ad reditum, lætus ad prandium, tristis ad ieiunandum: velox ad dormiendum, piger ad surgendum; raucus ad cantandum, sonorus ad fabulandum; surdus ad obediendum, claudus ad laborandum. Tepor cordis, grauis animæ morbus, generat tædium operis, & quærit solatium foris parui valoris. Non vincitur meliùs nisi diligentia boni operis, studio sacræ lectionis, & vsu frequentis orationis, tum memoria dominicæ passionis.

Qui vult vitia vincere, oportet eum sæpius violentiã facere naturę, & Christi gratiã humiliter implorare, & patiẽter expectare.

CAPVT XI.

De abnegatione sui & omnium rerum.

Luæ 14. 1. *QVi non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Domine Deus, durus videtur hic sermo tuus, & quis potest eum implere? Audi fili mi, & docebo te; & non erit tibi graue & impossibile facere, quod dixi: Dilige me, & relinque te, & inuenies me in omni loco & tempore. Ego summum bonũ & summè desiderabile animæ tuæ. En sto ante ostium cordis tui, & pulso; aperi mihi, & introibo ad te, quia ego salus & vita tua. Ego omnia in omnibus, & super omnia amandus & laudandus. Ego totus tuus, hîc & vbique præsens; sed cæcus me non videt, & surdus non audit, & stultus nõ intelligit hæc. Tu ergo esto totus meus, & in nullo te quærens; & sapiet tibi suauissime præ omnibus Deus tuus.

2. Domine verum est quod loqueris; placet mihi omne, quod dicis. Igitur relinquam me citò propter te, ne tardè inueniam te. Tu in me, & ego in te per amorem, quem accendis in me. Oro ꝙ Domine, mane apud me libere, ne deficiam relictus à te, tamquã exul in carcere & peregrinus in itinere. Adiuua me, & saluus ero; & meditabor in omnibus vijs, verbis, & factjs tuis, die ac nocte. Diligam te Domine virtus mea pure & perfecte propter te, & omnia, à te facta propter te. Nec me nisi propter te, & sẽper plus quàm me. Omnia autem infra te, & te solum supra omnia bona in cœlo & in terra. Tu solus mihi sufficis plene & perfecte; ideo nil volo nec cupio nisi te, quies ante omnia, & supra omnia, & in omnibus Deus benedictus in secula. Amen.

CAPVT XII.

De desiderio cælestium gaudiorum.

Psal. 83. 1. *BEati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* O dulce & cæleste verbum, Laudabunt te. Non se, sed te; omnia bona tibi asscribendo, nil sibi vane attribuẽdo. Sed quomodo laudabũt te? Altissime, deuotissime, purissime, suauissime, feruẽtissime, clarissime, securissime, felicissime. Quid plura? Noli quærere vltrà ampliora & meliora, vbi Deus est omnia, totus præsens, præstans, & illustrans omnia, & beatificans omnes & singulos in gloria.

In cælis beati spiritus quomodo laudant Deũ.

2. O vere vita beata, digne laudanda, summe amanda, maxime desideranda; vbi omnia bona simul perfecta cum Deo & in

Deo

Deo vnita, iucundissime sine amissione & aliqua minoratione perpetuè firmissimeque durabunt. Beati ergo omnes, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Inter hæc sæpe suspiro exul in mundo, elongatus à regno Dei, & cum sancto in psalterio intimè oro: O quando consolaberis me, quando lætificabis me vultu tuo in regno tuo? Educ de carcere animam meam, vt confitear nomini sancto tuo, & laudem te cum omnibus Sanctis tuis, per æterna secula seculorum. Amen. *Psal. 118.*

DE VERA.

COMPVNCTIONE CORDIS.

1. FLete mecum omnes amici mei, & videte dolorem meum, quia vehemens est. Attendite plagam meam, quoniam profunda est. Quid est, quod defleo? Hoc inquam est, quia proiectus sum à facie Dei cæli, à facie oculorum eius. In tenebris & in vmbra mortis sedeo, & lumen cæli non video. Quale igitur gaudium potest esse mihi? Miser ego homuncio descendi ab Hierusalē in Hiericho, & incidi in latrones crudelissimos; qui etiam despoliauerunt me tunica immortalitatis, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Inuenerunt me custodes ciuitatis, percusserūt me & vulnerauerūt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. Nunc ergo filiæ Hierusalem nūciate dilecto, quia dolore repletus sum. Mittite ad illū dicentes: Ecce Lazarus, quem amas, infirmatur. Domine, puer meus iacet in lecto paralyticus, & malè torquetur. Iam multos annos habeo in infirmitate, claudus sum ego seruus tuus ex vtero matris meæ; quia graui vinculo originalis peccati obnoxius sum & constrictus.

2. Filius Adam præuaricatoris ego sum, & filius mortis, totus in peccatis natus. Miserabilis introitus meus, & horribilis exitus meus. Et quò fugiam? Nescio. Si ascendero in cælum, tu illic es, qui peccantibus non parcis. Et si descendero in infernum, ades, vt punias præuaricantes. Vbi abscondam me à vultu iræ tuæ, quia peccaui nimis in vita mea? Aspexi sursum in cælum, & dixit Deus: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Respexi iterum in abyssum, insonuit vox terribilis: Ligatis manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor den-

dentiũ. Exhinc conturbatus factus cœpi pauere, & multum mœstus esse: sed & omnia ossa mea immutata sunt, à facie iræ & indignationis Domini. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi: Quis ergo poterit saluus esses? Si iniquitates obseruauerit, quis sustinebit? Terribile & sanctum nomen eius.

3. Sed nunc tace anima mea. Audiui enim consolatoriam vocem, loquentem ad eos, qui in tristitia & luctu sunt, Scribe: Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et iterum: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Vox Domini cõsolantis seruos suos. Vox Domini post tergum monentis. Conuertimini filij hominum, & viuite. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et Propheta occurrens mœrentibus, sic
Psal. 33. ait. *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Et de semetipso loquitur verbum consolatione plenum; *Audiuit Dominus, & misertus est mei; Dominus factus est adiutor meus, quoniam non spreuit deprecationem pauperis.* Ecce adhuc locus est, & necdum clausa est ianua. Poteris ergo per pœnitentiã omnia instaurare, & mala quæ fecisti, & bona quę omisisti. Iam noli nimis expauescere. *Ve-*
Luce 19. *nit enim filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.* Et
Matt. 9. rursum: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

4. Eleua igitur te anima mea in confidentiam bonam, quia Dominus locutus est. Vita tua inferno appropinquauit, & morti tradita eras: sed Deus misertus est tui, & cogitauit tecum facere misericordiam suam. Timuisti valde à facie Dei, & cogitasti, vt
Genes. 3. absconderes te ab eo, sicut pater Adam fecit, quãdo peccauit: sed
Ione 1. hoc frustra cogitasti. Meditata es quoque fugam in aliquã regionem, quemadmodum Ionas fugit à facie Domini in nauim: sed & in hoc vanè laborasti. Neque enim occultando, neque fugiẽdo, manus Dei euades. Reuertere igitur per aliam viam in regionem cælestem, quam ostendit tibi Deus, vt ambulares per eam. Hęc est via: Pœnitentiam agite. Optimum consilium & forte auxilium datum est tibi de cælo. Consilium tale est, vt dignè pœniteas, & flendo peccata tua vindices; & sic reconciliata pacem habeas ad Deum. Auxilium tuum à Domino, qui fecit cælum & terram.
Psal. 123. Qui cùm tantus esset, pro te omne debitum soluere dignatus est.
Ephes. 5. Tradidit enim in mortem animam suam, & pro transgressoribus
Esa. 53. exorauit, vt non perirent; & ita morte sua eripuit te à morte æterna, & auxiliatus est tibi per crucem suam.

5. Istud quoque recommendans fidelibus Paulus Apostolus
Coloss. 2. ait: *Peccata nostra tulit affigens illa cruci, condonans nobis omnia delicta, vt viuamus cum illo.* Hinc in alio loco idem Apostolus loquitur:

quitur: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Ecce qualem consolationem, & quantam spem reliquit Deus peccatoribus; sed pœnitentibus, sed conuersis. Memento verbi sancti sui, in quo spem dedit tibi. Et nunc Domine, prosterno me in oratione ante te, & clamo ex toto corde meo. 1. Tim. 1.

Oratio.

6. DOmine Deus sancte Pater, peccaui in cælum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus. Sed Pater mi, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. Iustè agis, si proijcis me à facie tua: sed misericorditer facis, indignum omni beneficio recipiendo. In hac confisus misericordia procido ad pedes tuos, lachrymas fundo, vestigia tua adoro & osculor deuotè, te deprecans humili & contrito corde. Respice misericors Deus super pulicem vnum & canem mortuum; & propitiare mihi, sicut beatissimæ Mariæ Magdalenæ quondam peccatrici veniam ad pedes tuos tam citò promerenti. Prætende misericordiam tuam scientibus te: da dexteram profugo seruo tuo, & videant oculi tui piissimi contritionem cordis. Nec irascatur Dominus meus in perpetuum, super malignitatem serui sui: sed vniuersæ multitudinis misericordiæ suæ a seculo recordetur, & sit hodie placabilis in seruum suum. Exaudi (Domine) hanc vnicam petitionem, quam fundit coram te seruus tuus, genua flectens ante omnipotentiam tuam, adorans super terram vultum gloriæ tuę: quia stultè egi & insipienter nimis, multoties offendens mansuetudinem tuam, non veritus thronum regni tui. Dimitte obsecro omnem noxam seruo tuo, & ne deleas nomen meum de libro viuentium; sed in electorum tuorum numero me scribere digneris, vt inueniar in laudem & gloriam sancti nominis tui. Amen. *Luc. 15.* Oratio agnoscentis se peccatoris. *Psal. 15.*

7. O quanta est misericordia tua Domine, qui vt bonitatem tuam abundantiùs ostenderes, voluisti hominẽ dignum morte à morte liberare. Insuper profugos & fugitiuos seruos voce benignissima reuocare studuisti, mitttens fideles seruos & amicos tuos hora cœnę dicere inuitatis, quia parata sũt omnia, venite ad nuptias. Debueras ex iustitiæ ordine misisse expeditos vernaculos post inimicos tuos, qui noluerunt te regnare super se, & occidere homicidas illos, quia digni erant; aut in carcerem mitti, donec redderent nouissimum quadrantem, aut deputari cum ijs, qui in inferno sunt. Sed non es vsus hac potestate, sed omnem mansuetudinẽ tuam ostendisti, patienter ferens omnia vsq; ad tempus, vt liberentur dilecti tui, & fugiãt à facie arcus; hoc est, vt iudicium horrendum conuersione digna præueniãt. Longanimitas Dei in expectãdo peccatores. *Matt. 22.* *Psal. 101.*

Psal. 59. Si enim voluisses extendere manum tuam in impios, & in cunctos qui peccauerunt, multos perdidisses, qui iam amici tui facti sunt, & inter primos apud te locum inuenerunt. Non haberes nunc Petrum, qui ter negando peccauit: nec Paulum, qui persequendo blasphemauit: neque Matthæum publicanum, qui terrenis lucris inhiauit: sed nec vnum quidem de principibus magnis Apostolis tuis, quos constituisti iudices super omnem Ioan. 21. terram. Nunc quidem charissimi tibi facti sunt, & nota fecisti eis omnia, quæcumque audisti à Patre; & clarificatus es in eis, & ipsi clarificauerunt nomen tuum super terram. Hæc fecit omnipotens manus tua, & misericordia tua, & dextera tua repleta omni dulcedine. Abscondens enim omnem iram tuam, voluisti nos facere filios gratiæ, & consortes diuinæ naturæ, & cohæredes regni tui.

8. O fons pietatis & infinitæ miserationis, qui numquam superefluere cessas, sed appropinquantibus tibi semper expansus permanes. Ad te vtinam omnes ingrediantur, & gustent de cibis mensę tuæ, quoniam suaues sunt, & non est in illis mors neque amaritudo aliqua. Sed non in omnibus beneplacitum est tibi. Multi enim conuertunt se retrorsum, diligentes hoc seculum magis, quàm cœtum sanctorum filiorum tuorum: desperantes semetipsos & seruientes immunditijs & iniquitatibus, quorum Iob. 20. manet iudicium certum; & longè à te facti, sub sentibus esse delicias putant. Dilecti verò filij tui, & fideles serui tui odientes mala, ipsi diligunt te in toto corde suo, meditantur die ac nocte in mandatis tuis; & hos abscondisti sub alis tuis, ne capiantur illecebris seculi. Hi plerumque desiderio magno vitæ perpetuæ flagrantes, citiùs dissolui cupiunt, vt tecũ multo feliciùs viuant. Et cùm non exaudiuntur ad voluntatem suam, fit tamen ad salutem ipsorum & tuam dispensationem, vt adhuc laboribus exerceantur. Nõ quòd tu (Domine) minùs illos tunc diligas, quia illorum mox preces & desideria non imples: sed differendo copiosiùs vis remunerare, quos ampliùs fatigari in hoc mundo permittis. Bene illis, qui tantã assecuti sunt à te gratiam; qui iam æternę vitæ desiderio æstuant: & per fructum boni operis, manipulos retributionis præstolãtur. Ego qui peccator sum, & peccatorum meorum pondere premor, quomodo leuare audeam oculos meos, in montes istos eximios sanctos tuos & perfectos viros, qui terrenam habitationem tanquam vallem lachrymarum, altitudine conuersationis excreuerunt, & cælum iam contemplationis acumine tangunt?

Dei pietas erga suos.

Apoc. 8. 9. Væ, væ, væ, (inquit Ioannes Apostolus) habitãtibus in terra. Væ carnalibus mentibus, & hunc mundum adhuc per desiderium in-

inhabitantibus. Væ etiam his, qui paſsionum multarum aculeis circundantur. Et vę longè errantibus à via iuſtorum, qui nõ flẽt, ſed vanè rident, & (quod grauiùs eſt) cùm in præſentia Dei male agunt, hoc ipſum non metuunt, ſed ſubitò paruipendunt. Quid ergo mirum, ſi nunc doleo, ſi tamen (vt dignum eſt) & verè doleo? Nam dolor internus mutat affectum hominis, & non vult gaudere, nec amodo conſolari in terrenis. Vide vnde dolere & flere debeas. Satis rarò perfectè ſe colligit animus, & interdũ vix lucet deſuper veritas, & modica ex parte fruitur anima ſuo cæleſti cibo. Ideo meritò gemere poteſt amore grauata terreno, quia Deo facta eſt & ſibiipſi tam ignota. Deploret igitur, quicunque cor intus habet, in ſemetipſo, & dicat; *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam.* Hoc inquam eſt, quod intra meipſum percogitans defleo, quia terrenis (pro dolor) & viſibilibus rebus ſine neceſsitate ſæpius implicor, aliquoties delector, quandoque difficulter (quod grauius eſt) auellor. Heu me ab ijs, quę nociua mihi ſint, & quę deteſtor ſępius & odi, rurſum tamen captiuor ab illis. *Pſal.* 101.

10. O lutum, lutum, vſquequo adhærebis mihi? O tenebræ & lubricum, quamdiu inuoluar à vobis? Quamdiu patiar vos, & quouſque ero vobiſcum? Magna infirmitas mea, vt ſtare ſit difficile, procliuum autem vitijs & mentis calamitatibus ſuccũbere. Sum etenim terrenus, de terra formatus; & ideo naturali fragilitate plus terrenis quàm cæleſtibus me ſentio cogitationibus commoueri. Æterna bona minùs auide quęro, quæ ſurſum ſunt nõ ſapio, & areſcit tanquam teſta virtus mea, quia oblitus ſum comedere panem meum. Meum inquam meum, quẽ Deus Pater dederat mihi, ſed iã mutatus eſt mihi in terrenum. Et qui cæleſti frumento ſatiari potuiſſem, ecce manduco cinerem. Queſtus peccatoris ob miſeriã & pericula vitæ præſentis. Pericula vitæ præſentis.

11. Miſer & multum infelix ego ſum, qui ad hanc inediam perueni; vt ſuperna neſciens & negligens ad amandum hæc inferiora me vertam. Ad edendum & guſtandum delicias perpetuas, ſuper mel & fauum dulciores, creatus eram: ſed peccans in Deum meum excæcatus ſum, & illas amiſi epulas, atque mundi huius cupiditatibus foueor. Tantoque licentiùs cor meum ad ſingula terrena ſolatia effuſum eſt, quanto longiùs ſe ab intimis expulſum deprehendit. Conuerſus tamen aliquando ad meipſum, in iſtis terrenis felicẽ me non inuenio. Nam multis aduerſitatibus multiſque doloribus circundor & repleor; & in multa poſitus anguſtia, ſæpiùs contriſtor, & quid eligam ignoro. Coarctor nimis è duobus, & quid præponam alteri tardè quidem & vix diſcerno. Illa quæ ſupra me ſunt peto, vt veniant, & nõ ſemper præſtò ſunt: hæc quæ infra me Deus poſuit, opto vt diſcedant, & ipſa ma-

manere iuxta me nõ vocata volunt. Veniunt cateruatim ad me, & cum eis cogitationes diuersæ; quædam ex seculo, aliquæ ex carne, plures ex diabolo, & circundantes me vndiq; dicunt: Os tuum & caro tua sumus.

12. Maneamus paululum apud te. Consentire nobis: Amicus esto noster, & sede hîc etiã apud nos. Blandimentis suis & promissionibus magnis astutè mihi insidiãtur; minis & terroribus variisque malorũ euentibus, animam meam nituntur affligere. Ego autem quoniam mortalis sum homo, & imbecillis ad resistendum, horum persuasionibus & importunitatibus, vt oportet, non satis contradico. Et tamen si ita, vt suadent, fecero, certum est, quòd fallor, quoniam in dolo mecum loquuntur, & nõ est ex Deo ista persuasio, sed ex maligno. Qui enim ex Deo nati sunt, resistunt diabolo, & fugit ab eis. Et qui odio habent mundum, & quæ in eo sunt, non est quòd retardat illos. Qui etiam in Deo sapientes sunt, non credunt omni spiritui: sed probant omnia, vtrùm ex Deo sit spiritus, an ex mundo. Audiunt quidẽ, sed non consentiunt dicentes: Nescimus, vnde sitis. Discedite, quoniã ex patre diabolo estis, & veritas in vobis non est. Talis est conflictus piorum: & quis sit labor tentationum omnium, nouit Dominus, qui vniuersa respicit. Vita ista doloribus & pressuris plena est, sicut optimè norũt, qui de amaritudinis eius calice biberunt. Quærit idcirco humanus animus, vnde possit respirare, & frustra est omnis consolatio, nisi assit diuina. Quotidiana instruitur experientia, quòd fallax est omnis spes terrena, & in amaritudinem illi proueniet, quicquid extra Deum in tempore huius peregrinationis quærit.

13. Heu mihi, quia longinqua facta est habitatio mea, & non est vtique in hac vita tale quid, in quo requiescat tutè anima mea. Dicunt mihi singula membra mea: Noli pro nihilo fatigari, quia priùs consumeris, antequam poteris satiari in his terrenis. Dicit proinde spiritus meus, qui cibum suauem, deliciosum, & optimum semper appetit: Reuertar in domum meam, vnde exiui: quia melius mihi erat tunc, quàm nunc: etiam nauseam patior in his, quæ foris oblata sunt. Sed, ô caro mea, vtinã hanc vocem audires: & postposita tua prudentia, spiritum emulari velles. Proculdubio vitam inuenires, & mortem euaderes sempiternam. Temporale debitum oportet te persoluere, quia damnata es in prima præuaricatione. Et ideo prudenter ages, si te omni mansuetudine spiritui subderes, rebellemq; te non faceres: vt secunda mors te non tangeret, sed in requiem æternam, quam maximè diligis, introires.

Anima spiritui obediat.

14. Sequere ergo me, & spiritum tuum noli cõtristare aduersus

sus eum concupiscendo; magis verò ad omnia, quæ ille præcipit, parator esto. Dico tibi, si particeps fueris tribulationis, eris & cõsolationis. Indue te cinere & cilicio, descende, sede in puluere filia Sion. Plange mecum, quia non est mihi bene: & dolor meus non est modicus, neque momentaneus. Deus meus & Dominus meus iratus est super seruum suum, & maledixit operibus eius, & dixit: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo*. Et ego confiteor, quod ideo terram desiderabilem iustè amisi, quia mandatum Dei non custodiui. Cibus meus non erat, antequã huc cecidissem, animalis, terrenus & corporeus, sed cælicus, Angelicus & spiritualis. Panis triticeus, subtilis & discussus erat, quem parauerat mihi Deus; nunc autẽ hordeaceus, grossus & mucidus factus est: Etiãsi dixero, quòd sit subcinericius, qui non est reuersatus, verum fatear. *Gen. 3.*

15. Bene ergo deploro ego dolorem meũ, quem concepi de exilio, in quo natus sum; & damnum meum, quod sustineo in terra aliena. Plangite simul filij hominũ, & flete super vosipsos filij Adam; qui cinerem tanquam panem manducatis, qui cælestem cibũ pro terreno commutastis. Et ô infelices & cęci filij, quid amisistis? Verùm quia non agnoscitis, propterea minimè fletis; & eo magis deflendi estis, quòd tam grandem miseriam vestram non videtis. Intuemini excidiũ meũ, quibus priuatus sum delicijs, & quantis malis circũseptus. Laboro iam in præsenti vita, & die ac nocte suspiro pro æterno conuiuio, vbi nemo esurit, sed omnes in iucunditate vinũ bibunt: vinũ lætificans & clarificans sanctorũ corda, non mentes euertens: nec est, qui mihi haustũ ex illo præbeat. Vix pugillus aquæ salutaris, quæ in cælestibus regnis exuberat, datur postulanti. Clausũ est cælũ super me, & terra non dat fructũ suum, sed spinas & tribulos germinat mihi, & vos dicitis; Cur fles? quare non comedis & bibis? Filij hominum, vsquequo graui corde? Vsquequo talia sapitis? & quare affligitis cor meũ loquentes mihi stultitiã? Non est vobis pars in sermone Domini, & subuertere quæritis iustum mendaci promissione, dicẽtes: *Pax pax, & non est pax*. Quid vobis & paci? *Non est pax impijs, dicit Dominus*. Nec enim propterea fleo, quia dies non sum, quia vino & pane, frumento & oleo, non abundo, sicut vos abundare quæritis: sed quia in mundo sum, & illum nondum video, qui est vera pax & summa beatitudo. Intendite plagæ meæ, & palpate vulnera mea: & si mecum non vultis flere, dimittite me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ex hac vita, & amplius non reuertar. *Esai. 48.*

16. Sedebo interim lugens, & contristatus incedam: foras nõ egrediar, sed moriar in nidulo meo, & sepeliar in sepulchro, *Iob 2.*

quod

quod effodi mihi. Gauisus sum vehementer, quòd inueni sepulchrum; vt dormiam in illo, & non videam mala super terram. Tædet animam meam vitæ meæ, & dolor meus renouatur quotidie. Peto ergo mi Domine Deus, vt absoluas me ab omni peccatorum vinculo, & desuper terram eripias me, quia melior est mihi mors quàm vita. Et quid hic ampliùs faciam? Trãseunt dies & dies, anni & anni, seruus autem tuus non multum proficit. Ne protrahas indignum seruum tuum, nec patiaris eum
Psal. 118. diutiùs vagari post vanitatem huius vitæ. Erraui sicut ouis, quæ perijt; require seruum tuum Domine, quia tempus est. Neque
Psal. 105. iustitia mea, neque bonitas mea Domine: sed misericordia tua & mansuetudo, quæ mensurari non potest. Secundùm hanc fac mihi seruo tuo, & visita me in salutari tuo, ad viuendum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lętitia gentis tuæ; vt laueris cum hęreditate tua quam acquisisti sanguine tuo. Qui cum Patre & Spiritu sancto manes Deus benedictus in secula. Amen.

DE SOLITVDINE ET SILENTIO.

CAPVT PRIMVM.

De Solitudine.

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

Præfatio, in qua commendatur solitudo. §. 1
De consideratione diuinæ bonitatis. 2
De humilitate nostra, secundùm ordinationem Dei. 3
Vtile esse existenti in quiete, vt recogitet de priori labore. 4
De amore ad solitudinem & secretum. 5
Quòd non omnium est vacare. 6
Contemptus consolationum extranearum. 7
Consolatio infirmorum. 8
Consolatio in scripturis diuinis. 9
Spiritualis dilectio ad Sanctos. 10
Congratulatio ad piè defunctos. 11
Consolatio spiritualis hominis. 12
Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur. 13
Signa deuotorum. 14

Tem-

Tentationes deuotorum. 15
Reprobatio temporalis solatij. 16
Commendatio dulcedinis caelestis, quæ est in Christo. 17
De familiaritate cum Iesu. 18
Quòd diuersimodè nunc adest Iesus dilectis suis. 19
De laude patientis aduersa cum Iesu & scandala. 20
De solatio habendo cum Christo Iesu. 21
Vita Christi & sanctorum extra mundum fuit. 22
De quiete cellicolæ à turbine seculi. 23
De inclusorio & secreto cordis in omni loco. 24

1. *Præfatio, in qua solitudo commendatur.*

CHarissime, cũ esses in occupationibus externis, & pro nomine Christi laborem subijsses fraternum, breui quadã admonitione (sicut tunc poscebat rei vtilitas) te iuuare quasi spirituali manu volui, quoniam aliter non potui; vt dum illam aliquãdo attenderes, rectiùs inter curas ambulares. Sed iam nunc cũ solutus sis ab illo onere, & restitutus pristinæ quieti, etiam solatium fraternum tibi nolo subtrahere: sed modicum de amore cellæ & silentij custodia (quia sic ordo postulat viuendi) dicam.

2. *Consideratio diuinæ bonitatis.*

DEbes in hac restitutione tua, diuinam super te bonitatem multiformiter attendere & ei, quacunque de causa factũ sit, multum regratiari. Autũno quòd pro tuo profectu erit, quicquid expertus es in illo officio, quod ante nesciebas. Spero iterũ, quòd nõ minùs tibi prosperabitur ad bonum tuum, quoniam liberatus es & solutus, atque tibi plenius redditus.

3. *De humilitate nostra, secundum ordinationem Dei.*

IN omnibus denique temporalibus variationibus, siue per nos siue per alios contingunt, supernam ordinationem considerare debemus; & tali ordinatione nos humiliter Deo prosternere, atque petere, vt ipse nobis donet, quod saluti nostræ plus viderit prodesse. Sicut lutum in manu figuli, ita nos in manibus eius. Tantùm dignetur nos facere vas in honorem, & non in contumeliam. Siue fecerit nos paruos, & contemptibiles, & extremos inter fratres nostros, non hoc multũ curemus, dummodo æquè illi mereamur placere. Et vtiquè credimus & confiteri debemus; vnum Deum patrem nos omnes habere, quotquot siue per gratiam

tiam siue per naturam existimus. Et ideo de inæqualitate meritorum & distributione officiorum, nulli expedit iniustè cogitare aduersus aliquem quantumlibet despectum & inferiorem cęteris hominibus in hoc mundo. Ad propositũ ergo rediens dico, quòd propter dimissam illius officij curam, non es modo inferior aut inutilior ad pia opera facienda, de quo aliqua scripsi tibi, vt sensseras tunc conuenientia: sed forte modò talia non sapiunt, quia non conueniunt bene. Sed quid in futurum adhuc valeant, nescis, cùm possit res consimilis aduenire. Sunt tamen ibi, si aduertis, quędam quę quieti & proposito prędenti deseruiunt.

4. Vtile est existenti in quiete, vt recogitet de priori labore.

In quiete & ocio suauis est & vtilis recordatio laboris præteriti.

SI ergo ad memoriam tuam redeũt illa onera & occupationes elapsæ, forsitan vtiliter interdum prosunt; tunc credo clarius senties, quantũ distat inter tunc & nunc. Videbis quoque, quod tuæ virtutis non fuerat animam potuisse sub interiori custodia in occupationibus seruare, quando & in quiete vix cohibere se prævalet humana infirmitas. Pepercit igitur tibi Deus, & ideo gaude in adepta simplicitate; & conuerte sensum tuũ liberiùs iã ad intelligentiam spiritualiũ rerũ. Citò vilescet sapiẽtia terrena, amanti cęlestem sapientiam. Rarò diu conueniunt, frequens exteriorum occupatio, & diuinorum secretorum notitia.

5. De amore ad solitudinem & secretum.

Cant. 8. Ioan. 5.

Psal. 34. Psal. 35. Psal. 26. Psal. 28.

FVge dilecte mi, ait sponsa: quia & sponsus Iesus legitur etiam declinasse à turba constituta in loco. Eris frequenter cũ Iesu, si amaueris secretum, & curaueris custodire paradisi locũ, quem beatus Hieronymus cellam nominat dicens: Quamdiu non es in patria, cella sit paradisus tuus. Inibi gaudebis in Domino, & confabulaberis ei; & ille respondebit tibi: Appropinquabit cordi tuo lux eius, & veritas manifestabitur tibi amplius. Sole orto & feruente, multiplicabuntur radij illius; & Christo veniente, illustrabitur interior domus tua. Emundaberis lumine nouo, & in fulgore eius persultabunt omnia interiora tua. Et dices: *Domine quis similis tibi?* Quàm verus sermo, quem legi: *In lumine tuo videbimus lumen?* Et nunc Domine Deus, illuminatio mea, & salus mea, in lumine tuo ambulabo, & in nomine tuo exultabo tota die, & in iustitia tua exultabo; quia gloria virtutis meæ tu es, & in beneplacito tuo voluntas mea stabit.

6. Non

6. Non est omnium vacare.

COnsidera gratiam tibi desuper datam, & viuere secundùm eã curato, quoniam non omnibus sic vacat solatiari cum Christo, quemadmodũ oblatum est tibi aptũ & sufficiens tempus prę cæteris. Tantũ asit spiritus Iesu, qui docet & illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mũdum. Cũ enim adest spiritus eius, non habes requirere præsentiam alicuius hominis, vt consoleris. Quando autem abest, exspecta eum, quoniam veniet, & non tardabit. *Ioan. 1.*

7. Contemptus consolationum extranearum.

CAuere tamen oportet, vt deforis superflua solatia non petãtur: sed vel interim silentio & luctui insistere, aut cũ amico de negligentia & angustia sua conferre. Et ista hominis consolatio, satis vtilis & necessaria tempore suo, quia non omnium est dicere cum Apostolo: Quia non ab homine, neque per hominem didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Qui humano solatio non eget, multum super hoc regratiari Deo potest. *Galat. 1.*

8. Consolatio infirmorum.

ET qui adhuc carere non potest, quid nisi Deum in seruis suis humiliter audire debet: & non sicut ab homine, sed tanquam ab ore Dei prolatum sit, consolationis verbum suscipere? Qui etiam per scripturas nobis adhuc tanquam paruulis loquitur, habeamus tamen aliquid, vnde consolemur.

9. Consolatio in scripturis diuinis.

EST enim non parua consolatio, qui nullam exteriorem habet, quòd delectatur in scripturis diuinis. Et cùm legit Euangeliũ aut Prophetas, nonne videtur quodammodo colloquium celebrare cum Iesu & Apostolis eius, nec cum prophetis antiquis? Et cùm cæteros libros doctorum auidissimè legit, quid nisi ex bona eorum societate, à se omne mentis fastidium repellit? An non sæpissime, cùm Augustinum vel Gregorium legis, tanquam prę sentes eos intueris? Aut minori affectu eorum dicta complecteris, quia in carne non sunt; quàm si viuerent, & ad te sua scripta direxissent?

10. Spiritualis dilectio ad Sanctos.

POsset fortè magis aliquid conferre tibi veneranda ipsorum prę sentia: sed spiritualis homo hanc affectionem facilè supergreditur, cui in Deo omnes viuunt & præsentes sunt; qui

&

& in hominibus sanctis non tantum corporalem aspectum, quantum diuinam in eis gratiam intuens, spiritualiter eos vbique diligit & veneratur. Nonne & prædictorum duorum Patrum sententia meminit, quòd ideo Iesus Christus suam nobis corporalem subtraxit præsentiam; vt fide coleretur potiùs quàm oculo, & spiritu ac mente arctiùs diligeretur quàm aspectu? sicut idem ipse Dominus noster ait: *Nisi abiero, paraclitus non veniet. Expedit enim vobis, vt ego vadam.* Ioan. 6.

11. *Congratulatio ad piè defunctos.*

CVm ergo tollũtur à nobis spirituales amici, si sequũtur Christum ad cælos ascendentem, congaudendum erit vtique eis; quia vadũt ad Patrem, quia illam cælestem mansionẽ accipiunt, ad quam nostra peregrinatio in hac valle lachrymarũ toties suspirat. Si verò aliqui adhuc differuntur à regno, pro paruulorum eos nimirum consolatione viuere credendum est, quibus lac spiritalis consolationis opus est.

12. *Consolatio spiritualis hominis.*

QVi autem ad tantam gratiam peruenire potest, vt sine humano solatio etiã & solus viuere dulce habeat, gaudeat quia quanto exteriùs minus quærit, tanto vberius intus per spiritum consolari merebitur. Huiusmodi hominis est, iugi meditatione diuinæ legis cuncta terrena obliuiſci, & ardenti mentis desiderio beatorum gaudijs interesse, ac omnem consolationis suauitatem in illa beatitudine constitueret atque ex hinc frequenter haurire fluenta deuotarum lachrymarum, quæ ipsi etiam præ amoris magnitudine dulces sunt, quemadmodum sanctus Dauid ex desiderio videndi Deum loquitur: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Quàm bonum est homini sic esse! sed non sine labore & custodia sui poterit diu sic esse. Multa sunt enim, quæ hominem à suo proposito retrahunt. Psal. 41.

13. *Communis vita magna iam apparet, si bene seruetur.*

SEd tamen magnum pro nunc videtur, si quis communis vitæ sequens formam nullos superfluos exitus & circuitus faciat licet propter grauitatem vitæ, quandoq; necessarios egressus deuitare aliquid maius sit. Qui adhuc largioribus indigent consolationibus, non sunt despiciendi, nec frãgendi: fortè expedit aliquibus, vt parumper de aere rapiant. Quia si omnem perdiderint humanam

humanam consolationem, cùm diuinam nondum idonei sint perfectè capere, consumentur tædio, & affligentur plusquam oportet, nescientes viam fortium imitari. Tu autem ascende modicum altiùs, & sic compatere aliis, vt imitari tamen eorum infirma non velis. Strictiora tamen & grauiora, quàm portare sufficias, non approbo; sed secundùm facultatem tuam, secretum & solitudinem, vt religiosiùs vaces, propono.

Infirmorũ habeatur ratio, quo ad solatia pertinet.

14. *Signa deuotorum.*

BOnum signum deuotionis est, cellam amare, vel alterum locum aptum ad vacandum Deo expetere, ne impediatur spiritus in oratione vel meditatione cęlesti. Amabilis talis vita, non onerosa. Siquidẽ deuotis mentibus omnis locus secretus aptus & placidus, & omne tempus breue ad exercitia spiritualia.

Spiritualis homo secessum amat.

15. *Tentationes deuotorum.*

FOrte aliter interdũ sæpè experiuntur: & eis quælibet dulcia & leuia, in amaritudinem & tædiũ vertuntur. Cùm ergo talia superueniunt, non idcirco priora bona postponere debent: nec putare quòd Deo displiceat propositum sanctum: sed cogitare quàm vtile sit, vt quandoque parum tribulentur, & probentur à spiritibus malignis, & sic per patientiã fructus bonos afferant. Admonentur per hæc quoque, de cætero fieri solicitiores ad tolerantiam aduersitatum, quia non tantum in quiete, sed etiam in tribulationibus & tentationibus, Deum diligere & laudare, glorioſior profectò via perfectionis est ad eternam vitam.

16. *Reprobatio temporalis solatij.*

QVid potest boni conferre homini, breue & inane foris solatium? Aut quid, postposito creatore, capietur de creatura iucunditatis? Nisi per creaturam quærat ascendere ad conditorem, laborabit, nec satiabitur anima eius. De consensu, creatoris ad amandum creaturas exire licet, de sensu verò carnis attrahere delectationem, vetitum est spiritui.

17. *Commendatio dulcedinis cælestis, quæ est in Christo Iesu.*

AGnosce Sponsi cælestis speciem, & aduerte dignitatem amoris tui; quia quicquid præter ipsum amaueris, non implebit te, sed fugiet abs te. Fugit omnis gloria terrestrium, & propinatur amantibus eam fel & acetum in nouissimis. Saturitatem nõ habet mundus, neque olei suauitatem. Iesus autem dulcedo ineffabilis, & totus desiderabilis, qui suos consolatione internæ pacis in præsenti frequenter visitat, & in futura vita satietate mirifica adimplebit.

18. *De familiaritate cum Iesu.*

QVære igitur ipsius ditari consolatione, ipsius secreta dulcedine refici, ipsius casta familiaritate in abyssum diuinitatis recipi; quia vox eius est: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Nullus locus tam solitarius sit, in quo Iesus priorem locũ non habeat. Sine illo, omne secretum tumultus; cum illo, omnis locus quietus & delectabilis. Dulcius est esse cum illo in cruce quàm sine illo in paradiso. Ipso præsente, quid iam deesse poterit?

Ioan. 14.

19. *Quòd diuersimodè nunc adest Iesus dilectis suis.*

NVnc tamen adest, sicut peregrinationi nostræ congruit, postea videbitur sicuti est. Adest quidem semper, sed non eodem modo. Quia aliquando iudicium suum nobis per tribulationem flagella aperit: aliquando misericordiam suam per ablationem aduersantium restitutionemque pacis manifestat. Sic adest piis dilectoribus suis, vt tamẽ sine pressura in hac vita non sint. *In mundo* (inquit) *pressuram habebitis; sed confidite, quia ego vici mundum.* Sic adest ipse tamquam filiis pater; vt castigati, & non mortificati; vt destituti, sed non derelicti; vt infirmi facti sed fide non fracti; vt lugentes & egentes sed spe gaudentes & charitate feruentes, melius & expeditius tendant ad æterna, formidolosiùs & despectius teneant præsentia. Rursum adest electis gratiam infundendo, interius consolando, cælestia reuelando, pacem mentis & corporis largiendo, vitia & passiones supprimendo, tentationes & grauitates cæteras auferendo. Sed non semper durat hæc clarior hora: quia iterum se subtrahens, permittit penè omnia contraria euenire, vt fides illorum preciosior sit auro, quod per ignem probatur. Et tamen tunc adest etiam, & satis vtiliter & fructuosè, licet sustinenti sit grauius & indelectabilius.

Ioan. 16.

2. Cor. 9.

2. Pet. 1.

20. *De laude patientis aduersa cum Iesu & scandala.*

QVam laudabilis hic, cui Iesus placet non minus in aduersis quàm in prosperis. Qui cum illo manducat & bibit, & iterum libenter esurit & sitit. Qui sequitur eum vsque in montem visionis & gloriæ, & constanter non formidat sequi eum in patibulo; confiteturque in singulis istis, quoniam bonus, quoniam dulcis, & amabilis, atque laudabilis valde. Hinc ipse dicit; *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; quando videlicet aduersa contingunt. Quia in prosperis scandala non vrunt, nec eo tempore probatur esse discipulus Iesu. Dilige ergo eum, quando bona tribuit: dilige eum, quando eadem tollit: insuper & quando tribulationem mittens affligit. Nulla aduersitas, nulla prospe-

Luca 7.

ritas

ritas cor penitus ab eo separet. Nec mirum, si grauatur & tribulatur ipsa natura, cùm instat passio: dummodo tamen spiritus se subdat voluntati & ordinationi eius, manet vtique in patiente natura dilectio.

21. De solatio habendo cum Christo Iesu.

Hic itaque pro solatio vnico tibi sit: vbicumq; fueris, & qualitercumque tecum transierit, ipsius in te mansionē semper sitias, & omnia consilia tua in eo permaneant. Gratiam eius & præsentiam summè caueas violare, quia illo offenso quid pacis habebis? Alta cogitatio & sensus elatus, amor temporalis & affectus visibilium, & quodcumque vile gaudium de creaturis, obnubilat cor etiam sanctum: ne videatur Iesus cum Patre in cælo, aut sub matre in præsepio. Insipida fiunt omnia deuota Christi mysteria conuertenti se ad exteriora & inania. Affectus verò affectum vincit: & qui spiritualia sapit, omnia inferiora propter Christum libenter derelinquit.

22. Vita Christi & Sanctorum extra mundum fuit.

ANteceſſit nos forma filij Dei, & secuti sunt eum omnes exercitus Sanctorū in albis. Vilipensus est à philochristis omnis decor exterior sensibilium rerum, aurum & argentū, lapides precioſi, varius ornatus vestium abundantia diuitiarum, copioſus apparatus epularum, voluptas carnis, frequentia clientium, effrenatio deliciarum: & omne delectabile & commodum corporis non potuit emollire corda Sanctorum, nec inficere nares eorum, neque seducere oculos eorum, quia florentem mundum mentis despectu calcarunt: cùm scirent profectò celeriē finem habiturum omne gaudium presentis vitæ, & postea in breui secuturum præmium, quod nullo fine claudetur. His tamen omnibus irretitus est mundus miserabiliter, his insanit libidinibus, his lætatur luti volutabris. Tacere melius est de his, quàm immunda purgamenta reuoluere: ne coinquinationis suæ pulueremetiam ad secretum mentis hostis iactet, ne tumultus inferat, ne meliora dirimat, ne occasionem alicuius maculæ ex hac recordatione præbeat, & sustinere non possis. *Apoc. 7.*

Spiritualibus cura est etiam tacere de mundo.

23. De quiete cellicolæ, à turbine seculi.

QVam bene agis cellicola, quòd spretis seculi tumultibus, confugisti sub vmbraculum Christi, vbi interim repauses quiete felici? Quàm sapienter elegisti latere: quàm proficuè conaris soli Deo viuere, & eius oculis tantummodo apparere. Si Christum & matrē Christi diligis, si amantes Iesum & currentes post eum deuotè sequeris, non erit in te amor & cura carnis, neque angustus paupertatis locus, neque labor tædiosus, neque tristis solitudo tua, neque silentium non iucundum.

24. *De incluſorio & ſecreto cordis in omni loco.*

Spiritualē ſemper ſequitur ſolitudo.

FAc tibi quoddam cordis incluſorium, vt etiam quolibet in loco conſtitutus ſis, tecum comitetur tua ſolitudo. Arcam conſtrue ex omni parte firmam & ſeratam, vt ſalueris ab aquis diluuij: graues enim ſunt & indicibiles fluctus magni maris ſeculi

Ioan. 1.

aris vtique cohabitationis. Super ripā Iordanis ſtabat Ioannes, & vidit Ieſum ad ſe venientem. Stat cum eo ſuper ripam fluminis, qui ſeorſum ab actibus mundanis degit, vt Ieſū oculis fidei altiùs contempletur. Vnam tamen feneſtram habeat arca tua, vt per eam intret Chriſtus; & ſit obliqua, ne veniat Satanas, quia minùs lætè amicum ſuſcipit, qui inimici fraudes aditumque non obſtruit. Omnibus bonis inimicus eſt diabolus inſidiatorq; continuus, ſed monachis & religioſis ampliùs. Qui quanto perfectiùs per iter incedunt virtutis, tanto acriùs ille nititur eos impedire, quibuſcumq; potuerit artibus. Aduerſus quem nos muniat, & à cuius fallacia præſignet & tueatur ſeruulos ſuos Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

Gen. 6.

CAPVT SECVNDVM.

De ſilentio.

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

De cuſtodia ſilentij. §. I.
Exemplum ſilentij in Dauid propheta. II.
Commendatio ſilentij, ſecundū priſcos patres ſanctos & religioſos. III.
Virtutes ſilentij. IV.
Remedium contra multiloquium. V.
Reprehenſio loquacium. VI.
Excuſatio vtilium doctrinarum. VII.
De cautela contra rigorem nimium & abſtractionem ſingularē. VIII.
Diſtinctio diuerſorum hominum in ſilendo. IX.
De quibuſdam ſpecialibus impedimentis, quæ ſunt in locutione longa. X.
Contra nocturna colloquia. XI.
Experimentum malæ conſcientiæ arguit talia colloquia. XII.
Remedium contra prædicta. XIII.
Neceſſariæ locutiones. XIV.
Conſilium taliter loquentium. XV.
Conſideratio vtilis prudentibus. XVI.
De inſtabilitate leuiter & diſſolutè loquentium. XVII.
Qualiter diſſueſcit homo à multiloquio. XVIII.

De

De peccato locutionis. XIX.
De vitio detractionis. XX.
Quòd faciliter peccatur in verbo. XXI.
Qualiter decipitur homo, & retrahitur à custodia silentij. XXII.
Recognitio erroris post lapsum. XXIII.
De laqueis linguæ. XXIV.
Quæstio oritur ex paulo antè & longè antè dictis. XXV.
Discretio sequenda est, & inquirenda præ omnibus iam dictis. XXVI.
Deuoti & religiosi plus cæteris silentio insistere debent. XXVII.
Communiter (hoc est ferè omnes) silere magis indigemus quàm loqui. XXVIII.
Defectus consolationis spiritualis vnde proueniat. XXIX.
Silendum est magis in deuotis temporibus & festiuitatibus. XXX.
De communione Eucharistiæ. XXXI.
Comparatio dilecti amici ad dilectissimum amicum Christum. XXXII.
Dignitas Christi, & humilitatis eiusdem ad nos. XXXIII.
Quantam habet anima, susceptо Christo, consolationem. XXXIV.
Cur non suscipimus vberem fructum ex frequenti communione corporis Dominici. XXXV.
Sapius communicare maxima est consolatio animæ religiosæ. XXXVI.
Quòd diabolus nititur impedire deuotionem hominis ad Deũ. XXXVII.
Quòd diabolus insidiatur maximè solitariis. XXXVIII.
Virilitas & alacritas cuique habenda contra inimicum. XXXIX.

1. *De custodia silentij.*

NOn satis debet esse ad profectum tuum vt diligas secretum, nisi diligas religionis custodem, sacrum scilicet silentium. Silentium custos religionis.

2. *Exemplum silentij in Dauid propheta.*

HInc de sancto Dauid, qui tam multa cælestis contemplationis arcana in secreta mansione didicit & cecinit, notanter scribitur, quòd Chusi erat amicus Dauid, qui interpretatur silẽtiũ. Quàm specialis iste amicus eius fuerit, in pluribus psalterij locis aperit dicens: *Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Et paulo pòst: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Qui rursus alibi deprecatur Dominum, pro continentia linguæ, dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostiũ circumstantiæ labiis meis.* Talis ac tantus vir, qui quotidie magnis populorũ turbis ambiebatur, & regali potestate etiam multis nationibus dominabatur, silentium diligebat, linguę suę custodiã ponebat: & ne superaretur aliqua fragilitate aut leuitate, pro hac Dominum humiliter exorabat. Vbi statutum legerat silentium

2 *Reg.* 16.

Psalm. 38.

Psalm. 140.

religiosorum? Vbi disciplinam didicerat monasticã? Certè Spiritus sancti gratia præuentus & instructus, legem vitæ & disciplinæ suscepit ac tenuit. Quę si nunc adsit nobis, poterimus & eandem obseruare silentij formam, quæ à senioribus nostris tradita est, & diligentius ab antiquo commendata.

3. *Commendatio silentij, secundum priscos patres sanctos & religiosos.*

OMnes religiosi patres commendauerunt silentium; & quicumque etiam priuatim vixerunt, hoc tenuerunt & docuerunt. Quidam habent quasi quotidianum silentium; quidam autem sub quodam moderamine temporum, locorum, & personarum. Et licet non arcteris ad tantam obseruantiam, ad quantam multi ex professione ordinis tenentur; tamen magni meriti apud Deum eris, quòd ex voto & amore silentii os tuum custodis. Insuper & aliis in hoc proposito bonum & ędificabile prębebis exemplum, cùm viderint formam sanctæ religionis in te florere.

4. *Virtutes silentij.*

SIs igitur solicitus in hac obseruantia, propter multas virtutes in ea latentes. Nam silentium bene seruando, obedientiam etiam seruas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reuerentiam exhibes, iuuenibus exemplum præbes, leuibus & dissolutis timorem incutis, extraneis bonam famam, intraneis pacem & concordiam generas. Habeas autem adhuc talem custodiam, vt primò serues strictè & perfectè, quod communis constitutio fixit; dehinc, vt cùm loqui licèt, temperatè vtilia & necessaria siue tibi seu aliis dicas. Quæcumque autem superfluitate, aut otiositate, aut negligentia coincidunt, citius emendare festines, atque post lapsum præmunitior esto de cætero.

5. *Remedium contra multiloquium.*

SAlutare remedium est contra excessum locutionis, aliquo tempore abstinere à necessariis & licitis verbis, etiam si nemo iubeat. Leuius & suauius onus fertur, quod ex affectu voluntario & interiori Spiritus sancti correptione accipitur. Prudenter quidem se arctat sub disciplina discipulus, agnoscens recentem culpam, antequam magister cum virga accedat, ad feriendum crescentem iam passionem.

6. *Reprehensio loquacium.*

SI assuescit aliquis ad singulas occasiones loqui, quando erit liber & quietus in se? Raro deerit loquaci loquendi occasio, neque vlla ei persona disconuenit. Quasi omnibus notus sit, sic affatur

affatur tacentes & ignotos. Sapientibus & insipientibus debitorem se facit; si & materia & peritia sermonis non desit, de omnibus se instructum putat: tamen hora breuis & signum silentij, cogit breuiare sermonem. In hoc vsus est malus, peior correctionis negligentia, sed fragilitas aliquando venialis, & ad correctionem promior.

7. Excusatio vtilium doctrinarum.

NE tamen putetur omnis locutio aut sermo prolixus reprehensibilis, & doctrina Christi, & Apostolorũ Actibus, probari potest. Nam Christus ascendens in montem docturus discipulos suos, vberiori eos sermone protracto ditauit. Altera quoq; vice electurus duodecim apostolos, priùs sapientiæ suæ monitis largiùs illos instruens ad prædicandum misit. Nouissimè verò cùm iam esset recessurus, & in crastino passurus, post sacratissimam cœnam cœpit solito prolixiorem habere sermonem, sicut tristibus & orphanis, sua gratissima præsentia orbandis, necessarium esse percipiebat. Constat de beato apostolo Paulo, quòd aliquando ædificationis gratia, vsque ad mediam noctem sermonẽ protraxerit. Similia quoque inueniuntur gesta ab antiquis patribus, quemadmodum beatus Antonius fratribus collationem vberiorem impertitus est: veluti & beatus Benedictus, Domino hoc volente, sorori suæ de cęlestibus gaudiis nocturnum colloquium prẽter consuetudinem solitam cõcessit. Vbi ergo talis intercesserit vtilitas & gratia, acquiescere aliorum postulationi esset magnum pietatis opus. Neque hoc facto solueretur spiritalis animę intelligentia, cùm possit fortè maior, propter fraternam ædificationem, hac ipsa hora intellectus dari. Si quis autem subditus est obedientiæ, nihil agere potest sine superioris licentia; nec quidem loqui, etiam si possit prodesse. Superior, vel quilibet sui adhuc iuris, in hoc maximè Deo subiectus erit. Secundum rectè sapientes, sermo longus & vtilis culpari non debet, tanquam ideo superfluus, quia diffusè tractatur, alioquin tardiores sensu sępe relinquerentur. Omne autem verbum, quod grauitatem aut vtilitatem non redolet, meritò longum à puris mentibus esse sentitur. Licèt igitur custoditus esse debeas & tardus ad loquendum, quatenus suo in tempore prudentior & vtilior fias ad proferendum; sic tamen ama silentium, vt fratri indigenti non deneges verbum. Sic teipsum tempera ab omni solatio alieno, vt si res postulauerit liberè conferas cum amico, eiusque vtaris consilio. *Pone* (inquit Propheta) *ostium circumstantiæ labijs meis*. Ostium ad aperiendum & claudendum aptum est, vt necessariis aperiatur, vanis claudatur.

Doctrinæ quamuis prolixę nõ minuunt silentij virtutem. *Matt. 5. Matt. 10. Ioan. 14. Act. 20.* *Psal. 104*

8 *De cautela contra rigorem nimium, & abstractionem singularem.*

VNde cauendum est, ne rigidè & indiscretè quis taceat, præcipuè is, qui cum aliis in congregatione viuit. Nam qui ita singulari silentio rigesceret, diu stare concorditer cum aliis non posset. Aut ipse per se deficit, aut diabolicis instinctibus ad aliqua deteriora in fine labitur. Exempla plura vidi & quædam nō longè audiui, & tu fortè quosdam nosti. Qui appetit bene & perseueranter proficere, non solùm attendat, quàm fortiter incipiat, sed etiam quo fine consummet. Sæpè strictiora principia quorumdam, finem fecerunt laxiorem cęteris, & quidam abierè retrorsum. Omnino enim videbatur eis importabile iugū Domini. Feruor in principio necessarius est, sed tamē non sine moderamine. Non est sine periculo & laqueo, singularis obseruantia in communi domo. Ille magis laudabilis feruor, qui communia propriis prępones, in his nunquam negligens satagit inueniri, quæ cum aliis susceperit ad portandum.

9. *Distinctio diuersorum hominum in silentio.*

QVidam magnū æstimant, silentiū continuum seruare, sicut & est: sed silere & loqui, prout oportet, maius est. Qui abstractè & solitariè viuit, potest quantū strictiùs voluerit, silentiū custodire. Qui verò cum multis viuit, non solùm satis sibi, sed etiam aliis socialis esse debet. Adhuc qui in externis est, & cum diuersis hominibus sæpe conuersatur, implere tantam custodiā difficulter potest, quin verbo aliquando offendat; & vtinam seipsum non penitus perdat. Ideoque illi bene, cui donatū est à Domino esse & posse in quiete & in cella morari; quia exteriora & secularia, vix sine culpa & spirituali detrimento possunt tractari. Nam qui in multitudine est, sępe tacere ab aliis nō permittitur. Et cùm ex necessitate loqui tantùm appetit, vsu locutionis ad negligentiam sui primò labitur; postmodum lingua procliuus ad quæcunq; libet resoluitur. Vnde cōsequenter accidit, vt quod audire pacificè vix potuit propter cordis custodiā, & multa negligentia hoc ipsum non pudeat eū publicare.

Silentium non omnibus æquè indicitur.

10. *De quibusdam specialibus impedimentis, in locutione longa.*

SCiendū ergo, quòd in locutionibus solent homini spirituali sæpe multa contingere detrimēta. Propterea vtile est habere aliquam admonitionem & instructionē, ad quædam specialiùs cauenda. Vnde frequenter habere longa colloquia, irreligiosum est

est & suspectum. Nam talia inanem faciunt hominem, & sancti propositi immemorem, & ad quietis & cellæ custodiam pigrũ, & ad diuina cogitanda cæcum & insipidum. Rarè enim ædificatio nascitur spiritualis hinc inde vagè cõferentibus. Absq; certa specialiq; tractãdi materia, longa colloquia non expediunt: & his præcipuè temporalibus, quibus Deo familiariùs vacandum esset. Nam summopere manè & vespere, ab omnibus humanis actibus & colloquiis cessandum est; quia hæ sunt horæ deuotionis, reparationis, emendationis, & propositionis. Et quia ista tempora negligenter ducunt, timendum satis, quòd per totum diem distractiores erunt, pluraque offendicula incurrent. Sacra igitur illorũ institutio religiosorum, qui arctiori silentio, post horam completorii vsque post primas insistunt, potissimùm considerandа esset & imitanda.

Incõmoda ex prolixa locutione.

11. *Contra nocturna colloquia.*

NOn est bona quorumdã consuetudo, sed execranda noctem sacram turbandi fabulis, quæ electa est & deputata tantum cælestibus disciplinis. Nisi enim præcaueatur vespertina seu nocturna inutilis fabulatio, sequitur multoties de manè longa dormitatio, & alia disconuenientia in reliquis Dei operibus: quia secundùm quendam sapientem, Vno inconuenienti dato, sequuntur plurima. Et est deffenda vtique transgressio, digneq; punienda, diem videlicet laboribus & distractionibus deducere, & adueſperascente sole his deteriora audere; nec lapsum diei cursum per restantia quietis tempora aliquatenus rueocare. Incongruum omnino videtur, vt aliis deuotioni & quieti deditis, alij pascantur infelicibus fabulis; vnde sibiipsis graue cõscientiã, reliquis autẽ scandali occasionẽ, aut aliud puritatis impedimentum contra Deum & proximum peccantes acquirant.

Aristoteles.

12. *Experimentum malæ conscientiæ arguit talia colloquia.*

COnfessi sunt quidam experientia instructi, paruam se gratiam, tristitiã verò magnã, ex nocturnis contraxisse colloquiis. Quia si bona multa interfuerant, atq; prima intentio pura visa est, mala tamen arctiùs premebant, quæ qualicumq; occasione non defuerunt. Nam hoc multoties accidit, vt aliquid indecens, seu seculare, aut detractorium verbũ, dicatur aut audiatur, quòd non faciliter à corde recedat, & ex illo plus inficiatur auditor, vel grauiùs mordeatur postea, qui dixit, quàm de omnibus aliis sanè & acceptabiliter pertractatis emendetur. Cum enim homines valde fragiles simus, paruum & leue est, vnde non parum sæpe lædimur aut inficimur.

Itempestiua colloquia conscientiam onerant.

13. *Remedium contra prædicta.*

Antidotus aduersus pestem loquacitatis.

IDeo medicina huius fragilitatis efficax est, præcauere tentationis laqueum, fugere occasionem loquendi, citius etiam abrumpere, antequam crescat ignis linguæ. Quia ignita tela diaboli exeunt per linguam immoderatam quam ille commouere, tanquam familiare sibi membrum, nunquam cessat.

14. *De Necessariis locutionibus.*

SEd cùm aliqui sint, quos causa satis necessaria sæpe ad loquendum trahit, siue de his quæ ad officium curæ eorũ spectant, siue quę intertus ex animi perplexitate exurgunt; ita vt ad aliorum consilium & solatium, eorum solatium aliqualiter dependeat non videtur tum possibile, vt moras loquendi aliquando non exaggerent.

15. *Consilium taliter loquentium.*

Prætextus necessarię locutionis quomodo tollatur.

QVibus tamen hoc faciendum est & suggerendum, ne humana solatia vltra necessarium petant; sed potius misericordiam Domini cogitantes, in suis dubiis & perplexitatibus studeant in silentio intentius ad Deum confugere, & ab eo suffragium petere, atque ab aliis etiam fratribus manum superni leuaminis humiliter inquirere, donec subleuentur. Quicquid autem humano metu aut propria fiducia maculosum contraxerint, statim vt animaduertere cæperint erdem supernæ bonitati summæque prouidentiæ eius vniuersaliter committant. Quoniam quidem nulla sunt humana consilia, inutilisq; mortalium solertia, nisi ipsius preueniat & subsequatur nos semper clementia. Sic ergo semetipsos poterunt à nociuis & non necessariis verbis castificare, aliisque occasionem labendi tollere.

16. *Consideratio vtilis prudentibus.*

Vt superflua tolli queant, abstinendum interdum à necessariis. *Prou. 17.*

SImulque cõsiderent, quia non assuescit homo cauere superflua, nisi à multis licitis libenter abstineat. Sapiẽtibus enim pauca sufficiunt, & necessariis acquiescentes multorum garrulationem non aduertunt. Insipientibus verò non sufficit verborum numerus, neque modum imitari sapientium norunt; & tamen scriptum est; *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.*

17. *De instabilitate leuiter & dissolutè loquentium.*

Assuetudo diu multũque loquẽdi, tacendi votum remoratur.

HAnc doctrinam quidam cupientes seruare non diu perseuerant; quia aliter consuefacti, vincere pronitatem verborum leuium arduum putant. Cùm enim ab omni sermone vacuo, prolixo, & vario se suspendere proponunt, quandoque etiam cum

cum multo gemitu reprehendere incipiunt, quòd hucusque tam incustoditi vixerunt, sed occurrente occasione, impositum sibi (propter vitiosam consuetudinem) silentium resoluunt.

18. *Qualiter dissuescit homo à multiloquio.*

QVam vtique consuetudinem si dediscere & amputare voluerint, studeant sæpe innouare propositum hodie silendi propter amorem Christi; & solicitius occasiones loquendi declinare, atque hominum leuium libenterque fabulantium vitare præsentiam. Nec hoc tantum propter illos, quantũ propter suam infirmitatem & insufficientiam, sibi faciendum esse sentiant. Insuper profui confortatione pensent, quanta mala ex tali vitioso vsu soleant sibi accidere; quanta etiã posset adhuc, nisi vigilanter compescant linguã, accumulare. Linguam enim *Iacobi 3.* nullus hominum domare potest. Satis grauis & lamentabilis ista sententia, quòd humanum genus in tanta versatur debilitate & insipientia: quod tam paruum membrum rationis imperio nequit subiugare. Fortè longè facilius esset multis omnino tacere, quàm verbo non iocari; aut quod ad rem non pertinet, aliquando non dicere. Quòd si tacuerint, certè liberi erunt ab offensione verbi.

19. *De multiplici peccato locutionis.*

QVis enim plenè iudicet, quoties peccatur verbo? Aut enim otiosum, aut iocosum, aut elatum, aut durum, aut indignabundum, aut dissolutum, aut adulatorium, aut seductorium, aut vanilorioſum, aut præsumptuosum, aut defensorium, aut excusatorium, aut detractorium, aut mendosum, aut inhonestum, aut nociuum, aut exprobratorium, aut illusorium, aut superfluum, aut improuisum, aut intempestiuum, aut illicitum, aut alio quolibet genere vitiosum est verbum, quod emittitur.

20. *De vitio detractionis.*

INtèr quæ sæpissime detractionis vitium principatur; quia de absentibus loqui nunc ista, nunc illa, generalissimũ inter homines congregatos inuenitur. Et vnusquisque libenter, quod sibi in aliis placet aut displicet, euomit, minùs cautè attendens, ne fortè cuiquam deroget; quàm grauiter etiam & faciliter possit verbo delinquere. Sæpe dicitur, quod statim (vt dictũ est) pœnitere incipit, & nunquam (si posset illæsum reuocari) diceretur. Et vtinam semel cadendo, doceretur homo damno suo, ne iterum caderet.

21. *Quòd*

21. Quòd faciliter peccatur verbo, faciliùs corde.

Iacob 3. QVo faciliùs delinquitur, quàm verbo? Qui enim verbo non offendit, hic perfectus est vir. Sed tamen cogitatione multo facilius ac etiã grauius delinqui potest. Ex corde enim (vt Dominus ait) oriuntur blasphemiæ, mendacia, quæ coinquinant hominem. Malum igitur priùs concipitur in corde; verbum autem malum procedit ex malo corde. Sed in corde facilius & occultius, in verbo autem facilius & manifestius peccatur. Hinc etiam scriptum est: *In multiloquio non deerit peccatum.*

Matt. 15.

Prou. 20.

22. Qualiter decipitur homo, & retrahitur à custodia silentij.

DEcipitur homo multoties sub pietatis & affabilitatis vultu, retractus à rigore suo, quẽ sibi indixerat; vt cum cauere cupiens nimietatem loquendi, timet periculum aliud, ne ex sua taciturnitate quispiam grauetur. Quia fortè non satisfacit ei; quia rarius eum alloquitur; quia parum de ipsius fraternitate curare videtur: vnde etiam aliquando parua charitas, celetior suspitio, cõmotio & indignatio, conquestio aut etiã detractio, in altero surrepere posset. Sed hoc si aliquo indicio deprehenderet, & alterius charitatem super se violari præsentiret; tunc quantum liceret ei, ex obedientia loci & temporis loqui, non loquens peccaret. Lingua enim placabilis lignum vitæ, & verbum bonum super omne donum. Sic iterum descendet homo ad aperiendum ostium pulsanti; qui pro sua persona claudere semper appeteret os suum, vt tanto securius custodiret animam suam. Sed quomodo decipitur, nondum apparet; quia ex forma prædicta soluere silentiũ, non culpa, sed virtus videtur. Verùm quia homo ad loquendum serus & custoditus, circa principium aliquantulum strictior est; sed cum iam lingua ad longiora mouetur colloquia, multa etiam negligenter subintrare patitur, quæ ex fine, serò conscientia ad se reuertente, clarius videt; ita quod inceptum est necessitate & vtilitate alterius, finitur sæpe leuitate & permixtione externæ consolationis: & qui proposuit vix admittere necessaria, ne rueret ad otiosa, ex primis necessariis ducitur extra se, ad represensibilia. Sæpe etiam aduertit lapsum suum, & tamen labendo non tacet; videt se deuiare, nec redit, donec foueam apertam inueniat, aut obstaculum, quod os eius obstruat: atque vtinam confusus & humiliatus, eiulando & dolendo resipiscat, nec amodo sibi confidat.

Prou. 21.

23. Recognitio erroris post lapsum.

QVi cum plenè in se reuersus fuerit, fragilitatẽ suam multam considerans, deceptionemq; perpendens, meritò cum propheta

pheta conqueri potest: *Laqueum parauerunt pedibus meis, & incurauerunt animam meam.* Psalm. 56.

24. *De laqueis linguæ.*

PRimo sequidem homo illaqueatur ad auditum verborum non sanorum, postea incuruatur ad consensum, vt dicat iam talia, quæ audere metuebat. Valde enim incuruatur anima, quãdo deserto Deo & sermonibus eius, conuertitur ad vaniloquia, pro capienda consolatione misera. Vel sic quandoque pedibus illaqueatur, vt stet ad loquendum per aliquas moras; tandẽ ex placentia audiendi vel loquendi, incuruatur ad sedendum, vt sit iucunda & integra fabulatio. Ecce frater, quantus laqueus linguę, quàm prona subintrat seductio. Non ergo dissonat à vero, quia sæpè decipitur quis, sub pietatis vultu, à sancto rigore.

25. *Quæstio oritur ex his, & longè antè dictis.*

RVrsum te mouere potest, cum longè superius dictum sit cauendum esse de nimio rigore, qui quosdam de singularitate notat, & quãdoque perdidit: cur hic ostẽditur casus & laqueus, si rigor negligitur? Inter angustias comprehenditur hoc audito animus, & sermo iste magis perplexum legentem facit. Qui propter huiusmodi mouetur, cogitet, quia vtrobique pericula, vbi obstacula plura insunt, siue loquatur, siue indiscrete quis taceat.

26. *Discretio sequenda est, & inquirenda præ omnibus iam dictis.*

V[illegible] ad aliquam saltem discretionis regulam se aptet & informet, conueniens fuit, vt hanc (ostenso bono silentij, & vitio loquacitatis, cum eorum laqueis) virtutis amator faciliùs inueniret. Nec ergo simpliciter oportuit commendari silentiũ, quasi semper seruandum: neque reprehendi ipsam rursus locutionem, tanquam semper superfluam; quia in omnibus discretio pulcherrima virtus est, quæ laqueos à dextris & à sinistris præcauens, viam perfectissimam demonstrat. Discretio vbique necessaria.

27. *Deuoti & religiosi plus cæteris silentio insistere debent.*

ESt tamen pluribus magis necessaria custodia silentij, qui videlicet in statu religionis & proposito bono, atq; à secularibus hominibus remoti, & omnibus temporalibus curis exuti, Deo seruire elegerunt. Qui etiam maiorem rationem tenentur reddere in die iudicij, pro omni verbo. Nec solũ de verbo, sed de qualibet alia negligentia & transgressione, grauius iudicabuntur. Cui enim plus donatum est, plus ab eo exigitur. Si etiã illi plenam excusationem non habent, qui officio pastoralis curæ, Silentium monachis in primis necessariũ.

curæ, aut fraternæ necessitatis commissione, quædam otiosa verba vel superflua, per fragilitatem coguntur admittere, quanto minùs qui nullo tenentur vinculo solicitudinis alienæ?

28. *Communiter silere magis indigemus, quàm loqui.*

COmmuniter omnes plus indigemus silere quàm loqui: & verè pauci sunt, qui ad loquendum tam tardi sunt, vt violentia indigeant. E contrario verò, multa violentia opus habemus, vt raro vel pauca loquamur. Nam loqui & fabulari secundùm naturam est, sed silere, contra carnem, quę exterioribus & secularibus pasci delectatur rumoribus. Potest tamen fieri, vt homini sępe contrarium sit loqui, & maximè cùm intrinsecus visitatur & compungitur, atque amore aut terrore eruditur, ne tantam gratiam per negligentiam amittat.

29. *Defectus consolationis spiritualis vnde veniat.*

Vbi multa verba, ibi egestas.

HInc etiam potest esse signum, quòd paruam habemus interiorem consolationem; quia tam facilè & frequenter quærimus exteriorem. Et ideo non meremur diuinam accipere, quia libenter admittimus humanam & caducã, quam oporteret nos potius fastidire. Quam si perfectè & perseueranter non valet quis abiicere, studeat saltem paulatim ad altiora & meliora transire.

30. *Silendum est magis in deuotis temporibus & festiuitatibus.*

BEne deceret religiosum, quibusdam deuotis temporibus anni, sicut in aduentu Domini & in quadragesima, & quibusdam aliis diebus, scilicet sextis feriis, abstinere se à colloquiis, quanto strictiùs posset. Insuper arripienda esse maior custodia cordis & oris pariter in vigiliis, & magnis festiuitatibus Sanctorum; quatenus debita reuerentia & digna (quantum status suus permiserit (præparatus ad festa ventura, mereretur in die sancto sanctissimum dominici corporis & sanguinis sacramentum, desiderio magno gaudioque sincero suscipere.

31. *De communione.*

COnuenit enim illo præcipuè die, quo Christum sacramentaliter susceperimus ad hospitium cordis nostri, sacratiori nos insistere custodię, & saltem vnum lætum diem cum ipso ducere, qui multis diebus & horis ab eius amplexu distrahimur. Nõ esset nimis mirum, si tunc anima deuota cum eo esset tota, quãdo & ipse non dimidiatus, sed totus ad eam venire dignatus est Christus.

31. Com-

32. *Comparatio dilecti amici ad dilectissimum amicum Christum.*

Quis enim veniente ad se amico charissimo, statim cum alloCutus eum semel fuerit, foras egredi festinat, ipso solo in domo relicto; quin potius ingreditur cum eo, etiam si foris fuerit, & tanti hospitis curam alacriter excipit, ita vt aliis hinc inde occupatis, & ad externa egredientibus, hic soli se coniungat; tantoque familiarius alloquitur, propius assidet, & cuncta dilectionis signa exhibet; quanto securior est, quia nemine presente & aspiciente, possit verecundari vel prohiberi. Hoc modo susceptionis Christi aduentus deberet ab omnibus famulantibus sibi recoli: & longè deuotius & reuerentiùs, quanto maior est omnibus amicis & creaturis, desideranter ab vnoquoque nostrum recipi. O dulcissimum amicum, præ omnibus dilectis gratiosissimo honore susciendum! Christus amicus noster intimus.

33. *Dignitas Christi, & humilitatis eiusdem ad nos.*

Qvi & tantæ dignitatis est & nobilitatis, vt nulla persona, nulla creatura, tam valens & elegans, sit quæ ei præsentari debeat vel assimilari: & iterum tantæ humilitatis & bonitatis existit, vt ad hominem inopem & infirmum venire, atque sub tectum eius intrare non dedignetur. Et qui cælum inhabitat, & omnem cælestum curiam sua deifica præsentia letificat, adhuc cum pauperibus hominibus esse, eorumque hospitia mendicare & ingredi, quotiescumque desiderauerint, & sibi aperuerint, non despicit. Vnde sic ait: *Ecce ego sto ante ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Apoc. 3. Fit autem ista cœna, quandocumque Christi spirituali mente, vel etiam communione sacramentali deuotè & dignè susciptur & manducatur. Christi dignitas & dignatio incomparabilis.

34. *Quantam habet anima, suscepto Christo, consolationem.*

Hic ergò cum susceptus fuerit, quomodo iam libet aliquò foras exire? Habet enim fontem omnium consolationum; habet & paradisum omnis voluptatis. Qui de hoc fonte biberit, non sitiet vnquam: quia qui corde suauitatem in Christo absconditam plenius degustat, nunquam temporalem vel carnalem delectationem appetit, & hoc est, Non sitiet vnquam. Bene illi animæ, quæ huic Sponso & amico dulcissimo ad se venienti domum mentis semper parat parandoque quotidie mundiorem efficere curat. Ipse vtique libens hanc intrabit, qui antequam mundari incepisset, ad hoc venit, vt eiiceret tenebras eius, & mundaret eam sibi. Veni Domine Iesu, & munda me; laua & exterge me; vt merear puro corde & casto corpore suscipere te, quia non est mihi bonum esse sine te.

35. Cur

35. *Cur non suscipimus vberem fructum ex frequenti communione.*

TImendum, quòd multi ideo fructum paruum accipiunt de mensa Christi; quia nec antea nec postea sunt in sufficienti custodia sui, nec satis reuerenter præcogitant, quis est qui venturus est, nec postea ruminant, quia hodie sanctus sanctorũ ingressus est ad eos. Qui autem soliciti sunt præparare interiorem domum suam, & occurrere lætanter obuiàm Christo, ipsi nouerunt, quid efficaciæ & suauitatis habeat hæc sacrosancta cõmunio. In hoc agnoscitur vniuscuiusque deuotio & amor ad Christum, secundùm quod ingeniosè se aptare curauerit ad susceptionem eius.

36. *Sæpius communicare, maxima est consolatio animæ religiosæ.*

ESt namque maxima consolatio religiosę animæ, despicientis iam cuncta præsentia, diligẽtis solitariè & extra homines viuere, soli Deo & sibi in silentio intentiùs vacare, vt Christũ cõsolatorem animarum omnium, sæpius ad suam sumat consolationem & profectum. Non est illi materia externæ lætitiæ, non ægra spes longioris vitæ, non vana occupatio amicitiæ carnalis, non euagatio ambulationis corporalis, nõ implicatio commodi temporalis, nõ superflua solicitudo rei familiaris, nõ magna fiducia in prosperis, non mentis dejectio in aduersis; sed habet intus in anima Christum, propter quem omnia terrena solatia æstimat detrimenta, loquens cum beatissima Agatha: Mens mea solidata est, & in Christo fundata, ideo nõ curo hęc ima. Tantùm mihi consortium suum Christus donet, amicabiliterque confabuletur, & satis dulciter consolabor. Excedunt quippe eius colloquia omnium consolatorum verba.

37. *Diabolus nititur impedire deuotionem hominis ad Deum, tristitiâ & acediâ.*

SEd omnium bonorum æmulator diabolus, tantam considerans hominis cùm Deo pactionem, nõ patitur eum sine molestia tentationis, in sancto proposito consistere. Curandũ ergo summopere est, & vigilandum contra nequitias eius. Nam sæpe graui tristitia, sępe tædio affligit bene conuersantẽ; & cuncta, quæ possunt eum angustiare, ad memoriam ducit. Tota vacatio eius est, vt eiiciat amatorẽ quietis & silẽtij de tabernaculo suo. Istis enim specialiter vitiis, tristitia & acedia (ex quibus quasi semper oritur cordis tædium) persequitur solitarium, & maximè incipientem, & naturaliter tristẽ aut pusillanimem, quia per ista, homini quodammodo vires aufert. Sed quisquis firmiter in Deo confidit, eiusque amori nihil anteponit; sed mundũ, & omnia quæ mundi sunt, calcare appetit, seipsumque volenti animo,

mo, ad omnes perferendas tristitias, amaritudines, & grauedines exponit; nullumque aliud solatium, siue per hominem, siue per aliquam mundi creaturam, quam Christum vnicum omniũ bonorum solatium concupiscit, profectò non tantùm tristitiæ & acediæ, sed omnium tentantium vitiorum victor & expulsor erit.

38. *Insidiatur maximè solitariis diabolus.*

ET quia magnus fructus & cælestis thesaurus quæritur & inuenitur à solitariis Deo deditis; sciens hoc diabolus, qui Adam & Euam tentando, blandiendo, & falsa promittendo seduxit, paradisoque indignos reddit: ipse nunc vsque nititur seducere & subuertere vnumquemque Christi seruum, mundi contemptorem, si quo modo extra cellam & solicitam cordis eius custodiam trahat, & sui propositi faciat obliuisci, aut etiam paululum de profectu spirituali & feruore imminui. Et sicut antè iam dixi, per tristitiam vel acediam mentis, amplius istud machinatur; quia cùm mens tristitia vel acedia inuoluta fuerit, nil est quod agere libet; sed vndique se constrictam & desolatam conspiciens, in consolatione ei ab inimico suggeritur, vt dolori isti externa recreatione medeatur. Eleganter ergo persuadet sanctus Antonius dicens: Vnica ratio vincendi inimicum, lętitia spiritualis. *Genes. 1.*

39. *Virilitas & alacritas cuique habenda contra inimicum.*

NAm qui virilis est, & alacer in Domino, quamuis fuerit impetitus tentationibus, potens erit aduersarium suum expugnare. Et quid dicã de fortitudine illius animi, qui nec patitur immundum spiritum ad fores intrare? E contrario, tristitiæ & acediæ morbo languens, etiam si armamenta resistendi habet, nulla vtitur potentia. Deficit enim corde, & formidine, ac pusillanimitate propria sæpe antè prosternitur, quam labor eum prælij tangat. Quapropter, ô miles Christi, indue animam virilem, & ne paueas ad sonitum folii volantis; sed resumptis viribus, sta constanter aduersus multiplices diaboli conatus, nec credas mendacio eius. Dominus omnipotens, ipse erit protector tuus, & merces tua magna nimis; cuius potestas super passiones tuas, ita vt subijciantur ditioni tuæ vniuersę istæ nationes. Et quia excessum loquendi feci, ad portum silentij iam remeo. Lingua ergo manusque scribentis simul hoc iam fine silescat.

TOMI SECVNDI PARS ALTERA,

BREVIORA OPVSCVLA COMPLECTENS.

DE RECOGNITIONE PROPRIÆ FRAGILITATIS.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

De recognitione propriæ fragilitatis. Cap. I.
De contemptu vanæ gloriæ. II.
De fideli & veraci amico III.
De sapportatione fraternæ infirmitatis. IV.
De spirituali inopia, ex subtractione suauitatis interna. V.
De humili subiectione & propria resignatione. VI.
De laude Dei in tribulatione. VII.
De laude Dei ex deuotione. VIII.
Item oratio ad laudandum feruenter Deum. IX.

CAPVT I.

De recognitione propriæ fragilitatis.

Psalm. 118. 1 COgnoui Domine, *quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.* Hæc verba sunt sancti prophetæ, & humilis regis Dauid. Quid ergo tu vilis homo ad hæc dicis, qui terra es & cinis? Quid grande aliquid de te imaginaris, & alta vanitate delectaris. Aut cur te alicui bono homini cõparare audes, cùm sis reuera peccator, & totus in peccatis natus, & totus vitiis ac concupiscentiis plenus? Verè, si in veritate te discutis & intueris omnibus deteriorem te rectè iudicabis.

Iustificare nemo se queat coram Domino.

2. Dic mihi, qualem meretur confusionem ac pœnã, qui Dominum terræ aut principẽ regni, contumeliosis verbis & factis indignis offendit? Vel certè, quantæ vituperationis iaculo ille feriendus esse, qui in conspectu regis & ministrorũ eius fœtidissimum cadauer tangeret, aut lutum immundum reuolueret? Nónne

Nónne statim confusibiliter expellendus esset, aut etiã carceri tradendus ab omnibus iudicaretur? Tu es (pro pudor) stultus ille, qui pessimam hanc rem fecisti. Nam ecce in præsentia diuinę maiestatis & sanctorum angelorum eius, peccare non timuisti. Multa etiã illicita phantasmata versasti, quæ citissimè respuere deberes, & plusquam lutum plateatum detestari.

3. Insuper permittis cor tuum in omne penè seculum euagari, etiam tempore orationis & in loco sacro, vbi cum maiori reuerentia & solicitiori attentione iuberis assistere, ac soli Deo & tibiipsi firmissime vacare. Quomodo ergo digne dicendus es religiosus, tam longe à Deo & à corde tuo abstractus? Nónne propter tua grauia & multa demerita, velut canis immundus, meruisses à conuentu sanctorum fratrum expelli, ac duris increpationibus castigari? vt fieret vltio de inimicis regis, quem offendisti peccatis quamplurimis, nec adhuc peccare desistis?

4. Sed ô quãta est misericordia Dei super te, ô homo miserrime, quòd etiã post tãtas offensiones, patitur te Deus in hac luce viuere; & pro tantis malis, tam multa bona largitur indigno & ingrato? Si quis in faciem tuam spuisset, aut verbis contumeliosis confudisset; quantã indignationẽ aduersus eum, de illatis iniuriis conciperes? Vel quali eum correptione puniendũ censeres? Sed quis tu, & cuius potestatis in comparatione Dei, cuius faciem offendisti? Vere magna misericordia Dei super te, quòd iam consumptus non es, quòd adhuc iudiciũ differri, nec furorem suum in te exagitat; sed clementissimè tuam emendationẽ expectat, & propter pœnitentiam vindicare suam iniuriam dissimulat; vt cognoscas, quia suauis & mitis est, & multæ misericordiæ Deus, in omnibus operibus suis.

5. Quomodo poteris obliuisci omnium misericordiarum Domini, ab initio vitæ tuæ vsque ad hanc horam? Proinde sis gratus & humilis; sis mansuetus ad omnia ferenda cõtraria propter peccata tua delenda & propter iram Domini super te mitigandam. Nisi enim citiùs ac diligenter vitam tuam emendaueris, & in alterum virum te mutaueris, veniet super te calamitas, quam nescis; & stabunt contra te cælum & terra, & omnes creaturæ conclamabunt aduersus iniquitates tuas; quia indigno seruiunt ad necessitates varias, & tu creatori tuo digne nõ seruis. Sed ne diuina iustitia super te repente & furibunde oriatur, & stipulã siccam persequatur, & conterat: dum adhuc tempus miserendi est, & locus veniam inquirendi remanet, loquere cum Propheta in psalmo, & ora humiliter & confidenter dicens: *Fiat misericordia tua, vt consoletur me secundùm eloquium tuum seruo tuo.* Psal. 118.

CAPVT II.

De contemptu vanæ gloriæ.

1. RErum mundi facies indicat, quòd mundus amari non debet. Cùm enim tam facilè se variat, profectò corruptibilẽ se demonstrat. Nulli fidem firmam seruat; sed modicum in apparentia blanditur, & in fine decipit & illudit. Non ergo pulchritudines hominum, non diuitiæ rerum, non laudes adulantium, non fauores potentium, te moueant & delectent; quia vana sunt & mortifera, quæcumque à summo bono retrahunt, & ad infima cogitatum inclinant. Omnis quippe caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. *Isaiæ 40.*

2. Igitur humanas laudes non affectes, nec vanè aliquem extollas: nescis enim, quid futura pariat dies. Sæpè nouissimi sunt primi, & primi nouissimi. Fuge laudari tanquam venenum, ne seducaris, & perdas boni operis meritum. Vani sunt & stulti, qui laudibus delectantur humanis. Laudetur Deus, non homo fragilis. Sapiens plus facta ponderat, quàm verba. Res bene gesta seipsam laudat. Qui verba tantùm sectatur, nihil inueniet. Virtus in Deo facta, à Deo gloriam recipiet. Si ponis vitam tuam in ore hominũ, eris modò aliquid, modò nihil, nunquam tamen liber & quietus. Iustus non verbis mouetur ornatis; sed quod Deo placet, attendit. Laudari ac laudare ne vanè concupiscas.

3. Sæpè homines laudant, quod inprobat Deus; multoties Deus acceptat, quod homines vituperant & spernunt. Ille ergo dignè laudatur, quem Deus omnia sciens commendat. Ille adiutus est & valet, quẽ adiuuat Deus. Ametur veritas, non hominũ loquacitas, qui sæpe præ odio vel amore mouentur, nescientes quid sit in homine velatum. Redi ergo ad conscientiam tuam, vbi veritas videt; & scito te infirmum esse, & peccatorem, atqui citò moriturum. Siquidem in mortis articulo patebit, quam fallax fuit omnis grãtia mundi: quàm stulta lætitia, laus ab hominibus quæsita. *2. Cor. 10.*

CAPVT III.

De fideli & veraci amico.

1. AMicus tuus est, qui in Deo te amat, & propter Deũ te tolerat. Verè ille amicus tibi est, qui salutem animæ tuæ diligit, non qui foris blanditur & applaudit. Ille tibi dilectus est, qui pro malis tuis dolet & orat: qui profectui tuo congaudet, & te corripit in charitate. Non est fidus amicus nisi in Deo; & qui sua non quærit. Quia enim seipsum negligit, quid alteri persuadere poterit? Cùm tua bene curaueris, facilè proximo persuadebis. m.

suadebis. Si diligis fratris salutem, tuam operari non omittas. Si ordinatè procedis, à te ipso inchoabis. Propriæ saluti nil anteferendum est, ne tibi obiiciatur: *Medice cura teipsum.* In te prædisce, quid alteri dicas. Doce viuens verbum; teipsum exemplum ponas, non alterum, te neglecto. Esto bonus & fidelis, & inuenies amicum fidelem. Amor Dei, amicum fidelem constituit: sine Deo nulla amicitia stabit. *Luca 4.*

Bono boni sunt amici.

2. Sed vbi talis qui in omnibus fideliter agit? O quàm preciosus talis, qui amore Dei sit plenus! Amor mundanus citò deficit, & in necessitate vacuum relinquit. Time Deum, & iungetur tibi amicus fidelis. Serua nomen bonum, & inuenies socium bonũ. Et cùm inueneris, vtere sapienter, & dilige sicut teipsum. Multi amici in prosperis, in aduersitate vix vnus adhærebit. Non eris tamen desolatus, si Deum habes semper præ oculis. Si Deo non places, non proderunt amici mortales. Si inueneris iustum ac Deum timentem, magis dilige quàm potentem. Sustine verbũ amici, & memento, quia homo, est sicut & tu, quoniã solus Deus est, qui non errat, & in quem peccatum non cadit.

3. Quod non vis sciri, dicito nulli. Arduum & rarum celare verbum. Sic refer secretum, vt non erubescas, cùm fuerit detectum. Qui nescit tacere, non diu seruabit amicũ. Quando multa audisti & perlegisti, si hoc posses retinere, vt scires, quando deberes loqui, & quando tacere, bene didicisses. Det Deus hoc magnum bonum, quia verè egregium est donum, quod pauci habent: scite loqui, quando, & quomodo, & quibus oportet.

CAPVT IV.

De supportatione fraterna infirmitatis.

1. OPtima doctrina, patientia in angustis. Salutare verbum, factum verbi. Qui implet mandatum, tremendum iudicium non pauebit. Confundit seipsum, qui promissum nõ seruat, nec facit, quod dicit. Sustine patienter & longanimiter aliorum defectus, quos Deus omnia videns sustinet. A multis Deus contemnitur, & tacet vsque ad tempus. Quæ emendare non vales, fer bono animo tacendo, & conuerte te ad Deum magis orando. Siquidẽ & tu in multis deficis: nec semper facis, quod proponis aut dicis. Pronus ad vindictam, non effugiet iram. Qui semper vult vindicare, paucos habebit amicos. Displiceat semper malum, placeat tolerantia mali.

2. Tristitiam facilè vincit, qui nil terrenum nouit amare. Exterminat seminariũ litis, qui abiicit vitium cupiditatis. Siue diuitiæ siue honores excreuerint, non satiant amatores suos, sed implicant & torquent. Desine cõcupiscere, & desines indignari.

Nil stabile sub sole: sed cuncta mutantur, & res & honores. Stabilitur nemo, nisi in solo Deo. Dilectio Dei stabile fundamentum, humilitas autem meretur hanc gratiam. Qui in Deo confidit sustinet omnia patienter. Et qui Deum purè quærit, facilè contentus erit. Qui se ipsum quærit, se ipsum inueniet. Sentiet detrimentum, qui loqui vult ad omne verbum. Fluctuat semper animus, quamdiu consolari quærit in terrenis. In Deo vera lætitia cordis, extra Deum, non est pax nec requies.

CAPVT V.

De spirituali inopia, & subtractione suauitatis internæ.

1. PAupertas gratiæ, grauior est omni paupertate naturæ, inopia spiritualis, dura afflictio est animę. Castigatur sæpe iustus, interno solatio occultè subtracto. Eruditur tamen animus flagellis, ne de se prę sumat in bonis. Nouit ergo Dominus, quid tibi sit vtilius. Sæpe obest saluti, quod tu vehementer affectas. Est etiá sæpe pro te, quod tu æstimas tibi aduersari. Placita sibi cupit infirmus, sed medicus dat, quod illi nouit salubrius esse. Sanius iaces humi prostratus, quàm stabas intus elatus. Liberior est pauper in modicis, quam diues in opibus multis. Nulla res prodest exteriùs, si interior gratia desit & virtus.

Vtiliter subtrahitur interna suauitas.

2. Si Deus dulcedinem suam tibi subtrahit, ne mireris: quia multis sic accidit, ne sibiipsis hanc gratiá ascribant. Iucundius est esse in tormentis & in carcere cũ gratia, quàm in domo pulchra cum conscientia mala. Qui consolationem Dei est expertus, omnia fastidit, quæ mundus sensibus offert. Cum senseris te cęlesti rore perfusum, totum Deo humiliter refunde. Si aridum inueneris cor tuum & obtenebratum, non cesses ad Dominum clamare pro lumine gratiæ & oleo misericordię, ne deficias in via recta præ labore. Dabit enim Pater cælestis spiritũ bonum animæ quærenti se.

CAPVT VI.

De humili subiectione, & propria resignatione.

1. SI vis à malo liberari, & in bono confortari, humilia te sub Deo & propter Deum sub omni creatura. Testatur hoc sanctus Dauid, qui dicit. Humiliatus sum, & liberauit me. Non est bonum rebellare Deo, & contradicere sermonibus sanctis. Idcirco inclina aurem tuam ordinationi diuinæ humiliter, maioribus & minoribus subiectus. Humilitas pacem parit & concordiam, & nouit omne onus portare. Et homini vtilior est contemptus sui, quàm fauor laudis inanis.

Psal. 114. Iob 6.

2. Felix humiliatio animæ dolentis, quæ cognitionẽ propriæ infirmitatis sibi aperit, vt plangat intensè, quod propria iniquitate commisit. Suppleat semper humilitas, vbi deficit perfecta charitas. Citò illi ignoscendum est, qui reatum suum humiliter confitetur. Facilè placat iratũ, qui humile dat responsum. Valde magnã rem facit, qui propter Deum se resignat, & in omnibus vincit. Nam qui victor est sui, dominus est mundi, & hæres cœli. Qui seipsum non vincit in paruis, quando maiora superabit? Ille Deus est ad votum, qui se reliquit ex toto. Humiliatio ac victoria sui.

CAPVT VII.

De laude Dei in tribulatione.

1. DIsce Dominum laudare in tribulatione, quam pateris; & fac de necessitate virtutem, vt meritum tuum augescat, & pœna minuatur peccatorum. Vis murmurare contra Deũ, quia te flagellat & probat? Hoc tibi nõ expedit: sed magis ora, vt malis tuis non parcat. Confitere ergo Domino, quia bonus in donis suis; confitere etiã, quia iustus in flagellis tuis. Bonitas eius, sine meritis tuis, contulit tibi bona; iniquitas autem tua, quid meruit nisi flagella? Dic igitur ei in oratione prostratus: Domine Deus, ego nil aliud ex me promerui, quàm pati & flagellari: nec dignus sum vel minimam à te consolationẽ recipere, quoniam in multis te offendi. Sis igitur in omnibus benedictus, in quibus me affligis & vris. Si minus est, addes amplius. Modicũ est totum, secundum quod merui. Afflictio mea, laus tua sit & gloria. Gloriari enim me oportet hoc modo, in cruce Domini mei Iesu Christi. Duret & valeat dolor meus, quantũ tibi placuerit. Laudem tuam imple in me. Scio enim, quod nihil iniustè agere potes.

2. Voluntatem tuam & summum beneplacitum peto in me perfici vsque in finem. Gaudio dixi: Quid tu mihi sine Iesu salutari meo? Nolo in me venias, nisi dixerit Iesus. Dolor mihi dulcior est & erit, quàm tu; propter Iesum, qui diligens me affligit. Nam salus, vbi crux. Et plerumque sub gaudio dolus est occultus, & risus decipit multos. Vir autem sapiens, vix tacitè ridebit: nam futura metuens mala considerat quàm citò labuntur. Plus te grauare debet culpa commissa, quàm quælibet pœna inflicta. Etsi remurmurat caro infirma, spiritus tamen debet esse promptus ad omnia ferenda. *Eccli. 11.*

3. Itaque dicas: Libenter Domine portabo virgam tuam per gratiam tuam; & quicquid patiendum est, pro salute mea æterna: multo enim melius ac leuius est, modò cum bonis & electis

ctis affligi; quàm postea cum malis æterno igne cruciari. Esto ergo seuerus iudex in propria causa; vt Deus tibi indulgeat vniuersa mala commissa. Dei enim es creatura, etiam cùm peccas; ideoque correctioni eius te humiliter submitte, vt veniam
Psalm.36. consequaris & salutem. Nam salus iustorum a Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

CAPVT VIII.

De laude Dei ex deuotione.

Psalm.148. 1. OMnes sancti, omnes fideles, & omnes creaturæ Deum laudare tenentur; quia exaltatũ est nomen eius super omnes. Qui Deum laudant, laudabiles erunt: qui verò Deum non laudant, confusione sunt digni, & omni honore priuandi. Honorabile seruitium est & delectabile officium, corde & voce Deum laudare, & sancta vita glorificare. Si Deum laudas, facis quod debes, & ad quod creatus es. Si Deum non laudas, ingratus es, & peccas, luesque ingratitudinis tuæ pœnas acerbas. Angelorum opus est, & Sanctorum omnium gaudium singulare, Deum ac creatorem suum inceſſabili mentis affectu laudare, benedicere, & glorificare. Imitantur autem eos, qui diuino officio libenter intersunt, & in ecclesia Dei deuotè orant, aut in choro debitis horis alacriter psallunt.

Laudare indesinenter Dominum, opus est angelorũ & Sanctorum omnium.

2. Nunquam à laude Dei & gratiis cessandum est, quia Deus nunquam benefacere cessat, nec communem gratiam cunctis influere tardat. Ipse namque singulorum curam gerit, paratus tibi ampliora dona largiri: si viderit in minimis te fidelem, & ad regratiandum esse feruentem. Ad quid accepisti os & linguam, nisi vt Deo referas laudem, gloriam, & honorem? Si tu alicui benefacis, aut in melius prouehis; nónne ægrè capis, si gratias non rependit? Quapropter diuinis insta laudibus, & in canore iubilo Deum lauda cum omnibus creaturis; ne contra te testimonium ferant & clament, quòd ipsis Deum benedicẽtibus & ad nutum obedientibus, tu tacuisti à gratiarum actione & laude diuina. Ad excitandum ergo mentem tuam in Dei nominis laudem, lege, dum vacat, orationem hanc subsequentem, si placet.

Oratio, ad laudandum Deum feruenter.

1. DEus meus, laus mea, & gloria mea: cupio te laudare tam excelsa voce, & tam deuota mente: sicut vnquam laudatus es ab aliqua creatura, in cælo & in terra. Desidero te honorificare tam magno & digno honore, sicut vnquam honorificatus es ab aliquo Sancto, in regno tuo cælesti. Opto te venerari & amare, tam ardenti affectu & amoroso corde, sicut aliquis deuotus

notus & perfectus homo te dilexit & diligit in hoc mundo. Renouetur semper in me tui amoris sacer & purus affectus: & velut ignis desuper accensus, renes meos & cor meum exurat. Omnia quoque interiora mea purget & inflammet, vt nil vitiosum in me remaneat, quod oculos tuæ charitatis offendat.

2. O Deus meus, cordis mei scrutator verus, coram te est omne desiderium meum, & multiplex gemitus meus pro defectibus meis. Nam præ inopia internæ suauitatis ac charitatis, deficit sæpe spiritus meus. Offero igitur tibi desiderium cordis mei, in laudem nominis tui. Accipe vota mea in holocaustum matutinum, & oratio mea sicut incensum vespertinum ad te ascendat, & placeat in æternum. Amen.

EPITAPHIVM BREVE, SEV ENCHIRIDION MONACHORVM.

CAPITA HVIVS LIBELLI.

De recta via iustorum, ad regnum cælorum.	Cap. I.
De bona custodia cordis & oris.	II.
De frequenti inuocatione nominis Iesu & Mariæ.	III.
De certamine contra quotidiana vitia.	IV.
De optimis bonis animæ.	V.
De vera & interna consolatione animæ.	VI.
De recollectione cordis, in silentio oris.	VII.
De remediis, contra vanam gloriam & laudem.	VIII.
De munditia cordis à vitiis & passionibus occultis.	IX.
De vera pace cordis in virtutibus.	X.

CAPVT I.

De recta via iustorum, ad regnum cælorum.

1. VIa iustorum recta facta est, & iter Sanctorum præparatum est. Quomodo? Per dolorem & laborem: sic enim itur ad regnum cælorum. Non est alia via, ad vitam æternam? Non. Recta sola via crucis? Ita est. Hanc Christus verbo docuit,

Crux, vnica ad regnum cælorum via.

cuit, & sancto exemplo suo sequendam omnibus prœostendit, hanc omnes sancti secuti sunt vsque ad mortem, iuxta illam Domini sententiam: *Intrate per angustam portam, quæ ducit ad vitam* O monache, quid facis in cella? Lego, scribo, colligo mella Hæc animæ meæ solatia. Bene dixisti. Nam cella monachorũ, in labore & studio librorum flagrare debet.

Matt. 7. Monachi munus in cella.

In choró.

2. O clerice quid facis in choro? Lego, cantò, crimina ploro. Rectè respondisti. Nam chorus clericorum, in canore & iubilo psalmorum occupari debet; & Deum corde & ore laudare, sicut angeli in cœlo. O religiose, quid edis in mensa? Fel Christi, vulnera penso. Condoleo, numero, per singula vulnera ploro. Iustè & optime pensasti. Nam mensa egenorum, in mœrore & fletu dolorem Christi versari debet, & Deo regratiari O deuote, quid bibis in cœna? Bona dogmata, nectare plena. Recte respondisti. Nam cœna deuotorum, in sacra lectione & sensu verborum delectari debet. Nónne anima plus est quàm corpus? Si sapit bonus haustus in ore, multo melius sapit bonus intellectus scripturæ in corde.

In mensa.

In cœna.

Matt. 6.

CAPVT II.

De bona custodia cordis & oris.

Psal. 38. 1. *Dixi, custodiam vias meas; vt non delinquam in lingua mea.* Núquam sis otiosus, nec verbosus, nec curiosus, nec cachinnosus. Ante laborem & in labore memor sis Domini Dei tui, vt te custodiat. Semper inter hostes versaris, & inter pericula maris fluctuas: ideo incessanter orandum est, ne vincaris à vitiis, & in profundo malorum desperando submergaris. Sta firmiter, & nolis deficere in quotidiano certamine, & à tribus bestijs maxime caue.

Aduersus tres bestias depugnandum.

2. Mane certa contra acediam, meridie contra gulam, vespere contra carnis lasciuiam. Canis vult diu dormire, lupus vult multum comedere, asinus vult in strato lasciuire. Canem excita virga, lupum percute baculo, asinũ flagella spinis acutis. Virga est timor mortis, baculus est ardor inferni, spinæ passio Christi, & sanctorum martyrũ cruciatus. His tribus armis vincuntur vitia carnis.

CAPVT III.

De frequenti inuocatione nominis Iesu & Mariæ.

Psal. 118. 1. *Diuua me, & saluus ero.* Stude Deum inuocare in omni opére, mane, meridie, & vespere cum sancto Daniele, & iuuaberis in omni necessitate corporis & animæ. Iesũ habe in corde, & eris mundus ab omni sorde. Sit aue Maria sæpe in ore, & repleberis

repleberis Spiritus sancti consolatione. Solitudo & silentium, oratio & ieiunium, arma sunt monachorum.

2. Laborare in die, vigilare & orare in nocte, sanctorum exercitium speciale. Hoc Deo & angelis est acceptum, dæmonibus contrarium, iuuenibus vtile, senibus delectabile, pigris graue, deuotis leue & suaue. Cùm non potes bene vigilare, studeas Iesum inuocare, & fugiet à te diabolus bonorum inimicus. Si non potes dormire præ tristitia, studeas Mariam salutare cum lætitia; & aderit tibi angelus sanctus bonorum amicus. Si tedet orare, studeas psalmos ruminare, & confortabit te Spiritus sanctus, consolator optimus, doctor intimus, illustrator cordis maximus.

CAPVT IV.

De certamine, contra quotidiana vitia.

1. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Idcirco induc arma sanctæ crucis: certa, sicut fortis miles: studc, vt bonus clericus: ora, vt deuotus monachus: labora, vt fidelis Dei seruus, & eris in cælo gloriosè coronatus. Clauus clauo expellitur, vitium virtute superatur. Ira silentio compescitur, gula ieiunio refrenatur. Otium labore fugatur, risus dolore cassatur. Odium amore necatur, hostis beneficio placatur. *Psalm.* 118

2. Pax cordis patientia acquiritur; & qui alios leuiter arguit, indignationem citò incurrit. Parua enim rerũ implicatio, multæ pacis est acquisitio. Sæpe hoc dicitur, & sæpe repetendũ est, vt bene custodiatur: nil dictu facilius, nil facto beatius, Christo referente; Si scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea. Verbosi multi, taciturni autem pauci. Cupidi multi, pauci paucis contenti. Nemo perfectè contentatur, nisi summo bono plenè fruatur.

3. Inops est omnis mensa, pane carẽs & sale. Insipida refectio, si desit sacra lectio, & affluunt inania verba. Optimũ ferculum animæ, verbum Dei audire, & bene masticare. Dulci cibo ille pascitur, qui sacris verbis delectatur. Diu aridus & indeuotus erit, qui vana libenter audit & quærit.

CAPVT V.

De optimis bonis animæ.

1. Diligam te Domine virtus mea. Inter nobiles, nil virtute nobilius: inter ignobiles, nil vitio deterius. Inter pulchros & honestos, nil castitate pulchrius; inter scientias, nil sapientia altius; inter deuotos libros, nil vita Iesu Christi salubrius. Inter omnes preces & laudes Dei, nil Pater noster sanctius, nil Aue Maria dulcius, & angelis iucundius.

2. Om-

Oratio Dominica cæteris præstat.

2. Omnia vota & desideria sanctorum, oratio Dominica excellit. Omnia enim dicta prophetarum & melliflua verba psalmorum & canticorum, pleniſſimè & secretiſſimè in se continet. Omnia necessaria petit, Deum summè laudat, Deo animam cõiungit, & de terra ad cælum leuat; nubes penetrat, & angelos transcendit. Beatus, qui attentè singula verba Christi pensat.

CAPVT VI.

De vera & interna consolatione animæ.

Apoc. 2. Manna absconditum.

1. *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum.* Manna absconditum est consolatio sancti Spiritus, de spe veniæ & contritione peccatorum, cum proposito bono & firma intentione se semper emendandi & proficiendi. Verax est Deus, & omnia verba eius vera sunt & firma. Fidelis & verus amicus non mentitur, nec agit in dolo cum proximo suo. Qui alium decipit, non est veritas in eo.

2. Qui de bono superbit, non est gratus nec fidelis Deo. Noli superbire, ne perdas donũ, quod accepisti de cælo sine merito tuo. Cutá habe de bono nomine; sed noli meliorem te fingere, nec sanctiorem aliis credere. Bona vita, bonum nomen facit, & qui malè se regit, bonũ nomen perdit. Nomen nouum iterum acquirit, qui malos mores relinquit. Ille veraciter quasi hodie natus viuere incipit, qui in spiritu ambulare proponit, & omnia nociua vitat & spernit. Melior est bona fama ex sanctitate vitę, quam odor vnguenti precioſi & diuitiæ multæ.

Nomen nouum.

CAPVT VII.

De recollectione cordis, in secreto oris.

Isaiæ 24.

1. *Secretum meum mihi.* Cùm distractus fueris ex colloquiis longis, recollige te iterum in longo silentio, intus manendo in secreto solus, & gemendo pro cõmiſſis. Citò fit distractio cordis, ex rebus visis & auditis; sed frequens oratio & interna cõpunctio, expellat imagines noxias, & curas superfluas.

2. Qui nil cõmodi quærit, nec concupiscit in terris, & elongat se a tumultibus cunctis; potest citò liberè volare ad Christum in cælos, sicut ait deuotiſſima mater sancti Augustini in excessu mentis: Volemus, inquit, ad cælum fideles.

S. Monicæ vox.

CAPVT VIII.

De remediis contra vanam gloriam & laudem.

Psal. 38.

1. *Vanitas omnis homo viuens.* Noli extolli de aliquo bono cõram hominibus; quia habes multos defectus intus, quos nouit Deus; & tu non vides nec ponderas, sicut debes. Qui laudem

dem humanam quærit de singulari facto, sępe confusionem incurrit (Deo permittente) coram multis in aperto. Vana gloria & amor propriæ laudis decipiunt multos, priuando eos bonis æternis, vt patet in virginibus stultis.

2. Quid stultius, quàm vana diligere, & vera respuere? Quid peruersius, quàm Deum negligere, & hominem attendere? Quid amentius, quàm mundum aspicere, & cælum despicere? Cor diuitis in terra, cor pauperis in cælo. Cor humilis sub Deo, cor superbi contra Deum.

CAPVT IX.

De munditia cordis, à vitiis & passionibus occultis.

1. *Beati mundo corde.* Munda cor tuũ à vitiis, vt verè sis bonus. Quare miser vis laudari de bonis, quę non habes? Vere ita despicabilis es in multis, vt meritò erubescere possis, quamuis libenter hoc non audis tibi dici ab aliis. Qui sunt, qui vanitatẽ amant? Qui humanam laudem affectant. Humilis & sibiipsi vilis in veritate stat, & nunquã se de bono eleuat: sed semper se humiliat, & peccatorẽ fatetur & dolet. Inspice te rectè & internè, & noli leuiter credere linguæ alienæ & famæ ventosę. Vidi laudantem socium suum in facie, & post tergum detrahentem pessimè. Consideraui arguentem amicum in charitate seriosè, & excusantem eum publicè ipso nescio. *Matt. 5.*

2 Quando veritas & charitas sibi obuiant, tunc quæ pacis & salutis sunt pariter tractãt. Laua manus tuas ab opere peruerso, & prohibe labia tua à verbo otioso, oculos à visu nociuo, cor à cogitatu maligno, & eris mundus corã Deo. Sæpe lauas manus & faciem, ne displiceas hominibus: multo magis laua conscientiam tuam à vitiis, vt placeas Deo & angelis eius, qui vident abscondita cordis.

CAPVT X.

De vera pace cordis in virtutibus.

1. *Beati pacifici, &c.* Cor purum diligit Deus, in pace habitat Christus super humilem & mitem requiescit Spiritus sanctus. In tumultu perditur Iesus, in risu offenditur, in ira expellitur, in mendacio conspuitur, in detractione spoliatur, in dolo percutitur, in odio crucifigitur. Quicquid mali proximo ingeritur, Iesus sibi factum conqueritur. *Ibid.*

2. Caue offendere Deum, caueas scandalizare proximum, ad imaginem Dei factum. Reuoca errantem, instrue ignorantem; da bonum exemplum, tolle omne offendiculum; sequere Iesum patiendo opprobrium, pro malo restitue bonum, & recipies pro omni modico hic passo prẽmium æternum & gaudium cum angelis sanctis in regno cælorum. Aduersus Iesum facis quicquid peccas.

MANV-

MANVALE PARVVLORVM.

CAPITA LIBRI SEQVENTIS.

De vocatione paruulorum ad Christum. Cap. I.
De doctrina Iesu, & humilitate eius. II.
De puritate & sublimitate sancti Ioannis apostoli. III.
De sanctitate & excellentia sancti Pauli apostoli. IV.
De magna humilitate sancti Francisci. V.
De bona imaginatione contra malum. VI.
De breuitate omnis rei sub cælo. VII
De deuotione sancti Dauid regis in oratione. VIII.
De paupertate spiritus propter Christum. IX.
De studio simplicis fratris in passione Christi. X.
De puritate multarum virtutum. XI.
De laude Dei ex ore iusti. XII.
De arcta custodia cordis & oris. XIII.
De frequentia orandi. XIV.
De æterna vita præmio promerendo. XV.

CAPVT I.

De vocatione paruulorum ad Christum.

Matt. 19. 1. SInite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Hæc sunt verba Iesu Christi, summi pastoris & cælestis doctoris nostri in schola Dei, quæ discipulis suis & turbis loquebatur, cùm paruuli sibi a parentibus præsentarentur ad tangendũ. Quos pius magister & dulcis Dominus (sicut sanctus Marcus narrat) complexans, & manus suas super eos imponens, benedicebat eos, & ait: *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud.* Et iterum secundum Matthęum ad omes maiores ait: *Nisi conuersi fueritis, & efficiammi sicut paruuli, non intrabuis in regnum cœlorum.*

Matt. 10.

2. O bone pastor & dulcis magister, quàm dulciter loqueris, & veraciter doces: & paucis verbis ostẽdis omnibus hominibus rectam viam tendendi per humilitatem ad regnum Dei! Hæc sancta verba consolantur humiles & pauperes, arguunt superbos & diuites, cõfortant simplices & innocẽtes. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. In omnibus ergo bonis quę agis, loqueris, & cogitas,

Iacobi 4. Humilitas nunquam deserenda.

gitas, ab humilitate noli recedere, ne perdas totum quod facis. Nam nulla valent opera bona, nisi fuerint in humilitate fundata, & charitatis melle perfusa, & ad honorem Dei pura intentione facta. Caue superbiam, omnium vitiorum foueam, & virtutum ruinam. Esto innocens & quasi paruulus sine dolo, ab omni malitia purus; & eris Deo & hominibus dilectus, & in te pacatus.

CAPVT II.

De doctrina Iesu, & humilitate eius.

1. DIscite à me (ait Iesus) *quia mitis sum & humilis corde.* O humilitas virtus Christi quantũ confundis superbiam vanitatis nostrę; qui de paruis bonis cupimus laudari; & de multis malis nolumus vituperari? O bone Iesu, tu pro nobis multa mala pertulisti, quę non fecisti; & innumera nobis bona contulisti, quæ non meruimus, nec digni sumus habere. Nam totũ gratiæ est & immẽsæ pietatis, quicquid boni fecisti nobis, & adhuc quotidie facis; parcendo delictis nostris, & benefaciẽdo in multis. Gratias semper tibi pie Deus sed væ nobis ingratis, tepidis, & superbis pro innumeris beneficiis tuis & promissis. *Matt. 11.*

CAPVT III.

De puritate & sublimitate sancti Ioannis Apostoli.

1 ECce puer meus electus, quem elegi. Quid fecit beatum Ioannem apostolum tam clarum ingenio, & tam prędilectum à Domino nostro Iesu Christo; vt tam alta caperet & scriberet de Deo, vltra omnes doctores in mundo? Magna puritas eius mentis & corporis, perfecta quoque charitas ardens erga Deum & proximos suos, non verbo tantum & lingua, sed opere & veritate. Hoc enim ipse apertè testatur in epistola sua, de gemina charitate scribens. Si ergo non potes cum sancto Ioanne Euangelista altiora contemplari de sancta Trinitate, stude humilitatem & patientiam Christi cum infirmo Lazaro cogitare & sequi. Et si non vales cum sancto Paulo ad tertium cęlum euolare, stude cum beata Maria Magdalena ad pedes Iesu plorare, & veniam petere.

Ioannes Euangel. vnde tam sapiens & charus Deo.

Si non potes cum celsioribus diuis sublimia apprehendere, sectare cum aliis humilia.

CAPVT IV.

De sanctitate & excellentia Pauli Apostoli.

1. VAs electionis mihi est iste. Quid fecit sanctum Paulum tam magnum & sublimem apud Deum? Contemptus mundi & omniũ terrenorũ, cum abnegatione suiipsius, & mortificatione *Actor. 9.*

ne carnis,& abiectione omnis temporalis honoris. Quid plus super hæc omnia? Perfectus amor Dei & proximi, sine aliquo lucro terreno & proprio commodo, Christo seruiendo in hoc mundo. Quid inter multas reuelationes sibi à Deo factas magis docuit & commendauit fidelibus Romanis, Corinthiis, Galatis, & cæteris omnibus in vniuerso orbe constitutis? Iesum Christum,& pro nobis crucifixum: pro quo ipse multa pati optauit,& mori non formidauit; quia sacra stigmata passionis eius quotidie in corde & corpore suo pro nomine eius & amore portauit.

CAPVT V.

De magna humilitate sancti Francisci.

1. HIc est, qui contempsit vitam mundi. Quid fecit humilem & sanctum Franciscum tam deuotum & Deo dilectum in hac vita, & tam altum in gloria? Verè profunda humilitas sua; & quia inter omnia beneficia diuina & exercitia quotidiana, passionem Christi & sacra vulnera doloris eius immensi amoris plena, in mente portauit, recoluit, condoluit, grauissimè pōderauit, amarissimè fleuit, & ardentissimè amauit. Nam magna gratia confertur humilibus, & passionem Christo quotidie recolentibus. Verus enim humilis non se reputat nec eleuat de bonis, quæ facit: sed omnibus viliorem se æstimat, & cunctis inferiorē veraciter confitetur. Hic propria mala sua inspicit & plangit, & aliorum bona videns congaudet, pro quibus Deum laudat & benedicit, orās, vt sui misereatur, & se à malis liberet.

CAPVT VI.

De bona imaginatione contra malum.

Matt.16. 1. VAde retro Satana. O miles Christi loquere hæc verba contra omnia mala phantasmata diaboli. Nā arma tua, sunt sancta verba & opera Christi. Igitur contra ignita carnis iacula, pensa amara Christi vulnera. Contra tædium cordis, sit semper in ore dulcis Iesus. Contra omnes malas suspiciones & indignationes tuas de aliis, cogita omnes culpas tuas, quas fecisti ab initio natiuitatis tuæ vsque modò, & desiste indignari. Sint omnia bona tua aliis communia, & ad laudem Dei facta; sed mala tibi soli imputa, & ad feruentiorem emendationem conuerte.

Immissiones cogitationum malarum vmbone bonarum repellēdæ, præcipuè verbo Dei.

2. Dum vacat tempus & hora ab externo labore, sit protinus psalmus & laus Dei in corde & in ore. Cor non potest diu quiescere, nec lingua tacere; aut enim bona aut mala imaginatur, aut tristia pensat, aut læta reuoluit, sicut molendinū quod à vento moue-

mouetur. Ne ergo mala subitò irruant & maculent, sacra verba tanquam munda grana cordi tuo insere, & ea diligenter reuoluendo in cibum conuerte. O vtinam tot bona verba dicas & ores; quot otiosa dixisti; & tot bona recogites & rumines, quot mala & noxia cogitasti. Aperi cor tuum Christo, & claude diabolo, vt sit anima tua in cælo & non in sæculo. Loquitur tibi Christus in omni verbo Dei, & in omni libro scripto digito Spiritus sancti. Quæcunque enim in scripturis sanctis legis, scribis, & intelligis, solatia sunt animæ fidelis in tribulatione, & remedia contra diaboli venena, & reuocant cor vagæ mētis ad Deum suum in cælum.

CAPVT VII.

De breuitate omnis rei sub cælo.

1. VAnitas omnis homo viuens. Hodie homo est, & cras non inuenitur. Perit diues, perit pauper; perit iuuenis, perit senex. Perit pulcher, perit niger; perit doctus, perit indoctus. Perit magnus, perit paruus; perit nobilis, perit ignobilis. Perit dominus, perit seruus; perit prælatus, perit subditus. Perit honoratus, perit refutatus; perit magister, perit discipulus. Perit clericus, perit laicus; perit canonicus, perit monachus. Perit theologus, perit astrologus; perit medicus, perit in omni arte peritus. Ecce omnia pereunt, præter amare Deum, & iustè viuere *Psal. 38.*

CAPVT VIII.

De deuotione sancti Dauid regis in oratione

1 QVis enim in omnibus sicut Dauid fidelis, pergens ad imperium regis cælestis? Hic in die fuit miles fortis in bellando contra hostes suos; & in nocte deuotus monachus, orando cum gemitu & lachrymis pro peccatis suis commissis. Maximè autem regratiabatur Deo pro innumeris beneficijs sibi specialiter datis, & omnibus creaturis generaliter collatis; quas ad gloriam sancti nominis sui mirabiliter creauit & ornauit. Et ne de bonis acceptis superbiret, ait Deum laudando: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Et ne in aduersis deficeret, ait: *Adiutor meus esto Domine, ne derelinquas me.* Et ne vnquā ingratus esset, ait: *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum.* *Psal. 113.* *Psal. 26.* *Psal. 112.*

CAPVT IX.

De paupertate spiritus propter Christum.

1 TAnquam nihil habentes in hoc mundo, & omnia possidentes cū Christo. O sancta paupertas spiritus, super omnes diuitias *1. Cor. 6.*

mundi & honores amanda: quam Christus docuit, & vsque in finem vitæ seruauit, & omnibus perfectis pro exemplo reliquit. Hanc multi sapientes, nobiles, diuites & potentes Christum sequentes, propter regnum cælorum sponte elegerunt. O quanta libertas puræ animæ, quæ nihil habere desiderat de statu & ornatu seculi, amore Iesu-Christi! Verè magna securitas conscientiæ & iucunditas cordis, stare in subiectione & obedientia, & propter Christum crucifixum se abnegare plenè vsque ad mortem. O cæleste manna superbis absconditum, humilibus reuelatum, innocentibus propinatum, à deuotis prægustatum; qui pro speciali solatio recolunt Christum pro se passum & crucifixum.

CAPVT X.

De studio simplicis fratris, in passione Christi.

Psal. 34. 1 *SAlus tua ego sum, dicit Dominus.* Plus sanctitatis & puritatis, scientiæ & prudentiæ, contra omnes nequitias diaboli & errores mundi ac sordes vitiorum, inuenit simplex & innocens frater in vita & passione Domini, quàm altus speculator & subtilis disputator in consideratione totius machinæ mundi. Vitam & passionem Christi docemur imitari; machinam mundi speculari sine laude & gloria Dei, vanitas est & stultitia. Melius est orare humiliter Deum, quàm subtiliter perscrutari cælum.

Quantus profectus simplici animæ in Christi cruce.

2. Dei enim est gubernare omnia, qui creauit omnia; hominis est seruare mandata eius, & cauere peccata. Omnes sancti essemus, si ista faceremus, Sed quia multi ista non faciunt, nec bene viuunt: ideo multa mala eis iusto Dei iudicio contingunt. Fuge ergo frater seculum, intra lætus claustrum, sequere sanus Christum per arctam viam ad cælum. Bonum est tibi cum vno oculo intrare cælum, quàm cum duobus in infernum; vbi erit fletus & stridor dentium, pro omnibus malis in perpetuum. Væ eis.

CAPVT XI.

De puritate multarum virtutum.

1. Pet. 2. 1 *ESte rationabiles sine dolo.* O sanctum & suaue verbum, ex ore sancti Petri Apostoli prolatum. Placet namque maximè Deo & angelis eius, castitas cum humilitate, scientia sine inflatione, prudentia sine præsũptione, eloquẽtia sine vana gloria, lætitia sine dissolutione, tristitia sine amaritudine, patientia sine murmure, locutio sine mendacio, responsio sine fallacia, promissio sine crastino, laudatio sine vituperio, dilectio sine vitio, oratio sine tædio, gratitudo Deo pro omni bono sine termino, meditatio sine dispersione, contemplatio sine obscuratione, operatio sine inquinatione, quies sine pigritatione, vnio animæ

Quomodo per omnia placeas Deo.

cum

cum Deo sine intermissione. Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. O quàm bonus Deus Israel, his qui recto sunt corde. Dic ergo cum Dauid in psalmo, neglecto omni bono terreno, intimè orando: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. Nil aliud volo, nil cupio, nisi te solùm Domine, pro omni labore meo & præmio in cælo. Amen.

CAPVT XII.

De laude Dei ex ore iusti.

1 *Rectos decet laudatio.* Beatus, qui omnia bona opera sua facit cum pura intentione simpliciter ad laudem Dei. Beatus, qui omni tempore cor suum ad beneplacitum Dei dirigit, & nullum proprium commodum finaliter quærit. Beatus, qui omnia immunda idola antiqui hostis à se longè proijcit, & ad arma Christi crucifixi humiliter in angustijs confugit & orat. Hic bene procedit, & cum Iesu vbique per mare & aridam pergit: donec ad patriam cum eo perueniat. *Psal. 32.* Iustus omnia refert in Deum.

2. O Iesu dulce nomen, super omnia nomina Sanctorum in cælo & in terra; cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, angelorum & hominum. Tu via iustorum, gloria beatorum, spes egenorum, salus infirmorum, amator deuotorum & cõsolator omnium tribulatorũ. Esto mihi adiutor & protector in omni necessitate, propter nomen sanctum tuum benedictum in secula. Cùm pauper fuero, laudabo te: cùm tristis fuero, laudabo te. Cùm lætus fuero, laudabo te: vbicumque fuero, semper laudabo te.

CAPVT XIII.

De arcta custodia cordis & oris.

1 *Cor mundum crea in me Deus.* Hæc oratio valde vtilis est & potens contra omne vitium durè tẽtans, & subitò cordi irruens. Nil laboriosius & vtilius, quàm custodire cor à vanis phantasijs, & os à verbis otiosis. Nil fructuosius, quam spiritualibus vacare exercitijs, orando, meditando, studendo, psallendo, & charitatis opera libenter faciendo. Pauca verba sufficiunt ad necessitatem, longa texunt superfluitatem; leuia inducunt vanitatem, curiosa important distractionem, dura excitant turbationem; alta generant elationem, simplicia ostendunt humilitatem, vera parant iucunditatem, falsa prouocant indignationem; bona merentur laudem, mala pœnam, sancta vita æternam gloriam. Bonus ergo custos cordis sui, solicitè etiam custodit ostium oris sui; ne perdat gratiam deuotionis interiùs, per incuriam sermonis exteriùs. *Psal. 50.*

CAPVT XIV.

De frequentia orandi.

Luc. 11. 1 *QVoniam opertet semper orare.* O quàm dulcis & salubris admonitio; quam pura & sancta oratio cælos tãgens, & terram deserens: Deo colloquens, & hominibus tacens. Hoc itaq; verbum Christus ait ad Apostolos suos, & ad omnes religiosos. Sicut enim corpus viuit & nutritur cibis terrenis: ita anima sacris verbis & orationibus & meditationibus confortatur. Dat fiduciam orandi ingens dolor cordis pro commissis, & humilis confessio oris de perpetratis, cum intentione se emendandi in istis. Nil quippe bona voluntate ditius, & Deo acceptius, & animæ nostræ salubrius. Toties namque Deum oras, quoties pro peccatis tuis gemis & doles. Et quia quotidie peccas, ideo quotidie etiam orare & gemere debes, ac veniam petere pro offensis.

Gemitus pro peccatis, oratio est.

2. Multum oras, si multum doles; parum oras, si parum doles. Parum impetras, si parum attendis ad ea, quæ legis & cantas. In multis fit excessus, sed quotidiana oratio & gemitus cordis, cum feruore sancti Spiritus, expurgat languoree hos omnes. Qui non orat & gemit pro culpis quotidianis, pœnam sibi auget in pœnis futuris. Non ergo pigeat semper orare, & Deo deuotè gratias agere, quia ipse nunquam cessat nobis benefacere.

3. Ideo nullus locus, nullum tempus, nullum opus, nullus labor, nullus dolor ab orando nos impedire debet: super quos Deus oculos suos apertos hîc & vbique semper habet. Quoties enim Domini Dei tui recordaris & gemis, toties cum eo secretè loqueris & oras. Si non potes semper voce orare, poteris tamẽ & debes mente & desiderio ad Deum clamare, gemere, & plorare. Semper enim Deum orat, qui semper bona cogitat, bona loquitur, & bona facit ad honorem Dei. Amen.

CAPVT XV.

De æternæ vitæ præmio promerendo.

Matth. 5. 1 *ECce merces vestra multa est in cælo.* Omne gaudium præsẽs breue est, & heu multis malis inuolutum: regnum autem Dei gaudio semper plenum & æternum, supra omnem sensum & intellectum eleuatum. Hoc nullus tibi dare potest nec auferre, nisi solus Deus creator omnium iudex viuorum & mortuorum, reddens singulis pro meritis operum suorum. Propter hoc regnum consequendum, promerendum, & æternaliter possidendum; fortiter est certandum, laborandum, alacriter vigilandum, &

& feruenter orandum: sæpe ieiunandum, sæpe gemendum, sæpe lugendum, sæpe confitendum, sæpe communicandum; deuotè ministrandum, deuotè celebrandum, deuotè psallendum; diligenter studendum, strictè silendum, libenter seruiendum, promptè obediendum.

2. Patienter omne graue ferendum, omne carnale citò respuēdum, omne seculare vbique vitandū, omne turpe fugiendū, omne honestum sectandum, omne vitiosum odiendum, omne virtuosum amandum; omne curiosum amputandum, omne simplex & purum eligendum: omne terrenum relinquendum, omne cæleste & diuinum summè amplectendum. Hæc est via vitæ cælestis, & formula renuntiationis seculi in statu religionis; ducens paruulos, mites, & castos, ad æternæ vitæ beatitudinem, & gloriam sanctorum æternaliter cum Christo perfruendum. Amen.

DE ELEVATIONE MENTIS AD INQVIRENDVM SVMMVM BONVM.

CAPVT I.

1 VAcate & videte, quoniam ego sum Deus. Ecce, inquiro te Deus meus, non per sensus corporeos, neque per sensibiles imagines; sed in me super rationes intellectuales, vbi tu luces intellectui meo veritas æterna, bonitas immensa, incomprehensibilis claritas; omnem creaturæ comprehensionem excedens, omnem aciem mentis repercutiens, & super omnes cælestes spiritus secundum quidditatem te incognitè seruans; & tamen secundum cuiuslibet beati spiritus capacitatem, te totum communicans, atque omnibus & singulis infinitam deitatis tuæ gloriam, & supereſſentialem naturæ tuæ substantiam manifestans.

2. O Trinitas vnus verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, æterna gloria & summa beatitudo sanctorum, omniumque cælestium virtutum æterna fruitio. Ex quo omnia, per quē omnia, in quo omnia procedunt, consistunt, & terminantur. Notas mihi fac vias tuas, & semitas tuas edoce me; quoniam viæ

tuæ viæ pulchrę, & omnes semitæ tuæ pacificæ. Beati mundo corde, & beati pacifici, viæ sunt & semitæ ad cognitionem vitæ contemplatiuę. Laborandum est ergo diligenter & orandum, vt ab omni fæce vitiorum cor mundetur, & sic liber ad Deum pateat accessus.

CAPVT II.

Oratio, vt liberetur mens à corporali imagine & sarcina.

ORO te Deus meus, & precor te ex totis intimis meis, libera me & eripe distractum & captiuum animum, ab omnibus mundi concupiscentijs & corporalibus imaginibus; vt teipsum in meipso illuminata ratione inueniam, qui me ad tuam pretiosam & incorruptibilem fecisti imaginem. Non enim in aliqua mundi creatura, tanta relucet sapientiæ tuæ pulchritudo & similitudo, sicut in hominis anima; quam tui capacem fecisti, & omnibus creaturis, per rationē intellectualem excellentissimè præfecisti. Eleua ergo mentem meam ab omnibus terrenis, & purifica cordis mei affectiones. Renoua me secundum interiorem hominem: & reforma imaginem tuam per septiformem Spiritus sancti gratiam; quam immortalem, inuisibilem & incorpoream, omnibus virtutibus habilem, æternæ veritatis capacem, sui intelligibilem, rationis compotem, bestijs eminentem, omnibus sensibilibus & visibilibus digniorem, ad imaginem & similitudinem tuam creasti. Repelle à me & expelle, quicquid potest imaginem tuā maculare & obfuscare; ne indigna conspectu tuo fiat, & oculos maiestatis tuæ offendat. Dignare hanc pretiosam & nobilissimam imaginem tuam charitate informare, intelligentia illuminare, & sine intermissione visitare; quam sine medio intueris, & in esse conseruas. Recordare, quàm alto consilio ipsam priùs de nihilo, sed non pro nihilo condidisti. Quàm magno sacroque commercio, de peccati vinculo ipsam rursus redemisti: & tantæ dignitatis creaturam, ne sinas substerni mortali vitio; sed ab omni defende malo, ac dita per gratiam. Multiplica in ea dona largitatis tuæ: & quod minus valet ex infectione corruptæ naturæ, suppleatur ex superuenienti dono gratiæ.

2. O veritas mea & misericordia mea; da mihi te videre sine forma corporea, sine specie imaginaria, & sine omni luce creata. Da puræ mentis intelligentia te conspicere, qui mundis cordibus te videndum promisisti: *Beati* (inquis) *mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Alta & magna promissio, sed puris & illuminatis mentibus congrua. Quæ dum terrena cuncta relinquunt,

Matth. 5.

quunt, & corpore vniuersa transcendunt, recto iudicio æternæ veritatis lucem contemplari merentur. Et quanto longius à creata luce & conditarum rerum ratione recedunt, tanto eminẽtius supra se in diuinæ claritatis secretum rapiuntur. O qualis visus, quàm purus intuitus, quàm beatus ille oculus; quo sine imaginibus & corporum similitudinibus cernitur veritas Deus! Oportet cor esse liberum, & ab omni inordinata affectione purgatum. Oportet mentem esse inoccupatam ab omni strepitu & imaginatione corporum, si debeat aliquid comprehendere, de æterno incircumscripto lumine illuminante totum mundum. Da mihi Domine, vt in lumine tuo videam lumen, non lumen cæli, non lumen terræ, non angelicum, non humanum lumen; sed lumen æternum, increatum, immensum, ineffabile, incomprehensibile supereſſentiale, & incommutabile lumen.

3. O quam grauis est mihi sarcina carnis? Quàm onerosa lex peccati in membris meis, quæ impedit & retrahit ab aspectu cæleſtis luminis, à vultu gloriæ Dei, à gustu felicitatis æternæ, ab introitu ciuium supernorum, quos lætitia sempiterna circundat & implet. Largire, obsecro Deus, in tempore breui seruo tuo gratiam & benedictionem cęleſtem, qui necdum dignus sum haurire de fonte pleno aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Visita me frequenter clementissime Iesu; & in amore tuo vehementer accende; vt discam omnia inferiora & creata despicere, & te solum æternum & increatum bonum purè quærere; & super omnia te propter te veraciter amare.

CAPVT III.

De Verbo increato, eterno & immenso, supra omnes docentes animam illuminante.

1 *Lvcerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* O Verbum Dei in excelsis, quod omnia præcedit, omnia illuminat, omnia ad perfectum perducit, & nihil inordinatum in creaturis relinquit. Verbum tuum Domine lux mea, & gaudium animę meæ; sine quo in tenebris sum & in mœrore; cum quo gaudio perfungor & lumine. Aperi mihi (Domine) portam claritatis æternæ, ad inueniendum verbum tuum in cælo. In cælo permanet verbum tuum, in generatione & generationem veritas tua. *Psal. 118.* Verbi increati dignitas ac maiestas. *Psal. 118.*

2. O æternum & immensum Verbũ, per quod facta sunt omnia; quod omnia nouit, omnia iustè & rectè disponit. Huius altitudinem cæli non capiunt, profunditatem iudiciorum abyssi expauescunt, latitudinem orbis terræ non attingit. Æternum Dei verbũ multis verbis nõ exprimitur, nec varijs imaginationibus concipitur, nec ab aliquo creato intellectu penetratur, sed

super ineffabile & incomprehensibile prædicatur. Credi potest & amari, plenè concipi non potest nec effari; quia hoc verbum Dei, Deus est, sicut testatur beatus euangelista Ioannes: *In principio* (inquit) *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* O ineffabile & nimis amabile verbum, dulce ad audiendum, iucundum ad cogitandum, felicissimum ad fruendum! Hoc multipliciter animæ loquitur, per scripturas, per angelos, per prædicationes, & per arcanas reuelationes: sed multo iucundius & sublimius, cum per se veritas menti vltro illabitur.

Ioan. 1.

3. O si possem vacare & videre, quam suaue sit hoc verbum, verum animæ lumen, vita viuentiũ, beatitudo regnantium: credo quod nulla me frangeret pressura laborum, nulla me teneret copia bonorum, sed citò vilescerem & deperirem omne terrenum. O quam bonum & iucundum est adhærere Deo, frui verbo, de verbo concipere, verbo viuere, & immortales fructus parere. Non est hoc verbum, quod sono finitur, aut mente imaginatur: sed omnem transcendit imaginationem & loquelam. Nam hominis verbum transit, verbum autem Dei æternum & incommutabile manet, atque cuncta mutabiliter disponit. In homine reperitur prius & posterius, & in omni creatura est esse mensuratum: nec quicquam perfectum & simpliciter per se bonum, nisi summum & æternum bonum, quod omnibus dat esse, & cuncta conseruat in esse.

4. O vnicum Dei verbum, non ex tempore factum, nec in tempore productum; sed ex Patre æternaliter genitũ, pro mortalibus autem in tempore ex Maria virgine incarnatum. O æternum Dei verbum, immensum, & infinitum: angelorum esca & hominum; quod sumptum non consumitur, nec in ædentem transfertur; sed sumentem in se transmutat, & ab omni creato bono, ad æternum & incomprehensibile bonum traducit. O quid est cognoscere verbum Dei? Quid est audire verbum Dei, non hominis, non Angeli, non alicuius creaturæ existentis sub cælo. In sinu Patris est verbum, in secreto manet vnigenitus, Patri coæternus & coæqualis.

Ioan. 1.

Eccl. 20.

5. O quis potest comprehendere illud aut cognoscere; nisi per verbum verbi? Hinc verbum in carne ait: *Nemo nouit filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.* Opus est ergo reuelatione verbi, vt intelligatur verbum. Orat Propheta ad capiendum verbum: *Intellectum* (inquit) *da mihi, & viuam.* Vita & salus animæ credere verbo, diligere verbum, & in verbo superesperare. Cupit anima fidelis frui verbo, sed non datur videre illi, nec prius experiri, nisi voluntate & reuelatione verbi. Conari potest, desiderare potest; sed comprehen-

Psal. 118. Verbo opus est ad capiendũ Verbum.

hendere non poteſt, niſi ſeipſum voluerit in ſpiritu reuelare.

6. Præpara ergo te anima mea, & fac quod potueris. Sede ſola, tace ab omni ſtrepitu vitiorum: nec quicquam te moueat foris, nec intus conturbet. Amore ſummi boni deſpice omne temporale. Conuerte te ex toto interius, aſcende pauliſper ſuperiùs, Leua te ſupra te, tranſcende omne quod in tempore fit, relinque omne, quod creatum eſt. Exclude, quicquid modum habet, vel gradum quantumlibet altum; vt inuenias verbum increatũ, ſuper omnem creaturæ cognitionem exaltatum. Quantum te verbum iuuat, tantum poteris: quantum te illuminat, tantum videbis; quantum te accendit, tantum ardebis & amabis. In verbo vinces mundum, in verbo prævalebis aduerſus omne malũ. In verbo firmaberis in virtute; in verbo exaltaberis ſupra virtutem. Propter verbum Dei relinques omnia, patrem & matrem, amicos & proximos: id eſt, quicquid caro & ſanguis ſuggerit deſpicies; & adhærebis verbo, vt vnus ſpiritus cum verbo per amorẽ fias. Ita vt nihil aliud velle aut nolle, in paruo vel in magno, in tempore vel in futuro, velis aut affectes, niſi quod æternæ veritati ſummè placeat. Propter hoc vnicum verbum cognoſcendum & amandum, omnia nobis ſcripta ſunt & dicuntur.

In verbo æterno omnia poſſumus.

7. Dixerunt autem ſancti Dei magna, & plurima ſcripſerunt, ſicut datum eſt & capabile hominibus fuit; non tamen prout eſt in ſe verbum dicere vnquam potuerunt. Omnia ſacra verba, ex illuminatione æterni Verbi; ex ipſo omne verum, omne bonũ, omne ſanctum, omnis virtus, omnis poteſtas, omnis ſapientia & intellectus. Per exteriores autem voces & verborum ſignificationes, parauit nobis iter ad quærendum ſe & inueniendum: vt qui ipſum liquidò capere non poſſumus, per verba Sacræ ſcripturæ, modo creaturæ congruo paulatim attingamus. Non tamen contentari debemus auditu ſermonis exterioris; nec pulchritudine ſententiarum delectari exterius, ſed ſemper niti ad interiora, & quærere longe ſupra nos æterna, imò vnum ſummum bonum æternum. Hoc angelos paſcit ſine medio: hoc fideles ſacro erudit eloquio; & quandoque per internas illuminationes ad ſe liberè volare facit, donans ſentire, quod omnem rationem & modum excedit.

Omnia verba ac ſcripta propter vnicũ verbum.

CAPVT IV.

De æſtuanti deſiderio animæ, cùm fuerit viſitata à verbo, vnico Sponſo ſuo dilecto.

1 *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus* En æſtuat cor meum ad deſiderium æternitatis; atque memorando æterna & deſiderando cæleſtia, graue eſt pondus propriæ actionis, tædioſum fit nimis, quic- Pſal. 37.

quid video in terrenis. Displicet omne humanum solatium, nec inuenio doloris mei remedium, nisi cor meum fuerit tecum perfectè vnitum. Tu Domine Deus, tu doloris mei causa; tu author languoris, tu importabilis æstus amoris. Tu me vulneras sagittis occultis, tu me incendis, tu me totaliter penetras, & omnes vires meas consumis. Cur me dimittis languidum iacere, & in tui æstuantem desiderio anxiè gemere? Quare fugis tam repentè in regionem longinquam & in inaccessibilem caliginem, quò te sequi non valeo?

2. Noli amator sancte, noli desiderantem te videre, despicere. Noli te diu abscondere, sed da veniam inquirenti, & cito reuertere; quia sine te, non possum durare nec viuere. Quòd si me affligere vis & probare, fac sicut vis & placet. Veruntamen gratiam & misericordiam tuam noli mihi penitus auferre. Inueniam obsecro gratiam in conspectu tuo, & inter electos tuos me digneris cognoscere. Noli me in tenebris relinquere, nec patiaris me opprimi tristitia: sed porrige mihi dexteram tuam, & lucem miserationum tuarum mihi restitue.

CAPVT V.

Oratio pro abrenuntiandis omnibus mundanis.

1 DOmine Iesu Christe, spes mea & totum refugium meum; solatium vitæ meæ & informatio morum; hodie abrenuntio omnibus quæ in mundo sunt, propter amorem tuum; & hoc perficere cupio, ad tui nominis honorem. Abrenuntio omnibus amicis, parentibus, cognatis, & propinquis, charis, notis, & sodalibus vniuersis: Omnibus quoque ciuitatibus, castellis, villis, montibus, & vallibus, riuulis & fontibus, campis, pratis, & nemoribus: Omnibus ornatibus, & pulchris ædificijs; psalterijs, citharis, organis, musicis, cantilenis, floribus, odoribus: Omnibus iucunditatibus, societatibus, conuiuijs, collocutionibus, visitationibus, salutationibus, fauoribus, honoribus, & delicijs hominum: Omnibus scurrilitatibus, rumoribus, ludis, iocis, risibus, euagationibus, discursibus, tumultibus, & inutilibus occupationibus: Omnibus diuitijs, rebus, proprietatibus, curis, dignitatibus, solatijs, recreationibus externis: & quibuscúque potest caro tentari, allici, & delectari, & spiritus impediri & inquinari.

2. Te verò hodie eligo mihi in Deum protectorem meum, in gubernatorem vitæ meæ, in prouisorem omnium necessitatum mearum, in consolatorem omnium dolorum & angustiarum ac tentationum, omniumque laborum meorum: quibus laborare me necesse est toto numero dierum vitæ meæ, pro tuo amore & animæ meæ salute. Tu refugium meum, tu domus mea, tu ciui-

tas

tas mea, tu habitatio mea. Tu cibus meus, tu potus meus, tu requies & refectio mea. Tu socius dilectus, tu intimus amicus, tu cognatus & proximus, tu frater & soror, tu pater & patronus. Tu pastor & custos totius vitæ meæ, cui me & omnia mea fideliter commendo; quia non est salus extra te, nec tuta vita absque te. Fiat ergo misericordia tua Domine super me, & gratia tua in omnibus comitetur mecum: sitque oculus tuus super me die ac nocte; & manus tua protegat me semper à dextris & à sinistris: ac recto itinere me digneris perducere, in domum habitationis gloriæ tuæ: vbi te merear laudare & benedicere sine fine. Amen.

CAPVT VI.

Oratio de felici consummatione in virtutibus.

1 ORo te Domine Pater sanctissime, qui omnia in numero, pondere, & mensura fecisti: qui famularum tibi debitum ab omni creatura rationali vis exhiberi, & precipuè in seruis tuis spontaneum seruitium diligis & requiris: dirige actus meos spõtaneos in beneplacito tuo, & ad imperium æternę dispositionis tuæ rebelles motus carnis meæ refiecte, propriasque voluntates ex integro frangere mihi concede. Sic ordina cunctas affectiones meas, vt malas statim ab initio respuam, bonas fortiter teneam, puras diligam, teque sine corporea imaginatione contempari discam. Sic tempera vires meas & operationes exteriùs, vt non totus inhæream infimis: sed semper potens sim me conuertere interius, & sine graui tardatione, ascendam ad cælestia. Sic me conserua in æternorum desiderio, in amore sanctarum virtutum, in fruitione cælestium: vt tu Domine Deus ampliorem inde habeas honorem, & ego salubriorem profectum suscipiam.

2. Non mihi veniat ex tua visitatione pes superbiæ, nec me vexet pestis vanę gloriæ. Non me sinas Satanæ decipi illusione, neque falsa rapi dulcedine, nec priuata deuotione extra cõmunitatem recedere, neque immoderata frangi exercitatione. Sed da mihi cuncta cum discretione agere; sine solerti consilio nil prætendere; cum timore & reuerentia maiestatis tuæ, in conspectu tuo mundè ac liberè, sine omni passione & corruptibiliũ rerum affectione incedere. Da humilem & quietũ spiritum possidere, effusum & immoderatum nunquam esse: nulli quoque creaturæ vitioso affectu inhærere, sed tibi soli cor meum mundum & tranquillum conseruare: vt semper ad cælum mente erectus, & tibi Deo meo secretè intentus, à nulla re visibili capiar, sed verus mundi contemptor permaneam.

3. Sic

3. Sic exteriora pro loco & tempore da congruenter perficere, vt nullum interioribus meis sint detrimentum. Sed omnis labor & actio pro te assumpta, ad liberiùs postmodum vacandũ, iuuamen mihi prestent & ducatum. Omne etiam quod ago exterius, aut quicquid interiùs intelligere possum, da mihi simpliciter & purè, pro maiore nominis tui honore, & beneplacentioris voluntatis tuæ amore perficere: meque ipsum tibi in omni re desiderabili aut naturæ contraria promptè resignare: Patienter quoque præsentis vitæ sarcinam, quoadusque iusseris, & meæ vocationis terminus venerit, perferre; corpus quoque & animam tibi creatori meo fideliter commendare. Memento mei Deus in hora extremæ necessitatis, & fac misericorditer cũ seruo tuo: qui non in meritis meis, sed in tua miseratione & pietate confido.

CAPVT VII.

Exhortatio ad humiliationem & compunctionem.

1 INclina te (anima mea) humiliter & sponte sub Deo, incurua te profundè sub omni creatura propter Deum. Fac te minimum in corde tuo, nec te dignum æstimes communi hac luce frui; quia Deum & sanctos peccatis tuis offendisti, nec debitam reuerentiam eis exhibuisti. Citò ergo ad lachrymas recurre, & cum magna cordis contritione veniam deprecare; vt tibi misericorditer Deus indulgeat, quicquid contra eius benignitatẽ deliquisti. Antequã dies extrema & mortis horror veniat, lachrymis & precibus studeas faciem pij conditoris reconciliare, & tuam vitam deinceps ex toto in melius mutare proponat.

CAPVT VIII.

Oratio pro lachrymosa contritione peccatorum obtinenda.

1 O Misericordissime Deus, cuius natura bonitas, & opus misericordia est: da mihi secundum multitudinem misericordiarum tuarum, perfectam peccatorum meorum habere contritionem: vt dolore cordis mei intrinsecè compunctus, amarissimè flere valeam: & scelera mea atque delicta vniuersa digna castigatione extorquere, eaque sacro pœnitentiæ lauacro abluere possim & purgare. Quatenus remissionem omnium peccatorum meorum te propitiante merear percipere, atque in tua miseratione respirare.

2. Da mihi zelo iustitiæ aduersum me armari, & tanquam contra pessimum peccatorem & iniquum latronem commoueri

&

& insurgere. Quoniam te Deum meum creatorem cæli & terræ, grauissimè offendi; gloriam & honorem tibi debitum non reddidi, sed sæpe furatus sum, mihi aliquid boni attribuendo. Animam meam iaculis peccatorum frequenter confodi, grauiter vulneraui; & faciliter consentiendo tentationibus carnis spiritum letaliter occidi. Da ergo mihi Domine Deus, iudex iuste, fortis & patiens, tantam contritionem peccatorum meorum & dolorem, quantam dignam noueris peccatis meis deberi: magisque in præsenti punias & castiges, quam in futuro iudicio mala mea reserues & condemnes. O pie, ô clemens Deus, esto propitius mihi indigno & maximo peccatori, qui propter peccatores & iniustos, in hunc mundum venire dignatus es; atque pro eorum reconciliatione ex charitate crucifigi & morte turpissima condemnari non recusasti.

CAPVT IX.

Oratio pro amore virtutum, & odio vitiorum.

1 DOmine Deus virtutum, cuius est totum quod est optimũ, insere cordi meo amorem tui dulcissimi nominis. Planta in me radices verarum virtutum: & germina sanctæ meditationis, cum viriditate boni operis, fac excrescere & sursum pullulare: ne velut infructuosa arbor stem in domo tua otiosus: sed potius tanquam oliuam fructiferam me excole; & quicquid vitiosum in me repereris, radicitus extrahe, & ad nihilum redige. Da mihi odium vitiorum meorum, victoriam passionum, mortificationem concupiscentiarum, & superborum motuum suppressionem, extinctionem inuidiæ, mitigationem iracundiæ, expulsionem accediæ, detestationem auaritię, repulsionem malæ tristitiæ, contemptum gloriæ, fugam honoris, & omnium consolationum terrenarum abiectionem: ita vt nil terrenum, nil caducum, nil vanum, nil curiosum, nil carnale, nil blandum, nil asperum, nil cupidum, nil liuidum, nil falsum, nil fictum cor meum tangat, moueat, vel alliciat, capiat, illaqueet, aut seducat.

2. Da fastidium omnium terrenorum, desiderium æternorum, amorem omnis boni, assecutionem omnis virtutis, cognitionẽ summæ veritatis, fruitionem æternæ felicitatis. Concede beatam ac felicem mortis horam inuenire, & in timore tuo & charitate semper ambulare. Euacua cor meum ab omni creatura; & ab omni quod me impedire potest & obtenebrare. Sim simplex, purus, & totus in fixus ac suspensus. Da veram, internam & diuinam pacem, & sine omni perturbatione mentem possidere tranquillam.

3. Da

3. Da ad aliquid temporale vitiosè non affici: nec ab hominibus velle agnosci, nec curari, nec stultè amari: quia omnes seducunt & seducuntur, qui aliquid extra te inordinatè cupiunt vel diligunt. Nullum ad me hominem, per blandimenta aut obsequia, fac me trahere: sed omnes à me sapienter remouere, ad te verò salubriter dirigere; nihilque in homine aut aliqua creatura respicere & amare, nisi quod tuum est, & propter quod facti sunt.

CAPVT X.

Oratio de patientia in tribulatione & angustia cordis.

1 DOmine Deus dilecte, sancte Pater meus, non sum dignus à te consolari & visitari, sed duris verberibus castigari & flagellari. Ego merui grauitates multas & varias tribulationes habere, quia valde peccaui, & innumeris beneficijs tuis ingratus extiti. Ego non sum dignus, sicut cæteri boni fideles & deuoti fratres mei, diuinis consolationibus recreari, & inter cælestes conuiuas computari. Sed obsecro te Pater sancte, dulcis ac pie Domine, fac me vnum ex minimis vernaculis tuis, vt sim saltem nouissimus pedisequus eorum, quorum vestigia non sum dignus osculari. Habeant ipsi consolationes multas & magnas, quos speciali amore diligis & honoras: mihi minimo & infelici magnum & acceptabile sit, quod me affligendo doloribus & contrarietatibus diuersis mihi non parcis.

2. Da patientiam pie Domine, & sit mihi omnis tribulatio & angustia, supra omnem consolationem desiderabilis & beneuenta. Et hoc singulariter pro honore tuo patiar & gratum habeam, non pro meo lucro ampliando, vel pro mercede potiori speranda. Meum lucrum maius non sit, quam libenter pro honore tuo pati, & vsque ad imum desiderare vilipendi, & annullari; atque cunctorum hominum vestigijs veraciter subijci & humiliter substerni. Insculpe cordi meo, veritas summa, Deus meus, lux sempiterna: vt mihi ipsi vilescam meque despiciam, & tamquam exulem, peregrinum & pauperem ignotum, sicut solitarium neglectum, ab omni creatura relictum, ac omni consolatione humana indignum, in hoc mundo me teneam; & præterquam in te spem & solatium nullibi quæram. Sed me tanquã mortuum super terram & mũdo sepultum existimem; cuius memoria iam diu præterijt, nec est inuenire aliud vestigium, nisi vile, latens sub terra, sepulchrum. Da mihi æterna Sapientia Patris, hæc intenta mente sæpius percogitare, & considerare nouissima mea semper: & ad futurum iudicium me præparare, faciemque tuam præuenire precibus & lamentis.

Iob. 6.

CA-

CAPVT XI.

Oratio pro agnoscenda & sequenda via vitæ.

1 DOmine Iesu Christe lumen verum, æternum, & incommutabile; qui ad illuminandas humanæ ignorantiæ tenebras in huius mundi carcerem descendere dignatus es: vt viam nobis ostenderes ad patriam claritatis æternæ, vbi sanctis angelis semper præsens es, & sine defectu luces. Exaudi preces humilitatis meæ, & deificum illud lumen, quod mundo prædicasti, & cunctis per orbem gentibus prædicari iussisti, cordi meo gratiosa largitate infunde, vt cognoscam in terra peregrinationis meæ viam tuam. Quatenus seculi vanitate relicta, & cura carnis abiecta, te creatorem meum ac redemptorem passibus sequar amoris, vsque ad exitum vitæ meæ, in omni paupertate & humilitate, in patientia & longanimitate, in fide, spe, & charitate, in sobrietate, in castitate, & obedientia perfecta. Tu es enim speculum vitæ, & lucerna totius sanctitatis; qui me præcessisti in via virtutis, vt me reduceres in agnitionem veritatis, qui multis erroribus & peccatis eram inuolutus. Teipsum mihi proposuisti in exemplum viuendi, vt si quempiam sanctorum imitari tæderet, saltem te Deum meum sequi non pigeat. Et ne hoc impossibile iudicarem, multa mihi millia Sanctorum exempla reliquisti, qui tua vestigia ardenter sunt secuti.

2. Da ergo mihi amantissime Iesu feruorem spiritus tui; accende in me ignem, quem venisti mittere in terram; vt cuncta hæc infima despiciam, & tibi soli viuere desiderem, tibi soli placere studeam, ac pro amore tui ab hominibus despici & negligi non timeam. Esto tu gaudium meum, dulcedo animæ meæ; habita mecum, & ego tecum, toto excluso mundo. Sis doctor meus & magister meus, doctrina mea & sapientia mea. Te sequendo errare non possum, te semper inspiciendo, retrahentium sermones non curabo. Omnis labor pro te paruus mihi videatur, omnis aduersitas leuis, omnis grauitas tolerabilis efficiatur. Præstet hæc mihi amor tuus, qui omnia vincere facit. Sequatur & humilitas cordis, quæ omnia implens, nil dignum se egisse reputat.

3. Tu es exspectatio mea, & adimpletio desiderij mei. Tu recreatio mea & illuminatio cordis mei, qui nunquam deseris sperantes in te, quamuis ad horam patiaris eos tentari, vt melius se cognoscant: & memores sint, quia nihil sine te facere possunt. O vnice dilecte Iesu, ne derelinquas me inconsolatum in huius mundi exilio: sed sicut dixisti & promisisti, ita mecum age,

vt

vt vadas & venias iterum ad me tempore opportuno; donec finito probationis certamine, assumas ad te ipsum in æternam gloriam tuam: in qua viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XII.

Oratio ad salutandum Dominum nostrum Iesum Christum.

1 AVe Domine Iesu Christe, rex sanctorum angelorum: cui omnes virtutes obediunt cælorum: quem Cherubin atq; Seraphin adorant, laudant, & benedicunt in secula seculorum.

Aue Domine Iesu Christe, verus Messias & sanctus sanctorum, missus ab arce Patris in hunc mundum: quem omnes sancti ab origine expectauerunt: quem Patriarchæ magnis desiderijs videre cupierunt: quem Prophetæ varijs præconijs venturum cecinerunt.

Aue Domine Iesu Christe, creator ac redemptor generis humani: quem apostoli & euangelistæ mundo prædicauerunt, & verum Dei Filium pro nobis incarnatum, passum, & resuscitatū docuerunt: atque glorioſis lignis & prodigijs coruscantes, sanctam per orbem ecclesiam plantauerunt.

Aue Domine Iesu Christe, fortissimus propugnator & fidelissimus adiutor Sanctorum, quem glorioſi martyres spretis mūdi huius delectationibus, spretis & corporis sui supplicijs, beatæ passionis agone imitati sunt: atque pro testamento fidei, se morti constanter tradiderunt.

2. Aue Domine Iesu Christe, summus sacerdos & verus pontifex, & pastor æternus: quem sacerdotes & Leuitæ, doctores atque confessores, vita, scientia, & virtutibus clarificauerunt; quē monachi & eremitæ, per arctam angustamque viam gradiētes, tota mentis deuotione dilexerunt.

Aue Domine Iesu Christe, Sponsus virginum, solamen viduarum, spes pupillorum, refugium destitutorum, leuamen tristiū, æterna salus credentium, portusque latissimus omnium ad te venientium: quem speciali castitatis decore virginum chorus sequitur innumerabilis, ferens immaculatam aureolam suæ integritatis.

Aue Domine Iesu Christe, lux mundi, fons vitæ, paradisus animæ, iucunditas cordis, dator gratiæ, restitutor innocentiæ: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi; quē nosse, viuere; cui seruire, regnare est: quem semel vidisse, est omnia didicisse, in quem angeli videre concupiscunt, ac nouo

semper

semper desiderio contemplando satiantur. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

ALPHABETVM PARVVM.

MONACHI IN SCHOLA CHRISTI.

DISCIPVLVS.

VIas tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Obsecro te Deus meus, doce me vias bonæ vitæ, pro salute animæ meæ. Monstra mihi vias mandatorum tuorum, vt narrem eas. Doce me semitas consiliorum tuorum, vt ambulem in via immaculata. Aufer cæcitatem meam, ne sit non satis monstrasse. Infunde gratiam spiritus tui, qui deducet me in viam rectam.

Magister Deus.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Lectio 1.

Ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hoc tibi salubrius est & vtilius, si vis ad vitam ingredi, quàm laudari ab hominibus.

Lectio 2.

Benevolus esto omnibus, non solùm bonis, sed & malis, & nulli onerosus.

Lectio 3.

Custodi cor tuum ab euagatione, os tuum ab otiosa locutione, & cæteros sensus ab rigore disciplinæ.

Lectio 4.

Dilige solitudinem & silentium, & inuenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter est strepitus, & magna distractio cordis.

Lectio 5.

Elige paupertatem & simplicitatem, & cum paucis sis contentus, & non facilè murmurabis.

Lectio 6.

Fuge quantum potes homines, & seculi rumores: quia non potes satis esse Deo & hominibus, æternis & transitorijs.

Lectio 7.

Gratias age Deo semper, corde & ore, qualitercumque tibi succedit in grauamine & dolore. Nam Deus omnia prouidè dispensat in mundo, vero & certo iudicio, ab æterno.

Lectio 8.

Humilia te in omnibus & sub omnibus, & mereberis gratiam ab omnibus. Eris quoque Deo acceptus, & hominibus dilectus; & diabolus à te fugiet citiùs, propter humilitatis virtutẽ sibi valde contrariam.

Lectio 9.

In omni opere bono habeas intentionem puram ad placendum Deo, qui inspector cordis, & diligit iustos & puros.

Lectio 10.

Charissimos reputa amicos & patronos, qui te premunt & vituperant. Si enim rectè sapis & consideras, lucrum inde acquires. Nam prosunt tibi in bono, qui obsistunt in malo.

Lectio 11.

Labore & dolore, cum gemitu & fletu, acquiritur regnum Dei: delicijs & honoribus perditur paradisus.

Lectio 12.

Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc mundo propter Christum, & infimum tenere locum. Magna superbia, altum petere gradum. Ad alta semper diabolus suadet, honores ambire, fugere despectum: vt cadat ascensor eius retrorsum, cùm ad breue tempus dominatus fuerit pauperum. Minima dona, pro magno reputa, & eris dignus maiora accipere.

Lectio 13.

Neminem spernas, nulli noceas: afflicto condoleas, egeno subuenias, & nunquam te extollas.

Lectio 14.

Omne tempus vtiliter cum Deo expendas: nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem, benignum, & affabilem, sine dissolutione exhibeas. Omnia bona ad laudem Dei referas: Et sine consilio & deliberatione, nihil facias.

Lectio 15.

Primò semper quærein opere tuo, an Deo placeat vel displiceat. Nec timore nec amore age, contra conscientiam tuam. In dubijs ad scripturam sanctam & obedientiam prælati tui recurre; nec tibi ipsi nimis confide. Priùs discè tacere, quàm loqui; potiusque

rinsque velis instrui, quàm docere: tutius est enim velle latere, quàm apparere.

Lectio 16.

Quæcunque ad te non pertinent, de aliis non iudices, nec te intromittas, vt pacem semper habeas. Qui communa sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citius ad bonum finem perueniet. Qui tempestiuè facit, quod debet, lætior postea erit.

Lectio 17.

Reuertere ad interiora cordis tui, & claude ostia oris tui: ne vagari incipias per varia desideria mundi, consilio diaboli. Nocent enim mala audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia. Recede ergo ab homine iracundo, indocto, dissoluto, & mane in silentio cum Deo.

Lectio 18.

Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, prouidus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in aduersis, humilis in prosperis, gratus pro beneficijs, hilaris in despectibus, patiens in doloribus, discretus in omnibus agendis.

Lectio 19.

Time Deum offendere, in minimis negligentijs & defectibus tuis. Noli præsumere in bonis, nec desperare in aduersis. Timor Dei facit recedere à peccato, & solicitat in bono opere, vt bonum bene fiat. Totum te Deo committe: & quod tibi est graue, fiet citò portabile. Pax tua, in patientia multa: leuis est omnis tribulatio, pro vita æterna.

Lectio 20.

Vende Deo omnia commoda tua, & dabit tibi solatia meliora, adueniente gratia in vna hora. Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se & omnia Deo dedit, & Christum amando emit, qui mundum cruce redemit.

Lectio 21.

Christus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, loquutio tua. Ipse sit desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud quæris quàm purè Deum, damnum patieris: laborabis, & requiem non inuenies.

Lectio 22.

Hymnos & psalmos Deo canere, monachorum opus est & clericorum: quibus congaudent Angelorum chori, laudantes Deum iugiter in regno cælorum. Seruire carni mors animæ, cibus vermium, nidus dæmonum, vita pecorum, fomes morborum, corruptio corporum, inquinatio morũ, perditio bonorum, acquisitio multorum malorũ & dolorum. Seruire Deo beatitudo est animæ, sanitas corporis, prudẽtia spiritus, cęlestis vita curię. Dulces hym-

mnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium & finis omnis boni religiosi est Deum corde amare, ore laudare, & fratrem suum exemplo ædificare.

Lectio 23.

Zachæe frater charissime, descende de altitudine secularis scientiæ. Veni, & disce in schola Dei viam humilitatis, mansuetudinis, & patientiæ: per quam possis, Christo docente, ad æternæ beatitudinis gloriam securè peruenire. Amen.

Conclusio.

Scribe nouelle monache alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ; & per singulos dies chartulam tuam inspice, & bonos mores assuesce. Pauca sunt verba, sed magna habent mysteria & perfectorum opera: ornant exteriùs, & quietant interiùs. A contemptu mundi, & sui ipsius abnegatione, incipit vita boni religiosi, & proficit vsque ad contemplationem Dei.

Benedictio.

Beatus discipulus ille, qui sequitur Christum per iter asperum, tradens ei omne velle suum & nolle; portans quotidie pro Christo crucem suam, vt habeat cum ipso gloriam magnam & vitam æternam. Amen.

CONSOLATIO PAVPERVM ET INFIRMORVM.

1. CONsolamini, consolamini populo meus, dicit Dominus, Deus vester.

Pauper.

2. Noli pauper contristari, quia diues non es.

Debilis.

3. Noli murmurare debilis corpore, qui sæpius infirmaris, nec habes quod delectat.

Lazarus infirmus.

4. Gaude in Domino, frater Lazare, qui multis vulneribus modò repleris: quia tibi præparatur æterna requies, pro modico & vili cibo, maleque parato, & pro breui dolore in corpore sustentato. Pro micis tibi negatis, habebis splendidas epulas in conuiuio celestis regis, & comedes semper panem cæli de mensa Iesu Christi, in regno Patris sui. Pro vulneribus tibi infli&tis, habebis coronam miræ pulchritudinis, ornatam floribus immensæ sua-

suauitatis. Pro canibus lingentibus vulnera tua, habebis Angelos tibi seruientes in lætitia magna, laudantes Deum pro tua multiplici inopia, & benigna patientia.

Ioseph peregrinus.

5. Lætare frater Ioseph innocens & mansuete, pro longa peregrinatione tua in terra aliena: vbi non habes amicos te visitantes & honorantes, & munuscula tibi dulcia offerentes. Quia magna erit merces tua in cælesti patria, & consolaberis ab Angelis in paruo latens cubiculo; qui tibi præparabunt amplam & splendidam mansionem in cælo; quia humiliorem locum & viliorem vestem elegisti in hoc mundo.

Claudus despectus.

6. Exulta frater claude, qui à multis iam despiceris: quia non vales currere per vicos & plateas, cum fortibus & diuitibus, qui lætantur in varijs delicijs carnis, & subitò descendunt ad inferos. Tu verò in secreto maneas, & indesinenter pro te & alijs ora; ac Christum specialiter lauda, qui multas occasiones peccandi tibi abstulit, & cælestis regni portam, per arctã viam intrare ostendit.

Columbanus tacitus.

7. Iubila frater columbane, humilis & taciturne, sine dolo, sine felle. Esto nunc obediens vsque ad mortem, qui abnegando temetipsum, tollis verè crucem tuam eundo post Christum. Ideo gaudebis cum omnibus Sanctis & electis Dei in perpetuum, nec timebis damnari cum diabolo in ignem æternum.

Simplicianus indoctus.

8. Canta & lauda Deum frater Simpliciane, quoniam reliquisti prudentiam huius seculi, & fallacias diaboli cum nundinis suis, & curas terrenas longè abiecisti. Gratias age, quia meruisti audire veri Salomonis sapientiam Domini nostri Iesu Christi in sua humilitate & mansuetudine. Disce frangere propriam voluntatem, & carnis vincere voluptatem: & quotidie certa contra diaboli impugnationem & cordis euagationem. Sta firmiter, pugna viriliter. Noli recedere à certaminis loco & bono consortio, quia tecum est Dominus Deus meus & Angeli eius, ante quorum conspectum fugiet citò spiritus malignus, tanquam fumus à vento repulsus.

Turtur solitarius.

9. Audi turtur gemebunde, attende desiderator vitæ solitariæ, & castitatis amator æternæ. Quando te subtrahis à tumultibus hominum, orando, meditando, studendo, tunc appropinquas cælestibus choris Angelorum, & recedent à te impetus dæmonum, & imagines turpium idolorum, omniumque nocentium monstra vitiorum. Nemo tam quietè viuit in congregatione,

tam lætanter ex hoc mundo transit, quàm verus obediens, mitis, & humilis corde: renuntians perfectè omni propriæ voluntati, subditus Deo & hominibus propter Deum ex virtute sine mora. Magna virtus, magna gratia, vincere seipsum, & mori omni hora? Dura pugna, sed gloriosa & æterna præmia reddentur pro victoria consummata.

ORATIONES
AD MODVM
PIÆ.

ORATIO I.

Oratio de amore & laude B. virginis Mariæ.

1 DEprecor te, benignissima Dei genitrix virgo Maria, vt pietatem tuam & dulcissimam charitatem, qua semper existis plena, mihi seruo tuo pauperi & infirmo aperire nunc & in perpetuum digneris; atque instillare intimis cordis mei scrinijs dulcedinem tuam, quam geris in pectore tuo, & habes absconditam in vberibus tuis sanctissimis, quatenus te matrem super omnes benedictam, & vnicum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, puro & integro corde amare, & deuotissimè laudare valeam: & ita mihi ex hoc bene fiat super terram, omnibus diebus vitæ meæ, in amore & spiritus feruore, tibi & filio tuo seruiendo.

2. O aurea rosa, tota suauis & formosa, virgo MARIA, perueniant quæso ad te preces meæ instanter effusæ, quibus pulso ante ostium tabernaculi tui, quod est in domo Domini in hac præsenti hora, confidens de tua affluenti misericordia in quacunque fuero tribulatione & angustia. Nam tu mater es misericordiæ, & per te suscipitur peccator in maximam spem veniæ. Sed & maior est bonitas & pietas tua, quàm rumor, quem audiui in terra mea. Quia vincis omnem laudem & gloriam Sanctorum, & præcedis propterea (virgo beata & Domina veneranda) in virtute dulcedinis & mansuetudinis, Angelicam etiam creaturam. At si sic esset, vnde miseris & reis tanta infundi consolationis dulcedo, tantaque alacritate veniæ posset ingeri? Nam tu exhauriri non poteris, quia in te requieuit nouem mensibus, infinitæ bonitatis

catis fons Iesus Christus. Tu es ornamentum cæli cælorum. Tu gaudium & iubilatio omnium Sanctorum. Tu es reclinatorium aureum Sancti Sanctorum. Tu tripudium & exspectatio patrum antiquorum. Per te matrem benedictam virginem singulariter præelectam, datur omnibus, & promittitur cunctis diuinam misericordiam exorantibus, indulgentia peccatorum, & sors inter filios Dei, & beatitudo sine fine mansura in regno vtique cælorum.

3. O clarissima stella renitens in cælo, cæli regina. O Domina mundi, nulla potest comparari tuę virgineæ pulchritudini, qualiscunque virgo ornata virtute cælesti. Quia tu es, post vnicum filium tuum Iesum Christum, prima inter omnes sanctos & sanctas nobilissimaque creatura: quam Deus pater præsciuit ante secula, & creauit in plenitudine temporis, vt esses vnigeniti filij eius mater intacta. Quem quidem peperisti cum ineffabili gaudio, & stupendo æternoque miraculo, in salutem omnium credentium. Te igitur, ô beatissima, omniumque virginum regina pulcherrima, totius iam orbis mediatrix effecta: Te, ô perpetua virgo Maria, cum iucundissimo cordis iubilo, affectuque purissimo, laudet & glorificet summeque veneretur, & intimè diligat omne genus humanum. Et omnis creatura cęli & terræ, quam condidit Deus in laudem & gloriam sui altissimi nominis, tibi personet gratiarum dulcisonas melodias. Amen.

ORATIO II.

Oratio ad B.V. Mariam, vt subueniat in hora mortis.

1. O Amantissima Dei genitrix virgo semper MARIA, quę superabundas dulcedine mirabili, quàm capere & enarrare non valet mens humana. Ecce adsum ego seruus tuus, cum intima affectione cordis mei, humiliter me inclinans ante gloriosissimam sedem tuam, super omnes choros Angelorum in cælesti regno exaltatam. Quam idcirco meruisti dignissima mater Dei, quoniam inuenta es humillima inter omnes filias Hierusalem, & placuisti oculis eius virgo decora valde, nec fuit tui similis in omni terra. En iterum flecto me ante scabellum vestigiorum tuorum, deuotis labijs & mundo corde, officiosissimè & salutare & collaudare desiderans. Sed scio electa mater, quia dignus non sum leuare impuros oculos meos, quos sæpius inquinaui, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, in sereniſsimam faciem tuam diuino lumine radiantem, omnique cælesti militię admirandam: quæ labijs candidissimis, & rubentibus rosis, aureisque flosculis, ex omni parte decentissimè adornata es. Ideoque confundor ab impuritate mea, tristè pen-

tans indignitatem meam. Sed rursus, propter multitudinem misericordiæ tuæ; spem gero bonam & firmam impetrandi citius gratiam & plenam reconciliationem, te mihi benignè apparente, & pro me interpellante. Quid aliud possum de misericordissima matre, & de dulcissima virgine, nisi misericorditer & dulciter sentire, in meum & omnium peccatorum solatium? Propter hanc clementiam & mansuetudinem, sub tuam protectionem confugio: vbi infirmi accipiunt virtutem, & captiui liberationem. Esto ergo misericors mihi, & bona mater cordi meo: vt felici experientia, nunc sentiam te omnium esse consolatricem, omniumque tibi seruientium & in te sperantium fidissimum subleuamen.

2. Iterum precor te gloriosissima mater Dei MARIA, quatenus ab hac præsenti hora, vsque ad extremam horam, propitio ac sereno vultu, cordeque dulcissimo, super me respicere non fatigeris: sed in tua custodia me accipias; atque sanctissima brachia tua super me, quocumque ambulauero, maternaliter expandas. Cùm autem venerit dies meus nouissimus, quem ignoro; & hora mortis metuenda valde, quam non possum præterire: ô clementissima Domina mea, singularis fiducia in omni angustia, sed in hora mortis maximè, tunc memento mei, & assiste fini vitæ meæ, consolando trepidantem animam meam. Protege eam ab illis tetris & immundis spiritibus, ne audeant me appropinquare: quam tua gratiosa præsentia dignetur, cum multitudine Angelorum & Sanctorum, visitare. Satage quoque placare mundissimis precibus tuis, priusquam decedam ex hac luce, diuinam faciem filij tui, quem toties & tam grauiter offendi peccatis meis. Post hæc, suscipe enauigantem ab hoc exilio inopem animam: & introduc eam per portas cæli, ad amæna paradisi. Statue me iuxta te, & loquere ad filium tuum pro me, Regem omnium seculorum, verbum bonum & suaue, quæ ab ore Gabrielis benedictum illud Aue accepisti. Per cuius virtutem, me conseruare digneris viuentem atque morientem: & dona mihi hanc obsecro cum deuotione cordis sæpius replicare, in laudem & gloriam melliflui & benedicti nominis tui. Accipe itaque deprecationem serui tui, quam modò coram te fundo: & respice in me, misericordissima mater IESV virgo MARIA, super omnes dilecta, & recordare mei semper. Quòd si aliquando obliuiscor tui, hoc vtique est in magna displicentia mihi. Sed tamen tu noli mei obliuisci, quæ misericordiam omnibus peperisti. Vale iam virgo MARIA: Ecce te saluto flexis genibus, tibi inclino deuotis fletibus, tibi gratias ago coniunctis manibus. Et vt orationem meam libenter audias & confirmes, adhuc vna reuerenda salutatione

tatione faciem tuam honorabo: Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus. Amen.

ORATIO III.

Oratio ad B. Virginem Mariam, pro speciali consolatione.

1 SVscipe, misericordissima mater Dei Maria, seruum tuum ad te de quacumque tribulatione fugientem. Suscipe me Virgo pijssima, sicut vnicum non habentem consolatorem. Vide Domina mea afflictionem meam, & sinum clementiæ tuæ aperi mihi. Ecce pulso, clamo, peto, & adoro. Non recedo, nec te dimitto; sed tibi adhærebo, donec miserearis mei. Scio incomparabilem dulcedinem tuam: noui affectum maternalem cordis tui, ex abundantia diuini amoris sic liquefactum, vt desperare de tua consolatione nimis sit forefactum. Ideoque frequentissimè & desideratissimè me confero ad te: vt siue bene siue etiam malè mecum fuerit, semper tuis gratiosis auxilijs merear amiciri, & suauissimis consolationibus oris tui resoueri. Te enim loquente consolatoria, quæ iam poterit cordi inesse tristitia? Aut quomodo illi nocebit inimicus, cui ad te patet semper liber recursus? Inclina itaque nunc benignissima mater humiles aures tuas precibus meis. Inclina illustris virgo hydriam tuam, & da mihi pauxillum bibere: hoc est, de copiosa gratia tua, quæ in te latet & exuberat, paruulam mihi consolationem effunde. Est enim pro præsenti valde necessaria, & omni tempore acceptabilis, nec vnquam pro paucitate fastidibilis. Tantæ siquidem efficaciæ est & nobilitatis, etiam guttula stillans ex ore tuo super labia mea: vt eius comparatione vile sit & nihilum omne delectabile in hac vita. Propterea dilectissima MARIA, diues & larga in donis, in verbis quoque gratiæ mirabiliter suauis: in cuius virginali vtero summa habitauit sapientia, vt quam Spiritus sanctus ab initio consecrauit, Angelus custodiuit, Archangelus docuit, virtus Altissimi obumbrauit, refice me salutaribus monitis tuis. Dic verbum tantùm, & consolabitur anima mea. Non peto rem difficilem, nec aliquid impossibile, sed hoc tantùm precor, Domina mea, loquere mihi verbum solatij intimi, quod auditui meo det gaudium & lætitiam. In necessitate mea ad te venio: Eia suscipe me vultu benigno. In hoc cognoscet seruus tuus, quia inuenit gratiam coram oculis tuis: si eraliquid amicabile protuleris; si consolationem, quam à te exspectat, non diu tardaueris.

2. Veni

2. Veni chariſsima Maria, cum melliflua vnctione tua, ad viſitandum cor meum in tribulatione ſua. Quia tu optimè noſti lenire dolores cordis, & ad pacem priſtinam reformare. Veni pijſſima Domina, cum noua Chriſti gratia: & iacentem ſeruum tuum erige dextera tua ſancta. Veni electa mater Dei, & ſolitam tuæ miſerationis largitatem mihi reuela. Quia, vt cernis, ad nihilum redactus ſum: ſed tui oblitus non ſum, nec obliuiſcar in æternum. Veni ergo, veni ſpes mea, & gaudium meum; dilecta, & dulcis virgo MARIA. Quia te veniente, & mecum ſermocinante, omnia pariter bona venient, mala autem longiùs foris ſtabunt. O quàm deſiderabile, quàm ingens & lætabile mihi erit, audire verbum matris Domini mei Ieſu Chriſti! Sed quale verbum? Verbum vtique pium, dulce ſatis, & amicum: quod audiuit beatiſsimus Apoſtolus Ioannes, à dilecto ſibi magiſtro, filio tuo, quando illi dixit: Ecce mater tua. Hoc ille audiuit à Domino, ſed ego idem peto audire à te Domina mea, in ſpiritu & deuotione mentis. Dic ergo mihi: Ecce mater tua: Ecce ego ſum. Ad hanc benigniſsimam vocem tuam, reconualeſcat anima mea: læteturque coram te, ſicut lætari ſolet filius inuenta matre ſua. Intret, intret amicabilis vox iſta in aures cordis mei, & ex ſuaui alloquentia oris tui, ſimul influat ſpiritalis quædam conſolatio Spiritus ſancti. Sumat cor meum fiduciam nouam, timor abſcedat, ambiguitas non me moueat ampliùs: nec deſperatio per varias tentationes frangat; ſed conſoletur me verbum iſtud, quod à te petij audire, & cordi meo attentiùs commendare: Ecce mater tua. Amplectere nunc anima mea hanc commendationem: amplectere dulciſsimam MARIAM: amplectere Dei matrem, cum paruulo filio ſuo IESV, præ filijs hominum ſpecioſiſsimo, gratias illi agendo ſemper. Quia ipſa eſt, quæ preces conſueuit audire pauperum: nec inconſolatos dimittit, quos perſeueranter ad ſe clamare conſpexerit. Hæc eſt illa Deifera virgo, & virga myſtica, quæ ex regali ſtirpe progenita, diuini floris protulit amigdalum, ipſum Chriſtum, regem ac ſaluatorem omnium. Cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO IV.

Oratio ad B.V. Mariam quacumque tribulatione inſurgente.

1. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum, virgo ſerena. Aue ſingularis ſpes egenorum. Aue benigna mater orphanorum. O Maria quando omnes cæli portæ clauſæ ſunt, & ad Deum vndique mihi acceſſus denegatur propter peccata mea: Quando omne conſilium & robur mentis à me recedit, & in nulla re me ipſum

ipsum iuuare possum : Quando tædium præsentis vitæ & anxietas cordis me ita constringit, vt penè nihil in hoc mundo libeat, Quando sol lætitiæ, in noctem transit pauoris & mœstitiæ. Quando cælestis subtrahitur consolatio, & grauis imminet desolatio : Quando venti tentationum insurgunt, & motus passionum se erigunt : Quando etiam infirmitas improuisa accidit, & alia quælibet aduersitas occurrit : Quando hæc omnia veniunt super me, vbi fugiam, & quò me vertã, nisi ad te benignissimam consolatricem pauperum ? Et quorsum respiciam, vt portum attingam salutis, nisi ad præclarissimam maris stellam, semper fulgentem, & nunquam sui luminis gratiam abscondentem? O MARIA dilecta, & dulcis mater : tu es ista præclarissima maris stella, quæ vniuersos in te respicientes, & ad te clamantes consolaris, & ad portum tranquillitatis citiùs perducis. Ad te ergo hodie confugio, & à te iuuari suppliciter exposco : quia quicquid volueris, à filio tuo facilè impetrabis. Si tu ô gloriosa Domina pro me fueris, quis stabit contra me? Et si mecum gratiam feceris, quis est qui me repellere queat ? Expande igitur nunc brachia tua super me, vt fugiam sub eis. Dic animæ meæ : Aduocata tua ego sum, noli timere. Sicut mater consolatur filium suum, ita & ego te consolabor. Vox tua hæc est, ô dulcis Maria. Quis det cordi meo eam semper audire? Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Loquere, Domina mea, ad cor serui tui, quia audit seruus tuus. Seruus tuus ego sum, & filij tui. Amplius dico, mater mea tu, & frater meus Iesus filius tuus. Fidenter dixerim : Quia non tantùm tibi, sed & toti mundo ipsum genuisti. Nolo idcirco matrem mihi vocare super terram : recuso aliam habere, præter te solam Dei genitricem. Non est similis tui in virtute & decore, in charitate & mansuetudine, in pietate & dulcedine, in fidelitate & materno solamine, in misericordia & miserationibus multis. Hodie te eligo & assumo. Hodie me tibi fiducialiter trado, & istud in æternum per te cõfirmari desidero. Sufficit enim mihi infimo si tecum bene confœderatus fuero. Propterea lætabor & consolabor copiosè in te, & nomini sancto tuo magnificè laudes personabo.

2. O quàm pulchra es, & amicabilis Domina mea, sancta Maria, omni gratia plena. Si quis potest stellas cæli numerare, poterit & virtutes tuas explicare. Sicut enim exaltati sunt cæli à terra, sic vita tua exaltata est super vitas hominum : & splendor gloriæ tuæ, super omnes emicat choros Angelorũ. Ascendat igitur nunc paupercula oratio mea, ad ditissimam Dominam meã, & desiderium meum ad te perueniat, vt in conspectu filij tui causam meam pronuncies : ante cuius examen nemo ex seipso innocuus inuenitur. O clementissima Domina, propter nimiam charitatem

tem & singularem confidentiam, quam ad te gero, tibi reuelaui causam meam, & amodo tutiùs reuelabo. Sentio enim de te exire virtutem magnam; & memoriale nominis tui, solatium fore animæ meæ. O dulcissimum nomen Mariæ, nomen vnctionis & gratiæ semper cogitandum, semper nominandum & venerandum. O nomen cælicum, & verè angelicum: quod ore Euangelistæ constat fidelibus piè commendatum: Et nomen, inquit, virginis Maria. O sacratissima & omni laude dignissima Maria: Tu porta cæli: tu ianua vitæ: tu templum Dei: tu sacrarium Spiritus sancti. Quicquid igitur pulchritudinis & amœnitatis, in creaturis cerno: quicquid magnum & virtuosum in sanctis Dei considero, totum tuæ generosæ celsitudini aptare desidero. Quia dignum est, vt me cum omnibus creaturis, ad tuam perpetuam laudationem transferam, quam in specialem matrem, ac fidelissimam aduocatam mihi elegi nunc, & post hanc vitam, ad benedicti filij tui Iesu Christi gloriam promerendam. Amen.

ORATIO V.

Oratio de eximijs virtutibus beatæ Ioannis Baptistæ.

1. O Sanctissime & præclarissime Ioannes Baptista, specialis amice Iesu Christi, fidelissime præco Dei, & acceptabilis præcursor Domini. O summe venerande & semper amande patrone, magnus & excelsus in latitudine terræ, sed maior in altitudine cæli, vbi nunc inter summos Sanctos luce clariori præfulges, & honore speciali. Tu namque omnium prophetarum eximius vates, priores patriarchas & prophetas ortu temporis secutus es, sed virtutum iubare & meritorum gloria præcessisti. Siquidem velut cœlestis quidam Lucifer, à Deo missus in mundum, & æterni regis nostri aduentum, solemque iustitiæ in tenebris exortum, actibus mirabilibus & verbis fide dignis prænuntiasti. Tu ab Angelo Gabriele, in templo Dei annunciatus es. Tu in vtero sanctificatus. Tu Spiritu sancto repletus, & ad vocem loquentis genitricis Dei Mariæ, in vtero materno exultasti. Tu puer, propheta altissimi vocatus es: & muto patri, loquelam diu amissam, sacri nominis tui editione reddidisti. Tu itaque mirabiliter natus, sed multo sanctiùs es conuersatus. Tu paterna domo, & omni parentela relicta, puer adhuc septennis eremum intrasti: vbi humano solatio destitutus, angelicam vitam vsque ad diem ostensionis suæ in Israel, solitarius exegisti. Tu asperum iter aggressus, vili contentus cibo, & duro accinctus indumento, delicias regum & diurtum molliciem strenuè de-

declinasti. Tu spiritu sancto inspirante, ad ostendendam populo viam perpetuæ salutis, ad agendam pœnitentiam, & regnum cælorum consequendum, multa exhortatione euangelizans verbum Dei, fortiter prædicasti. Tu agnum Dei venturum, turbis prædixisti, & quem cæteri ab initio prophetæ verbis, signis, vita, moribus, ac magnis desiderijs, diu præfati sunt; tu fidelissime serue Dei, ac solemnis præcursor, Christum in carne iam præsentem, digito demonstrasti, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est enim, de quo dixi: Tu venientem ad baptisma tuum, Iesum Dei filium tuis sanctissimis manibus, ô venerabilis Baptista, inclyte Ioannes, summa vt decuit cum reuerentia & tremore, in Iordane Baptizasti. Tu patris vocem de sublimi sonantem audisti, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Tu Spiritum sanctum in columbæ specie, super Dominum Saluatorem descendentem ac manentem, beatis oculis conspexisti. Tu summæ Trinitatis ineffabile mysterium, superna reuelatione didicisti: atq; Christo Iesu Domino nostro, indubitabile testimonium perhibuisti; quia hic est filius Dei. Sed & Iesus rursus, tam magnificum tuæ sanctitati testimonium reddidit: quale sanctorum aliquis audire, in hac mortalitatis luce, non meruit. Inter natos mulierum, inquit, maior Ioanne Baptista nemo surrexit.

2. O signifer martyrum honorande Ioannes: Tu zelo iustitiæ & amore castitatis efferuens, impijssimi Herodis regis incestum detestabilem, voce imperterrita obiurgasti. Et pro constantia veritatis, tetrum carcerem & dura vincula patienter subijsti: ac demum, ad petitionem mulierum turpissimarum, sanguinem tuum furiosè sitientium, benedictum caput tuum ab infantia Deo consecratum, gladio speculatoris amputandum spontaneus tradidisti. Sicque sanguine proprio purpuratus, & martyrij palma dignus effectus; quasi lampas mundi ardentissima, ad limbum sanctorum Patrum serenus descendisti. Quibus tunc nouum exultationis gaudium intulisti, dum ipsum humani generis redemptorem, in proximo aduentare, pro eruendis ex ore inferni electis, prænuntiares: quem profectò nascendo, baptizando, prædicando, ostendendo, ac moriendo, vt boni nuntij baiulus, in mundo priùs præcursasti. O sublimissime virorum sanctorum, quomodo te magnificem & prædicem, penitus ignoro. Ita diuitem enim & magnum in omni gratia sanctitatis te inuenio, vt in omni choro Sanctorum, singulariter splendidum ac decoratum gloria conspiciam. Imò nec præ splendore excellentis gloriæ tuæ, satis iam queo te conspicari: sed neque ad plenum tuam dignitatem admirari sufficio. Vbique enim nomen tuum volitat:

&

& in omni Ecclesia, laus sancti Ioannis Baptistæ excellenter claret. Si inter Angelos te quæsiero, Ioannes par Angelis, & socius Angelorum, atque homine maior rectè prædicatur. Si inter Prophetas, etiam plus quàm Propheta, Christo teste, diceris. Si inter Apostolos, Apostolorum vox & euangelij primicerius dignissimè nominaris. Si inter martyres, tu fortissimus athleta martyrũ nobiliter decantaris. Si inter Confessores & Doctores, tu almus Christi confessor ac doctor præclarus iure appellaris. Si inter virgines, tu virgo purissimus, virginis legatus & cognatus, legitimè comprobaris. Si inter monachos & eremitas, tu deuotus eremi cultor, ac monachorum sanctus institutor demonstraris. Si inter innocentes & puros, innocentior & purior homo tibi similis non est inuentus. Si inter pœnitentes & abstinentes, tu cunctos primos austeritate vitæ & sinceritate conscientiæ præcedis.

3. O virum sanctissimum, super omnes & in omnibus laudabilem, Deo charissimum, Angelis acceptabilem, & hominibus valde amabilem. O ardens & lucens lucerna omnipotentis Dei, terram illuminans, cælum lætificans, peccatores conuertens, iustos conseruans, lapsos erigens, stantes roborans, omnesque pariter ad Deum trahens, atque in cæleste regnum perducere affectans. Esto (quæso) pie memor mei, & tuis sanctis precibus apud districtum iudicem, omnium peccatorum mihi indulgentiam impetra: atque virtutum germina in me satage plantare: quatenus liberatus à vitijs omnibus, Spiritus sancti vnctione efficiar dignus; atque post huius mundi varia discrimina, ad perpetuæ beatitudinis portum, te suffragante, merear saluus peruenire. Subueni mihi precor obnixè, columna præsidij cœlestis, in hora mortis imminentis, & pro salute indigentis seruuli tui, verbum bonum & placabile, apud regem Angelorum potissimè amicorum eius, loquere confidenter. Vt quem propriæ actionis pondus maximè grauat & perterret, tuæ sanctissimæ orationis scutum ab hostium insultatione defendat: & per tua glorioſa merita, anima mea de carcere carnis egressura, occurrentibus beatis Angelorum choris, ad æternum cæli palatium feliciter ac securè transire mereatur. Amen.

ORATIO VI.

Oratio de priuilegijs præcipui amoris beati Ioannis Euangelistæ.

1. AVe dulcissime Ioannes apostole. Aue sanctorũ Euangelistarum altissime. Aue sanctæ Mariæ matris Iesu custos fidelissime. Saluto te deuotis animi mei obsequijs. Honorifico te ex totis cordis mei præcordijs. Inuoco te affectuosis precibus & suspirijs,

spirijs. En cupio laudes tuas personare; desidero virtutes tuas enarrare: affecto magnalia tua prædicare. Queso ergo te pijssime Apostole, dignare me laudare te virgo sacratissime. Tu es enim dilectus ille discipulus, & inter ceteros magis dilectus, quem de seculi nuptijs, ad cælibem vitam attraxit Iesus Dei filius: & pro carnis illecebris, cælestibus te repleuit charismatibus. Tu pro amore Iesu, parentem in naui cum retibus reliquisti, & celestem patrem cum Iesu filio eius inueniisti. Tu Dominum Iesum, euangelium regni cælestis prædicantem, sequi non es fatigatus. Tu signis illius mirabiliter es delectatus. Tu doctrinis eius & salutaribus monitis, crebrò es informatus. Tu in persecutionibus eius, & opprobrijs sibi illatis, vehementer compassus fuisti. Tu cum Iesu in montem Thabor, ad videndam claritatem corporis eius, ascendisti. Tu ex auditu paternæ vocis, in excessu mentis raptus, penè à magnifica gloria defecisti. Sed tamen ex hac stupenda visione in agnitione filij Dei multum profecisti.

2. O sacer & nimium felix Apostole: quanta tibi de Iesu tuo fuere reuelata, quæ mens humana infimis dedita nec capere potest, nec sentire. Quare te rogo Ioannes dulcissime, ora pro me feruentissime: quatenus totum seculum, cum suis vanitatibus & delectationibus vniuersis, valeam ex corde funditus relinquere; atque salutaribus Iesu doctrinis, quibus inebriatus es, me interius accende, vt spretis & oblitis omnibus terrenis, ad montem virtutis, & purioris vitæ celsitudinem, te adiuuante valeam expeditè ascendere. Cuncta enim vana sunt & nulla, quæ in hoc seculo videntur concupiscibilia. Idcirco quidem Christus, æterna Dei Sapientia, tibi reuelauit suæ claritatis gloriam, sanctis in futuro donandam: quatenus his visis secretis cælestibus, ad subeunda pro nomine eius quælibet aduersa igniretur: nec deficeret lacessitus verberibus, aut iniurijs. Tu etiam appropinquante termino passionis, quo de hoc mundo ad patrem Christus erat transiturus, ad parandam cœnam agni paschalis, in ciuitatem cum Petro emissus es. Vbi cœna facta sancta, pius Dominus & humilis magister, tuos tibi ac reliquorum discipulorum suorum dignatus est lauare pedes. In hoc magnum præbens dilectionis suæ signum, nec non deuotæ humilitatis memoriale relinquens exemplum. O venerande Ioannes Apostole, conuiua regis æterni, ad latus residens dilecti magistri. Tu es ille dilectus discipulus, qui in hac cœnâ perpetuò memoranda, supra pectus IESV dulciter recubuisti, & dixisti: Domine, quis est, qui tradet te? Qui mox ob indicium præcipuæ amoris, tibi secretè personam intimauit sui traditoris. Ille (inquit) est, cui ego intinctum panem porrexero. O verè singulari-

ter

ter prædilectum Apostolum, & inter cæteros dilectos discipulos, ampliori castitatis gratia, ac familiaritatis dono insignitum, cui cęteris tacitum, reuelatur in aure verbum.

3. O dulcissime Ioannes, quanta tunc de pectore Iesu traxisti arcana sapientiæ. Testantur sacra euangelij tui fluenta, toto orbe terrarum diffusa: quòd magno quodam præsagio futuræ gratiæ, supra pectus IESV, caput tuum amicabiliter reclinasti, vndè tibi tanta emanauit affluentia doctrinæ cælestis. Obsecro te sancte Apostole, dulcis amice Christi, refice esurientem animam serui tui, suauitate eloquij diuini: meque fac sępius interesse cænę Iesu, & pulcherrimo illo sermone delectari: quem Dominus Iesus nouissimè edidit coram discipulis, & tu ad legendum nobis clarissimè scripsisti. O preciose & amande discipule: tu egresso Iesu, trans torrentem Cedron ipsum cum reliquis discipulis secutus es ad hortum. Tu in secretum orationis locum, ab ipso specialiter cum duobus assumptus es. Tu Domino Iesu à Iudæis capto & ligato, post ipsum sequi vsque in atrium summi Pontificis non trepidasti, & dilectum consortem tuum Petrum introduci fecisti. Amor siquidem Iesu, vos pariter illum prę cæteris audaciùs sequi fecit: sed humana fragilitas nondum valida mortem ferre, fugere compulit ac timere. Sicque Iesus solus permansit in passione sua à notis derelictus: quia sic voluntas Patris fuit, vt innocens occideretur pro nocentibus.

4. O beatissime Ioannes apostole, tu IESV ad mortem crucis damnato, ac multis vulneribus sauciato, vsque ad locum crucifixionis, ipsum tristi mente & flebili vultu prosecutus es, Virgine Maria mœstissima matre eius tecum pariter comitante, cum pia Magdalena, prę dolore iam penè deficiente. Verè in hoc apparuit ingens vis amoris tui, & maternæ compassionis cordialis affectus: quòd Iesu in cruce demum suspenso, & matri virgini gladio doloris vulneratæ, tam proximè & firmiter astitisti. Ideoque & in extremo constitutus spiritu, Christus tibi matrem suam specialiter commendauit: vt virgo virginem seruares, & de reliquo, in necessitatibus illius curam gereres, ac studio officiosissimæ charitatis, tanquam propriæ matri, ei filialiter deseruires. O fidelissime & castissime custos beatissimæ matris Christi virginis Mariæ, cubicularius sponsi ecclesiæ, thesaurarius regis æterni: qui post Christum, quasi alter subdelegatus es filius, tibi commissa est arca Dei, continens manna cæleste: tibi seruanda creditur porta cæli lucida, per quam introiuit rex gloriæ, cùm idem in Cruce moriens ait: Ecce mater tua. O mater tua, mater Dei, mater alma, mater in æternum benedicta; tibi commissa, tibi credita, tibi associata. O quis mihi det talem habere ma-

matrem, & talẽ cum ea cuſtodem: quibus tute valeam pauperculã animam meã committere protegendam: ne in hora exitus terribilis me perterreat ſeuerus ille inimicus. O bone & clemẽtiſsime Ieſu, memento mei in nouiſsimis meis: & dum mihi ſubtrahitur vox carnis, & omnis ſenſus deficit; tũc pia me muniat oratio tuæ dilectiſsimæ matris: & B. Ioannis Apoſtoli fida cuſtodia, mihi potenter aſsiſtat. Eia mater pia & miſericors virgo Maria; rogo te per filium tuum chariſsimum, & eius Apoſtolũ tibi in Cruce commendatum, ſubueni mihi in omni loco & hora, maxime in extremis agonizanti: quæ dilecto filio tuo Ieſu, cũ B. Ioanne & Maria Magdalena, aſtitiſti. O dulciſsime Ioannes Apoſtole, clemens cuſtos & fidelis ſemper amice, protege me armis militiæ cæleſtis, & ſigno ſanctę Crucis, Chriſtiani nominis inimicum à conſpectu meo repelle; meque in Ieſu nomine libera, cũ horrida mortis ingruit hora. O duæ ſpecioſæ oliuę; ſummæ pietatis & miſericordię; ego me veſtris interceſsionibus & perpetuæ protectioni deuote commendo: vt omnibus hoſtibus remotis, ad Chriſti regnum me vobiſcum feliciter perducatis. Amen.

ORATIO VII.

Oratio de laudibus S. Thomæ Apoſtoli.

1. AVe glorioſe Thoma Apoſtole, omni laude & honore digniſsime. Aue illuſtriſsime prędicator Euangelicę veritatis, lux & decus Eccleſię vniuerſalis. Aue feruentiſsime amator Chriſti, cuius ſanctiſsimũ latus tãgere meruiſti. Aue lucidiſsime contẽplator abyſſalis veritatis, profundiſsimę penetrator Trinitatis, certiſsime explorator glorificatę humanitatis. Aue ſolidiſsime confeſſor fidei, magnifice reparator fidei, validiſsime propulſator omnis dubietatis. Aue clariſsime illuminator hominũ, qui potentiſsimum Indię regnum, ſignis ac doctrinis conuertiſti ad Dominum. Aue eximie patrator miraculorum, mortuos ſuſcitans, leproſos mundans, cęcos illuminans, dæmones fugans, & omnem infirmitatem in Chriſti nomine curans. Aue ſapientiſsime architector cæleſtis fabricæ: qui pro terreno palatio, paraſti regi Indorum perpetuam manſionem in cælo. Aue puriſsime zelator caſtitatis, altiſsime laudator virginitatis, honeſtiſsime conſeruator integritatis, deuotiſsime venerator ſacerdotalis dignitatis. Aue perfectiſsime contemptor diuitiarum, largiſsime diſtributor eleemoſynarum, benigniſsime refector pauperum, ſolemniſsime ædificator eccleſiarum. Aue patientiſsime tolerator perſecutionum, infatigabilis laborator pro ſalute animarum,

rum, fidelissime pastor credentium populorum. Aue fortissime athleta martyrum; debellator dæmonum, extirpator errorum, destructor idolorum, victor tyrannorum, flammas superans, incendia non sentiens: qui pro amore Christi gladio transfixus, vitam glorioſa passione terminasti. Amen.

ORATIO VIII.

Oratio de meritis & virtutibus S. Thomæ Apostoli.

1. O Summe, venerande, & semper amande patrone S. Thoma Apostole Christi, Iesuque electe discipule; supplices ad te preces cũ desiderio effundo: & per quotidiana oris mei obsequia, tua glorioſa imploro suffragia. Fac te mihi exorabilem, & cordi meo exhibe te semper amabilem: vt laus tua ex ore meo nunquã deficiat; sed de die in diem noua deuotione excitetur. Ferueat mens in oratione, & in meditatione mea ignis diuini amoris accendatur: atque in veneratione tui sancti nominis; omnia interiora mea dulci iubilatione repleantur. Tu es enim electus discipulus Iesu, & meus dilectus Apostolus, quẽ mihi specialem in patronum & aduocatum elegi: cui etiam animam meam custodiendam, & totam vitam meam protegendam, fideliter & deuotè committo. Tu plurimum potes apud regem gloriæ. Ideoque precor te; memor esto mei peccatoris, tuis sanctis precibus, faciem placando pij conditoris. Tu à Deo patre æternaliter præcognitus es & electus, tu à filio eius vnigenito, incarnato temporaliter, vocatus es, & Apostolico ordini insertus, prædicationis officium fideliter adimplesti. Te Christus ore proprio instruxit, mellifluo colloquio confortauit, in fide recta fundauit, & corporali sua præsentia frequenter lætificauit: tu à Christo multa signa fieri beatis oculis conspexisti: tibi etiã virtutẽ faciendi miracula, infirmos curandi, dæmonesque pellendi, contulit potestatem. Tu omnibus relictis, Iesu vestigia ardenter es secutus, paupertatem eius humilitatemque libenter amplexando. Tu opprobria Iudæorum, odium quoque mundi, ab amatoribus huius seculi, cum Iesu patienter toleraſti. Quin etiam cum Christo lapidari & mori paratus fuisti, ita loquens ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum illo.

2. Tu in cœna dominica ad mensam Christi, tanquam vnus ex cœlestis regis conuiuis, cum Apostolis cœnasti: atque post agnum typicum, sanctissimum Christi corpus & sanguinẽ, de sanctis & benedictis manibus eius, plena fide & magna reuerentia acce-

accepisti. Tu ibi à Christo summo sacerdote, ad tantum mysterium celebrandum, in sacerdotem noui testamenti consecratus es: & à summo pontifice Iesu, in pastorem & episcopum animarum fidelium ordinatus. Tibi Christus tuos dignatus est lauare pedes, exemplum tradens suæ maximè humilitatis, perpetuę dilectionis insigne; docens & tali mysterio, affectus animæ à vitijs esse mundandos. Tu de Christi traditione, discessu, passione, ac morte, quam palam prædixit, vehementer contristatus es: paratum habens animum, & in carcerē & in mortem cum ipso transire: quemadmodum & cęteri omnes discipuli dixerunt. Vnde, quod tunc dispensatiuè tuo negatum fuit affectui, postea feruentius triumphali passione consummasti. Tu Christo sermocinante, & multam consolationem aduersus mundi pressuras proferente; ipsum de transitu suo ad patrem, fiducia deuotæ mentis interrogasti, dicens: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? O quantus fernor amoris cordis tui, ad sequendum iter dilecti magistri! Respondit tibi dulcis Dominus & magister. Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. O beatissime Thoma, quàm sublime meruisti responsum: quàm sacrum & profundum audisti mysterium. Tibi Christus seipsum reuelauit, tibi viam ad Patrem ostendit, se vnum cum Patre esse docuit, ac vitam æternam se daturum diligentibus se promisit. Tu quoque hymno dicto, cum Iesu in monte oliuarum exiuisti: & appropinquante traditionis hora, de captiuitate illius & alligatione, mœstissimus remansisti. At ille, qui pro mundi redemptione pati venerat, mortis subire supplicium non recusauit. Nec vltra triduum, à mortuis resurgere distulit; sed die tertia discipulis glorificato in corpore apparuit, & die octaua tibi specialiter suę humanitatis præsentiam indulsit.

3. Signa victoriosæ passionis ostendit, ad palpandum se inuitauit, manus ac latus vulneribus sacris insignitas, ad tangendum patenter præbuit: & de pectore tuo, omnem dubitationis scrupulum eduxit. O sacer tactor vulnerum Christi. Quantam gratiam & dulcedinem de vulneribus saluatoris traxisti. Ex tactu quippe veri corporis Christi, fidem resurrectionis recuperasti, spem venię recepisti, & ampliorem charitatis feruorem denuo conquisisti. In latere Christi, reconciliatus es: in palpatis vulneribus, totus sanatus es, & Christo intimè copulatus. Ex aperto latere Christi, latitudo tibi influxit diuinę charitatis: ex sacro tactu stigmatum, certitudo tibi infulsit clarificatæ humanitatis. Tu ex dubio, factus es certior: ex tactu, firmior: ex visu, iucundior: ex auditu sermonum Christi, doctior.

doctior. Nil ergo tibi dubitasse nocuit, quando tot signa credulitatis inde prouenerunt. O fortissima columna cœtus Apostolici, quàm validis probationibus fidem nostram roboras: quàm libenter rectè credentes suscipis: quàm misericorditer infirmis compateris: quàm maximè in fide titubantes erigis; ac tuo exemplo, ne desperent, dulciter consolaris. Tu fidei nostræ scutum inexpugnabile. Tu ancora spei nostræ firmissima. Tu charitatis lucerna. Tu castitatis speculum. Tu iustitiæ norma. Tu virtutis splendor. Tu miraculorum gloria. O lampas Ecclesiæ ardentissima, cælestis gratiæ balsamo repleta: quàm feruida sunt, & vbertim fragrantia tuæ fidelissimæ confessionis verba. Deũ enim verum confessus es & hominem, quando dilecti magistri latus tetigisti, dicens: Dominus meus, & Deus meus. O amantissimũ & dulcissimum verbum, plenum fide, auditu iucundum, delectabile ad ruminandum. Verè totus in admiratione raptus, totus in amore liquescens, totus diuina dulcedine inebriatus fuisti: cùm redemptoris nostri arcana intrasti, & de dominici lateris fonte, dulcissimum fidei verbum reportasti, dicens: Dominus meus, & Deus meus. O quàm salutaria medicamenta, in aperto Christi latere inuenisti! Quàm mellifluum æternę sapientię gustum de fontibus saluatoris hausisti!

4. Beatus es S. Thoma Apostole, & benedictus sermo oris tui: qui summam salutis nostræ, & æternæ redemptionis pretium, in passione Christi & resurrectione nobis demonstrasti. In Christi siquidem passione, salus nostra & redemptio: in resurrectione eius vita nostra, & perennis spes gloriæ. Huius beatissimæ resurrectionis dominicæ tu factus es testis veracissimus: sicut Ioseph sponsus Mariæ virginis, custos virginitatis eius fuit, & testis fidelissimus. Ioseph ab Angelo doctus est de mysterio incarnationis, tu ab Angelorũ Domino de veritate resurrectionis. Ille iubetur Mariam coniugem suam accipere, tu Christi glorioſam carnem iuberis tangere. Ioseph post reuelationem Angelicam, beatam Mariam in suam accepit reuerenter custodiam: tu post compertam Domini apparentiam, clariorem accepisti fidei intelligentiam, & insuperabilem euangelizandi constantiam. Maria Magdalena amoris plena, Iesum tangere voluit, & prohibetur: tu Christum sine prohibitione iuberis tangere, vt fides tua firmaretur, & desiderium cordis tui citiùs impleretur. Ex certa causa mysterij, illa à tactu pedum ad modicum tempus suspenditur: vt prudentiam disceret, & Christum non iam secundùm carnem quæreret. Tu statim viso Domino, ne diutiùs dubitans maneres, ob necessarias causas, & pusillorum fidem instruendas, ad sacra loca vulnerum, dexteram tuam porrexisti, dicens:

Do-

Dominus meus, & Deus meus. O felix Apostole, cui omnia ed-
dunt ad gloriam, & maiorem diuinitatis Christi cognitionem
capessendam. Tum etiam cum S. Petro & Ioane ac alijs bis binis
discipulis ad piscandum in mari Tiberiadis, vt lætus sodalis naue
ascendisti: ibique Dominum manè in littore stantem aspexisti;
quod iusserat, feciſti: & de magna piscium captura cum discipu-
lis lætatus es: & de pane Christi assoque pisce, ibidem diuinitus
paratis, Domino ad conuiuium exhortante, iucundè refectus es.
Tu Dominum Iesum, postquam multis apparitionibus, varijs si-
gnis & documentis, suam declarauerat resurrectionem, ad cœlos
sursum ferri ac Patris dexteram potenti virtute petere aspexisti;
sanctos Angelos quoque, in vestibus albis vidisti apparenter as-
sistere; & his qui simul aderant ad tam grande spectaculum, de
secundo Christi aduentu audisti, reuerēdæ maiestatis verba præ-
nuntiare, dicentes: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum eun-
tem in cælum. Tu Christo assumpto in gloria Patris, statim re-
gressus es cum gaudio à monte Oliueti, in locum cœnaculi gran-
dis: vbi Dominus pascha solemniter celebrauit cum discipulis, &
ianuis clausis post resurrectionem eis apparuit: ac tibi etiam sua
sacra vulnera palpanda exhibuit. Ibique cum Maria matre Iesu,
& Apostolis eius, familiariter de virtutibus & actibus saluatoris
contulisti: atque deuotis insistendo precibus, Spiritus sancti ad-
uentum magno cum desiderio expectasti. Tu in die sancto Pen-
tecostes, Spiritum-sanctum in linguis igneis accepisti: & omniū
linguarum scientia plenissimè imbutus es: omniumque cælestiū
virtutum charismatibus largissimè repletus, ac tanto fidei etiam
calore accensus; vt omni metu Iudæorum excluso, verbum Dei
cum fiducia prædicares, & testimoniū resurrectionis Iesu Chri-
sti magna virtute perhiberes. Tu spiritu fortitudinis indutus, &
patientiæ clypeo præmunitus, nec pontificum minas, nec magi-
stratuum potentiam expauisti: sed Dei obedientiam mandatis
principum prætulisti, eligens potiùs pro nomine Iesu contume-
liam pati, carcerem quoque ac mortem subire, quàm verbum
Dei coram plebe reticere.

6. Tu Spiritu-sancto inspirante per diuersas regiones Euāge-
lium seminasti: ac tandem Christo tibi apparente, ad Indiā lon-
gè transmissus es. Vbi maximum fructum populorum Domino
acquisisti, multis glorioſis signis & prodigijs Euangelicam veri-
tatem confirmando. Tu diuina prouidentia disponente, tres san-
ctos reges magos venerandos, qui Christum natum stella duce
visitauerunt, perfectissimè de actibus Christi, de passione eius ac
resurrectione, atque de cunctis fidei mysterijs informasti: quos
& sacri baptismatis fonte ablutos, & in Christo renatos, præ-
te

ce Dei gratia in sacerdotes & archipræsules deuotè consecrasti. Tu plures per Indiam ecclesias, cum idoneis & probatissimis ad celebrandū ministris instituisti: & prædicationis verbo diligenter insistendo, ope etiam curationis fidelium animos, vt pius pastor, à terrenis ad cælestia subleuasti. Tu contra varios animæ languores, salutaria adhibuisti virtutum remedia, atque perpetuis paradisi gaudijs corda mœrentium, vt spiritualis medicus, studuisti clementissime consolari. Tu largissimus in pauperes, nihil de terrena substantia concupiscendo. Tu misericors super peccatores, nullum propter enormitatem criminum despiciendo, sed omnes ad emendationem vitæ, pia admonitione exhortando, gratissimum Deo sacrificium, de animarum lucro, supplicitèr obtulisti. Tu serenus aspectu, moribus disciplinatus, verbis discretus, actu strenuus, humilis corde, corpore castus, sublimis intellectu, oratione deuotus, lachrymis profusus, meditatione purus, prædicatione feruidus, contemplatione crebra ad Deum suspensus fuisti. Tu meritis locuples, virtutibus eximius, conuersatione sanctus, fama clarus, signis mirificus, plenus Spiritu sancto & gratia: Deo dilectus, ac hominibus multum venerabilis apparuisti. Tu post multos labores, & varia pro Christo tolerata certamina, ad æternam meruisti cōscendere requiem beatorum. Ibique perfrueris claritate diuina, & pura mentis intelligentia Christum in sua specularis gloria: certus iam de æterna patris mansione, ac felici deitatis visione: de qua ante passionis horam, ad Patrem orans dicebat: Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.

6. Gaude beatissime Thoma Apostole, ad mensam Christi residens in regno patris eius; non bibiturus vltrà de calice vitis terrestris, nec mortem gustaturus in æternum: quoniam hora persecutionis transijt, nox tentationis abijt, & potestas tenebrarum ad nihilum redijt. Iam princeps mundi huius eiectus est foras, iacet sub pedibus tuis, deuictus est cum suo tyranno, & tu exultans sublimiter coronatus in cælo. Iam fulges in choro Apostolico, vt sidus clarissimum: & inter agmina beatorum martyrum locum obtines dignissimum. Iam de multiplici laborum tuorum fructu lætaris: & de copiosa fidelium turma, quam tecum ex ore inferni traxisti ad cælum, vt potens miles, peracta gloriaris victoria. Lætetur & congaudeat gloriæ tuæ sancta mater Ecclesia: & pro tuarum magnificentia virtutum, solemnes Deo referat grates ac laudes. Gratuletur speciali deuotione inclyta gens Indorum sacri corporis tui dotata reliquijs venerandis: & cuncta per orbem concio Christianorum tuis glorioſis muniatur suf-

fragijs

fragijs. Vale glorioſe ac ſemper honorãde Apoſtole Thoma: impetra gratiam ſeruis tuis, & in aduentu diſtricti iudicis aſta fideliter iudicandis, cum interuentu piæ Dei genitricis Mariæ virginis, cuius fructus ventris æternaliter ſit benedictus. Amen.

Collecta.

7. DEus, qui B. Thomę Apoſtolo tuo, poſt reſurrectionem tuã apparuiſti, & ei vulnerum tuorum cicatrices ad palpãdum prębere dignatus es: concede nobis, glorioſis eius meritis & precibus, fidem rectam firmiter tenere, atque paſsionis tuę ſacra ſtigmata in mente iugiter portare: quatenus tua ſancta veſtigia ſequendo, ad reſurrectionis gloriam peruenire mereatur. Qui viuis & regnas Deus.

Collecta.

8. DOmine Ieſu Chriſte, illuminator mundi, & dator vitæ æternæ: qui B. Thomę Apoſtolo, ac dilecto diſcipulo tuo, in cœna reſpondiſti: Ego ſum via, veritas, & vita: da nobis eiuſdẽ ſanctiſsimi Apoſtoli tui interuenientibus meritis, per humanitatis tuæ humilitatem, ad diuinitatis aſcendere maieſtatem: nec non cæleſtis menſæ in regno tuo participes effici. Qui viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Collecta.

9. DEus, qui B. Thomam Apoſtolum tuum, ad prædicandum gentibus fidem, ad Indiam longè tranſmiſiſti, & multorũ miraculorum gloria ipſum ſublimaſti; da cunctis fidelibus tuis, ſuffragia eius implorantibus, vt in fide inueniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO IX.

Oratio de magnis priuilegijs beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ.

1. SAlue beatiſsima Maria Magdalena, à Chriſto prælecta & vocata, multis ac magnis diuinæ familiaritatis priuilegijs ſublimata. Te veneror & collaudo, te humiliter inuoco & exoro, te affectu ſinceriſsimę deuotionis amplector & amo. Quoniam Ieſus æternus amor te dilexit plurimum, & ad cęleſtis vitæ traxit faſtigiũ. Tu es illa nobilis & famoſiſsima Maria Magdalena, de qua ſacra nobis pandunt Euãgelia, multa pietatis & ſanctitatis

ctitatis opera. In te peccator spem veniæ, iustus vnctionem gratiæ, apud fontem concipit misericordiæ. Tu es enim illa quondam nominata peccatrix, sed nunc sancta & millies felix: quia repentè de cælo respexit Dominus, & altissimus dedit vocem suam, immutando tibi cor alendi, vt contrita & humiliata venires ad pœnitentiam: iustificata verò & consolata, redires cum pace in domum tuam: nec iam vltrà esses peccatrix, sed ardētissima amatrix Iesu Christi. Tu es igitur illa sancta Maria pœnitens & lachrymosa femina, quæ pedes Domini lachrymis inundantibus rigasti, capillis tersisti, crebris osculis strinxisti, pretioso que vnguento vnxisti: tot offerens Deo holocausta, quot priùs habuisti vitę delectamenta. Accepit benignissimus Dominus tuã gratanter pœnitentiam, dicens: Remittuntur tibi peccata tua: &, Fides tua te saluam fecit, vade in pace. O dulcissimum & pijssimum verbum, fiducia & gratia plenum, omnibus pectoribus adoptandum! O cælestem medicum, misericordem, compatientem, & humilem! qui cùm sit omnium altissimus & sanctissimus, non est tamen dedignatus tangi peccatricis manibus. Gaude igitur beatissima Maria, pro tam copiosa Dei clementia. Ora pro peccatis meis, & pro omnibus qui peccatorum foueam incidimus: vt diuina misericordia, te interueniente, non solum nos in ore Leuiathan ire prohibeat, sed ab ore eius etiam redire concedat.

2. O Maria tu es illa religiosa & benedicta femina, quæ Dominum secuta es per ciuitates & castella, ministrando ei de facultatibus tuis, qui erat omnium rerum creator & dator. Vnde ipsum aliquando hospitio suscepisti, cum venerabili sorore tua Martha. Quæ cùm solicita esset in ministrando, de otio tuo conqueri cœpit. Sed Dominus pro te respondit, sicut sæpius faciebat, plus recommendans tuum otium, quàm Marthæ negotium. Maria (inquit) optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Rogo iam te, ô felix & cælestis Maria, fac me huius optimæ partis participem: vt post hanc laboriosam vitam, perueniam ad æternæ contemplationis quietem. O Maria, tu es illa fidelissima & charissima Lazari soror, quem à mortuis resuscitauit Dominus & saluator noster. Ibi namque pius Dominus, tuis lachrymosis precibus, sororisque tuæ anxijs querimonijs, in tantum compassus est, vt lachrymas funderet: ostendens, quàm verè nobis in sua humanitate coniunctus esset. Quæso te pijssima Maria, Christo familiaris & dilecta, esto mihi supplex exoratrix pro gratia, quæ est animæ vita: vt in ea viuere & mori merear, ac in futuræ resurrectionis gloria cum Sanctis resuscitari.

3. O

3. O Maria, tu es illa odorifera vnguentaria, quæ in domo Simonis leprosi vnxisti secunda iam vice pedes Domini Iesu, & solita deuotione liberior effecta, super caput recumbentis pretiosum vnguentum largius effudisti. Tunc impleta est domus ex odore vnguenti: sed & nunc quotidie impletur, ex virtutis tuæ fragrantia tota Ecclesia Dei. Vtinam & ego indignus peccator, tam sancti & miri odoris liquore, in interiori thalamo cordis, ad modicum perungi merear: quatenus omnis fœtor vitiorum expellatur, & virtutum suauitas in me meritis tuis accendatur. O Maria, tu es illa infatigabilis imitatrix passionis Christi; quæ Dominum baiulantem sibi crucem à longè secuta es per portam Hierusalem, dolens & mœrens nimis, propter ipsius ignominiosam mortem, quæ nullius culpæ habuit maculam: nec non propter benedictæ matris eius doloris vehementiam. O quàm libenter illam crucem portasses post Iesum, si admissa fuisses! Veruntamen iam in cruce suspenso astitisti cum matre eius, & discipulo dilecto. Tandem eo sepulto, noua tristitia orta est in corde tuo. O quantus luctus omnium amicorum Christi; quanta præcipuè lamenta sanctarum mulierum! Illæ tamen plus omnibus fleuerunt, quæ præ cæteris cordialiùs amauerunt, scilicet Maria mater Domini, & Maria Magdalena.

4. Quis mihi peccatori arido ligno, fontem det lachrymarũ: vt plangam saltem vna hora diei, passionem Domini mei Iesu Christi, cum Maria Magdalena, deuotis & amorosis lachrymis plena. O Maria audi vota mea etiam hac vice, vt discam tecum lachrymari. O sancta & præfulgida Maria, tu es illa feruẽtissima visitatrix sepulchri Domini: quæ valde manè ante solis ortum, cum aromatibus ad monumentum venisti. Ibi sanctos Angelos dominicę resurrectionis testes vidisti. Sed parum tibi fuit Angelos videre, nisi & Angelorum Dominum videres. Propterea foris ad monumentum stabas, & plorabas, quia ablatum putabas. Iterum te inclinabas, & introspiciebas: quia amanti non sufficiebat semel quæsisse. Sed ô Maria noli diutius flere, ecce surrexit auctor vitæ, & tu eris nuntia tantę gloriæ. Quod & ita factum credimus, & Deum in te glorificamus. Surgens enim Iesus manè prima sabbati, primò apparuit tibi, & tu cæteris gloriam resurrectionis eius nuntiasti. Facta es ergo apostolorum apostola, & inter tres feminas illustrior & prima. Nũc humiliter vestigijs tuis prostratus peto, vt intercedas pro me, & pro omnibus te diligentibus & venerantibus, tibi congaudentibus de donis & priuilegijs tuis: quibus Dominus & Saluator noster, mirificè te glorificauit, benedixit, & exultauit. O felix Maria, ô pia patrona, memento mei in hac hora, & in separatione vltima,

quan-

quando anima mea Deo erit præsentanda. Amen.

Collecta.

5. DEus, qui B. Mariæ Magdalenę pœnitentiã clementer suscepisti: & ei post peccatorum veniam, gratiam tuã copiosiùs infudisti; tribue nobis, eius intercessione, mala nostra districtè plangere, & post planctum spe veniæ respirare, ac æternę vitę perceptione lætari. Qui viuis & regnas Deus.

ORATIO X.

Oratio de virtutibus & moribus nobilissimæ virginis Agnetis.

1. GAude Agnes virgo Christi, quæ in mundo dũ fuisti, Iesum dilexisti. Gaude Agnes virgo mitis, quę moribus redimitis Deo placuisti. Gaude Agnes gemma castitatis, quę candorem tuæ puritatis nunquam amisisti. Gaude Agnes pulchra facie, quę à nulla mundi specie vinci potuisti. Gaude Agnes rosa speciosa, quæ accepta morte preciosa cælos conscendisti. O pijssima & dulcissima Agnes, pietati tuæ intimè supplico, charitati tuæ me integrè trado, orationibus tuis me deuotè commendo. Exaudi seruum tuum ad te clamantem, tibi seruire cupientem, tuis laudibus insistentem, & te sinceriſsimo corde diligentem. In te inuenio, quod amo: in te cerno, quòd cupio: in te lego, quod stupeo: in te considero, quod laudo. Tu speculum castitatis: Tu decor virginitatis: Tu splendor fidei: Tu ornamentum domus Dei: Tu Angelorum gloria, nobis exemplum sanctimoniæ. Tu amatrix deuotorum, gubernatrix viatorum, nutrix infirmorum, effugatrix vitiorum, suscitatrix tepidorum. Tu Apostolorũ filia: Tu Martyrum socia: Tu confessorum amica: Tu virginum soror: Tu viduarum honor: tu continentium patrona.

2. O virgo mitis, humilis, & deuota. O virgo prudens, innocens, & casta. O virgo præclara, cuncta despiciens terrena, quasi stercora. Non aurum, non diuitias, non possessiones, non familias, non nuptias seu quaslibet delicias attendisti; sed amorem Christi omnibus, quę in mundo sunt, præposuisti. Igitur facta es Christo nimis chara, & eius sponsa à cunabulis consecrata. Nobili etiam ex genere Rómanorum, sed nobilior fide & pudicitia splenduisti. Fecit tandem amor Christi immensus, vt pro ipso subires ignem & ensem. Dulce & optabile tibi fuit pro Christo mori: quia tuã animam prestolabantur Angeli sancti, vt eam perferrent ad gaudia paradisi. Cum palma igitur decorata Martyrum, thalamum es ingressa cælestis sponsi. Quem quæso pro

me

me exorare digneris, vt mihi salutem mentis & corporis tribuat, tentationes diaboli compescat, carnis desideria extinguat: seculi vanitatis auferat, à societate mala custodiat, bonis & sanctis me iungat: per viam mandatorum suorum me dirigat, spatium veræ pœnitentiæ & emendationem vitæ concedat; indulgentiam & remissionem omnium peccatorum mihi tribuat: gratiam & consolationem Spiritus-sancti cordi meo frequenter infundat: ab omni malo abstinere, omnibus virtutibus adhærere faciat: finem bonum, & felicem mortis horam inuenire, propitius adiuuet: lætam & securam viam euolandi ad cælestem habitationem paret. A sanctis Angelis suscipi me iubeat, ac in æternæ beatitudinis aulam introducat. Vbi omnium sanctorum gaudijs sociatus, merear iucundum vultum gloriæ ipsius sine fine speculari. Amen.

DE MORTIFICATA VITA PRO CHRISTO.

1. GLorioſus Apoſtolus Paulus docet me mortificatam gerere vitam, dicens: *Exiſtimate vos mortuos mundo, viuentes autem Deo in ſanctificatione.* Et in alio loco dicit: *Si commortui ſumus, & conuiuemus.* Idcirco mortificatio eſt mihi neceſſaria, & quòd in omni re me relinquam & vinc propter Chriſtum: qui pro me mortuus eſt, & reſurrexit à morte. In vita Domini noſtri i nuenio perfectam mortificationem mei ipſius, ſecundùm affectionem naturæ & inclinationem ſenſualitatis, quæ debet vtique refrenari & ſubiugari. Inuenio etiam in morte Chriſti, quãdam ſpiritualem & internam vitam, gratia & virtutibus plenam: cum qua reſurgo ab omnibus perituris rebus & adhæſionibus creaturarum extra me vel in me, cum aliqua dilectione aut auerſione. Et quando ab omnibus vacuus ſto, & inoccupatus maneo, tunc ad cælum pergo cum Chriſto: nec vlla res me tunc delectat, nec vllum ſolatium recreat: ſed ſolùm vnio Chriſti, ſua gloria, & eſſe cum Chriſto. *Rom. 6. 2. Tim. 2.*

2. O quàm felix eſt iſta mortificatio, quæ mihi aperit ianuam æternę vitæ? Beatus Ioannes Euangeliſta audiuit vocem de cælo dicentem ſibi, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Verè cæleſte eſt verbum, mori peccato, & vim facere naturæ. Nec prius vera *Apoc. 14.*

vera pax interna inuenitur, nisi homo sibiipsi sit mortuus & mũdo : atque quotidie de nouo mori se disponat. Quoniam omni die oportet me proponere, velle mori propter Christum, & de nouo incipere vitam meam emendare, & ad patiendũ & moriendum disponere, & meipsum vincere. Imò omni hora & tempore oportet me niti exire à me ipso, & ad fundũ me relinquere propter Christum, atque eius amore mei ipsius amorem abnegare & annihilare. Nam tantum proficio, quantum pro Christo dimitto; & tantum proficio, quantum à me exeo. Vbi me relinquo, ibi me inuenio: & vbi meipsum quæro, ibi me perdo. Vbi meipsum prætendo ad commodum, ibi me lædo.

3. Adhuc in multis habeo mihi ipsi mori; non est mihi cum vna morte faciendum. Volo autem libenter mori secundùm spiritum, quamuis caro sit infirma & rebellis. Oportet me sæpius agere, quod inuitè facerem; & sæpe dimittere, quod libenter agere vellem. Et in istis tota pugna mea & victoria mea consistit. Beatus, qui in omnibus se relinquere scit & frangere; quia coronam æternæ vitæ à Deo accipiet. Hominum præmium vile est & paruum, atque nimis citò perditum : sed apud Deum nihil potest amitti, nec in tempore nec in æternitate. Ego volo apud dilectum Dominum nostrum manere, transeat mecum qualitercumque potest. Quia si deliqui, ipse mihi libenter vult indulgere: & si bene egi, ipse bene remunerabit. Huius rei ipsum accipio testem.

4. O dilecte Iesu, hoc mihi facere digneris quia ego nihil sũ. Bene possum de me conqueri, & valde me ipsum lamentari; quia egomet sum totum, quod me impedit & grauat, cùm rectè aspicio & considero. Confiteor Deo, quòd est culpa mea. Et quanto meliùs me humilio & despicio pro omni causa impediente, eo faciliùs ad veniam peruenio, & omne onus cum humili sufferentia oneris Christi vinco. Quid mihi prodest, quòd impedimentum meum alteri impono? Si ius habeo, bonum est mihi, quòd taceo & sustineo, quia multa querimonia non meliorat me. Et si iniustitiam habeo, tunc potiùs cedo tempestiuè quàm tardè. O dilecte Iesu, iuua me portare onus meum, quia sine te nihil possum. Tu es fidelissimus amicus & auxiliator optimus, quando necessitas rei incumbit. Oportet, quòd permittam omnia transire super me, & tam iustum quàm iniustum æqualiter portem: quamuis sit mihi sæpiùs graue, tamen meipsum resignabo, quia mox erit hic finitum tam gaudium quàm lamentum. Beatus est, qui diuina promissa expectare scit; & permittit Deum secum agere omni tempore, pro meliori beneplacito suo, sine electione & exquisitione.

5. Re-

5. Regratior tibi Domine, de omni grauamine & omni bono, quod mihi aduenit, quo etiam indignus sum. Laudatus sis & benedictus in æternum, pro omni consolatione quam vnquam sensi. In breuissimo tempore, à pressura mea liberatus sum, & statim satis habeo ad portandum, quia nulla res durabilis est sub sole. Taliter huc venit, & sic vlteriùs procedit. Pati in hoc tempore nulli deficiet, vbicumque quis fuerit, vel quicquid habuerit. Benedictus Deus, ego bene promerui pati, & rectè ad me pertinet tribulari & contemni. Adiuua me amande Iesu, ad bonum & salubrem pertingere finem. Spero, quòd adhuc totum meliùs fiet, quamuis sæpe titubanter & contrariè in hoc tempore trãsit. Super quo possum confidere, nisi super misericordia tua dilecte Domine, vnicum refugium meum?

6. Quid prodest omne solatium hominum, quando tu me deseris? Aut quid me impedire potest, quando tu mihi assistis? Sed tu sæpè nimis remotus es & absconsus. Non possum confidere in aliquo solatio, & bono sentimento cordis mei: nam sæpe priuatus sum omnibus, antequam scio vel æstimo. In istis oportet, vt iterum discam mihi ipsi mori, & omnem internam consolationem abnegem; & in voluntate Domini nostri voluntatem meam deponam; atque exilium meum, & pressuram, & caliginem studeam sufferre; donec ipsi complaceat mei pauperis creaturę iterum misereri, & me consolari. Oportet gratiam Dei expectare, & cum paupertate me iuuare, & pensare, quòd nec vnius assis valore dignus sum. Deus autem omnium bonorum principium est & finis. Ipse repentè ditat & depauperat, infrigidat & inflammat, exaltat & deprimit, illustrat & obscurat; multa mira intus agens, quæ faciliter nequeunt enarrari.

7. Eia dilecte Iesu, fac sicut tibi melius videtur, quia ad profundum non intelligo meipsum. Tibi soli notum est, quid mihi vtilius sit. Ego committo me tibi, fac mecum secũdùm præchariorem voluntatem tuam. Quando mihi aliquid obest, hoc citò percipio; quia inquietudo cordis non est delectabilis ad portandum. Omnis impeditio & perturbatio, ex propria exquisitione venit. Natura semper quæ sua sunt quærit, diuersis modis foris & intus, in magnis & paruis; & valde inuitè vult mori, & seipsam abdicare. Veruntamen oportet ipsam mori & deuinci, si spiritus debet quietari, & cum Christo vniri. Eia dilecte Domine, fac me participem gratiæ tuæ, & ne derelinquas me in necessitatibus meis, quia adhuc plura habeo ad superandum. Necdum ad fundum me reliqui, neque totaliter mihiipsi sum mortuus, nec ab omnibus creatis rebus & affectionibus adhæsiuis solutus & euacuatus: sed natura adhuc fortiter in me vi[illegible], &

ope-

Fomes peccati Iebusæus. *Iosue 15. Iudic. 1.*

operatur partem suam; & dat mihi intelligere, quòd Iebuseus (id est fomes peccati) adhuc in terra (id est carne mea) moratur. Benefac dilecte Domine, propter gratiam tuam; quia in virtute tua mox ad nihilum cadunt omnes inimici mei. Vnico enim verbo & in ictu oculi mox omnes ante te sunt effugati.

8. Verùm me oportet semper stare in timore, & nunquam mihiipsi confidere; quia licet frequenter eripior & liberor, tamẽ nõ sum securus. Super nullo sapore, nec commodo, nec solatio confidere possum, sed tantummodo super misericordia tua, ô dulcis & misericors Domine. Sine te sum mihiipsi onus & impedimẽtum, sed tecum & in te efficior firmus & liber, & potens mei ipsius. Non possum ponere cor meum super aliquem locum, quantumcumque pulcher ille fuerit; quia totum transitorium est, quicquid hîc quæritur extrinsecus; totum est instabile & insecurum, in hominibus, in rebus, in domibus, in clausuris; & vbique inuenitur defectus, contrarietas, & resistentia in vno vel in altero; & omnino super pati & premi, ab intra vel extra, venire vult res quælibet in præsenti. Nihil quippe iuuat, quando passio venit, quàm decorus sit locus, vel quanta bona habeantur.

9. Qui bene cum paupertate se gerere scit, & melius pati pro Deo, ac potius semper minus desiderat quàm ampliùs; ille maiorem pacem obtinebit & altiorem lætitiam apud Deum. Quando aliquid temporale nimium diligitur, non poterit diu interna pax possideri. Cum simplici oculo & puro corde, cuncta aspicienda sunt; & cauendum, ne cum delectatione sensualitatis res considerentur; sic enim absque nocumento & purus in conscientia homo permanebit. Omnibus rebus mundi & cunctis gaudijs cœli præponenda est voluntas Dei. Quod nobis concedat ipse Deus. Amen.

DE HVMILITATE.

De commendatione humilitatis, quæ est fundamentum omnis sanctitatis.

Matt. 11. 1. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,* dicit Dominus. Sũmus magister & legifer noster Iesus Christus, humilitatẽ discere nos hortatur, quam qui bene seruauerit, citò perfectus erit, sine qua nulla lectio ad salutem valet; quia in vacuum laborat, qui sine humilitate aliquid scire conatur. Est autem pri-

ma

ma lectio Christi humilitas cordis, quasi fundamentum omnis virtutis, & necessaria ad peruentionem æternæ salutis. Aduertat igitur hanc sacram lectionem, quicumque desiderat habere nunc gratiam, & in futuro vitam æternam. Qui verò istam humilitatem negligit, quicquid agit & cogitat, totum destruit & amittit. Doctrinam igitur Christi audiant omnes Christiani, omnes religiosi, omnes Sacerdotes, omnes prælati, omnes subditi, omnes nobiles & vulgares, omnes docti pariter & indocti; quia non elata, sed humilia docet Christus: non vana, sed vtilia: non falsa, sed vera: non terrena, sed cælestia.

2. Citò igitur doctus erit & beatus, quisquis Christum fuerit humiliter imitatus. Est enim humilitas singularis virtus Christi, contraria diabolo & odibilis mundo. Qui hanc corde & opere tenet, Deo & Angelis placet, & securior ex hoc seculo migrabit, sicut dicit Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Itaque sine humilitate non est salus, nec virtus, nec actio Deo grata. Omnis labor quamuis magnus, quamuis diuturnus, sine hac efficitur nullus. Nam profunda humilitas arcem tenet virtutum, & de suis triumphat semper inimicis. Exultat de gratia Christi, quæ illi datur tanquam amico fideli: quia sponte se subdit creatori, totum bonum ei ascribendo, & sese in cunctis deprimendo. Absque humilitate vera, vacuum geritur nomen sanctitatis: nec prodest foris honestas, si intus humilitas desit. Cum humilitate, ad summum scanditur bonum; sine ea, de summo ruitur in infernum. Testes sunt, humilis publicanus & pharisæus elatus. Horre Luciferum de cælo cadentem; intuere Lazarum humiliter iacentem, & ab Angelis in sinum Abrahæ lætanter eleuatum. Vnde humilis mater Iesu dicit in cantico suo: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Exempla sunt plura in scripturis sanctis; & quotidie apparent pericula de sua virtute superbientibus.

Matt. 11. Humilitas virtus in Christo singularis. *Matt. 5.*

3. Qui enim appetit hominibus placere & magnus reputari; Deo vilescit, & sicut fumus euanescit. Omnis superbus corã Deo immundus nescit seipsum, nec suum præuidet casum. Qui erigitur in superbiam iusto Dei iudicio cadit in reprobum sensum. Qui alteri se præfert & altũ de se sapit, cadit ab alto humili staute. Latens superbia, pestis iniqua: foris blanda, intus amara: in prosperis læta, in aduersis turbulenta. Qui alium quærit confundere & se iustificare, seipsum confundit, & suam superbiam demonstrat. Superbi est sibiipsi placere, & plus sibi quàm alteri credere: & aliorum facta citò reprehendere, & simplices deridere. Hic est proclivus ad omne malũ. Peruersũ nãque gerit iudicium,

qui

qui magna de se sentit, & de alijs peiora confingit.

4. Superbia nunquam melius vincitur, nisi per frequentē exercitationem in operibus despectis, & iniurijs multis, & locis extremis. Cui graue est subesse & seniori obedire, longè est à vera humilitate. Radix virtutum humilitas, precioſum ex se producit obedientiæ fructum, & matureſcit in charitate. Ad verum humilem spectat proprios defectus respicere, seipsum iudicare, & die noctuque sua commissa deflere. Humilis frater prælatum suum non iudicat, ne Deum iudicem offendat: socium non contristat, seniorem honorat, imperfectum tolerat, pro tentato orat, succurrit indigenti. Duo humiles bene concordant, duo superbi pro vili etiam re contendunt. Verus humilis potest securè laudari, quia in veritate fragilem se cognoscit; & acutos Dei oculos, in omni facto & cogitatu suo, expauescit.

5. Multum valet ad humiliādum se, occulta Dei iudicia timere, & de extremo fine semper cogitare. Vere humilis est, quem laus humana non mouet. Et qui cæleſtem gloriam attendit, omnem temporalem honorem faciliter contemnit. Qui autem propriam gloriam quærit, in veritate non stat, nec Deum perfecte super omnia amat. Humilis prælatus, Deo est charus & omni honore dignus. Humilis subditus, magno præmio coronabitur in cælis. Sobrius & castus, Angelorum est socius & hominū decus. Qui sæculi tumultum fugit, castior manebit. Deuotus & internus homo secretum diligit, vt Deo liberiùs vacet. Tacitus monachus frequenter orans, cum Deo ambulat & cælum penetrat. Bene operans & iniuriam patiens, fructus colliget optimos in futuro. Qui subtilia cogitat & humilia negligit, foueam parat, in quam nescius cadit. Qui ad altiora anhelat, suspendio animam necat. Prudēs homo nihil precipitāter agit. Fidelis nihil negligit, nec fraudem committit. Iustus causas rerum examinat, antequam iudicat. Sub specie boni, fere decipimur omnes.

6. Qui nimis sibi confidit, periculo se exponit. Cōsultiùs agit, qui experto & doctiori acquiescit. Consilium quærere & orationes petere, humilitatis est indicium. Sæpe Deus per alium loquitur, quod homini per se non reuelat. In hoc magna humilitas & obedientia apparet, cùm quis verbum Dei ab homine imperito audit, & mansuete iracundo respondet. Res plena laude, ad iniuriam tacere. Res confusione digna, superiori contradicere, nec obtemperare præceptis aut monitis virtuosis. Verus humilis obedit etiam in asperis & vilibus iussis. Plus omnibus in spiritu proficit, qui profundiùs se humiliat. Hostem suum vno ictu prosternit, qui proprium videre citiùs frangit. Quid tam rarum & mirandum, sicut magna agere, & humiliter de se sentire? Quid

plus?

plus? Gratia Dei non abuti, neque potestate concessa?

7. Ad euadendum igitur pericula diabolica, à dextris & à sinistris, instantia, non est tam potens armatura sicut humilitas vera & oratio deuota, cum conscientia pura. Superbus tot habet laqueos, quot cogitationes iniquas & elatas. Humilis mens in bonis non eleuatur, sed gratias agit de omni bono, quod accipit. Qui se tempestiuè humiliat, sapienter facit, ne deteriora sibi contingant. Per humilitatem placatur Deus de omnibus offensis, ædificatur proximus in aliquo læsus, confunditur diabolus; aperitur peccatori cælum, purgatur omne delictum. Vis non timere diabolum? Humilia te ipsum. Sola enim humilitas, vniuersos diaboli laqueos euadit, potentiamque prosternit. Quotquot decepti sunt & deiecti, per mentis elationem inflati ceciderunt. Esto ergo humilis, & vilis in oculis tuis, ne Deo displiceas, & cum diabolo corruas. Nam cælum non suscipit nisi humiles, nec Deus eligit nisi humiles, nec iustos approbat nisi sint humiles.

DE BONA PACIFICA VITA, CVM RESIGNATIONE PROPRIA.

SI vis Deo dignè viuere, debes teipsum illi resignare. Pone cor tuum, ad quod esse debet, tunc pacem habebis vbique. Propone grauiora portare, tunc minora facilius supportabis. Disce in omnibus te vincere, & pacem intus habebis. Quod debeo, hoc volo, & sic cælum habeo. Cum patientia & silentio, maior pax acquiritur. Sapiens est, qui bene patiens est. Si debeam me ad omnia vincere, tunc oportet me à mortificatione inchoare. Ante omnia, mortificatio mihi necessaria est bona. Quamuis haberem istud vel illud, tamen mihi non sufficeret. Depone de corde, placet & displicet, & nihil te vrgebit. Eris quietus ab intra, si te non fundis nimis ad extra. Noli solicitari de bonis terrenis, ne perdas æterna bona in cælis, quæ Christus promisit amicis suis. Quicquid scitur vel habetur, nihil est, nisi Deus ad votum habeatur. Qui omnia parupendit, quæ sub cælo delectant, potest supra cælos tollere mentem, & aliquam de cælestibus gaudijs capere partem.

2. Heu quomodo potest hoc esse, quòd vtique volumus aliquid esse? Nil tamen in veritate sumus, quãuis nobis ipsi aliquid

esse videamur. Quid vis multũ cõqueri, & hinc discurrere? Quocumque vadis & venis, non omnia prospera inuenies: quia vbique occurrit aliquid ad patiendum. Et si inde nescis gaudere, oportet te tamen sustinere, & tandem ad pacem te ponere, sicque in patientia omnia superare. Totum nihil est, nisi desistas te ipsum in aliquo quærere. Quamdiu hic vixeris, contra teipsum certare habes, & aduersarium sustinere. In hoc crescit meritum tuum, si propter Deum sustines, quod tibi est molestum.

3. Qui pati fugit, pati ipsum sequetur: quia ista vita plena est defectibus & pressuris. Quamuis libenter esses liber à passionibus cunctis; tamen non esset semper profectus tuus. Patienter ergo sustine si, vis Deo placere; & multum promereri. Nam totum tibi cedet in bonum, si de manu Dei accipis omne infortunium, tanquam animæ lucrum. Recta via ad cælum, est pati propter Deum. In humili sufferentia cognoscitur virtuosa vita & cælestis sapientia, & sic peruenitur ad æternum paradisi gaudium. Quod nobis concedat pius Iesus per suæ sanctissimæ mortis meritum, & precioſissimæ matris suæ semper virginis Mariæ suffragium. Qui cum Patre & sancto Spiritu viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

VITA BONI MONACHI.

CAPITA HVIVS TRACTATVS.

DE *renuntiatione sæculi.* *Cap.* I.
De remedio vitiorum. II.
De exemplis eremitarum. III.
De patientia martyrum. IV.
De studio doctorum. V.
De labore & oratione confessorum. VI.
De extirpatione vitiorum. VII.
De exercitijs monachorum. VIII.
De corona & præmio monachorum. IX.

Incipit vita boni monachi.

AVdi religiose monache,
Auscultа deuote clerice,
Attende senex & paruule,
Doctrinam bonæ vitæ.
Sequere humiles mores Iesu Christi, & exempla Sanctorum.
Quæ te ducant ad regna cælorum.
Relinque curiosa argumenta verborum,
Quæ impediunt profectum deuotionis & virtutum.

CA-

CAPVT I.

De renuntiatione seculi.

MOnache ad quid venisti?
Quare mundum reliquisti?
Cur cappam istam induisti?
Et pompam mundi despexisti?
Nónne vt Deo seruires, & cor tuum custodires?
Cur ergo sic vagaris, & vana meditaris?
Multum peccas euagando, tempus perdis otiando.

CAPVT II.

De remedio vitiorum.

APprehende arma & scutum;
Euagari non est tutum;
Otiari grande vitium.
Fabulando perdis præmium.
Operando vince tædium:
Orando quære remedium.

CAPVT III.

De exemplis eremitarum.

MAne ergo in cœnobio:
Viue castè sine proprio:
Fuge, tace cum Arsenio.
Sede solus cum Macharios:
Sæpe ora cum Antonio;
Labora cum Pachomio:
Ieiuna cum Euagrio:
Vigila cum Hilario.

CAPVT IV.

De patientia martyrum.

SVstine dolores cum Laurētio:
Despice honores cū Vincentio:
Dilige Iesum cum Ignatio:
Fer damna rerum cum Eustacio:
Confitere Christū cum Tyburtio
Resiste draconi cum Georgio:
Coronaberis cum martyribus,
Si resistis malignis instinctibus.

CAPVT V.

De studio doctorum.

LEge, scribe cū Hieronymō,
Viro sancto & doctissimo.
Canta hymnos cum Ambrosio,
Psalmos Dauid cum psalterio.

Stude, doce cum Augustino,
De summo bono & diuino.
Cuius librorum magna copia,
Illustratur sancta ecclesia.
Disce mori mundo cum Gregorio,
Perseuerando in monasterio.
Porta Iesum cum martyrio,
Visita ægrum in exilio.
Lætaberis cum doctoribus,
Si fidem seruas cum moribus.

CAPVT VI.

De labore & oratione confessorum.

IMitare sanctum Benedictum:
Serua omne verbum tibi dictum.
Bonum est laborare manibus:
Melius orare cum fletibus.
Quære Iesum cum Bernardo,
Cum Hugone & Richardo.
In canticis canticorum, & in choro Angelorum.
In studio clericorum, & in verbis seniorum:
In commentis magistrorum, & in libris deuotorum.
Præmiaberis cum confessoribus:
Si abnegaueris te in omnibus.

CAPVT VII.

De extirpatione vitiorum.

CAue curiosa legere,
Quæ possunt mentē distrahere
Stude vitia tua cognoscere,
Et viriliter eis resistere:
Ambula cum simplicibus, adhære innocentibus.
Benefac tibi contrario, supplica pro aduersario.
Et eris charus Dei filio, ac dignus sanctorum consortio.

CAPVT VIII.

De exercitijs Monachorum.

MOnachorum est orare, gemiscere, & plorare pro suis defectibus.
Carnem suam castigare, vigilare, ieiunare à voluptatibus.
Linguam refrenare, aures obturare à vanitatibus.
Oculos custodire, pedes prēmunire ab excursibus.
Manibus laborare, labijs exultare, corde iubilare, in Dei laudibus.
Caput denudare, basse inclinare, genua curuare crucifixi pedibus.

Promptè

Promptè obedire, nunquam contra ire ſuis maioribus:
Libenter ſeruire, citò ſubuenire infirmis fratribus.
Curas mundi abijcere, cæleſtibus intendere totis conatibus.

CAPVT IX.

De corona & præmio Monachorum.

NE vincaris à dæmonio, omnia fac cum conſilio, & non facilè errabis.
Neſcis enim quamdiu hîc eris, certum eſt quòd morieris, nunquam tamen deſperabis.
Eſto internus, deuotus Deo totus, mundo ignotus, & eris ſemper lætus.
Multum tibi vilis & deſpectus, fratri tuo pius & ſubiectus, maturus & facetus.
De bonis Deo da gloriam.
Et de malis pete veniam, omnem remittens iniuriam.
Sicque per Dei gratiam, peruenies ad patriam,
Poſt huius vitæ miſeriam.
Vbi Ieſus & Maria, in ſumma gaudent gloria, cũ tota cæli curia.
Ad quam nos poſt multa pericula, perducat agnus ſine macula.
Cui laus per æterna ſecula. Amen.

CANTICA SPIRITVALIA.

CANTICVM I.

De laudibus ſanctarum virginum.

AMa IESVM cum Agnete:
Magdalenam lauda lætè,
In hymnis & canticis.
Agatham ſanctam venerare;
Luciam paſſam imitare:
Quantum dignè ſufficis,
Barbaram ora cum Balbina;
Cæciliam ora cum Chriſtina,
Totis ex præcordijs.
Catharinam cum Sabina,
Margaretam cum Martina,
Lauda magnis gaudijs.
Iulianam cum Iuſtina,
Cuneram cum Euphroſyna,
Iubila in organis.
Dorotheam cum Eugenia.

Petronillam cum Euphemia,
Honora in tympanis.
Sophiam cum Eulalia,
Gertrudem cum Pelagia,
Exalta lætis vocibus.
Priſcam, Dariam, cum Helena.
Apolloniam cum Serena,
Magnifica honoribus.
Schólaſticam cum Suſanna,
Teclam, Claram, cum Ioanna,
Lætifica cęli præmijs.
Vrſulam cum ſodalibus,
Cordulam cum æqualibus,
Adorna roſis & lilijs.
Omnes ſanctæ virgines cum coniugibus,
Omnes ſanctæ viduæ cum continentibus,
Orate Deum pro noſtris exceſsibus.
Sit laus Deo, honor, & gloria,
De virginum magna victoria,
Et dulcis hymnus ſanctis eius omnibus.
Qui nos ſua gratia
Ad ſe ducit cum lętitia,
Sanctorum ſuorum meritis:
Poſt huius vitæ pericula,
In æterna tabernacula,
Laxis peccatorum debitis.
Amen, Amen, dicant omnia,
Cæleſtia & terreſtria,
Angeli cum hominibus,
Et creaturis omnibus,
Deo ſemper gratias.

CANTICVM II.

De gaudijs caleſtibus, & nouem choris Angelorum.

O Qualis quantaque lætitia
Reſonat in cęleſti patria,
Vbi Ieſus gaudet cum Maria,
Læto vultu, dulci melodia!
Aſtant Angelorum chori,
Laudes cantant creatori:
Regem cernunt in decore,
Amant corde, laudant ore.

Tym-

Tympanizant, citharizant,
Volant alis, ſtant in ſcalis,
Pulſant nolis, fulgent ſtolis,
Coram ſumma Trinitate.
Clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus,
Fugit dolor, ceſſat planctus,
In ſuperna ciuitate.
Concors vox eſt omnium,
Deum collaudantium:
Feruer amor mentium,
Clarè ſpeculantium.
Beatam Trinitatẽ, in vna deitate,
Quam adorant Seraphim,
Feruenti cum amore;
Venerantur Cherubim,
Ingenti cum honore.
Mirantur nimis Throni,
De tanta maieſtate.
Dominationes hos ſequuntur,
Summo bono plenè perfruuntur.
Quibus Principatus coniũguntur,
Lętabunda ſemper charitate.
Poteſtates cum virtutibus,
Micant ſignis, tonant nubibus,
Malos arcent, bonis parcent,
Admiranda ſemper pietate.
Archangeli cum Angelis,
Altè iubilant in cęlis:
Vigilant, cuſtodiunt,
Viſitant, erudiunt,
Puſillos cum maioribus.
Preces Deo offerunt,
Dona eius referunt:
Defendunt humiles,
Confortant debiles,
Exultant cum cantoribus.
Hos ergo honorare
Nos decet, & amare
Sinceris mentibus,
Votis feruentibus,
Lingua, doctrina, moribus.
O quàm prędara regio,
Et quàm decora legio,

Ex angelis & hominibus?
O glorioſa ciuitas,
In qua ſumma tranquillitas,
Lux & pax in cunctis finibus!
Ciues huius ciuitatis
Veſte nitent caſtitatis:
Legem tenent charitatis,
Firmum pactum vnitatis.
Non laborant, nil ignorant:
Non tentantur, nec vexantur,
Semper ſani, ſemper læti,
Cunctis bonis ſunt repleti.
O quàm beata ſocietas,
Vbi regnat Deus, Trinitas,
Abundat ibi pietas,
Cunctos illuſtrat veritas.
Laudem ergo Deo dicite,
Omnes ſancti ſimul pſallite:
Qui vos per ſuam gratiam,
Ad tantam duxit gloriam:
Benedictus Deus. Amen.

CANTICVM III.

Hymnus ad Angelos & Sanctos in cælo.

CIues cæli attendite,
Et Angeli percipite,
In hac valle miſeriæ,
Exulanti ſuccurrite.
Vos in perenni gaudio,
Et ego in exilio:
Penſate, quod gemens dico,
An mirum ſit, quòd lugeo.
In terris diu viuere,
Et Chriſtum nondum cernere,
Graue nimis eſt animæ,
Languenti eius amore.
Hinc ſponſa in meridie
Sponſum requirit anxiè,
Quem myſtica ſub ſpecie,
Abſens colit vera fide.
Fides, Spes, & Charitas,
Clamant Ieſu, quò properas.
Rabboni, vbi habitas?

Cur ire longè simulas.
De mea nunc absentia,
Noli flere, ô anima,
Ibi fige suspiria,
Quò te præcedo, in patria.
Consoletur exilium,
Gratiæ stillicidium,
Fratrum quoque subsidium,
Ac luctus tui præmium.
Ad patrem sursum transeo,
Et emisso paraclito,
Exultes & in filio,
Quamdiu es in seculo.

CANTICVM IV.

Deuotum carmen cantandum in laude Iesu Christi.

Ntam Iesu Christi stude imitari:
Castè, iustè, piè disce conuersari,
De nato Iesu cane dulciter:
De passo Iesu dole grauiter.
Læta misce tristibus tuis exercitijs
Mala terge fletibus, caue à delitijs.
Iesum quære diligenter:
Clama, pulsa, vehementer.
In deuotis hymnis delectare,
Dulce est de Iesu cogitare,
Dulcius cum Iesu iubilare,
Dulcissimum cælos penetrare.
Iesu ob amorem,
Omnem fer laborem,
Sustine vim patiens,
Tace vt sis sapiens.
Mores rege, aures tege:
Sæpè ora, sæpe lege.
Omni die, omni hora,
Te resigna sine mora.

CANTICVM V.

De patientia seruanda.

Aduersa mundi tolera,
Pro Christi nomine.
Plus nocent sæpe prospera,
Cum leui flamine.

Cùm à multis moleſtaris
Nihil perdis, ſed lucraris:
Patiendo promereris:
Multa bona conſequeris.
Nam Deum honorificas,
Et angelos lætificas:
Coronam tuam duplicas,
Et proximos ædificas.
Labor quidē paruus eſt & breuis vita:
Et merces grandis eſt, quies infinita.
Toties martyr Dei efficeris,
Quoties pro Deo pœnā pateris.
Patiendo fit homo melior,
Auro pulchrior, vitro clarior,
A vitijs purgatior,
Virtutibus perfectior:
Ieſu Chriſto acceptior,
Sanctis quoque ſimilior,
Hoſtibus ſuis fortior,
Amicis amabilior.
Aſſueſce Ieſum inuocare,
Mariam ſæpe ſalutare:
Cruce ſancta te ſignare:
Omnes ſanctos honorare:
Contra dæmones certare,
Vigilare & orare.
In Domino ſemper ſpera
Age recta, profer vera.
Coram Deo te humilia,
Et gratiam inuenies.
Ama pauca & ſimplicia,
Et pacem bonam reperies.

CANTICVM VI.

De dulcedine Ieſu, & de plenitudine gratiarum & omnium virtutum, quas habuit.

Sequentia.

Dulciſsime Ieſu,
Qui de cælo deſcendiſti,
Et vitam mundo contuliſti.
Legem de te, ſcribam de te,
Quæram te, cantem de te,
Ieſu puer dulciſsime,

Nam

Nam suauis es & mitis,
Humilis, plenusque virtutibus,
Fili Dei altissime.
Multum dimittis multum amanti,
Nec postea te deserenti.
Qui te relinquit,
Heu quid hic facit!
Qui te inuenit,
Eia quid habet!
Illum profectò tenet & habet,
Qui cælum terramque vt Deus regit:
Vt homo miro modo præsepe
Quasi pauper prælegit.
O venerabile præsepium,
In quo mundi seruatur precium:
Nunc latet, nunc patet:
Tunc scietur, cùm pro multis expendetur.
Hæc sunt delitiæ fidelis animę,
Sæpè mente reuoluere
Humilia tua, Iesu Christe,
Hæc sunt sanctæ reliquiæ, piæ memoriæ:
Quas deuotè recolere,
In absentia tua vis Domine.
Iam oportet me gaudere,
Nam damnatus pro scelere
Eram, & clausus tetro carcere,
Sed Iesus venit cum claro lumine.
Nudus eram, nec sciebam,
Claudicabam, & languebam:
Et ad me dignatus es descendere,
Iesu clemens, & cęlestis medice.
Bone Pater multum nos amasti,
Quibus Iesum pręparasti,
Ab æstibus vmbraculum.
O Iesu clarissimum speculum,
Splendens per totum speculum,
Tu nostrum es remedium.
Qui ni ego dolerem.
Iesu mi si non venisses,
Et ægrotum visitasses.
Nunc verò & gaudebo,
In te Iesu Deo meo,
Et seruus semper ero.

Laus

Laus tibi Iesu benigne,
Et amoris tui igne
Accende me,
Vt semper amem te.

CANTICVM VII.

Versus de sancta Cruce.

Vita boni monachi crux est, sed dux paradisi,
Portat portantem, saluat sua vulnera flētem,
Firmat nutantem, tollit ad æthæra mentem,
Vincit tentantem dæmonem, de cælo cadentem.

CANTICVM VIII.

Hymnus de passione Domini nostri Iesu Christi.

Vota vita Iesu Christi
Crux fuit & martyrium:
Hunc sequi suum seruulum
Decet, per iter asperum.
Memor ero, quamdiu sum,
Laborum atque dolorum:
Quos Iesus meus Dominus.
Gessit in carne positus.
Passio tua Domine,
Facta est amara valdè.
O quantum me dilexisti,
Cùm pro me mortem subisti.
Semper crux, claui, lancea,
Fel, arundo, cum spongia:
Sputa, corona spinea.
Et dira tua vulnera,
Cordi meo sint infixa,
Et in memoria scripta:
Nam sunt amoris stigmata,
Sponsique myrrha electa.
Serue meus me respice,
Quot sumpsi vulnera pro te:
Stude vicem rependere,
Quamuis impari pondere.
Prospera mundi despice,
Aduersa libens suscipe:
Mecum in cruce morere,
Vt mihi queas viuere,
O Iesu splendor gloriæ,
Et spes futuræ patriæ:
Quanto pro me es vilior,

Tanto

Tanto mihi es charior.
Pudeat nunc sub capite
Spinato membrum gaudere:
Cùm & amara bibere,
Voluit conditor vitæ.
Sit honor, laus, deuotio,
IESV MARIAE filio,
Tenso crucis patibulo,
Pro redimendo populo. Amen.

CANTICVM IX.

Hymnus de sancta Trinitate.

Vera summa Trinitas,
Æqualis vna deitas,
Tibi laus, tibi gloria,
Honor, virtus, victoria.
Te inuocamus mentibus,
Te collaudamus vocibus,
Te adoramus genibus,
Te flagitamus manibus.
Tu nostra es felicitas,
Lux, via, vita, veritas:
Tu creator es omnium,
Cælorum, terræ, marium.
Te iure laudant omnia,
Cælestia, terrestria,
Et infernorum condita,
Tibi non sunt abscondita.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclyto,
Et nunc, & sine termino. Amen.

CANTICVM X.

Hymnus de S. Ioanne Baptista.

Aude mater ecclesia
De præcursoris gloria:
Hic est Ioannes Baptista,
Repletus Dei gratia.
Sanctus natus ex vtero,
Exultauit in gaudio,
Cùm redemptor virgineo
Clausus adesset thalamo.
Annis adhuc sub teneris,
Cunctis relictis ciuibus,

Instinctu sancti Spiritus.
Fit eremita strenuus.
Pelle cameli tegitur,
Locusta vili pascitur,
Viam angustam graditur,
Per quam cælum ascenditur.
Tantis fulgens virtutibus,
Ioannes, compar angelis,
Prædicauit in populis,
Ecce Agnus Dei Christus.
Ab eius sacris manibus
Baptizatur altissimus:
Stupet Baptista humilis,
Quia sic fecit Dominus.
Traditur tandem carceri,
Ardens lucerna fidei:
Feritur amicus sponsi
Gladio regis impij.
Sed mox assistunt angeli,
Voce canentes parili,
Huic debetur martyri
Corona, iure triplici.
Nam doctor fuit inclytus,
Et martyr inuictissimus:
Sed & virgo purissimus,
Ioannes vir sanctissimus.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclyto,
Et nunc, & sine termino. Amē.

CANTICVM XI.

Hymnus de S. Ioanne Euangelista.

Christe sanctorum gloria,
Et piorum memoria,
Nostris intende precibus,
Quas piè tibi fundimus.
In honore Apostoli
Ioannis dilectissimi:
Vt eius sacris meritis,
Cæli iungamur sedibus:
Qui amari præ cæteris
Promeruit discipulis,
Ob castitatis titulum,

Munus tibi gratiſsimum.
Ex tuo ſacro pectore,
Hauſit fluenta gratiæ:
Hinc filij eccleſiæ
Verbi potantur nectare.
Hic etiam limpidiùs
Præ cunctis & ſublimiùs,
Vidit ſacra myſteria,
Solis beatis peruia.
Flagrant eius epiſtolæ,
Tui amoris adipe:
Quo nos Ieſu reficere
Digneris omni tempore.
O Ioannes chariſsime,
Exemplar pudicitiæ,
Diuinæ nos clementiæ
Cuſtos commenda Mariæ.
Vt poſt curſum huius vitæ,
Guſtemus de vera vite:
Cuius fructus dulciſsimus
Sanctis offertur omnibus.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine;
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

CANTICVM XII.

Hymnus de S. Agnete virgine.

AGnetis Chriſti virginis,
Et precioſæ martyris,
Memoriam ſolemniter
Agamus vnanimiter.
In annis puerilibus,
Spretis mundi blanditijs,
Filio matris virginis
Caſtis adhæſit mentibus.
Quem, dum in terris viueret,
Sponſum habere voluit:
Quàm verè hunc diligeret,
Sanguine fuſo prodidit.
Quo rubente, angelicis
Suſcipitur in manibus:
Ac fertur in cubiculum
Virginibus pollicitum.

Ibi gaudet, in candida
Agnum subsequendo stola:
Atque canit in cithara,
De hostium victoria.
Cuius prece sanctissima,
Da veniam cum gratia,
Christe Sanctorum gloria,
Per infinita secula. Amen.

CANTICVM XIII.

Hymnus ad eandem S. Agnetem.

AVe florens rosa,
Agnes generosa,
Virgo speciosa,
Martyr preciosa.
Sumens mel suaue
Ore Iesu aue,
Casta sponsa Christi
Mundum contempsisti.
Solue prauitates,
Fuga vanitates,
Preme aduersantes,
Iuua dimicantes.
Monstra te benignam,
Omni laude dignam,
IESVM vt amemus.
Semper, & laudemus.
Virgo singularis
Rectè prædicaris,
Agnum imitaris,
Agna nominaris.
Vitam præsta puram,
Viam plana duram,
Vt intremus cælum,
Carnis aufer velum.
Audi nos Maria.
Consolatrix pia:
Veni cum Agnete,
Visita nos lætè.
Salua nos Saluator,
Mundi & creator,
Iesu vitæ dator,
Virginum amator.
Sit laus Deo Patri,

Christo

Christo eius nato,
Almo paraclito,
Vni vero Deo. Amen.

CANTICVM XIV.

Nomen S. Agnetis.

Amatrix deuotorum in castitate,
Gubernatrix viatorũ, in tẽpestate,
Nutrix infirmorum, in charitate,
Effugatrix vitiorum in prauitate,
Suscitatrix tepidorũ de tarditate,
Angelorum Gloria, Nobis Exemplum Sanctitatis.

CANTICVM XV.

Hymnus de S. Cecilia virgine.

IN, virginis Ceciliæ
Fulget vita clarissima,
Quam sponsus pudicitiæ
Elegit ab infantia.
Quæ Christi euangelium
Abscondebat in pectore:
Vt Iesum nitens lilium,
Casto seruaret corpore.
Hinc amor & deuotio
Feruebant cum colloquio:
Hinc diebus ac noctibus,
Sacris intendit fructibus.
Nam duos fratres nobiles,
Christi effecit milites:
Quos per eius vestigium
Hortatur ad martyrium.
Hęc cernens tunc Episcopus
Vrbanus, vir Angelicus,
Resoluitur in lachrymis
De fructu tantæ virginis:
Domine Iesu suscipe
De manibus Ceciliæ,
Fructus casti consilij,
Sicut odorem balsami.
O beata Cecilia,
Deuota Christi famula,
Per tua sacra merita,

Nos Deo reconcilia.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclito,
Et nunc & sine termino. Amen.

CANTICVM XVI.

De nomine Ceciliæ.

Consolatrix infirmorum, compassione:
Electrix supernorum, contemplatione:
Confortatrix Christianorum, prædicatione:
Imitatrix beatorum, sacra passione:
Liberatrix perditorum, deuota oratione:
Inuentrix liliorum, casta conuersatione:
Associatrix Angelorum, cælesti reuelatione.

Collecta.

Præsta quęsumus omnipotens Deus, vt qui beatæ Ceciliæ virginis & martyris tuæ merita præclara recolimus, in vnigeniti filij tui amore semper crescamus: cuius vitam & mores in suo pectore hęc glorioſa virgo portauit. Qui tecum viuit, &c.

CANTICVM XVII.

De nomine S. Clarę, quæ fuit virgo & sanctimonialis prima ordinis fratrum minorum.

Congregatrix Virginum,
Leuatrix debilium,
Acceptatrix humilium,
Refocillatrix pauperum,
Amatrix Christi vulnerum.

Aliud.

Castitatis Lilium Amabat Redemptoris Amore.

Aliud.

Clara nomine,
Luxit opere:
Ardebat charitate,
Rutilabat sanctitate,
Accendebat virgines castitate.

CANTICVM XVIII.

Hymnus de Iesu & Maria, & sanctis patronis Ecclesiæ.

IESV mi dulcissime,
Spes & solamen animæ:
Da mihi te diligere,

Et extra te nil quærere.
Maria sis propitia,
Maria dele vitia:
Succurre nobis miseris,
Defende nos ab inferis.
Agnes virgo mitissima,
Et Christo dulcissima;
Pro tuis ora seruulis,
Vt floreant virtutibus.
O Maria Magdalena,
Audi vota laude plena,
Apud Christum locum istum,
Tuis commenda precibus.
O beata Cecilia,
Deuota Christi famula;
Per tua sacra merita,
Deo nos reconcilia.
Sancte pater Augustine,
Lux doctorum, scriba vitæ:
Pro nobis ora iugiter,
Vt viuamus concorditer;
O beate Hieronyme,
Doctor orbis magnifice;
Ad te clamantes respice,
Et ad superna erige.
Ambrosi doctor nobilis,
Vita, fama laudabilis;
Sacris Christi sermonibus
Nos instrue vberiùs.
O Gregori dulcissime,
Dulci fulgens eloquio;
Perduc nos recto tramite,
Perenni frui gaudio.
Bernarde doctor inclyte,
Amator Iesu feruide;
Deuotos tuos refice,
Panis vitæ dulcedine.
Antoni Christi famule,
Monachorum sanctissime;
A sæuis nos dæmonibus,
Custodi horis omnibus.
Francisce deuotissime,
Pauper & humillime;

Fac nos mundum contemnere,
Et crucem Christi tollere.
O beate Dominice,
Prędicator egregie;
Alumnos tuos instrue,
Disciplinatè viuere,
O Rabode, Lebuine;
Pulchræ rosæ, gemmæ binæ,
Orantibus subuenite,
Portas cæli aperite.
O benignæ, Werenfride,
Hostes nostros prosternite,
Mala procul repellite,
Æterna bona poscite. Amen.

CANTICVM XIX.

Hymnus in transfiguratione Domini.

IESV saluator seculi,
Redemptis ope subueni,
Qui in corpore fragili,
Voluisti transformari.
Lex & prophetę primitus
Prædixerunt diuinitus,
Te in carne aduenturum,
Et pro nobis moriturum.
Beatus venter virginis,
Quæ te fouit in gremio,
Alens sacris vberibus
Iacentem in præsepio.
Baptista præco nobilis
Prædicauit in populis,
Ecce agnus Dei Christus,
Olim promissus patribus.
Quo agnito discipuli,
Petrus, Iacobus, Ioannes,
Relictis rebus seculi,
Iesum sequuntur alacres.
Post hæc in montis vertice,
Orante Iesu intimè,
Transfiguratur cælitus,
Vultus eius pulcherrimus.
Laus, honor, virtus, gloria, &c.

CANTICVM XX.

Hymnus de eodem festo.

CHriste Redemptor omnium
Vera salus credentium,
Audi preces humilium,
Laudes tibi canentium.
Vergente mundi vespere
Processisti de virgine,
Vt radius de sidere,
Verum lumen de lumine,
E sursum pater tonuit,
Eius te fore filium;
Hoc & Ioannes docuit,
Perhibens testimonium.
Infunde nunc pijssime,
Donum cælestis gratiæ;
Vt charitate feruidi
Simus, & intus lucidi.
Largire tuis seruulis,
Hunc diem venerantibus;
Vt tua transformatio,
Gloriæ sit adeptio.
Gloria tibi Trinitas,
Æqualis vna deitas,
Quam laudat cæli curia,
Per infinita secula, Amen.

OPERVM

THOMÆ MALLEOLI

A KEMPIS,

CANONICI

REGVLARIS

ORDINIS D. AVGVSTINI.

Tomus Tertius.

ADMODVM
REVERENDO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO,

D. LEONARDO BETTENIO

Celeberrimi apud S. Trudonem cœnobij, Antisti dignissimo

HENRICVS SOMMALIVS
è Societate IESV, S. D. P.

PRæsul admodum Reuerende, tertius hic Tomus, qui tui nominis auspicijs prodit in lucem, vitas offert quorundam virtute præstantium virorum, quos apprime THOMAS A KEMPIS *nouit. Precor Deum Opt. Maximum, vt authoris labor, item & noster, eius gloriam illustrare, ac complurium salutem promouere possit. Certè religiosis tuæ fidei concreditis, imò & alijs, duplex, vt spero, emolumentum afferet: solatium scilicet quotidianum, si voluerint: & pulcherrimarum virtutum æmulationem. Quos quidem fructus si fuerimus consequuti, abundè labor omnis compensabitur. Vale mi Reuerende atque religiosissime Archimandrita, in annos plurimos. Gandaui, anno 1600. 28. Maij.*

VITA
B. LIDEVVIGIS
VIRGINIS.

Huius B. Lideuuigis virginis nomen diuerso modo à variis scribitur; nunc Lydia, nunc Lideuuigis, nunc verò Liduuina: hic auctor Lideuuigem vt plurimum vocat.

PROLOGVS
IN VITAM
B. LIDEVVIGIS
VIRGINIS.

Religiosis fratribus Canonicis regularibus monasterij S. Elizabeth prope Brielem, in partibus Zelandiæ constitutis: Frater N. pauper peregrinus, orationum vestrarum suffragia humiliter petens.

Dilectissimi in Christo fratres, cùm simus vnius ordinis & regulæ professores, iustum est, vt, secundùm dictum apostoli Iacobi, pro inuicem oremus, & fidem nostram bonis operibus adornemus, atque charitatis vinculum in vera charitate custodiamus. Scire igitur dignetur fraternitas vestra, quòd rogantibus fratribus vestris, libellum de vita sanctæ & patientissimæ Lideuuigis virginis perlegi: & sicut diu desideraßis, eundem breuiori ac planiori stilo compositum, vobis nunc ad legendum ex charitate transmitto. Non agrè capiatis, quòd distuli: nec præsumptiosè deputetis, quod feci: quia ad faciendum, consilium venerabilis

prioris

Prioris vestri accessit, & me animauit. Nam quod imprimis difficile mihi videbatur, Deo iuuante, per orationes vestras tandem ad effectum peruenit.

2. Totam autem materiam libelli in duas partes distinxi, & singulis partibus propria capitula pranotaui. Plura etiam de consilio quorundam religiosorum omisi inserere, quæ fortè quibusdam simplicibus, dubitationem aut quæstionem intricatam, ingerere videbantur. Elegi ergo ex multis, ea potiùs scribere & colligere; quæ mores instruerent, & humilem imitationem legentibus liquidò demonstrarent. Sunt tamen fere omnia omni admiratione digna meam experientiam excedentia, quæ maioribus iudicanda committo. Spero autem, quòd vota humilium, Deo magis & ipsi sanctæ Virgini grata erunt & complacebunt; quàm altiora scrutari, & de secretis Dei insipienter fabulari.

3. Nec moueat aliquem, si interdum Lidia aut Lideuuigis in litera ponitur: quia hoc etiam in alijs Sanctorum gestis inuenitur: sicut Agna pro Agneta, VValburga pro VValburge, congruè dicitur. De Lydia in Actibus Apostolorum legitur, quam Paulus Apostolus ad fidem conuertit & in eius domo hospitium habuit. Nostra autem Lydia, plures religiosos ad colloquendum de diuinis libenter acceptauit: & ab Angelo sancto edocta, gratiam superna consolationis, tribulatis corde sapius intimauit.

LIBER PRIMVS
DE VITA
B. LIDEVVIGIS
VIRGINIS.

INDEX CAPITVM.

DE loco & natiuitate Lideuuigis virginis, & probitate parentum eius. Cap. I.
De deuotione eius ad imaginem B. Virginis. II.
De firmo proposito eius in statu virginitatis. III.
De initio infirmitatis eius, & occasione longæ ægritudinis. IV.
De sententia cuiusdam medici, & miraculoso facto circa eam. V.
De modicitate refectionis eius, per plures annos. VI.

De

De varijs languoribus & doloribus, eam die noctuq; torquẽtibus. VII.
De grauitate febrium, & noua moleſtia in cruce eius. VIII.
De duritia lectuli eius, & frigoribus in hyeme perpeſſis. IX.
De vigilijs eius, & luctamine contra ſomnolentiam. X.
De paupertate & ſuſtinentia patris eius. XI.
De illuſione Satanæ, qui patrem eius in foſſam detruſit. XII.
De obitu patris eius, in profeſto conceptionis B. Mariæ Virginis. XIII.
De obitu Ioannis Petri aui eius, & de longa continentia ipſius. XIV.
De obitu Petronillæ matris eius. XV.
De ſtatu eius poſt mortem matris, & de miſericordia in pauperes. XVI.
De incendio lectuli eius, quod ipſa vna manu abſque læſione extinxit. XVII.
De cineribus in capite ieiunij ab angelo ſibi miniſtratis. XVIII.
De vino in amphora diuinitus procurato. XIX.
De pecunia pro fratre ſuo ſoluta, & in burſa multiplicata. XX.
De armo porcino pauperibus dato, & alio diuinitus recuperato. XXI.
De carnibus & piſcibus, pauperibus miſſis & multiplicatis. XXII.
De viſione cæleſtis menſæ, eleemoſynis pauperum repletæ. XXII.

CAPVT I.

De loco & natiuitate Lideuuigis virginis, & de probitate parentum eius.

1. IN Occidentali plaga Hollandiæ, ſita eſt ciuitas quædam, ab adiacente riuulo Schiedam nuncupata: quam Deus, qui potens & mirabilis eſt in Sanctis ſuis, cuiuſdam ſacræ virginis adornauit mirabili & inaudita patientia. Hæc re & nomine à paſſione multa, Lideuuigis rectè eſt vocitata: quia varijs languoribus flagellata, facta eſt Chriſto cæleſti Sponſo ſuo gratiſsima. Hæc à mundi amatoribus, dum viueret, reputabatur egena & abiecta: ſed à conditore cæli, tanquam pretioſa margarita, de marinis fluctibus eſt electa, & in cæleſti regno cum virginibus ſanctis ſummè prouecta.

2. Huius ortus generoſus, ex militari prodijt parentela: ſed nobilior creuit & ſplenduit, ſuperueniente in ea Spiritus ſancti gratia. Pater eius Petrus dicebatur, qui licèt nobilis eſſet genere ſecundùm ſeculi dignitatem: tamen Deo piè permittente ad tantam deuenit paupertatem, vt tempore Ducis Wilhelmi, filij Alberti Ducis in comitatu Hollandiæ, nocturnas vigilias ciuitatis cuſtodiendo, victum & neceſſaria vitæ quęſitaret, vnde ſe & ſuam familiam competenter ſuſtentaret. Iſte Petrus, cùm ſecundùm communem ſecularium modum, per aliquot annos vitam

in

in multis laboribus simpliciter egisset, accepit vxorem nomine Petronillam, magnæ probitatis & virtutis feminam, suo nomini ac generositati congruentem; quæ, Deo præstante, multorum filiorum germine floruit: ac Deum timendo, domum suam honestè regere studuit. Hæc octo filios, & vnam filiam nomine Lideuuigem, genuit, quam quidam Latini Lidiam nominant; de qua præsens sermo fari gestit, quæ per eam Deus mirabilia coram multis testibus gessit.

3. Cum igitur mater tantorum filiorum, in partu singulorum magnam difficultatem passa fuisset: in huius tamen filiæ natiuitate, nullam ferè sensit grauitatem. Nam in Die Palmarum ingressa ecclesiam, dum sibi tempus pariendi adesse sentiret, cum celeritate domum intrauit: & quasi sine magno dolore, infra lectionem Dominicæ passionis, hanc præelectam filiam parturiuit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecētesimo octogesimo, quintodecimo Kalendas Aprilis, in crastino Gertrudis virginis, tempore Vrbani Papæ sexti, anno Pontificatus eius tertio: præsidente in episcopatu Traiectensi inferiori, Reuerendo Præsule Florentio, tam clero quàm vniuersæ plebi accepto. Nata itaque hæc filia, in ordine filiorum quinto loco; & in Christi baptismate regenerata, nomen accepit Lideuuigis, siue Lidia, à parentibus sibi inditum: verè decus inter filias hominum, ac pudicitiæ speculum: sed Deo ab æterno disponente, facta est in breui deuota speculatrix Dominicæ passionis, atque crucifixo conformis, per multa vulnera corporalis ægritudinis.

CAPVT II.

De deuotione eius ad imaginem Beatæ Virginis.

1 CVm igitur hæc virgo septem vel octo annorum esset, inspirante Deo magnam cœpit habere deuotionem ad imaginem B. Virginis Mariæ, quæ stabat in ecclesia Schiedamēsi. Hanc ferunt ciues illius ciuitatis miraculosè satis procurată, & à quodam eiusdem imaginis opifice, dato pretio exiguo emptam. Is enim ad nundinas Antvverpiam cupiens pergere, & imaginem ibidem cariùs vendere: cùm nauem sumpta secum imagine intrasset, tantæ ponderositatis imago efficitur, vt viginti aut plures viri, nauiculam à littore non possent remouere. His visis stupefacti natuæ, perpenderunt ex præsentia imaginis, difficultatem abducendæ nauis accidisse, & locum mansionis ibidem velle habere. Consilio igitur breui inito, artifex imaginem ciuibus vendidit, qui chorum ei specialem pro reuerentia in ecclesia deputarunt.

2. Postea

2. Postea verò, quandam colligationem fraternitatis, in memoriam beatę & glorioſæ Mariæ ſemper virginis, multi vtriuſque ſexus oppidani confœderati inſtituerunt. Erat autem hæc imago lignea & tantę leuitatis, quòd vir vnus eam de facili portare potuiſſet. Hanc itaque imaginem virgo iuuencula, fratribus ſuis duobus frequentantibus prandium ad ſcholas deferens, antequam domum rediret, eccleſiam deſideranter intrans viſitauit; & eandem per angelicam ſalutationem, prout poterat, deuotè ſtuduit honorare. Et hoc quidem bonum & laudabile initium, in puerili ætate lucebat: quod maioris gratię futuræ, ab annis adoleſcentiæ eius, vſque ad terminum vitæ præſagium erat. Cùm ergo de moroſo reditu à matre corriperetur, reſpondit columba ſine felle, eccleſiam ad ſalutandam beatam virginem ſe intraſſe, illamque ſibi viciſsim arriſiſſe. Quo audito mater eius ſatisfactionem accepit, & benignè contenta ab ea quieuit. Dilecta enim & vnica filia erat, & in opere Dei & laude beatæ Virginis decenter eſt inuenta, nec ob id à ſua deuotione reprimenda.

CAPVT III.

De firmo propoſito eius in ſtatu virginitatis.

1. TRanſactis autem infantiæ annis, cùm pueritiæ æuum ageret, tanta corporis elegantia, animi induſtria, ac cęteris naturæ donis à Deo ipſi collatis cœpit pollere; vt cùm duodennis eſſet, à multis in coniugium peteretur. Ad quod, cùm eam pater ipſius hortaretur, mater nequaquam propter ignorantiam & puerilem ætatem aſſenſit: ſed potiùs diſſuadens, rogauit, ne eam moleſtaret. Tunc ipſa conſtanter patri reſpondit, quòd ad hoc nullo modo poſſet eam inducere: imò ſi alium modum euadendi non inueniret, ſeipſam ita tractaret, quòd nullus eam in matrimonium poſtularet.

2. Quapropter Dominum quotidie rogabat, vt omnem noxium & carnalem amorem de corde ſuo tolleret: quatenus ipſum ſolum Deum ac Dominum ſuum, puro corde & corpore diligere poſſet. Cuius preces & deſideria, pius & miſericors Deus, qui eam ſibi in ſponſam ab æterno elegit, incunctanter exaudiuit: & mira diſpenſatione prouidens in multimoda corporis afflictione, beneplacitum eius adimpleuit, iuxta illud verbi ſancti ſui dictum: Omnem, qui fert fructum, purgabit eum pater meus, vt fructum plus afferat. Terra enim bona erat, florem producens pudicitiæ: ſed ne ſeculi vanitates aut delitię carnis violarent ſigillum virginitatis, Chriſtus eam circumſepſit ſpinis

nis & doloribus grauissimis, vt nullis esset apta coniugalibus thoris.

CAPVT IV.

De initio infirmitatis eius, & occasione longæ ægritudinis.

1. CVm igitur quintum-decimum annum ageret, ne post greges sodalium secularium vagari inciperet; medicus animarum Christus, corporali quadam infirmitate, eam piè pro salute animæ illius visitauit & coercuit; de qua pro parte postea conualuit. Accidit ergo in fine anni quinti-decimi ætatis eius, circa festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, vt inuitata à sodalibus virginibus, cum eis super glaciem induta sandalijs graderetur. Vbi vna de consodalibus eius, cursu rapido super glaciem pergendo, nec gressum figere valens, Lydiam manu apprehẽdit; moxque supra fragmenta glaciei improuisè ipsa cecidit, & grauiter læsa, vnam paruam costam dextri lateris sui confregit.

2. Ex qua fractura, multa ei incommoda prouenerunt & increuerunt. Nam primò quidem apostema durum, circa locum costæ confractæ excreuit: pro cuius curatione licèt parentes eius multa exposuissent, optatam tamen sanitatem eius consequi non valebant. Cùm autem à nemine curari posset, & de loco ad locum, de lecto ad lectum, exigente impetu infirmitatis, frequenter translata fuisset: tandem sexto-decimo ætatis eius anno, in vigilia S. Ioannis Baptistæ, patre eius accedente vt eam consolaretur, ipsa de loco in quo iacebat exiliens, supra genua patris sui incuruata debilis ruit. In quo saltu apostema ruptum est, & sanies copiosè per os eius cum vomitu profluxit: cuius occasione in tantum debilitata fuit, quòd quasi mortua putabatur.

3. Exinde iam cœpit continuis infirmitatibus laborare, in quibus antequam spiritualia saperet, humanas & corporales consolationes necessitate vrgente admittebat; licèt parum valebant, nec miseriam abstergebant. Primo itaque triennio infirmitatis illius, tempore Paschali pro sacra communione ad Ecclesiam ducebatur vel portabatur: & cùm stare vel incedere pedibus non posset, baculo vel scabellulo domi vel foris serpendo vtebatur. Sæpe etiam aquam frigidam de fossa, quamuis turbidam copiosè bibebat: vel ad ignem veniens, calidam vel tepidam ex ollis insumebat, quam tamen stomacho languente statim euomebat. Deficiente ergo humano consilio, & indiscreto regimine crescente, corpus tabescebat: sed anima in vase fictili, per occultam gratiam ad magnum meritum in futuro seruabatur: vt in ea compleretur, quod de beato Iob legitur: Ecce, Satan, in manu tua est; verumtamen animam eius serua.

CA-

CAPVT V.

De sententia cuiusdam medici, & miraculoso facto circa eam.

1. MEdicus quidam de Delft, Magister Andreas nomine visitans eam, parentibus eius quasi prophetando prædicebat, quòd nullo modo sanitatem obtineret, etiamsi multam summam nobilium Anglicorum pro ea exponerẽt. Addidit quoque idem industriosus magister, consolando parentes & cognatos; quòd talia & tanta supernaturalia Deus circa eam esset operaturus, quòd pro tanto pondere auri, ad magnitudinem capitis huius virginis, optaret, quòd ipsa filia sua foret: quia de tali sobole, gaudium maximum habere speraret.

2. Contingit autem in supradicto triennio, virgine in lecto ægra iacente, res satis miraculosa; quam Deus ostendere dignatus est, ad declarationem nominis sui, & ad virginis meritum cognoscendum. Duo viri in ciuitate inter se animo concitati, litigare cœperunt; & vnus alterum euaginato gladio persequebatur, vt eum percutiendo vulneraret aut necaret. Alter igitur eorum perterritus, fugere cœpit in domum & cellulam huius virginis: vt ibi latendo, manus se persequentis euaderet. Quem alius mox insequutus, quærebat à matre eius Petronilla, vtrùm domum suam intrasset. Cui illa, volens saluare mendacio suo fugientem, & à sanguine prohibere persequentem, respondit eum non intrasse. At ille incredulus verbis matris, intrauit ad abdita virginis ægrotantis. Et cum interrogasset, an cellam eius intrasset, respondit confidenter sacra virgo, in Deo spem habens, quòd sic.

3. Super quo responso mater commota, dedit alapam filiæ, tanquam proditionem malitiæ, suæ miseriæ ex incauta locutione superaddidisset. Tunc filia constanter matri respondit: Ego propterea veritatem dixi, quia sperabam, quod veritas occultaret ad se fugientem. Quod & factum est, Deo prouidente. Nam is, qui ad interitum quærebatur, ante oculos persequentis stabat, & penitus non videbatur. Recessit ergo omittens persequi fugientem, ignorans ibi affuisse Dei virtutem. Quo viso, mater eius fidem filiæ suæ, longè magnificentiùs suæ fidei, immo diffidentiæ prætulit: & de cætero ampliori dilectione ad eam afficiebatur, atque benigniùs infirmitates eius cœpit tolerare.

CAPVT

CAPVT VI.

De modicitate refectionis eius, per plures annos.

1 POst hæc in tantum crescebant & multiplicabantur infirmitates eius, vt omnibus viribus corporis destituta, lecto penitus decumberet: ita quòd in spatio triginta trium annorum, ante mortem suam terram non tangeret. Refectio autem eius, post tres primos annos vsque ad decimum-nonum ęgritudinis ipsius annum, fuit ex modico & parco & incredibili satis alimento, pro sustentaculo tam ægerrimæ vitæ humanę. Interdum modicum fragmentum de pomo, supra ignem calefacto: aliquando parum panis, cum modico sorbello ceruisiæ spumantis: quandoque parum dulcis lactis capiebat. Postquam verò talibus vti non poterat præ debilitate corporis, per annos aliquot vsa est in hebdomada media pinta vini puri sine admixtione aliqua; quod tamen postea per aliquot annos oportebat cum aqua misceri. Interdum quoque sumebat modicum de speciebus saccari, vel cinnamomi, vel muscati, vel dactylorum. Sed cùm istis ampliùs vti non poterat edendo vel sorbendo, solam aquam sumebat; scilicet mediam pintam aquæ Mosalis in hebdomada, quæ singulari Dei munere tantam suauitatem ei conferebat, quòd omnem vini saporem excedebat, de quo magnas Deo gratias referebat.

2. Eo etiam tempore hanc gratiam à Deo habuit, quòd solo gustu discernebat inter aquam Mosæ affluentem & defluentem, quando ex illius hausta poculum sibi allatum sumpsit. Fuit quoque multis annis, (quod amplius mirandum est) vt nullo cibo vel potu corporali nec somno vteretur, excepto Corpore Christi, singulari omnium dolorum suorum remedio atque solatio suauissimo, præ omnibus cibis sibi sapidissimo.

CAPVT VII.

De varijs languoribus & doloribus, eam die noctuque torquentibus.

1 COmpletum est in hac virgine, quod de beato Iob legitur: Nocte os meũ doloribus perforatur; & qui comedũt me, non dormiunt; à multitudine eorum, consumitur vestimentum meum. Igitur deficientibus medicorum artibus & ciborum nutrimentis, languores eius quotidie augmentabãtur in peius. Iacebatq; in lectulo tuo virgo miserabiliter afflicta, & corrosa à vermibus, qui de virgineo corpore ex putrefactione orti, carnes

eius

eius comedebant, & tamen nullus fœtor ex eis procedebat. Isti vermes erant grisei coloris, pleni aqua grisea, habentes capita nigra, grossi ad spissitudinem extremæ partis vnius fusi, longi ad mensuram parui articuli digiti humani.

2. Habebat etiam in corpore suo sanctæ Trinitatis discipula, tria magna foramina, ex quorum vno circa ventrem effluebant quandoque vermes prædicti copiosè. Supponebatur autem huic vulneri emplastrum de recenti farina tritici, cum melle permixtum: vt ex tali confectione & alijs pigmentis, vermes innati sugerent, aliàs enim ipsam, vsque ad mortem torsissent. Quar lo autem huiusmodi emplastra propter mutationem auferebantur, remanebant in eis parui grisei vermes cum nigris capitibus, nullum de se fœtorem exhalantes, sed suauitatem odoris intuentibus exhibentes. Erat itaque virgo eadem, ex diuturno & graui vulnere, in inferiori parte corporis putrefacta: & ne sancta eius viscera penitus effluerent, molli quodam operculo foramen infixum obturabant.

3. Accidit tunc temporis, vt famosus medicus ducis Hollandiæ, magister Godefridus de Hagis cum Margareta ducissa, ad hanc virginem causa visitationis veniret, ad perscrutandam causam infirmitatum eius; quatenus si posset, salubre remedium virgini adhiberet. Qui, prout potuit & decuit, visis quibusdam intestinis viscerum eius, de corpore extractis & in pelui receptis, inuenit vermes prædictos ex putrefacta medulla spinæ dorsi eius effluere, & causari putrefactionem illam iudicio naturali, eo quòd nullo salso vteretur. Quo facto, videns se non posse ei in aliquo proficere, iussit intestina iterum in ventrem eius reponi. Dicebat quoque idem medicus, in breui ipsam hydropicam futuram. Incurrit autem hanc hydropysim ferè decem & nouem annis ante mortem suam: in quibus nec cibo, nec potu, nec somno vtebatur. Et sicut nulla alimenta insumebat, sic nec vlla superflua naturæ egerebat.

4. Circa annum Domini millesimum quadringentesimum duodecimum hęc sacra Dei plantula longo doloris sarculo perfossa, ex vehementia infirmitatum suarum, euomuit particulatim pulmonem & hepar cum pluribus intestinis, absque tamen aliquo fœtore, vt probatum est à multis. Nam qui manibus ea attrectabant, ferè per diem suauitatem manibus suis adhærere sentiebant. A quarto-decimo anno vsque ad vigesimum primum, nullo modo per seipsam potuit moueri aut verti; & iacebat ipso septennio & deinceps resupina vsque ad mortem: nec quicquam mouere poterat in corpore suo, excepto capite & brachio sinistro cum scapula eius. Quando autem moueri aut verti solebat in lecto,

lecto, tunc oportebat corpus eius circa scapulas, mappa vel leni fascia colligari, alioqui periclitabatur membratim dissolui.

5. Alias quoque quàm plurimas infirmitates patiebatur virgo Christi, flagellis cincta durissimis; quę non ad perniciem animæ, sed ad maius meritum, sicut beato Iob illi infligebãtur: vt postea tanto capacior atque dignior esset, ad consolationes Angelicas & cæleſtes, quanto angustior & desolatior iacebat in terris. Habuit igitur dolores capitis sępe excessiuos, vsque ad mortem; febres quoque diuersas, vsque ad mortem: hydropisim longam, vsque ad mortem: in tempore pestilentiæ tria apostemata: calculum quoque pergrandem ante mortem, cum quo & mortis debitum soluit. Hæc omnia quàm plurimis annis patientissimè pertulit, vt spiritus in æternum saluus fieret, & cum Christo in paradisi delicijs exultaret. Quanto enim corporales ægritudines in ea abundabant, tanto maior in ea fortis vt mors dilectio Dei & proximi augebatur. Nam ex abundantia charitatis & interni feruoris stimulatione, ausa est quodammodo Dominum prouocare, quatenus super eam miserias & dolores multiplicaret. Cuius preces exaudiens Dominus, cùm duo haberet apostemata in corpore, tertium addidit ei in maxilla.

6. Denique omnibus generalibus infirmitatibus, quibus homines grauari solent, laborauit: quas mirabili & inaudita patiẽtia, pro amore Christi (memor omnium & maiorũ passionum eius) piè tolerauit. Nulla ferè pars corporis fuit, quæ nõ aliqua speciali plagâ doloris contabuit. Siquidẽ in fronte habuit fracturã, vsque ad medium nasi protensam: similiter in labio inferiori & in mẽto, rupturam sanguine coagulatam, vt ex hoc incommodo vix loqui valeret. Dexter oculus eius omnino cæcus erat, sinister verò tam debilis manebat, quòd nullo materiali lumine, nec in die neque in noctibus vti poterat: quin etiam ex qualicũque resplendentia luminis, cruciatum sentiebat. Quapropter continuè in tenebris iacebat, & locum lectuli eius cortina simplex ambiendo obuelabat, vt rarò apertè videretur ab hominibus. Quæ tamen sæpissimè videbat Angelum lucis, ad consolationem suæ maximæ tortionis.

CAPVT VIII.

De grauitate febrium, & noua molestia in crure eius.

1. PAtiebatur hæc rosa Christi longas febres & diuersas; sæpe quartanas, sæpe tertianas, & sæpe quotidianas. Inter quas spinas afflictionum, corpus suum diuinæ mere voluntati & cor-

reptioni tradidit cruciandum: cuius nutu omnia ordinabantur ad bonum animæ eius; & multo meliùs, quàm aliquis hominum præscire potuit aut excogitare. Et quidem tertianas febres, per decem & septem annos & ampliùs sustinebat: quas pro salute & redemptione animarum, libenter vsque ad mortem parata fuit sustinere. Harum febrium accessus talis erat. Nam primò habebat indicibilem calorem, quem indicibilis frigiditas sequebatur. Deinde iterum prædictus calor, & postea frigus intensum redibat: quæ vicissitudo ferè per dimidium annum durabat. Postea verò habebat eandem febrem à contrario. Nam primò cum magno & indicibili frigore, & postea cum valido calore; qui tamdiu durabat donec tempestas penitus cessabat. Cessante autem febre, ita insensibilis permanebat, quòd seipsam ignorans, nec audire nec loqui poterat.

2. Cùm enim sentiret accessum febrium, aptabat se ad exercitia dominicæ passionis, commendans se & suas passiones passioni illius, in quo omnia amara dulcorantur; qui eam per excessum mentis à corporalibus sæpe abstrahebat, quòd nec se nec alia quælibet aduertebat. Durante verò hac febricitate, rubeam quandam aquam per os emittebat: de qua interrogata, vnde talis materia proueniret, cùm nec cibum nec potum sumeret; ita per quæstionem respondit, Dicite mihi, vnde tantus humor in vite prouenit, quæ tempore hyemali arida & quasi mortua apparet? Confortabatur autem valde virgo Christi in corpore tam debili, ex bona meditatione de Deo assumpta: & multo plus inde reficiebatur, quàm aliquis ex precioſissimis cibis. Et nisi hominum præsentia & infirmitates suæ eam impediuissent, non fuisset mirata, si propter abundantiam diuinæ gratiæ, per singulos menses, in corpore vltra capacitatem vasis Hamburgensis carnes enutrisset.

3. Quodam etiam tempore ante caput ieiunij, ludentibus hominibus in platea circa cellulam eius, multum de istis vanitatibus doluit: orauitque Dominum, vt si ipsi placitum foret de ea, vel si ipse, quæ patiebatur circa eam operaretur, hoc sibi per nouæ ægritudinis signum ostendere dignaretur. Cuius orationes Dominus exaudiens, tradidit ei in vno crure nouam molestiæ pœnam. Quo quidem incommodo, vsque ad proximum Pascha, tam grauiter vexata fuit, quòd propriæ infirmitatis conscia, non audebat ampliùs petere infirmitatum suarum augmenta: solebat tamen dicere in quotidianis infirmitatibus suis, quibusdam sibi familiariter astantibus; quòd adhuc eas libenter vellet sustinere quadraginta annis, imò & vsque ad finem mundi, pro conuersione cuiuslibet peccatoris: aut pro liberatione cuiuscumque

animæ

animæ fidelis ex purgatorij pœnis. Licet autem tantis grauabatur infirmitatibus, plenos tamen retinebat sensus, ac viuacem rationem & memoriam: ita quòd multis de longinquis partibus consilij gratia eam visitantibus, solatium tam in spiritualibus quàm etiam in corporalibus necessitatibus, medicinam impenderet. Multas quoque feminas in partu grauatas, pia compassione & consilij auxilio, releuabat. Inter hæc dona diuinitus concessa non inflabatur, nec de sua in futuro gloria magnificè præsumebat: sed in humilitate cor deprimens, cuncta onera patientissimè in charitate ferebat, & quasi post hanc vitã purgatorium passura esset, timebat. Tantam autem gratiam apud Deum promeruit, quòd S. Angeli vestigia eorum numerabant, qui causa deuotionis ipsam visitabant. Quapropter consolabatur se visitãtes, qui nonnunquam ex itineris lassitudine conquerebantur; quatenus de sua fatigatione non dolerent, quia Deus eis præmium bonum pro labore redderet.

CAPVT IX.

De duritia lectuli eius, & frigoribus in hyeme perpessis.

1. DOminus & Saluator noster Iesus Christus, S. Ioannẽ Bap. inter multas virtutes, de aspera veste & abstinentia recõmendans, hoc etiam intulit: *Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Hæc autem virgo non in aula regis nutrita est, sed in domo paterna, diu varijs & grauibus languoribus pressa; modico lectulo de plumis, infirmitate nimia cogente, ad tẽpus vtebatur: non vt carnem per mollitiem foueret, sed vt naturæ debilitatem paululum ad seruiendum spiritui sustentaret. Sed cum præ multitudine vulnerum, stratum de plumis ferre nõ posset (eo quòd plumæ ex humore indurate iacentẽ premerent) ablato lectuli commodo, ad tempus super nuda stramina iacuit: etiam per triennium nudo dorso super durum asserem de fundo dolij sumptum durè quieuit. Iacẽs ergo super vilia stramina virgo paupercula, mendici & pauperis Lazari soror vlceribus plena: reliquit lectulum suum filio fratris sui ac filiæ ad quiescendum; qui die noctuque mutua charitate per successum temporis sibi in necessitatibus seruiebant.

2. Circa annũ Domini 1408. tam validum frigus toto tẽpore hyemis per mũdũ inhorruit, quòd lõgitudine & acerbitate homines plus solito afflixit, ac herbas terræ & pisces sub aquis extinxit. In hac durissima hyeme ægerrima Christi vernula, vulneribus saucia, ex vehemẽti frigore & nuditate frequenter in tantũ obriguit, vt mẽbra eius nigrescerẽt, & oculorũ lachrymæ congelarent,

ita quòd videre non poterat, nisi igne adhibito resoluerẽtur. Sed & alia quàm plurima incommoda tunc temporis sustinuit à facie frigoris, vix sanis toleranda: quæ, nisi author naturæ eam supernaturaliter rexisset & præseruasset, indubitanter vitam amisisset. In quibus omnibus tã multis miserijs & indigentijs proprijs cõcurrentibus, sicut benigna mater & misericors alumna, aliorum pauperũ semper memor extitit, sibi de necessitatibus suis subtrahens, vt illorum egestatibus subueniret. Attamen diuites huius seculi, qui in delitijs viuunt, & in opibus multis ad perniciem animarum suarum exultant, eius penitus obliti sunt, nec manus adiutrices ægrotanti pauperculæ porrexerunt. Multi etiam ignorantes sanctitatem eius, spreuerunt eam; & velut amentem reputantes, deriserunt mentales raptus illius. Tũc impletum est de ea, quod per beatum Iob legitur: Deridetur enim iusti simplicitas, & lampas contempta apud cogitationes diuitum.

CAPVT X.

De vigilijs eius & luctamine contra somnolentiam.

1. MIrabile valde & quasi incredibile multis videtur, quomodo potuit in tot pœnis & miserijs caro infirma durare; quæ nec cibo, nec potu, neque somno tanto tempore fouebatur. Sed si virtus diuina attenditur, quæ de impossibilibus possibilia facit, omnia sufferre virgo potuit in eo, qui eam confortauit: quia quod vltra naturam est, Deo authore natum est. Testes sunt multi martyres & virgines flammis iniecti, qui Deo disponente & protegente, non solùm in tormentis bene patientes, sed etiã gaudentes inuenti sunt: & quod amplius est, inter verbera, gladios, & ignes, manserunt illæsi. Non est ergo abbreuiata manus Domini, neque brachium. Omnipotentis inualidum ad saluandum sperantes in se: sed in omni loco & tempore, propè est Dominus inuocantibus & diligentibus eum in veritate.

2. Agnoscatur igitur in hac infirma famula Dei operata diuinitas, & desinat diffidere humana imbecillitas; quæ dum proprijs opinionibus per rationes naturales innititur, in sua inuestigatione plerũque deficit & excæcatur. Necesse est enim naturalia silere, dum diuina loquuntur: & terrena succumbere, cùm cælestia tractantur. Ista igitur virgo iacens diutissimè in lectulo doloris, non est oblita sui creatoris: sed memor nominis Domini, die ac nocte dedit se feruenter ad sacras meditationes & orationes, & præcipuè tempore diuini officij & summæ Missæ celebrationis. Vnde, quàm fortiter contra somnolentiam certauit & vicit, dignum est dicere & iucundum audire.

3. Mos

3. Mos multorum hominum esse solet, vt de somnolentia, tẽpore diuini officij, magis tententur, siue ex propria fragilitate, siue ex diaboli suggestione, qui semper nititur humanæ saluti & deuotis orationibus aduersari. Cùm ergo Christi discipula docta sæpius orare, plus solito sentiret spiritu pigritiæ & somnolentiæ tempore diuini officij se grauari & tentari; licet valde parũ tunc temporis dormire solebat: grauiter tamen super huiusmodi tentatione corporis intra se doluit, nec ei consentire audebat. Timẽs ergo confessor eius periculum illi imminere, si non dormiret, suasit ei obtentu salutis, ne amplius sopori resisteret: sed in quacumque festiuitate adueniente, quocumque tempore vel hora, ad dormiendum se aptaret.

4. In quadam itaque festiuitate Paschali, cùm eadem tẽtatio sub Missa grauiter eam infestaret, ipsa memor Dei, violentissimè somnolentiæ resistebat, iuxta quod scriptum est: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Peracta igitur vna hac victoria de somnolẽtia, ita contra eam diuinitus est roborata, vt de cætero vsque ad mortem nec dormierit, nec de somnolentia tentata fuerit. Sicut enim Angeli sancti resistendo primę tentationi superbiæ in gratia confirmati sunt, & consentientes de cęlo proiecti: ita huic victorioſę virgini datum est donum inuiolabilis fortitudinis in vigilijs multis, & in plagis supra modum eam affligentibus, quibus probata fuit, sicut aurum probatur in fornace ardenti.

CAPVT XI.

De paupertate & sustinentia patris eius.

1. HVius sacræ virginis pater, Petrus Ioannis supra memoratus, licet ad tantam paupertatẽ venisset, vt vigilias noctis in ciuitate custodiendo vitæ necessaria laboriosè procuraret; tamen ita honestus & conscientiosus fuit, quòd in egestate sua nolebat eleemosynas filiæ suæ deuorare, dicens eas peccata hominũ fore. Idcirco voluit & suasit dilectæ filiæ suæ, vt ipsa oblatis pro Deo vteretur, & in pios expenderet vsus. Accidit igitur in illa prædicta vali la hyeme, vt ex nocturnis vigilijs nimio frigore membra eius stringerentur, & contractionem maioris pedicæ in dextro pede reportaret. In quo quidem casu probitas viri notatur; quia maluit rigorem frigoris potius sustinere, & de labore vigiliarum se sustentare; quàm pauperum eleemosynas consumere. Scriptum est enim: Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

2. Eodem tempore dux VVilhelmus, cũ Domina Margareta Ducissa & multa comitatiua, ciuitatẽ Sciedamensem intrauit: &

percepta paupertate Petri clarissimi viri de genere militari, pia compassione motus, propter reuerentiam sanctitatis filiæ eius, iussit eidem, vt à se fiducialiter peteret, quantum ipsi pro annuis expensis & necessitatibus sufficere æstimaret. Qui simpliciter respondens, duodecim coronatos Franciæ postulauit. Miratus dux ipse modestiã petentis, iussit ei singulis annis eosdẽ coronatos dari, asserens etiam se paratum duplicatos tribuere, ne tantæ penuriæ diutius subiaceret. Qui primò quidem fideliter soluti sunt: sed postea tepidiùs ei dati, quia gratia humana citò deficit in donando. Beatus ergo homo, qui thesaurũ habet in cælo. Accepta autem eleemosyna à præfato Duce VVilhelmo, Petrus ex beneficio collato non elatus, sed Deo gratus, visitabat sedulò ecclesiam, deuotis orationibus, prout meliùs poterat, intentus, victu quotidiano ac vestitu moderato peroptimè contentus.

CAPVT XII.

De illusione Satanæ, qui patrem eius in fossam detrusit.

1. CVmque deuotus iste Petrus præ senio tãtæ debilitatis esset, quòd vix incedere valeret, qui leui occasione frequenter cadendo læsus domum rediret; non tamen propter læsuras & lapsus, à visitatione ecclesiæ abstinuit: sed quasi iuuenilem ætatem habens, etiam contra voluntatem filiæ suæ, feruenti deuotione attractus templum Dei visitauit. Solicita enim erat filia sancta de paterna salute, plus dolens & metuens de eius periculo, quàm de propriæ ægritudinis flagello.

2. Quadam igitur vice in vigilia Pentecostes egressus, vt audiret vesperas, obuium habuit diabolũ in specie hominis sibi noti apparentis, prout aforis videbatur. Qui decipere simplicem volens, inuitauit vt paululum extra ciuitatem pariter irent spatiatum, quasi satis tempestiuè redirent ad horam vespertinam. Cũque ille ignorans, quòd Satanas esset, suadenti consentiret, venerũt simul extra portam ciuitatis ad locum Damlaen nominatum. Mox dæmon fraudis suæ nequitias aperiens, subitò in Petrum irruit, & ipso nec vidente nec sentiente, in fossam proiecit & disparuit. Vbi cùm mergi inciperet, & qui adiuuaret non adesset: diuina prouidentia quidam aurigarius ei notus, præter consuetudinem suam eadem via cum curru de agro venit, intrare volens ciuitatem: viditque Petrum in fossa iacentem, & in nullo seipsum iuuare valentem. Qui misericordia motus, statim illum de luto extraxit; & currui suo læsum imponens, in ciuitatem saluum reuexit. Statimque rumor falsus inopinatè aures cunctorum inuasit, quasi Petrus submersus esset & mortuus. Quæ res aures

filiæ

filiæ eius in tantum contristauit, quòd postea eandem vigiliã ob miseriam patris sui, non sine graui mærore recordari poterat. Æstimauit enim hostis dolosus grandem se cladem virgini intulisse, si super dolorem vulnerum eius dolorem patris eius addidisset. Sed adiutor in tribulationibus Deus ac mœrentium consolator, in breui tempore laborem patris conuertit in requiem, mœrorem in gaudium, inopiam in diuitias cælestes. Nam per B. Virginem consolatus, felici ac celeri fine, de huius sæculi ærumnis & diaboli dolis est ereptus.

CAPVT XIII.

De obitu patris eius, in profesto Conceptionis beatæ Mariæ Virginis.

1. INte paucos dies conceptionis B. Mariæ Virginis, præsciuit deuota virgo Lidia filia Petri, ex hoc mũdo patrẽ suum migraturum. Dicebat namque se à patre suo secretiùs audiuisse, quòd B. Virgo Maria fœdus societatis cum eo inierat; atque spopondisse, quòd eum circa hanc festiuitatem, de presenti sæculo vocaret. Quod & ita factum est, sicut prædixit. Præmonuit ergo virgo fidelissima Dominum Ioannem presbyterum, qui ad eam consilij gratia aduenerat, vt eodem die ad locum in Ouderschie ad celebrãdum iter arriperet; ne in crastina die circa funus paternum aliqua negligentia contingeret. Post hæc verba, mors patris in profesto Conceptionis B. Virginis subsecuta est, secundùm visionem & Prophetiam priùs reuelatam.

2. Post cuius mortem, cùm virgo paternæ præsentiæ solatio temporali viduata, de salute patris fuisset solicita & certificata; peruersi dæmones omnium bonorum inimici, quandoque eam in tantum contristauerunt, asserentes quòd patrem eius secum in statu damnationis haberent. Quapropter ipsa inconsolabiliter flere cœpit, quasi verum fuisset, quod à dæmonibus audierat. Vnde & à domesticis interrogata, cur in tantum lachrymaretur, respondit: Ego scio, quòd cum patre meo valde bene agitur, & tamen dæmones dicunt, quòd sit damnatus. Quadam igitur vice, cum ab Angelo sancto ad amœna paradisi gaudia duceretur, dæmones iter eius obsidentes, quendam dæmonem transfiguratum in similitudinem patris eius illudentes & affligentes, ostendebant ei dicentes: Eia eia, ecce habemus patrem tuum. Tunc illa cognoscens factum diabolicum, esse illusionem vanam non veritatem, dicebat non hunc fore patrem suum. Statimque illis vt fumus euanescentibus, virgo Angelo duce iter suum læta perficiebat.

CAPVT XIV.

De obitu Ioannis Petri aui eius, & longa continentia eiusdem.

1. NOn est silendum de probitate & continentia Ioānis Petri qui fuit auus huius virginis, & genitor patris eius, ad laudem Dei & dignitatem bonæ propaginis exaltandā. Iste igitur Ioannes Petri laudabilis famæ & vitæ, post obitum vxoris suæ, plusquam quinquaginta annis in viduitate permansit, donec ferè nonagenarius senescceret. Tantam autem continentiam & abstinentiam exercuit, vt coniuge defuncta, tanquam solitarius turtur & castitatis amator, mulierem nunquam cognoscceret. Insuper pro conseruatione cælibis vitæ, bis per hebdomadam in pane & aqua ieiunauit; & semel tantùm in hebdomada, dominica scilicet die, in prandio carnibus vescebatur.

2. In cuius morte cernens Satanas insidiator malignus, quòd ei appropinquare non posset; tam magnum tumultum in alijs partibus domus suscitauit, vt vasa testea frangerentur; absque tamen detrimento & effusione butyri, quod in vno vase testeo conseruabatur. Nec mirum, si fidelissimo famulo Christi, diabolus insidiari ac nocere ausus sit; qui Christo ieiunanti molestias tentationum intulit, à quo tamen victus & confusus abscessit, quia omnipotentem fraudulentus decipere non valuit. Et sicut Angeli sancti, post recessum tentationis à Christum accesserunt: ita piè credendū est, animā Ioannis Petri ab Angelis custoditam: & ad Christum, cui in vita seruiuit, post mortē carnis feliciter esse perductam.

CAPVT XV.

De morte Petronillæ matris eius.

1. COngruum etiam videtur inserere paginæ præsenti, obitum nobilis feminæ Petronillæ, matris huius virginis sanctæ; atque nobilibus viris, legitimo ordine virtutis, feminam associare. Transactis igitur octo annis, ab exordio ægritudinis Lideuuigis virginis, mater eius Petronilla, ægre filiæ in multis obsequiosa, etiam in ægritudinem corporis incidit: de qua, sicut vna ex filiabus Euæ, mortua est. Cùm igitur morti appropinquaret, & suam imperfectionem attendens, minùs iustè se vixisse conquereretur; petijt à dilecta filia, (quàm Deo placitā & dilectam nouerat) vt suis meritis & intercessionibus sibi defunctæ subueniret. Ipsa verò omnem cogitatum suum & spem in Domino

no iactans dicebat; quòd libenter vellet mori, in tantum suę optioni renuntians, quòd nollet, quòd minimus vermiculus pro ea mori deberet.

2. Quo audito, sancta & fidelis filia compuncta, & matri cordialiter compassa, hortabatur eam sacris verbis, de bonitate Dei confidere: quatenus flagellum Domini & mortem cunctis ineuitabilem, patienter ferret. Et ideo pro subuentione eius, libentissimè eidem obtulit & ex integro resignauit, quicquid huc vsque boni meritorij in exercitijs virtutum, in laboribus ac patientiæ tolerantia, consecuta fuisset. Hæc cum mater eius audiuisset, & gratanter accepisset, in Dei misericordia confisa, creatoris sui manibus se commendauit. Ipsa autem virgo per omnia matri suę fidelis vsque ad mortem permanens, & quid iam egerit considerans, & quasi omnibus bonis operibus prioribus euacuatã se putans; iterum ad inchoandam nouam pœnitentiam, duro & lato se cingulo cilicino accinxit; nouum dolorem adijciens veteri dolori: vt Deus propitius sibi fieret, & cuilibet animæ fideli. Sed post aliquot annos virgo accincta cilicio, propter corporis sui humores hydropicos, primo cingulo ex vetustate satis corrupto, rursum alio nouo, & successiuè alijs pluribus propter attritionem depositis, forti zelo accingitur, donec cum vltimo ex hac vita migraret.

CAPVT XVI.

De statu eius post mortem matris, & de misericordia in pauperes.

1. POst mortem matris, virgo memor maternæ pietatis, ad soluendum debitum filialis dilectionis, talentũ sibi creditũ nõ fodit in terram: sed pauca clenodia argentea, & alia quælibet domus vtensilia, à matre sibi ad vsum relicta; propter instantem necessitatem minùs digno pretio vendidit, atque pretium pecunię inde sumptum, tam largifluè pauperibus distribuit, quòd ad extremam paupertatem refocillatrix miserorum deueniret.

2. Illa etiam, quæ à fidelibus in eleemosynam recipiebat, tanta hilaritate pauperibus transmittebat, ac si de rebus temporalibus nihil curare videretur. Proinde ex pecunijs habitis & pro necessitatibus expositis, mittebat diuersis egentibus panes, carnes, pisces assos, & caseos: atque potum cereuisiæ cum amphora, quam pia mater sibi reliquerat: & si quid amplius à Deo concessum fuerat, fideliter erogabat. Et cùm hæc per familiares mitteret, ipsa interim deuotis orationibus vacabat, gratias agens bonorum omnium largitori, qui aliquid sibi in vsus pauperum concesserat.

CAPVT

CAPVT XVII.

De incendio lectuli eius, quod ipsa vna manu absque lesione extinxit.

1. QVadam vice frater huius virginis, qui post patrem eius vigilias noctis etiam obseruabat, candelam ardentem secus caput lectuli eius, in altiori loco anguli posuit, & foras abijt. Quæ decidens in stramina, magnam partem lectuli combussit, ipsa verò operta facie deuotioni solitæ vacabat.

2. Tandem ad se reuersa, apertis oculis videns se in medio incendij positam, & neminem adesse qui extingueret, sinistra manu omnem ignem absque læsione manus Deo iuuante extinxit: mirantibus cunctis, qui manè ingressi ad eam, videbant quæ facta fuerant in vstione lectuli, virgine illęsa manente. Non tamen ipsa tunc temporis lecto vtebatur, sed filij fratris sui obsequio eius dediti: nam ipsa in straminibus ægra iacebat.

CAPVT XVIII.

De cineribus, in capite ieiunij ab Angelo sibi ministratis.

1. SOlebat virgo deuotissima, more aliorum Christi fidelium, feria quarta in capite ieiunij benedictos cineres humili reuerentia de manu confessoris sui suscipere: quos ille ab ecclesia tollens, ad signandum eam secum deferebat. Quodam igitur quadragesimali tempore, instante feria quarta die cinerum, confessor eius ingressus ad eam, interrogauit, an vellet secum ab ecclesia cineres deportare.

2. Respondit virgo dicens: Potest bonum esse, quod ita facia-tis: veruntamen Dominus mihi prouidit de cineribus. Angelus enim Domini paulo ante apud eam fuerat, & cineribus frontem eius signauerat. Sed vt confessor eius de his certificaretur, illa apprehensa manu eius, posuit eam super cineres, vt eos tangeret, & ille manifestè sensit sic esse. Insuper vt tãtæ gratiæ particeps fieret, frontem suam fronti eius ipsa iubente, permisisinè applicauit. Docebat quoque eam Angelus Domini, quòd suscipientes sacros cineres, cum lumine & cruce eos susciperent; scilicet, ardentem cereum cum cruce in denario ad altare ferendo, in signum, quòd semetipsos cum lumine fidei, per veram subiectionem & mortificationem, Deo offerrent.

CAPVT

CAPVT XIX.

De vino in amphora diuinitus procurato.

1. FEmina quædã paupercula, & morbo caduco grauata, ostiatim potum mendicabat. Quam cùm omnes, præ horrore infirmitatis illius vitarent, & ostia sua clauderent: virgo clemens & nullum miserum abhorrẽs, percepta calamitate eius iussit appropinquantem domui suæ ad se vocari, & mendicam introduci. Ingressa igitur ad virginem, petijt potum in eleemosynam. Tũc virgo ægrota, compatiens pauperculæ petenti, cùm non haberet, quod in promptu melius daret, iussit vt amphoram vinariam super asserem stantem caperet & potaret. Accipe (inquit) filia amphoram illam, & quod in ea fuerit ebibe vinum. Quo hausto, cùm adhuc amplius sitibunda peteret, respondit virgo se nescire quicquam liquoris amplius in domo fore. Sed ne tristis & insatiata recederet, dedit ei vnum denarium, vt potum venalem cum eo emeret.

2. Post hæc vespera appropinquante, cœperunt labia virginis præ siti desiccari. Petebat ergo à patre suo adhuc viuente, vt modicum vini ad refrigerandam ariditatem sitis sibi afferret. Quo respondente, libenter: cùm amphoram prædictã tangeret, vt petitionem filiæ perficeret, protinus se vino perfudit, quod diuino nutu in ea procuratum fuit. Sicque pro modico, quod pauperi in necessitate gratanter dedit, multum melius & largius à Deo recepit. Hæc cùm pater filiæ retulisset, illa admirans, gratias Domino corde tenus egit. Erat autem hoc vinum rubicundum, & ita bene temperatum, quòd non indiguit cum aqua illud miscere, quemadmodum in altero vino facere consueuit. Durabat verò hoc vinum à festo Remigij, vsque circa festum conceptionis B. Mariæ Virginis.

3. Quo tempore, intrabat ad eam quædam honesta matrona, nomine Catharina Simonis, quæ solebat ei ex speciali deuotione, vinum procurare. Hæc ignara mysterij de vino à Deo donato, volens melius & recens afferre, quasi fastidiens de nimia vetustate, vim illius remanẽtis totum effudit: & sic non est ampliùs vsa illa cælesti benedictione. Dicebat tamen virgo prędictę Catharinæ, amatrici suæ, ante effusionem vini, hoc vinum satis esse conueniens, & sufficere sibi, nec vnquam simile priùs gustasse. Istud signum gratiæ factum est apud eam, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, cùm adhuc in hebdomada media pinta vini vteretur.

CAPVT

CAPVT XX.

De pecunia pro fratre suo soluta, & in bursa multiplicata.

1. POsthæc, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, frater huius virginis VVilhelmus Petri defunctus est: & reliquit debita quędam, quæ filij eius persoluere nequibant. Quòd cùm virgo clementissima percepisset, venditis clenodijs ex hæreditate matris sibi relictis, ad octo libras Hollandiæ pretium collegit; & in denarios vnius monetæ, quos meliùs cognoscebat, permutari fecit, ac in bursa penes se collocauit. Quodam igitur die aduesperascente, aduocauit Nicolaum cognatum suum secum commorantem; misitque per manum eius, ad soluendum singulis debitoribus debita fraterna, vbi eos sciebat commorari. Persolutis itaque debitis omnibus, quæ nouerat persoluęda, iussit Nicolao, vt bursam inspiceret, si quid in ea remansisset. Qui certissimè respondit, multam pecuniam in ea remansisse. Mox illa iussit, vt eandem numeraret. Cumque numerasset, dixit: Priores octo libras se inuenisse, & adhuc superesse. Tunc prohibuit eum amplius numerare; & gratias agens Deo super mirabili dono eius, de cætero statuit bursam illam bursam Iesu nominari, & quòd ex ea pauperibus debeant necessaria dari.

2. Ex hac ergo liberaliter egentibus distribuebat, quãdo alias pecunias non habebat. Si vero interdũ aliquas pecunias vel proprias vel per eleemosynas susceptas habebat, illas primitus dabat: quando autem alias non habebat, ex hac bursa Iesu tam largè erogabat, quòd parum in ea remansit. Prouidebat tamen omnipotentis Dei misericordia, quòd semper ad vsum pauperum, omnis sufficientia in ea redundaret: quemadmodum ad verbũ Eliæ, lecythus olei in domo viduę non deficiebat. Tradidit etiam nonnunquam alicui ex specialibus amicis suis hanc pecuniam numerandam, qui cum secundò vel tertiò eam numerasset, inuenit semper eandem vltra tres vel quatuor aut quinque nummos creuisse. Solutis igitur ex hac bursa fratris sui debitis, plusquã quadraginta libras ex eadem distribuit, sicut aliquibus secretissimis amicis suis reuelauit. Per hoc autem miraculum Deus manifestè innotuit, vt firmam fidem computator haberet in donis Dei, quæ circa eam fiebant.

CAPVT

CAPVT XXI.

De armo porcino, pauperibus dato, & de alio diuinitus recuperato.

1. PIa & misericors virgo Lideuuigis, dum quadam vice percepisset aliquos pauperes longo tempore præ inopia carnes non manducasse: & quia pro tunc non habebat carnes, quas daret, misit ad domum cuiusdam amici sui, petens vt armum porcinum bulliret, & sibi transmitteret. Quod ille libenter fecit, & transmisit. Ipsa verò carnes paratas & coctas in partes diuisit, & prædictis pauperibus, quos indigentes nouerat, sine tardatione destinauit.

2. Sed omnipotens & misericors Deus, qui nouit corda omnium, & nullum bonum relinquit irremuneratum, celerem vicissitudinem reddidit charitati huius benefactoris, etiam in præsenti. Nam ingressus domum suam, cùm casu sursum ad carnes pendentes aspiceret, vidit (quod dictu mirabile est) in loco armi ablati, & virgini pro refectione pauperum transmissi, aliũ meliorem & pulchriorem pendentem. Quod multi audientes, gratias omnipotenti Deo retulerunt; & in posterum ad eam magis affectati sunt, libenter tribuentes, quæ virgo ad esum pauperum ex lacticinijs ab eis postulabat.

CAPVT XXII.

De carnibus & pisis pauperibus missis & multiplicatis.

1. SImiliter contigit tempore quodam in autumno, vt virgo quartam partem iunioris vaccæ emptam, in quarta parte vasis faceret saliri: sed & mediam partem cuiusdam mensuræ pisarum, pro necessitate pauperum procurauit; volens ex his tẽpore hyemali, quibusdam egenis domi residentibus subuenire. Cùm ergo ex prædictis carnibus misisset ad triginta sex ferè domos egenorum, reuersus ad eam nuntius aiebat, se cum admiratione tantum distribuisse, quantum primò in vase salierat, & adhuc parum diminutum esse. Simili modo de pisis fecerat, quæ & valde parum minorata videbantur. Quo audito, virgo magnam Dei bonitatem considerans, & gratias agens cælesti prouisori suo, ait nuntio: O quàm magna est potentia Domini Dei nostri? O quã merito libenter pauperibus eleemosynas dare deberemus? De prædictis autem carnibus & pisis comedebant etiam omnes, qui in domo eius erant. In tantum Dominus præfatis cibarijs benedixerat, quòd peracto Pascha, quasi media pars eorum supermanserat.

2. Tota

2. Tota autem hyeme, iussit semel aut bis in hebdomada, magnam ollam cum pisis preparari & coqui, & ex ea cum prædictis carnibus pauperibus distribui. Imitans exemplum Eliseï prophetæ, qui filijs prophetarum præcepit pulmentarium in olla pararí. Rarò autem alicui ex his aliquid mittebat, nisi denariũ paruũ vel magnum adderet, si tamen cum habere poterat. Sed nec panem dabat, nisi superadderet aliquod ferculum cum pane sumendum: vel pecuniam ad condimentum cibi emendum. Et non solùm pauperibus, sed etiam diuitibus, quando petebant, eleemosynis suis ex charitate subueniebat. Longum est dicere per singula, quæ larga manu, prout habere poterat, infirmis, debilibus, viris, ac feminis puerperis tribuebat.

CAPVT XXIII.

De visione cælestis mensæ eleemosynis pauperum repletæ.

1. SEd quantũ placuerunt Deo eleemosynæ huius virginis, cælesti quadam visione reuelatum est ei positæ in excessu mẽtis. Vnde cùm raperetur in paradisum, videbat frequenter primò mensas collocari, ac viridibus & sericis mappis operiri: Deinde eleemosynas suas, quasi de cælestibus depositas, super mensas easdem reponi; nec tamen aliquando minui, sed potiùs augeri. Potum verò, quem in amphoris lapideis solebat largi, videbat in amphoris ad modum crystalli perlucidis ibidem præsentari. Pisces quoque assos, pro nepte sua Petronilla defuncta datos similiter apponi.

2. Videbat etiam glorioſum conuentum beatorum, singulos in ordine suo per gradus distinctos, quasi causa refectionis ad mensam in tempore debito procedere: atque presbyteros calices erectos tenere, & cæteros secundùm dignitatem suam armaturas congruas deferre. Se quoque interdum assistere & ministrare, vel vescentibus considere, potũ assistentibus & sibi ministrari: Omnes autem ineffabili gaudio ac iubilo repleri, super tanta charitate sibi per eam exhibita. Si quando in mensis illis nihil videbat de sua largitione repræsentari, stabat vehementer confusa; quasi singuli suas particulas apportassent, ipsa autem nihil intulisset. Vnde tam pro gloria eleemosynarum augenda, quàm pro confusione illata, festinabat deinceps eleemosynas augmentare.

3. Nonnunquam verò Angelus ductor suus ad quandam separatam & speciosam cellam eam ducebat, in qua refectionem suam ei ministrabat. Hãc refectionem etsi ineffabilem sentiebat, tamen prout exprimere poterat, cæleste quoddam & diuinum lumen esse dicebat, quo diuinitus reficiebatur & inebriabatur. Interdum etiam precibus ab Angelo obtinebat, vt aliquem ex fami-

familiaribus & dilectis sibi, ad ista sapienda assumere posset: qui etsi aliquid tale in somnis speculando sentirent circa se actitari, longè tamen alio & inferiori modo, quàm circa ipsam, talia fiebant.

LIBER SECVNDVS.

CAPITA.

De initio spiritualium consolationum eius, per recordationem Dominicæ passionis. Cap. I

De raptu eius in terram sanctam, & ad sacra loca vrbis Romanæ. II

De mirabili claritate & suauitate, intra cellam eius apparentibus. III.

De visione in nocte dominicæ Natiuitatis, & vbertate lactis in vberibus eius. IV

De virga cypressina, quam ei Angelus attulit de paradiso. V

De priuatione Angelicæ claritatis, ob præsentiam alterius in cella eius latentis. VI

De raptu eius ad loca purgatorij, & ad gaudia paradisi: vnde sertum, à beata virgine sibi datum, reportauit. VII

De corona gloriosa sibi præparata, propter vituperia & vulnera, à Picardis sibi inflicta. VIII

De patientia & morte Petronillæ, neptis huius virginis. IX

De subtractione consolationis diuinæ, quam virgo incurrebat, ob tristitiam neptis defunctæ. X

De deuoto iuuene Gerardo eremita facto, & peregrinis eum visitantibus. XI

De felici obitu Domini VVermboldi presbyteri, huius virginis fidelis amici. XII

De diuersis raptibus eius, & cognitione de statu quorundam religiosorum. XIII

De apparitione & cognitione Angelicæ claritatis circa eam. XIV

De mirabili modo internæ commotionis, ante raptum spiritus eius. XV.

De spiritu prophetiæ eius, quo multa secreta alijs reuelauit. XVI

De quodam sacrista defuncto, & alijs pluribus defunctis. XVII

De cautela & circumspectione eius, circa reuelationem statuum defunctorum. XVIII

De tentatione cuiusdam viri, consilio virginis à laqueo diaboli liberati. XIX

De femina meritis beatæ Mariæ virginis, à fouea desperationis liberata. XX

De

De gratia magna compunctionis, & larga effusione lachrymarum, in communicatione corporis Christi. XXI
De insatiabili desiderio eius ad communicandum sæpius, & apparitione pueri crucifixi. XXII
De febre Balduini pueri, & domini Ioannis confessoris eius. XXIII
De dolore calculi eius, & præscientia ante diem obitus sui. XXIV
De gratia in nocte Paschali, & prophetia mortis eius. XXV
De felici obitu eius, & doloribus in extremis. XXVI
De mirabili dispositione brachiorum eius, & inuolutione corporis. XXVII.
De mirabili decore & aspectu vultus eius. XXVIII
De concursu visitantium corpus eius defunctum. XXIX
De maculis, quas contraxit, ex contactu immundorum hominum. XXX.
De reuerenda sepultura eius. XXXI
De miraculis post mortem eius. XXXII
Narratio trium miraculorum. XXXIII

PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

De vita eiusdem Virginis.

DIctis sub breuitate de multis infirmitatibus & doloribus huius virginis, necnon de gratiosis misericordiæ eius operibus, & miraculosis quibusdam gestis ad laudem Dei omnipotentis: nunc etiam consequenter de spiritualibus donis eius, & diuinis consolationibus, ac frequentibus raptibus, pauca dicenda sunt, & ad ædificationem religiosorum humiliter propalanda.

CAPVT I.

De initio spiritualium consolationum eius, per recordationem Dominicæ passionis.

1. SIcut olim per ora sanctorũ Prophetarum locutus est Deus secreta sua, ad consolationem electorum suorum: ita & modo loquitur eis per scripta doctorum, & exempla bonorum: ne fortè diuersis mundi tribulationibus agitati aut flagellis percussi deficiant à spe & exspectatione futurorum gaudiorum. Ait nãque sanctus Dauid, (cui Deus occulta sapientiæ suæ reuelauit) quòd frequenter consolationes Dei, inter multa aduersa acceperit. *Secundùm multitudinem*, inquit, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Huius scripturæ sen-

sententiam Deus veraciter & apertè in hac sacra virgine impleuit ad literam, quam primo variis doloribus & amaritudinibus inebrians purgauit: sed postmodum inter multas vulnerũ plagas eam visitans, multiplices ei consolationes infudit & lætificauit.

2. Vt ergo anteriora quędam repetam, transactis tribus aut quatuor circiter annis, ab exordio infirmitatum eius, virgo Lideuuigis diuinæ adhuc disciplinæ impatiens, & necdum Deo sponte subiecta, à quo tamẽ nihil fit in terra sine causa: cùm videret consodales suas se visitantes, sanas & lętas, & semetipsam grauiter languere; optauit cum cæteris magis corporis salutem, quàm animæ beatitudinẽ per patientiæ virtutẽ. Et quia necdũ spiritualia sapiebat, & quid Deo magis acceptum erat, ignorabat: idcirco nonnunquam murmurabat, & super doloribus suis multum dolebat: atque tam amarissimè flebat, quòd nullius cõsolationem admittebat. Ingressus ergo ad eam dominus Ioannes Pot confessor eius, qui bina vice in anno eam cõmunicare solebat, nitebatur ipsam consolationibus suis inducere, vt ab huiusmodi fletibus se temperaret, & modũ doloribus suis imponeret. Vnde suasit benevola exhortatione, vt diuinæ voluntati se traderet & cõformaret; atque in Dominica passione meditando se exercitaret; spondens, quòd ea mediante & iuuante, faciliter consolationem bonam susciperet. Quærens igitur modũ huius sanctæ exercitationis, & accepto à sacerdote modo salutiferæ meditationis; cum se in eadem secundùm traditam sibi formulam exercere vellet, nec statim ex ea mel de petra fluere sentiret, neque farinam propheticam ibi inesse gustaret: quasi amarum absynthium fastidio irruente, quod in corde acceperat, & nondum radicitus fixerat, citò abiecit.

3. Sed dum idem sacerdos amplius instaret, & fortiùs hortaretur, vt violentiam sibi inferret, & in inceptis perseueraret, atque fastidium pio conamine vinceret; illa optimis consilijs instructa, sacerdotis sui monitis facilè consensit. Tandemque per violentiam inducta bona consuetudo de Deo meditandi, tantam ei suauitatem successu temporis (aspirante superna gratia) generauit, quod perfectè se abnegando libere dicebat: Quia si posset per vnam salutationem Angelicam, plenam corporis salutem recuperare, non tamen hoc faceret, nec optaret. Verè hęc fuit mutatio dexterę Excelsi; qui manũ suam misit inopi, & diu languentem consolatus est per noctes in lectulo doloris sui. Siquidem attracta & allecta Dominicæ passionis suauitate occulta, historiam eiusdẽ sacratissimæ passionis, in septem partes secundùm numerum septem horarum canonicarum diuisam, die

noctuque statutis temporibus percogitando ruminabat; & absconditum manna in ea reperiens, tantæ suauitatis gaudio replebatur, vt iam non ipsa sed Christus, cuius passionem recogitabat, sustinere videretur, quę hactenus ipsa in corpore pati videbatur. Poterat tunc planè per experientiam à spiritu docta, cum Esaia dicere: *Verè tues Deus absconditus.* Et iterum exclamare: *Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo, in præcordiis meis, de manè vigilabo ad te.*

CAPVT II.

De raptu eius in terram sanctam, & ad sacra loca vrbis Romanæ.

1. CVm ergo virgo ægrota, in exercitiis Dominicæ passionis, quotidie feriosè se occuparet, quandoq; ab Angelo sancto, ad loca Terræ sanctæ rapiebatur: in quibus Saluator noster nascendo, conuersando, & patiendo, sacramenta humanæ salutis operatus est. Cùm igitur in monte Caluarię, vbi Dominus crucifixus est; vel ad alia sancta loca, ad oscula Dominicæ crucis aut vulnerũ eius esset admissa, & pro refocillatione tribulationum suarũ sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo; peruenissetque ad amplexus pedum crucifixorum, & ad expirationẽ Sponsi sui ex amore crucifixi: tunc etiam exemplo illius quem quæsiuit & amauit, in manus eius spiritum suum cõmendauit. Et licèt frequenter à vulneribus carnis, ad penetranda abyssalia foramina diuinitatis, per raptũ contemplationis transiret: ita vt per abundantiam spiritualium charismatũ & dulcedinum, à sensu corporalium pœnarum deficeret: tantis tamen nouis infirmitatibus quandoque flagellabatur, vt etiam ab illis Dominicæ crucis ac vulnerum eius dulcibus osculis reuersa, in labiis oris sui quędã viscera sibi impressa reportaret. Quod quidem Deo dispensante factum est, vt non solùm secundum multitudinẽ dolorũ in corde suo, diuinæ consolationes animã eius lætificarent interius: sed etiam secundùm multitudinem diuinarum consolationum, tribulationes eius & flagella repentè suborta, contristarent eam & humiliarent exterius. Vt ex iis, quę à Deo acceperat, & quæ à seipsa haberet, per vices contrarias patenter & frequenter tentata cognosceret. Tunc denique ad eam Angelus ait: Hæc vlcera in corde tuo propterea suscepisti, vt te scias etiam in corpore fore raptam.

2. Alia quoque vice, cùm per supradicta amœnissima loca transiret, & præ lubricitate viæ gressum figere nõ valeret, lapsũ quendam in dextro pede se corporaliter sensisse, ad pœnam in ipso

ipso lapsu & diuaricatione eiusdē pedis traxisse dicebat. Nam de illa læsione, tantam inflammationem, ac denigrationem & dolorem in exteriori talo pedis reportauit, quòd etiā pluribus diebus inde torqueretur.

3. Simili modò quadam vice, ad sacra loca vrbis Romanæ rapta fuit. Cumque inter quasdam ecclesias principales ambularet, & inter arbusta & spineta brachijs hinc inde protensis incederet, ex eisdem arbustulis spinā in digitis suscepit & reportauit. De cuius incommodo, sicut de aliis infirmitatibus, ferè per biduum non modicum lædebatur. Propter has igitur corporales lęsuras, quas sic reportauit, solita erat dicere secundùm verbum Angeli, quod putabat se etiam in corpore raptam fuisse. Sed qualiter istiusmodi corporales raptus fiebāt, nouit Angelus ipse, qui eam ducebat, & de eis testimonium perhibebat.

4. Interdum Saluator noster Iesus Christus cælestibus agminibus vallatus, ingressus cellulam eius quasi rex cum principibus suis, ad mensam se collocauit; ac circa lectulum eius ordinatè sedentes, cęlestibus eam epulis copiosissimè refecerūt. Et quid mirum, si corporali cibo non eguit, quæ iam diuinis pabulis cum angelis nutriebatur; sicut Saluator ipse diabolo tentanti se de pane respondit: *Scriptum est, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

CAPVT III.

De mirabili claritate & suauitate, intra cellam eius apparentibus.

1. EXcepta mentali eius illustratione, quā magni literati & religiosi viri, in spiritualibus studiis eruditi, qui cū ea sæpè loquebantur, & ipsam nō intelligentes vehementer mirati sunt: tanta sæpius die ac nocte claritate diuina, cū ab Angelo visitaretur, vel à supernorū contemplatione reuerteretur, reperta est à condomesticis suis circumlustrari; quòd visa claritate, præ nimio timore perculsi, non audebant eidē appropinquare. Ipsa verò quamuis in tenebris semper iaceret, & materiale lumen oculis eius intolerabile foret; diuinum tamen lumen multum ei amabile erat, quo sæpius cella eius nocturno tempore tam excellenter perfundebatur, quòd cella ipsa aspicientibus, plena materialibus luminibus vel incendiis crederetur.

2. Nec mirum, si diuina claritate etiā corporaliter perfundebatur: quæ iuxta beati Pauli vocem, reuelata facie gloriam Domini speculando, quotidie in eandē imaginem transformabatur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Et nō

solùm diuina charitate solita erat circumfundi, sed & mirabili suauitate, tam ipsa quam cellula eius, inuenta est redolere: ita quòd intrantes putarent, ibi diuersas species aromaticas ingestas esse & respersas. Et hæc mirifica suauitas percipiebatur, cũ à Saluatore vel ab Angelo sancto visitaretur, aut tangeretur, vel à cęlestibus & paradisi apothecis rediret. Qui quidem suauissimus odor, non solum in odoratũ per nares spirabat, sed etiam in gustum percipiendum redundabat. Et tam ardens sapor in lingua sentiebatur, & palatum remordebat, quasi piper aut cinnamomũ comedissent. Præcipuè tamen à manu, miræ suauitatis fragrantia, prodiit, cùm per eam ab Angelo sancto, ad superna gaudia perducta, & inde reducta fuisset.

CAPVT IV.

De visione in nocte Dominicæ Natiuitatis, & de vbertate lactis in vberibus eius.

1. VIdua quædam boni testimonij Catharina nomine, per aliqua tempora in domo huius virginis habitabat. Huic quadam vice ante Natiuitatem Christi, per visionem indicatum est de hac virgine, quòd in nocte tunc proximæ Dominicæ Natiuitatis, vbera eius lacte forent replenda, & quòd ipsa Catharina idem lac esset sumptura. Cùm ergo istud virgini vidua præfata retulisset, ipsa ex humilitate quodãmodo eius dicta negare nitebatur. Mox vidua virginem corripuit, quia negare audebat, quod sibi ab Angelo reuelatũ fuerat. Tunc viduæ verbis virgo arctata, iussit, vt ad hanc gratiam percipiendam se disponeret. Cum ergo ad ista per admonitionem virginis se deuotè prępararet, non est fraudata à desiderio sibi cælitus promisso?

2. Nam ecce, in ipsa sacratissimæ Dominicæ Natiuitatis nocte virgo Lideuuigis in spiritu rapta, vidit innumerabilem multitudinẽ virginũ, quibus tanquam Regina & Domina omnium astitit & pręfuit sanctissima mater Dei perpetua virgo Maria: inter quas etiam se vidit in choro virginum admissam, ad Christi Natiuitatem cum lætitia celebranda. Astabat etiam his virginibus multitudo sanctorum angelorum, veluti nobilissimi clientes & sodales, deuotum obsequium cognatis sibi virginibus, in castimoniæ virtute florentibus, exhibentes. Instãte igitur hora Dominicæ Natiuitatis, qua virgo puerpera Christum peperit, visa sunt omnium illarum virginum & similiter huius virginis vbera prę abundantia lactis intumescere: ac tantum lactis habere, quantum beata Virgo ad lactandum Saluatorẽ nostrum, in vberibus suis virgineis percipit, cum in lucem mundi Chri-

Christum peperisset. Idcirco ad similitudinem beatæ Virginis, omnium aliarum vbera videbantur lacte repleri: in signũ, quòd omnes virgines illæ, ad lactandum Dominum erant aptæ & dignæ. Erat autem, vt virgo ipsa testabatur, tam inenarrabilis ibi gloria: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; quod nec lingua exprimi, nec littera possent omnia scribi.

3. Interim vidua promissionis præfatæ memor ingreditur ad virginem, quæ vbera illius manu terens, tanta fœcunditate lactis abundauit, quòd vidua trino labiorum tractu satiata fuit, & pluribus diebus a desiderio comedendi permansit. Et nisi virgo iussisset, à corporali cibo faciliter abstinuisset. Post hæc quoque, eandem gratiam & visionem per contemplationem duobus aut tribus aliis annis, in sacris vberibus suis perceperat. Sed quia statuta hora, qui probaret, non adfuit, ideo gratiam oblatam nemo gustauit. Laudetur ergo Christus de virgine natus, qui ad roborandam fidem credentiũ per opera, ostendit temporibus nostris in hac sancta languida virgine, stupenda quędam miracula.

CAPVT V.

De virga cypressina, quam ei Angelus attulit de paradiso.

1. HAbuit hæc virgo infirmitatis suæ tempore, quandam virgulam de stipula canopi, pro remouenda vel attrahenda cortina lectuli: cum qua etiam in necessitate pulsare solebat, & aliquem de familia aduocare. Contingit ergo occasione incendij ciuitatis, vt multa circa lectulum eius propter pericula imminentia agitarentur. Sicque per exportationem & reportationem rerum, etiam virgula ista perdita est; sed vbi manserit, virgo nesciebat. Postea verò in nocte S. Apollinaris episcopi & martyris, cùm virgo præ æstu caloris anhelitum vix trahere valeret, virgulam quæsiuit, vt velum remoueret, nec inuenit. Multum ergo ex hoc anxiata doluit, quia nec sibi ipsi subuenire potuit: & qui aliunde succurreret, non adfuit.

2. Statim igitur Angelus Domini assistens, contristatam consolatur, spondens alterius & melioris virgæ restitutionem. Nec mora, post paululum cessantibus doloribus febrium, Angelus ipsa sentiente quoddam lignum ad mensuram vlnæ ferè longũ, super pectus eius leuiter posuit & recessit. Quod manu extensa apprehendens, quodammodo vilipendit; eo, quòd visu tortuosum, & spissitudine põderosum, à leuitate perditæ virgæ longè

diuaret; nec bene sibi portabile & dirigibile foret. Mussitans ergo de isto, ad seipsam tacitè dicebat: Num ergo iam bene pacata sum? Quid tamen ageret quæ adhuc virtutem ligni ignorabat? Rogat proinde dominũ Ioannem confessorem suum, vt ad carpentarium transeat, peteretque lignum istud ad normam vlnę dolabro formari. Ingreditur itaque Sacerdos ad domum cuiusdam cupificis, qui vix vnum dolabrum ex multis instrumentis aptum huic operi habuit, cæteris in incendio ciuitatis priùs cõbustis. Cumque lignũ leuigare cœpisset, & satis fortiter dolabrũ infixisset, tantus odor suauitatis ex eo euaporauit, & tam decoro intus colore admodum ceræ enituit; vt quamuis aforis deforme appareret, indubitanter tamen cypressinum esse affirmaret. Super quo pariter admirati, cùm Sacerdos carpentario nequiret dicere, cuius generis lignũ esset, vel vnde virgini proueniisset, certatim hastulas & reliquias absciissas rapiebant. Tũc suadente carpentario, ad alium meliorem operarium Sacerdos cum ligno impolito accessit, quatenus decentiùs illud ad lineam conquadraret. Sed vbi similia inter se, præ admiratione odoris & coloris incogniti ligni conspicerent, atque pro reuerentia & nouitate decisas reliquias raptitarent, Sacerdos stupefactus, nõ sustinens amplius lignum imminui, ad virginem quantocyus reportabat. Quam cùm interrogasset, vnde ei hoc aduenisset, & cuius generis esset? illa quidditatem eius se nescire fatebatur, modum tamen acquisitionis eius Sacerdoti indicauit.

3. Postea vero in festo sancti Cyriaci martyris, reuersus Angelus more solito eam ad amœna paradisi perduxit; & ipsam de ligni contemptu corripiens, eius dignitatem & locum ac arborem, vnde illud confregerat, apertissimè ostendit. Deinde ad se reuersa, quæ ab Angelo didicerat, confessori suo ex ordine propalauit, dolens quòd illud ita minorari fecerat. Cùm ergo rumor huius odoriferi ligni vulgari cœpisset, & multi illud videre & tangere optarent, eiusque causa frequentes visitationes virgo pudica pateretur, accidit, quòd propter cuiusdam hominis attactum, fragrantiam suauissimi odoris lignum prædictum amitteret. Ideoque ipsa virgo doluit, quia hoc alteri ostensum fuerat, propter cuius contactum odor cælestis expirauit. Solita autem erat dicere, quòd per hoc lignum diabolus castigandus esset, sicut ab Angelo sancto didicerat.

CA-

CAPVT VI.

De priuatione Angelicæ claritatis, ob præsentiam alterius in cellæ eius latentis.

1. ALia quadam vice, cognatus huius virginis Nicolaus nomine, cum confessore illius ingressus est ad eam visitationis gratia: & post habita colloquia, indicauit eis virgo modesta, quòd libēter duabus aut tribus horis sola maneret in cella. Rogabat ergo eos, vt ad tempus spatiatum exirent, sperans se propter internorum recollectionem in absentia illorū, aliquid gratiæ specialis accepturam. Specialiter tamen Nicolao supplicabat, ne ante tertiam vel quartam horam rediret. Illo igitur agente quod petebatur, confessor virginis (ipsa nesciente) cellā eius latenter est ingressus. Putans ergo se solam esse in secretario cubiculi sui, mox se disponebat ad percipiendam gratiam cælestis Sponsi, per orationes deuotas pulsando intima cæli. Et ecce, ferè media hora transacta post meridiem, ingressus est ad eam angelus Domini, circumuolando lectuli locum, vbi ægra iacebat, sed amplius ei non appropinquabat.

2. Videns ergo virgo se non posse gaudiosa præsentia eius perfrui, conturbata fleuit amarè. Interrogabat itaque angelum, an aliqua culpa Dominum offendisset, ob quam hac gratia perfrui non meruisset. At ille respondens: Nequaquam inquit; sed propter præsentiam eius, qui in cella tua latenter sedet, & nititur scrutari & experiri gratiam tibi disposita. Quo dicto, angelus ad ea discessit. Tunc virgo tam felici solatio priuata, vehementiùs est contristata, amariusque flere cœpit: ita quòd ad tempus extaticè non raperetur, licèt sæpius angelicæ visitationis gratia frueretur. Audiens igitur confessor eius eam taliter flentem, surgens indicauit ei se fuisse præsentem. Quo audito, ampliùs conturbata est, quàm si alius ibi fuisset; pro eo quòd satis frequenter ei vitam suam indicauerat, quatenus absque exploratione diuinæ gratiæ crederet, quę circa eam operabatur. Cùm igitur ab hac turbatione recreata esset, & tranquillitatem recepisset, pius & misericors Deus, sicut frequenter antea fecerat, ita & postmodum extaticè eam supra se leuabat. Tunc impletum est in ea, quod per psalmistam dicitur: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.*

CAPVT VII.

De raptu eius ad loca purgatorij, & ad gaudia paradisi, vnde sertum, à beata Virgine sibi datum, reportauit.

1. RApta est post hęc spiritu leuãte ad loca purgatoria: vbi inter cæteras, quas multipliciter & grauiter torqueri vidit, eriã animas amicorũ suorum puniri videbat: pro quibus liberandis ac releuandis, se postmodum in corpore duriter affligebat. His igitur purgatorijs locis & quampluribus pœnalibus locis, (in quibus animæ pro diuersitate culparum torquebantur) dolenter perspectis, Deo miserante ad comtemplanda æternæ vitæ gaudia perducta fuit. Ibi sanè videbat, qualiter omnipotens Deus in seipso gloria sua fruebatur, secundũm illud: *Ego primus & nouissimus*. Et, *Gloriã meam alteri non dabo.* Videbat etiã qualiter sancti martyres, confessores, prophetæ, virgines, atque alij beatorum ordines, gloria sua in semetipsis fruebantur; & præ delitijs affluentibus, per alterutrum in inuicem transfundebantur.

2. His gaudiis perlustratis, plures Sancti eam alloquentes dulciter consolabantur, & ad patientiam exhortantes ita dicebant: Quid nunc hic existentibus obest & nocuit, quòd in mundo multa aduersa pro Christo perpessi sunt? Tunc accessit ad eam beatissima virgo Maria in magna gloria, & amicabiliter alloquens interrogabat eam dicens: Cur charissima filia, sic venisti nudo capite & non ornato? Tunc hæc virgo respondit; Charissima Domina virgo Maria, hæc est voluntas Domini & Dei mei: & sic ductor meus me adduxit. Post multa itaq; familiaria colloquia Dei genitricis cum hac virgine, adueniente tempore, quo ad sensus corporeos redire debuit, hæc ad eã mater Christi verba intulit: Charissima filia, viriliter age, & confortetur cor tuum in tolerantia dolorum, quia pro his quæ nunc pateris mirabilem & magnam gloriam consequeris.

3. Addidit quoque beata Virgo ad eam, inquirens? Visne habere sertum super caput tuum? Respondit illa: Ego non possum hic habere voluntatem meam. Cùm ergo ad ductorem suum Angelum aspexisset, & ille resignanti voluntatem suam consensisset, vt acciperet: accipe, inquit beata Virgo, hoc sertum super caput tuum, quod nisi septem horis poterit esse super terram. Trade quoq; illud in manus confessoris tui, & dic ei, quod ego demando ipsi, vt credulus sit donis omnipotẽtis filij Dei: & hoc sertum ponat super caput imaginis meæ, quæ est in ecclesia. His igitur peractis, reuersa est ad sensus corporeos virgo theorica,

gratias

gratias magnificè agens Domino, super cõsolatione tam iucunda. Sed cum tale sertum corporaliter accepisse ignoraret, tandem casu vel necessitate vrgente, manum capiti suo superponens, sertum florigerũ detraxit, quod ex odore suauissimo, manu beatæ Virginis sibi impositum recognoscebat: & ferè vsque ad septimam reditus sui horam, apud se conseruabat. Erat autẽ hoc sertum cærulei seu crocei coloris, & rugosum, humanis aspectibus hactenus inuisum, quod ex se miræ suauitatis emittebat odorem: Ideoq; quamdiu potuit, tam pulchrum & floridum sertum apud se retinebat.

4. Igitur ante septimam horam iussit excitari confessorem suum, & celeriter ad se venire, habens ei aliqua secreta referre. Qui venieus interrogauit, quid vellet? Cui virgo respondit; se cuidam festiuitati interfuisse, & beatam virginem Mariam sertum istud sibi tradidisse, vt ad terras deferret, & in manus eius daret; quatenus donis Dei crederet, & ex mandato B. Virginis, hoc sertum in manus acciperet, atque ecclesiam (quæ tunc temporis combusta fuerat) manè intraret, & capiti imaginis B. Mariæ Virginis superponeret. Cumq; confessor interrogasset, quomodo posset ecclesiam intrare, cùm necdum dies esset, & ecclesia clausa foret? Illa ei respondit? Citò vadens, pete tibi à sacrista ecclesiam aperiri, quia tempus instat, quo sertum illud oportet referri, vnde illud ego detuli. Tunc ille: Quomodo sertum capiti imaginis superponam, quæ in tam alto loco sita est? Respondit virgo. In maiori choro & in illo loco scalam inuenies, quam assumens ascende, & sertum capiti imaginis B. Virginis superpone.

5. Tunc ille tali accepto signo egressus, rogabat custodem, vt citò surgeret & ecclesiam aperiret. Quod cùm libenter fecisset, confessor virginis inuentam scalam in loco, quem ei indicauerat, ad imaginem secum portabat, & ascendit. Cui custos: Quid ibi vultis facere? Respondit sacerdos: Quod ego facio, nõ potes modò scire: sed Dominus dabit, quòd postmodum scies. Quam responsionem custos paruipendens, quia mysterium nesciebat, statim recessit. Confessor autem deuotus, impleuit desiderium virginis; & impositio serto capiti sacræ imaginis, scalam ad locum priorem reportabat. Cùm ergo flexis genibus ante imaginem oraffet, & reuerenter adoraffet, expletis omnibus, quę in mandatis acceperat, antequam ecclesiam exiret, Angelus Domini idem floriferum sertum ad locum suum retulit, vnde illud virgo priùs detulerat, sicut postea præfatæ viduę Catharinæ referebat.

CAPVT VIII.

De corona glorioſa ei præparata, propter vituperia & vulnera à Picardis ipſi inflicta.

1. ALia quoque vice rapta in ſpiritu, vidit glorioſam valde coronam ſibi præparatam, quam poſt præſentis vitę labores & dolores à Domino erat percepturа, in qua tamen plura adhuc videbãtur imperfecta. Ad ſeipſam igitur reuerſa, memor coronæ præoſtenſæ rogabat Dominum multa inſtantia, quatenus ſua pietate ita ſecũ agere dignaretur, quòd corona illa perfectè poſſet inſtaurari. Eodẽ quoque tempore petiuit à Domino, vt ad imitandum veſtigia eius ipſam ad ſe intromitteret, & poſt intromiſſionem calcibus eam expelleret.

2. Dum hæc frequenter & ardentiſſimè poſtularet, contigit anno Domini milleſimo quadringẽteſimo vigeſimo octauo, quòd Philippus Dux Burgundiæ, cum multo exercitu Picardorum, & aliorum armigerorum Hollandiam intraret, ad compellendum ciuitates, vt eum in Dominum & Rectorem patriæ ſuſciperent. Cùm ergo potentiſſimus Dux, in multis ciuitatibus honorificè eſſet ſuſceptus, venit tandem circa feſtum Sanctorum martyrũ Gereonis & Victoris ad ciuitatem Schiedam, vbi ſimiliter à ciuibus eſt receptus. Poſt refectionem igitur prandij, quidam (vt ferunt) medici & chirurgi de familia Ducis prædicti, acceſſerũt ad dominum Ioannem Angeli curatum eccleſię, petieruntque ab eo, vt ad domum huius virginis eos introduceret. Qui nihil mali de ijs ſuſpicatus, petitioni eorum acquieuit. Ingreſſis igitur eis ad virginem, ſubſequentibus famulis eorum moribus incompoſitis; cùm tumultum illorum compeſcere niteretur, ne Dei famulam moleſtarent, illi indignanter eum repellentes, ſeorſum abire iuſſerunt, inhoneſta verba de ipſo cum ea iactantes. Manſit tamen curatus in cella eius ſtans prope altare, triſtis ſatis & confuſus. Illi verò peruerſi, vt eam quæ in tenebris iacebat conſpicerent, cortinam remouent, candelam accendunt, & ablato operimẽto quo virgo hydropica tegebatur, ſanctam penitus denudant (proh dolor) nec Deum, neque Angelos, neque hominum preſentiam reuerentes.

3. Hæc cùm filia fratris eius, Petronilla virgo iuuencula, obſequio virginis dedita, videret, egerrimè tulit, & zelo Dei accẽſa, fortiter ſe illis obiecit, pudicitiam virginalem defendere nitens. Indignum quippe iudicabat, quòd abſconditam Chriſti margaritam, oculi carnalium nudam aſpicere deberent. Tunc maligni illi ſatellites honeſtatis obliti, hanc iuuenculam irreuerenter

renter arripiunt,& à se proijcientes,ad scabellū altaris grauiter allidunt,in tantum quòd in femore atrocissimè læsa, vsque ad mortem claudicaret.Sed nec his malis violenter patratis cōtenti,ad grauiora & sceleratiora prorumpunt. Nam sanctam & incontaminatam, fornicariam dicere ausi sunt: sobriam & sine cibo viuentem,nocturnis conuiuijs vacantem garriebant:quorum vnus, qui lumen tenebat,bestiam eam appellabat : quam certè Angelus sanctus custos eius,in paradisum sæpe transtulit, & ducebat.

4.Inter hæc tam multa & contumelioſa verba ab impijs dicta, adijciunt ignominioſa facta, humanis oculis paueſcenda. Nam omni honestate remota,debilem virginē propter hydropicam passionem,& in superficie cutis valde tumentē, pollutis manibus suis attrectantes &pungentes,in tribus locis vulnerauerunt:ex quibus sanguis tam copiosè profluxit,quòd oportebat recentem cruorē de lectulo cum pelui exhauriri. Quo scelere audacter perpetrato,egressi lauerūt manus suas à sanguine, quem fuderunt:& regressi,pro verbis veniç, quā postulare debuerant,in contumelioſa verba linguam maledicam iterum relaxarunt. Sicque completum est in hac virgine, quod Dominus discipulis suis dixit: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et si patrem familias Beelzebub vocauerunt , quanto magis domesticos eius?*

5.Tunc virgo,tanquam ouis innocens in lectulo iacens,sanguine proprio perfusa,ad occisionē parata,patienter omnia hæc pro Christo suscepit:& conuitiantibus ac vulnerantibus se,his verbis mansuetè respondit:Cur non timetis ita sinistrè diuinitatis in me opera interpretari,qui ignoratis,quale iudicium vobis à Deo sit futurum?Eadem hora recedente Duce, sequuntur & inuasores illi.Rectores autem ciuitatis, audientes tam enormia mala virgini insolenter ingesta,quasi pro consolatione malorum factorū,comminabantur se velle Duci conqueri, quatenus contra tanti sceleris authores iustam exerceret vindictam.

6. Tunc virgo mitis & patiens in aduersis, memor Dominici sermonis , *Mihi vindictam & ego retribuam* ; omnino prohibuit petere humanamque exercere vltionem,quia Deus citò hanc vindicabit iniuriam. Quod diuino nutu cæleriter factum est; nam omnes in diuersis locis , eadem hyeme mortui sunt. Si quidem vnus eorum,qui lumen tenuerat,& conuitia virgini intulerat in portu prope Rotterdam,nauigio veniens,ab vna parte nauis ad aliam,quasi valido vento agitatur, à principe tenebrarum submersus est:atque confracta ceruice,mortuus extractus in cœmeterio sepultus est.Secundus propeZerixeam in furiam conuersus,ne præsentes læderet,de naui in scaphā proiectus

ctus ac mortuus sublatus, in ciuitate sepultus est. Tertius militaris, in bello percussus, interijt. Quartus, qui se medicum fatebatur, apud Sluſam apoplexia tactus obmutuit, Vnde à famulo suo admonitus, de his quæ cum aliis contra virginem egerat; & quęsitus, an de prædictis doleret, postulanti per tactum manus & gestus oris, qualecumq; signum pœnitudinis ostendẽs, defunctus est. Famulus autem eius postea ad virginem veniens, pro magistro veniam cum lachrymis petijt & obtinuit.

7. Flebat ergo virgo sancta multo tempore his perceptis, nõ sua vulnera, sed eorum perditionẽ atque scelera commissa deplorans. Consistentibus autem apud eam Rectoribus ciuitatis, ait ad eos virgo futura prædicendo: Ego quidẽ nunc hæc passa sum, sed vobis imminet iudicium, quod ignoratis. Nec multo post, cùm aliqui eorum, quasi proditores ciuitatis accusati, timerent à Duce capitali sententia puniri, dixerunt, Ecce, hoc est iudicium, quod Lidia nobis prædixit futurum. Post hæc Angelus Domini sanctus apparens ei & sororẽ nominans, indicauit, quòd per irreuerentem illam violentiam à Picardis sibi factã, posita fuerat in vestigiis Saluatoris, sicut antea petierat: atq; per opprobriosa verba, quæ ab eis audierat, margaritæ quę restabant in corona sua, iam perfectè completæ erant.

CAPVT IX.

De patientia & morte Petronillæ, neptis huius virginis.

1. DIgnum est nunc aliqua etiam de Petronilla virgine, huius sacræ virginis nepte recitare. Hæc igitur iuuencula annorum ferè decem & septem, filia fuit fratris Lidiæ virginis, amatrix & custos perpetuæ castitatis, curam gerens materteræ suæ die ac nocte, in tam graui molestia longæ ægritudinis. Hæc carne propinqua, spiritu soror, seruitio ancilla, elegit virgo virgini seruire, & castis obsequiis vulnera languentis benignissimè delinire. Hęc in persecutione Picardorum, qui sanctam Lidiam virginem, Deo placentem, ampliori gloria coronandam, grauissimè vulnerauerunt; totis viribus, pro defensione infirmæ materteræ suæ (vt præfatum est) se opposuit, ne innocentem lederent. Valde enim condoluit cum ea, quę lædebatur: atq; plures graues contumelias & terrores audiens, lęsiones etiam corporales à Picardis accepit & sustinuit: ita vt diu infirmata, mortẽ ex læsione incurreret. Ante cuius obitum paucis diebus prędecedentibus, virgo Lidia in magna tribulatione posita, & ex persequutione ad Deum feruentior effecta, talem visionem habuit, verum prędagium futurorum.

2. Qua-

2. Quadam namque nocte in excessu mentis posita, videbat solemnem processionem ciuium supernorum, in qua distinctis ordinibus singuli procedebant; scilicet, patriarchæ simul, prophętę simul, apostoli cum apostolis: sed & martyres, confessores, atque virgines, sacerdotes & clerici, singuli in ordine & dignitate status sui fulgebant. Procedebant autem de ecclesia ciuitatis Schiedamensis, præcedentibus more solito crucibus, luminaribus sole clarius micantibus veniebantque ad ostium domus suæ, de qua funus tollentes ad ecclesiam illud deferebant. Ipsa autem virgo funus sequebatur datis sibi coronis, quarum vnam in capite gestabat, reliquas singulas in singulis manibus tenebat. Ad se igitur reuersa, suspicabatur quòd mors ipsius hac visione prælignaretur: finaliter tamen dicebat, quòd mortem neptis suæ Petronillæ designabat.

3. Quapropter virgo Christi solicita de obitu neptis suæ, rogabat instanter Dominũ, vt febres suas ita ordinaret, vt Petronillæ ante exitum suum pro consolatione eius loqui posset, quã plurimum sincero amore diligebat. Cuius preces & gemitus Dominus exaudiens ac morituræ misertus, præuenit tempora febrium quotidianarum per spatium ferè sex horarum, nõ sine admiratione multorum assistentium. Sicque temperato calore febrili, recepit facultatem alloquendi & consolandi Petronillam, in breui ex huius seculi luctu ad Christum migraturã. Accepta itaque consolatione diuina à virgine sancta, virgo Petronilla in angustiis sæpius probata, sicut fuit socia tribulationis cum Lidia passa in vita, ita & particeps cõsolationis meruit esse in morte sua. Igitur post visionem prius ostensam, & consolationem à charissima matertera gratanter acceptã, obiit deuota virgo Christi Petronilla, cœlestẽ aulam intratura, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, decimonono Kalendas Februarij, ipso die S. Pontiani martyris.

CAPVT X.

De subtractione consolationis diuinæ, quam virgo incurrebat, ob tristitiam neptis defunctæ.

1. POst mortem igitur castissimæ turturis virginis Petronillæ, ipsa sancta virgo Lideuuigis, tam fidelis & perneccssariæ adiutricis societate priuata, in pernicioſam incidit tristitiã: nimiũ dolens super destitutione cordialissimę dilectricis suæ Petronillæ; cum qua mutua charitate deuincta, inuiolabilis castimoniæ fœdera conseruabat. Nam vicissim in Christi amore se diligentes, ita connexæ erant & pacificè viuebant, vt sine graui

mœrore

mœrore ab inuicem separari non possent. Quæ quidem affectuosa connexio, metam discretionis excedens, etiam Domino tantum displicuit, quòd in vindictam ineptæ tristitiæ, virgo lugubris diuina consolatione vsque ad festum Visitationis B. Mariæ virginis carebat.

2. Flebat igitur amarissimè, non solũ de morte neptis amissę, sed amplius super priuatione solitæ gratiæ, ob immoderatam tristitiam sibi subtractę. Percunctantibus ergo causam istarum lachrymarum, ita respondit amicis: Cur non flerem, charissimi? Ecce iam proximis vndecim annis nihil à Domino petiui, quin facilè impetrare potui: sed nunc tanto tempore suspensa, nullam prorsus consolationem accipio, occulto & recto Dei iudicio in me dignè concitato. O terribilis & inuestigabilis dispẽsatio diuina, in consiliis super filios hominum: qui conuertit mare in aridam, & flores rosarum in absynthium: & de dextera ponit ad sinistram, humilians sublimem vsque ad terram. Si igitur Dominus tam strenuè dilectam sibi virginem afflixit, quia intentiùs fidelis neptis prę̃sentiam ablatam deplanxit: quã grauiter puniendi sunt, qui carnales amicos & sodales seculares inaniter plangunt?

3. Verumtamen Pater misericordiarũ & Deus totius consolationis, non est oblitus lachrymarum famulæ suæ, quam ab æterno elegit: sed post amarissimã tristitiam, reddidit ei dulcissimam Spiritus sancti consolationem, præteritis temporibus sæpius expertam. Igitur virgo ad tempus desolata & paternè castigata, circa festum Visitationis beatæ Mariæ Virginis, mirificã & superabundantem diuinæ gratiæ consolationem recepit. Per nouem aut decẽ ferè dies, in continua contemplatione & diuinorum degustatione ac mentis iubilatione perdurans, tantaque dulcedine extitit perfusa interius, vt ad eam ingredientes mirarentur, & sentirent odorem suauissimi spiraminis exteriùs.

4. Quærentibus ergo multis, vnde odor tantæ suauitatis procederet? Ipsa cupiens potius ex humilitate silere, quàm abdita prodere: tandem deuicta importunis eorũ precibus, (quia Dominus manifestis indicijs hoc foris innotuit) gratiã tam inæstimabilis odoris, de cælestibus apothecis venire respondit. Quã sicut solito more priùs meruit, ita & pro nunc denuo visitata secum reportauit. Simili modo ante paucos annos, defuncto fratre suo Wilhelmo Petri, in magnam tristitiam incidit: & in tantum ex dolore obstupuit, vt diceret se hactenus nescisse, quòd adhuc ita humana fuisset. Quapropter etiam multo tempore, solita carebat alimonia contemplationis diuinæ, sicut cuidam deuoto solitario in partibus Ægypti reuelatum fuit: qui eius

consilio

consilio eremum constanter intrauit. De cuius sancta conuersatione bene incepta & optimè consummata, in sequenti capite subinfertur, quod lętanter audiatur.

CAPVT XI.

De deuoto iuuene Gerardo eremita facto, & peregrinis eum visitantibus.

1. ERat quidam iuuenis Gerardus nomine, ex diœcesi Coloniensi oriundus, solitarię vitę desiderio stimulatus. Hic audita fama huius sanctæ virginis, proposuit ad eam primò venire, vt ei præsens votum suum exponeret; atque iter arduum, quod ingressurus erat, precibus eius commendaret. Quatenus diuina gratia opitulante, propositum quod mente conceperat, salubri perseuerantia terminaret. Qui ad eam veniens, cordis sui secreta ei intimauit. Illa verò proposito eius piè congaudens, prophetico spiritu prædicebat, quòd primo triduo ingressionis sue in eremum penuriam pateretur. Ac deinde ad constantiam eum exhortans, post finem diei tertiæ, refectionem à Deo esset precepturus. Quod quidem postmodum ita seriatim contigit. Nam tertia die adueſperascente, manna cæleſie accepit, Deo laborioſæ semitæ eius miserante. Prędictus autem sibi à virgine tres dies ita constanter peregit, quòd paratus erat eos propter promissionem illius, etiam cum periculo vitæ persulcare. Post mutuam igitur collationem, & in precibus recommendationem, ac fraternæ charitatis obligationem, nouus tyrunculus noui certaminis bella congressurus, egressus est à conspectu virginis sagaciter instructus, patriam suam & cognatos vltrà nunquam reuisurus.

2. Peragratis ergo partibus superioribus, ingreditur superiorem Ægyptũ; cuius deserta penetrans, inuenit cellulam, propter lupos & ferarũ rabiem in arbore sitam. Adduxerat autẽ secum duos socios, eiusdem eremiticæ conuersationis gratia tactos; qui paucis diebus ibi peractis, heu ad pristina redierunt. Sed Gerardus in arrepto proposito constantissimè perdurans, Christo duce ad contemplationum culmina ascendit. Igitur in hac vasta solitudine, decem & septem ferè annis completis, accidit interea, vt quidam Episcopus de partibus Angliæ cum duobus sociis, ad visitandũ loca terræ sanctæ perueniret: ac deinde ad visendum reliquias sanctæ Catharinæ virginis & martyris in monte Sinai, cum eis perrexit. Qui simili deuotione combinati, rememorantes Sanctorum Patrum in Ægypto conuersationem, terrã illam ingressi sunt; vt quærerent, si fortè aliquos eremitariæ vitæ patres inuenirent. Cumq; hinc inde oberrantes,

vsque

vsque ad superiores eius partes veniſſent, reperiunt cellã quandam non longè à terra in arbore conſtructam. Ad cuius oſtium pulſantes, vident in oſtio ſibi reſerato, hominem vultu quidem angelicum, ſed corpore ita craſſum, vt non in eremo maceratus, ſed inter delitias ſeculi putaretur educatus. Inter plura familiaria colloquia, ab eodem eremita percipiunt, quòd in duodecim annis & vltrà hominem non vidiſſet. Interrogantes ergo, vnde viueret? Reſpondit ſe ex ſola gratia diuina nutriri. Nam manna cęleſte, quo olim filij Iſrael in deſerto veſcebantur, colligere & comedere ſolebat, quod cellulæ ſuæ deſuper influens cum gratiarum actione ſumebat.

3. Quærebant etiam ab eo, vtrũ adhuc alij inuenirentur homines, qui abſq; humano cibo viuerent, ſicut & ipſe? Ad quos ita reſpõdit: In partibus Hollandiæ in ciuitate Schiedã, eſt quędam virgo multis annis, diuerſis infirmitatibus diuinitus flagellata, nullo corporali vtens alimento: quæ etiam ad tantam celſitudinẽ perfectionis peruenit, quòd centupliciter ſanctitate vitæ & contemplationis culmine, me longè præcedit. Vnde & ſatis admiror, cùm de eius trãſitu nil percipio, quid ei acciderit, quòd eam in ſcala cõtemplationis diu non viderim: cùm antea frequenter ſimul ad cęleſtia ſecreta, ſinguli in ſingulis ſcalis rapi ſolebamus. Nam illa ſicut vitę merito, ita & contemplationis excellentia ſupra me aſcendere conſueuit. Deinde deuotus iſte eremita peregrinos rogauit, quatenus hanc virginem in Hollandia viſitarent, antequam ad partes ſuas redirent: & ex ore ſuo, tres has quæſtiones ei proponerent. Primò, quot annos ipſe in ſolitudine peregerit? Secundò, quot annorum tunc fuit, quando eremum intrauit? Tertiò, quid cauſæ ſibi occurrerit, quòd eam in ſolita contemplatione diu non viderit?

4. Poſt hæc peregrini pluritùm conſolati & ædificati vale dicentes eremitæ, in Hollandiã & Schiedam ſunt reuerſi. Ingreſſi ergo hoſpitium ciuitatis, rogant hoſpitẽ ſuum, vt ducat eos ad virginis domum. In cuius præſentia conſtituti, cauſam aduentus ſui, & perſonam eremitæ, qui eos miſerat indicant: petẽtes vt ad propoſitas ſibi quæſtiones reſpõdeat. At illa ex humilitate latẽre malẽs, quàm apertè ad quæſtiones reſpondere, hoc tantùm de tempore habitationis eremitæ in ſolitudine reſpõſum quærentibus dedit. Quo modo ego illud ſcire poſſem? Dominus eſt, qui nouit. Tunc illi quodammodo eam corripientes, obijciunt: Quare veritatẽ vellet celare, cùm hæc non à ſe, ſed ex ore eremitæ interrogarent? Reſpondit ergo: Decẽ & ſeptem ferè annos eum in ſolitudine peregiſſe. Ad ſecundum verò ait: Decem & nouem annorũ eum fuiſſe, cùm ad eremum perrexit.

Ad

Ad tertium quoque respondit, se in medio hominum conuersantem diuersimodè maculari: illum verò ab hominibus segregatum & inter Angelos conuersantem, incontaminatam conseruare puritatem. Ideoque mirandum non est, si ipse in contemplationis altitudine me præcellat. Fertur etiam, quòd eremita causam assignauerit subtractæ gratiæ in virgine, quia nimiùm de morte propinquorum suorum solebat dolere. Quod in obitu fratris sui contigit, qui eodem ferè tempore in Schiedam obierat, cùm prædicta ab eremita in Ægypto, peregrinis istis recitabantur.

5. Obijt autem felicis memoriæ idem deuotissimus eremita, perfectus terrenorum contemptor, ac cælestium secretorum altus speculator, anno Dominicę incarnationis millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, duodecima die mensis Octobris. Huius obitus & transitus ad gloriam, virgini sanctę fuit per visionem reuelatus. Rapta namque in paradisum in hora transitus eius videbat animam illius corpore exutam, ab angelis ad paradisum deferri, atque in fonte tam sereno ablui; cuius profundum, per vnum ferè milliare (vt sibi videbatur) poterat videre.

CAPVT XII.

De felici obitu domini VVermboldi presbyteri, huius virginis felicis amici.

1 INter multos deuotos patres ac spiritualis gratię expertos viros, fuit in ciuitate Traiectensi, temporibus venerabilis domini Frederici episcopi, sacerdos quidam cælibis vitæ & animarum zelator, Wermboldus nomine, Deo & hominibus dilectus, multisque religiosis in diœcesi Traiectensi & in Hollandiæ partibus latissimè notus. Hic de quadam villa Hollandiæ prope Goudam, natiuitatis genus contraxit: & per plures annos rector ac confessor sororum tertij ordinis apud sanctam Cæciliam in Traiecto claruit. Qui in diuinis scripturis valde studiosus, verbum Dei frequenter in ecclesia prædicauit: & orationibus ac deuotis meditationibus frequenter inuigilans, pro cordis sui puritate, crebris etiam consolationibus ac diuinis reuelationibus meruit ab alto visitari. Ad huius tam famosi patris notitiam, non humano indicio, sed diuina reuelatione, sancta virgo Ledeuuigis adhuc in paupertate sub prauo tugurio degens, hoc modo peruenit.

2. Cùm enim in festiuitate Dominicæ Annunciationis, virgo memoranda vix media parte infirmitatis suæ completa, raperetur ad cœlestia contemplanda, contigit etiam & deuotissimum

Christi sacerdotem Wermboldum, eadem hora ad cælestia intuenda sustolli: tuncque ex hac vnica & simili contemplatione habita, mutuam cognitionem, quam priùs non habuerunt, cælitus ambo conceperunt. Quapropter idem venerabilis Pater, piæ deuotionis affectu excitatus, cupiebat Dei famulam, quam in spiritu præcognouerat, corporalibus oculis etiam cognoscere & videre. Ingressus ergo ad domunculam eius, vbi languida iacebat: & videns calamitatem eius, qua premebatur, tanquam euangelicus Samaritanus super eam misericordia motus est, atque compassionis iaculo cordialiter vulneratus. Nec mora, post sacra de Deo colloquia, extēdit manus suas ad charitatis opera. Et primò quidem dedit ei circiter triginta grossos Flandrenses, pro duobus linteaminibus emendis. Deinde sacerdos spiritu Dei accensus, ecclesiā intrauit; & adscenso ambone sermonem populo fecit, in quo duris increpationibus eos de tenacia velimmisericordialitate, vt digni erant, castigauit: eo quòd in tanta necessitate & dolore iacenti infirmę creaturæ Dei non subuenirent. Et meritò quidem pro zelo Dei, rigorosè locutus est sacerdos facundus; quia probata virtus corripit insipientes: Verùm postea plures (Deo inspirante) ad misericordiam flexi, benefecerunt liberali corde elee-mosynas suas virgini sanctæ destinando.

3. Hic itaque reuerendus Pater, inter cætera charitatiua colloquia cum virgine languēte, (quæ tunc temporis ferè medietatem iufirmitatum suarum peregerat) cœpit ei dicere. Ante Pascha sibi quodammodo esse reuelatum, quasi ipse ex hoc mundo ad Patrem ante hoc Pascha esset transiturus. Cui virgo respondit, quòd vsque ad futuram Pentecosten sibi expectandum foret; & quòd adhuc iterum post Pascha eam visitare deberet. Quod dictum quàm verum fuit, rei exitus probauit. Nam post verba in breui obijt, anno Domini millesimo quadringentesimo tertio decimo, in vigilia Pentecostes, hora duodecima mediæ noctis, tertio Idus Iunij, quo agebatur festum sancti Barnabæ Apostoli. Defunctus autem deuotus & misericors Pater Wermboldus, dilatus est ab aspectu gloriæ faciei diuinæ nouem ferme diebus, sicut huic virgini reuelatum fuit diuinitus.

4. Cùm autem iste venerabilis pater ante mortem suam cùm virgine loqueretur, ipsam paternaliter consolando, & illa quodammodo conquereretur, ex prolixitate infirmitatum suarum satis se grauari; Respondit sacerdos ad ampliora patienda eam exhortando, & quasi prophetando; quia oporteret eam amplexari adhuc maiorem tolerantiam, eo quòd forsitan medietatem temporis passionum suarum vix implesset. Et hoc ita contigit, sicut præconizauit. Dicebat namque eam, fundamentum valde latum

& amplum in cæleſtibus collocaſſe, cuius ſtructura ſuperædifianda non poterat in breui conſummari. Vixit autem virgo poſt obitum huius dilecti patris, annis viginti in doloribus magnis & plagis multis ſibi præuaticinatis: quam Deus tamen conſolabatur, & confortabat raptibus frequentibus, per inſpirationem ſancti Spiritus & viſitationem ciuium ſupernorum.

CAPVT XIII.

De diuerſis raptibus eius, & cognitione de ſtatu quorundam religioſorum.

1. RApiebatur itaq; ſæpiſsimè virgo hæc debilis corpore, ſpiritu feruens, in extaſim per exceſſum mentis: ſed nō erat in eius raptu rara hora & breuis mora. Quadam vice, religioſus quidam interrogauit eam de ſtatu ſuo, & patientia tribulationum ſuarum, quas quotidie patiebatur. Cui illa reſpondit, ſatis exceſſiuè & ſupra vires ſuas ſe grauari: & niſi pius Dominus baculo conſolationis eam ſuſtentaret, facillimè ſub onere dolorum deficere poſſet. Aiebat namque diuina miſericordia affluente, quaſi omni nocte per longam morulam vnius horæ vel ampliùs, ſerapi ad cæleſtia ſpeculanda: quorum delitijs tantopere reficiebatur, quòd non ſolùm ſibi tolerabilis, ſed etiam quælibet amariſsima tortura delectabilis efficiebatur. Rapiebatur etiam ad loca purgatoria & infernalia tormenta; vt videndo horrida ſupplicia patientius ſuſtineret præſentia flagella; atque intimè compatiendo, libenter pœnitentiam ageret pro his, qui liberatione indigebant. In huiuſmodi & alijs felicibus raptibus, ferè triginta quatuor annis, in lectulo doloris recubans, viſitata fuit & in ſpiritu confortata: certis tamen ex cauſis (vt præfatum eſt) diuinis raptibus priuata. In multis denique geſtis ſuis, per contrarios euentus Deus eam probans ſæpe humiliauit, & crebrò viſitans altiùs eleuauit. Horum igitur raptuum occaſione, multas eccleſias, & religioſorum monaſteria, & diſpoſitionem locorum, & ſtructuram eccleſiarum cognoſcebat: perſonas quoque religioſas, quas nunquam viderat, nominatim cognouit; & qualia circa eas diuinitus acta fuerant, alijs nonnunquam referebat.

2. Dixerat aliquando cuidam Priori, quòd ita monaſterium ipſius & eccleſiā cognoſcebat, ſicut ipſe: & quòd per noctes dormientibus fratribus, dormitorium eorum viſitare ſolebat; & circa lectulos fratrum, Angelos ſanctos ſtare videbat.

3. Erat quidam iuuenis Henricus nomine, de Hagis villa Ducis Hollandiæ natus, quem virgo priùs nunquam viderat; qui gratia Dei inſpiratus, neſcientibus parentibus eius, habitum ſan-

ctæ religionis apud Carthusienses, in partibus Brabantiæ prope Diest quæsiuit, & accepit. Cuius pater Wilhelmus nominatus, nesciens quid circa filium suum actum fuerat, ingressus est ad virginem forsitan aliquid quæsiturus. Qui statim proprio nomine & agnomine ab ea vocatus, audiuit virginem prospera filio suo imprecantem, & super bonis à Deo ei factis congaudentem. Super quo ille miratus, causam huius congratulationis scisciatus est. At illa stupori eius verbum iucundum adijciens, respondit eum in supradicto monasterio sanctæ religionis habitum induisse.

4. Erat & alius religiosus de Dordraco natus, sed in Emstem regularis professus; qui quadam vice cellulam virginis, ad visitandum eam tacitus intrauit: quem illa proprio nomine appellans, gratiosè satis salutauit. Et quamuis fortè eum priùs semel viderat, pro tunc certè corporaliter non videbat. De quo etiam ille stupefactus quæsiuit, vnde eum sic nosset? Cui illa simpliciter respondens, Dominus (inquit) donauit. Hæc duo exempla pro nunc sufficiant, quæ frater Hugo quondam Supprior in Brielis, ab ore eorum quibus contigerunt, personaliter audiuit, & testis veraciter existit.

CAPVT XIV.

De apparitione & cognitione Angelica claritatis circa eam.

1. COmplebatur luculenter in hac probatissima virgine, quod olim Dominus Moysi & filijs Israel, terram promissionis intrantibus dicebat: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te; & custodiat semper, & sit ductor itineris tui.* Legitur in multis libris Sanctorum de apparitionibus Angelorum, & nunc similia probari possunt in hac paupercula Lydia virgine, ex testimonio multorum religiosorum.

2. Visitabatur etenim creberrimè ab Angelo sancto, à quo etiam tangebatur, digna eius consortio ac fulta præsidio: quem ita personaliter cognoscebat, sicut amicus suum cognoscit amicum. Similiter cognoscebat etiam Angelos confessorum suorum, aliorumque familiarium suorum, ac multorum extraneorum. Apparebat autem ei idem angelus diuersimoda effigie, interdum in forma viri pulcherrimi, semper tamen cum magna claritate, vtpote angelus lucis, minister & signifer æternæ lucis. Nonnunquam verò claritas illa tanta erat, quòd si mille soles in virtute sua inuicem lucerent, non tamen huic angelicæ claritati æquiparari possent. Interdum verò minor apparebat: semper tamen Dominicæ Crucis vexillum in fronte præferebat, ne fortè

ab

ab Angelo Satanæ deciperetur; qui in Angelum lucis se transfigurans, frequenter ei apparebat. Si verò propter frequentiam visitantium aliquando turbabatur; aut propter præsentiam vel cõtactum quorumlibet inhonestorum, puritas eius maculabatur; ne hęc leuis culpa in cãdido vellere diu maneret, nec impunita transiret, præfatis Angelicis visitationibus & diuinis raptibus priuabatur.

3. Interdum quoque, cum quibusdam spiritualibus defectibus soli Deo & angelis cognita, in conscientia grauabatur: horum occasione scrupulosè castigata, à consuetis raptibus etiam impediebatur. De quibus in mortariolo cordis contrita, Angelo sancto ductori suo confiteri solebat; sicque humili confessione purgata, ab eodem præcedente ad quæ ducebatur, sequendo properabat. Docebatur autem ab eodem Angelo sancto, qualia sibi & qualia confessori suo deberet confiteri: quia quotidie quotidianos excessus suos confitebatur, iuxta illud psalmistæ verbum: *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

CAPVT XV.

De mirabili modo internæ commotionis, ante raptum spiritus eius.

1. IN illa indicibili nobis separatione spiritus ab anima, antequam extra se virgo sancta raperetur, primò tantam circa vitalia pectoris & cordis angustiam sentiebat, quòd vix prævalens respirare, morituram se æstimabat. Verùm postea in huiusmodi spiritualibus raptibus, propter consuetudinem assuefacta, tales angustias non est passa. Cùm igitur spiritu ad prædicta loca raperetur, corpus eius quasi mortuum & exanime in lectulo remanebat adeò immobile, quòd si quis illud tetigisset, ipsa non sensisset. Similia quædam legũtur in vita sancti Thomæ de Aquino. Ideo nemo dubitet de veritate nouitatis huius virginis; quã Deus lætificauit ineffabilibus raptibus suis.

2. Contigit ergo in raptu quodam, vt Angelus apprehensa manu eius, duceret eam vsque ad altare chori beatæ Virginis ecclesiæ Schiedamensis. Cumque ibidem orasset beatam virginem deuotè salutando, ducebat eam Angelus versus orientem, per amœna loca rosarum & liliorum, omnique genere florum consita, ac aromatibus respersa. Appropinquans ergo his locis, inuitabatur ab Angelo, vt ingrederetur: sed illa propter reuerentiam eorum non audebat intrare, ne pedibus suis florida prata conculcaret. Tandem Angelo affirmante, quòd non essent ab ea conculcanda, secundùm monita eius & inuitationem ingrediens,

sequebatur eum quocunque præcedebat. Interdum autem flores isti tantæ celsitudinis & densitatis erant, quòd ipsa causabatur se non posse eos pertransire: ac tunc Angelus eam, sicut quondam Abacuc prophetam transtulit: ita & eam apprehendens, mox per eosdem flores in locum, ad quem pergebant, confidenter transponebat.

CAPVT XVI.

De spiritu prophetiæ eius, qua multa secreta alijs reuelauit.

1. COnstat autem hanc virginem, etiam multa secreta, tam de viuis quàm defunctis cognouisse; è quibus aliqua pro vtilitate & consolatione amicorum indicauit: plura verò sub silentio humiliter reseruauit. Siquidem incendium ciuitatis Schiedamensis, longè antè præsciuisse creditur: eo quòd priusquam contingeret, prouisionem asserum in pariete domus suæ fieri iusserat. Quærentibus ergo cur hoc faceret, dicebat: Quia si incendium oriretur, tunc facilius eam amotis asseribus exportare foras, & vltra fossam transuehere possent.

2. Igitur anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octauo contigit, quòd quidam nautæ de Schiedam pro haleecibus perrecturi, cœnam magnam socijs & amicis suis ad valedicendum eis, ipso die S. Arnulphi episcopi & confessoris, studiosè parauerunt; lætantes quidem de præsentibus bonis, nil de futuris malis formidantes. Peracta itaque cœna, cùm ignem sub vasculo circa parietem arundineum operuissent; tunc ecce circa vndecimam horam noctis instantis, paulatim incendium exoritur, quod per reliquum noctis spatium desæuiens processit: ita quòd ferè tota ciuitas, cum ecclesia & domo fororum ecclesiæ proxima combureretur.

3. Quo facto, quamplures homines ciuitatis illius pro certo tenebant, hoc grande incendium propter peccata quorundam hominum contigisse: qui inter cætera peccata, præfatæ imagini beatæ Mariæ virginis irreuerentiam exhibuerant. Inter quos erat femina sæcularis & dissoluta, seculi vias latas sequens cum dissolutis. Post cuius mortem, sacerdos quidam huic virgini familiaris petijt ab ea, vt pro se oraret; quatenus ipse aliquid certi, de statu mulieris defunctæ perciperet. Quod cùm virgo annueret, & faceret, idem presbyter in visu noctis raptus ad loca infernalia, vidit præfatam feminam igneis catenis ligatam, in inferno teneri; quod & huic virgini, cum stupore referebat & dolore.

CA-

CAPVT XVII.

De quodam Sacrist defuncto, & alijs pluribus defunctis.

1. ERat quidam Sacrista, Balduinus nomine in villa Ouderschie, ab antiquitate sic dicta, qui infirmatus obijt in nocte conuersionis S. Pauli, cuius nomen hæc virgo priùs ignorabat. Eadem verò nocte virgo orationi vacans, solito more à sensibus rapta, venit ad quendam montem, ad cuius radicem videbat hominem tunc sibi incognitum, volentem montem ascendere, sed præ inualetudine non valentem. Quem cùm, ob rogatum eius, in humeris suis impositum sursum portasset, mirata de ponderositate eius, quæsiuit, quo nomine vocaretur? Qui respondens ait: Balduinus de Velde. Manè facto, dominus Ioannes confessor virginis ingressus cellulam eius, inuenit eam quasi præ lassitudine magni laboris grauiter suspirantem, & præ defectu vix anhelitum trahere valentem. Interrogauit ergo sacerdos causam huius anxietatis & fatigationis. Quæ rem in visione ostensam ex ordine pandit, & nomen viri priùs ignoti quòd Balduinus vocaretur, edicit. Super quo miratus sacerdos ille, recordabatur Sacristę in Ouderschie, qui Balduinus vocabatur, sed agnomen eius ignorabat. Post biduum idem sacerdos causa celebrationis venit ad villam illam, interrogans feminam quandam de statu & agnitione eiusdem Sacristæ. Quæ agnomen illius, sicut virgini fuit reuelatum, edixit: asserens similiter eadem nocte defunctum, qua & virgo cum de radice montis ad cacumen portauerat.

2. Alia quoque vice solito more rapta, venit circa quendam montem, videbatque diuersos diuersimodè oberrantes: alios ad radicem montis, alios altiùs enitentes, & alios in eminentiori loco montis versantes, volentes quidem montem ipsum ascendere, sed non valentes; sed nec, qui eos iuuarent, auxiliatores habentes. Intellexit ergo virgo, quid ista prætenderent: quia defunctorum animæ erant, quæ suffragia desiderabant. Cùm autem aliquæ precipuæ solemnitates instarent, per aliquot dies ante illa festa rapiebatur ad loca purgatoria vt videret calamitates afflictorum, qui auxilijs indigebant, nec sibijpsis poterant subuenire; quatenus pro eis fideliter Dominum oraret, qui pœnis grauissimis cruciati, cum beato Iob clamitare cogebantur: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

3. Reuersa igitur ad se, cùm pro eorundem liberatione quotidianas febres libenter sustineret, atque amarissimè fleret, di-

uinam misericordiam instanter exorando. Rursum in ipsis solemnitatibus rapta, pro eorum agnita redemptione tanto gaudio exultabat, quòd vix præ lętitia semetipsam capere poterat. Licèt autem cæteris diebus quam plures sæpiùs eriperet, in præcipuis tamen festiuitatibus multo plures & maiori copia (Deo propitiante) eripuit. Adeò autem acriter super miserias eorum doluit & frequenter plorabat, quòd deficientibus in ea naturalibus lachrymis, sanguineæ lachrymæ succederent: quas successu temporis super genas eius coagulatas, confessor eius cum naturalibus lachrymis exstillantibus emolliens abrasit: & in saculo ponens, apud se in scrinio reseruabat: atque post mortem eius, sicut optauit, sub capite eius in sepulchro reponebat.

CAPVT XVII.

De cautela & circumspectione eius, circa reuelationem statuum defunctorum.

1. MVltùm quidem cauta & circumspecta fuit hæc virgo, loquens de statu defunctorum, licèt sæpiùs secreta Dei non ignorabat. Quod sequenti exemplo ex verbis eius apparebit ad cautelam imperitorum, quos sepe fallunt visiones mortuorum. Post mortem igitur Ducis Wilhelmi ac Comitis Hollandiæ & Zelandiæ (sub quo virgo hæc claruit, & diu ægrotauit) rumor quidam popularis insonuit, & ad aures Margaretæ Comitissæ vxoris Ducis iam defuncti peruenit, quòd hęc virgo dixisset eum iam fore saluatum. Audierat enim, quòd hæc virgo per triduum mortua fuisset, & reuixisset.

2. Misit ergo nobilis ac reuerenda Domina ad eam vnum de famulis suis, vt inquireret huius rei veritatem. Interrogata igitur super vtroque ab ipso nuntio transmisso, ad vnum ita respondit: Si triduo mortua fuissem, Schiedamenses diu me sepelissent. Ad aliud verò, sicut ridiculosum iudicabat, quòd interrogabatur, ita quodammodo respondit dicens: Si ille iam esset in æterna vita, tunc Dominus iniuriaretur mihi, quæ decem & septem annis grauissimis infirmitatibus detenta, de lecto non descendi, nec terram tetigi. Quapropter precor, ne occasione mei peccetis, sicque nuntius, qui incertus venit, incertior inde recessit. De pluribus tamen religiosis defunctis, certam nonnunquam dabat sententiam, quòd essent saluati, & in gaudium Domini sui introducti. De nouissimis quoque temporibus & aduentu Antichristi dicere solebat, quòd ipsa neutrum horum esset visura.

CA-

CAPVT XIX.

De tentatione cuiusdam viri, consilio virginis à laqueo diaboli liberati.

1. CIuis quidam honestus ac Scabinus ciuitatis Schiedamensis, grauiter à diabolo tentabatur, ad inijciendum sibi ipsi manus violentas, per suspendium laquei mortis. Habebat autem sacerdotem & capellanum bonum Ioannem nomine, Dei gratia adornatum, qui coram eo missas celebrare, & pro eo orare consueuerat. Quoties igitur eum tentatum nouerat, vix ei persuadere poterat, ne sibi crudelem morté inferret. Sed cùm ille violentię tentationis resistere non posset, nec confessor eius à laqueo suspensionis tentatum cohibere; sacerdos anxius satis de periculo, ad virginem pro consilio accessit, interrogauitque, quid sibi circa tentatum faciendum esset? Tunc illa sciens diabolum non posse sustinere, quòd artes malitiæ suæ verterentur in arma salutis, suasit presbytero, quatenus si tentatus suggestioni diabolicæ resistere non valeret, hoc ei pro pœnitentia iniungeret, quod hostis malignus ad ruinam suggerebat.

2. Quo audito, confessor metuens ne perditionis eius causa existeret, non audebat tentato dicere, quod consulebatur. Illa verò in Deo confidens, iussit, vt in conscientia sui fiducialiter id ageret. Dum ergo quadam vice circa tentatum sacerdos opportunitatem nactus, feciſſet, quod virgo consuluit, tentatus flexis genibus gratias egit: quia quod diu desiderauerat, iam tandem obtinere meruit. Statimque domum reuersus, funem trabi applicans, & collo suo circumuoluens, sedem ascendit, vt illaqueatus se suspenderet.

3 Sed ô mira Dei clementia, & ineffabilis diuinæ miserationis prouidentia, qui fallacias diaboli conuertit ad liberationem serui sui, propter obedientiam sacerdotis, acquiescentis consilio virginis Christi. Videntes ergo dæmones & inuidentes, eum tali morte sibi auferendum, violenter apprehensum cum laqueo abrumpentes dixerunt, Non vos modo suspendetis. Iratique vehementer, post tergum cuiusdam scrinij, inter parietem & ciſtam eum proiecerunt & intruserunt. Vnde per trium horarum ferè spatium, à domesticis multum quæsitus, & tandem cum omnium admiratione inuentus, non nisi per ablationem ciſtæ extractus est, ac deinceps mansit à tentatione liberatus.

CA-

CAPVT XX.

De femina, meritis B. Mariæ Virginis, à fouea desperationis liberata.

1. IN eadem ciuitate Schiedam erat fœmina quædam pusillanimis & timorata, quam diabolus in desperationis barathrum ferè præcipitauerat. Obiecit namque ei sæpius per somnium scedulam, cum peccato quodam ab ea commisso, quasi necdum diuinitus dimisso neq; dimittendo: cùm tamen ipsa illud sacramentaliter sæpius confessa absolutionem suscepisset, & pœnitentiam iniunctã egisset. Cùm ergo cordis sui angustias huic virgini crebriùs exponeret, & illa benignis consolationibus desolatam refoueret, nec tamen quantum vellet, circa eam proficeret, eo quòd princeps mortis, nouis semper terroribus per somnium eam, sicut priùs, conturbaret, dicens: Nequaquam manus meas euadere poteris, quia literis istis te mihi confirmatam & subiugatam habeo.

2. Contigit ergo quadam vice, vt virgo orationibus dedita, ad cælestia rapta, eundem videret dæmonem chartam ipsam in manu gestantem: sed manu B. Mariæ Virginis de manu eius violenter est ablata & rupta. Potens enim erat misericors Domina, omnia machinamenta diaboli dissoluere, & tristem animam fiducia bonæ spei consolari. Hæc postmodum virgo sensibus corporeis restituta, domino Ioanni Walteri confessori suo retulit, malitiam diaboli per pietatem B. Virginis destructam ostendens. Post hæc femina prædicta, sicut priùs, desolationis suæ querimonias coram virgine deposuit: quam illa blandè consolans, tacita tamen chartæ destructione, præcepit vt secura deinceps esset, nec quicquam mali super hoc sibi euenturum formidaret. Sed & seipsam obsidem pro conscientia illius in die iudicij offerens, ac diuinæ pietati per omnia confidens, ab omni præhabita trepidatione liberam eam reddidit & pacatam.

CAPVT XXI.

De gratia magnæ compunctionis, & largæ effusione lachrymarum, in communicatione corporis Christi.

1. NVnc consequenter dicenda sunt aliqua, de statu sacræ communionis huius deuotissimæ virginis: qualiter ipsa (aspirãte diuina gratia) paulatim profecit ad altiora dona, frequenter accipiendo pretiosi corporis Christi sacramenta.

2. Eo igitur tempore ariditatis suæ (quando virgo adhuc nescia spiritualis dulcedinis, langueret in lectulo acerbissimi doloris)

fuit

fuit deuotus quidam sacerdos, Dominus Ioannes Pot dictus, qui eam bis in anno communicare solebat, & primitus ad meditationem Dominicæ passionis informauerat. Hic ergo curam gerens salutis ægræ virginis, cùm quodam die eam communicaturus esset, accipiens in manibus suis sacram & incontaminatam hostiam, indicabat ei seriosè satis & affectuosè, quatenus aspiceret & susciperet eum, quem in manu tenebat: sciens pro certo, quia ille foret Dominus Deus creator suus, qui pro ipsa fuerat incarnatus, passus, ac mortuus: qui etiam omnem, quam patiebatur tribulationem, copiosissimè sibi esset remuneraturus, ac omnem dolorem mitigaturus. Quibus verbis adeò statim ipsa compuncta fuit, & quasi quibusdam igniferis amatorijs iaculis vulnerata. Et sicut prius præ dolore cordis & impatientia sensus, non poterat cessare à lachrymis multis: ita & nunc per quindenam ferè vel amplius, non valebat se continere à fletibus, præ magnitudine contritionis & diuini amoris. Dolebat namque & plorabat, pro cæcitate præteritæ negligentiæ & obtusitatis suæ diuturnæ, in qua tamdiu impatiens & inconsiderata fuit: quòd nec matris nec cuiuscunque hominis consolationem admittere poterat, nec causam lachrymarum alicui indicare.

3. Exhinc iam recepto salutari sacramento cum magna contritione, cœpit frequentibus consolationibus diuinis refoueri, licèt nondum per raptum contemplationis excederet. Nec tamen interrogantibus, volebat causam lachrymarum suarum patefacere: ne manna absconditum, quod gustauerant, perderet; sed reticendo, securius in corde seruaret. Vtebatur autem per diuinã dispensationem huiusmodi consolationibus octo ferè annis, antequam inciperet extaticè rapi extra corporis sensus.

4. His igitur duobus adiutorijs, scilicet sacra communicatione corporis Christi, & deuota meditatione Dominicæ passionis, quasi quibusdam duobus amorosis brachijs, amplexabatur dilectum Sponsum suum Iesum Christum. Ideoque confidenter cum sponsa in amoris cantico dicere poterat: (cuius ineffabilis dulcedinis gratiam in se frequenter per experientiam sentiebat) Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Sicut enim myrrha mortuorum corpora à putrefactione præseruat, ita & quotidiana passionis Christi exercitatio, mentem eius ab impatientia & murmure præseruabat. Et sicut panis materialis manducantem roborat, ita susceptio corporis Christi spiritum eius reficiens, vitam & lætitiam ei conferebat.

CA-

CAPVT XXII.

De insatiabili desiderio eius ad communicandum sapius, & de apparitione pueri crucifixi.

1. CVm Saluator noster Iesus Christus euangelium regni cœlestis prædicaret, inter multa cælestia verba quæ docuit, hoc saluberrimum fidei verbum de sacramento corporis sui dicebat: Qui manducat me, & ipse viuet propter me: scilicet, vel spiritualiter tantùm, vel etiam sacramentaliter & spiritualiter me manducando. Aut certè nunc viuet in vita gratiæ, & in futuro in vita æternæ gloriæ mecum regnando. Hoc enim sacra communicatio corporis & sanguinis mei significat. Quæ fidelis promissio in hac virgine indubitanter completa est, Christo mirabilia sua in ea benignissimè operante. Nam cùm primam ferè medietatem temporis ægritudinum suarum, parco valde & superhumano vteretur alimento: (prout in prima parte huius libri habetur) insuper & cùm per reliquum totum tempus vitæ suæ, nullum penitus cibum nec potum sumeret: non tamen poterat hæc sancta famula Dei ab hoc vitali cibo & viuifico corporis Christi sacramento penitus abstinere. Nam quantum per corporales infirmitates deficiebat in corpore, & corporalem cibum minùs sumebat; tantum desiderium cœlestis & diuini panis in ea crescebat: atque mediante eo in spiritu confortabatur, & spiritualiùs intus viuebat. Vnde in principio ægritudinum suarum, per tres aut quatuor annos, semel in anno (in festo Paschæ) communicare solebat; postea verò incipiente consolatione diuina, per aliquot annos bina vice Christum accipiebat.

2. Post hęc matre defuncta, in tantum desiderium eius crescebat & afficiebatur ad communicandum, quòd sex vicibus aut ampliùs, corpus dominicum plena fide & deuotione præcipua, in singulare animæ suæ solatium & subsidium sumebat. Et hoc ipsum frequentiùs accepisset, nisi curatus ecclesiæ sibi denegasset. Vnde & si quando ab eo sacram communionem corporis Christi susciperе petebat, inuitè satis & contra voluntatem suam ad eam veniebat, super quo ipsa valde dolebat. Nam quanto diutiùs ægrotando iacebat, tanto ampliùs corporaliter cruciabatur & deficiebat. Et quanto plus in corpore cruciabatur, tanto magis in diuino amore feruebat. Et quanto magis ad amorem Dei inflammabatur, tanto omnipotentis Dei gratia ampliùs in ea operabatur.

3. Post hæc mirabilis quædam visio apparuit virgini, desiderio

rio communicandi flagranti. Nam quædam visibilis imago pueri crucifixi, cum quinque vulneribus apparuit ei in lecto cubanti; quæ postea in hostiam sacramentalem cum eisdem vulneribus versa, in aere supra mappam lecti eius pependit, qua virgo erat pro parte cooperta. Misit ergo nuntium curato ecclesiæ, vt ad se veniret, & Christum in hostia sibi apparentem videret: quam etiam quidam alij oculis suis viderunt. Deinde petijt, vt hanc hostiam sibi communicandam tribuat, ac dictis eius & operibus diuinis non diffidat. His auditis, licèt dubius tradidit ei hostiam visam, quam virgo sibi dari petijt, & reuerenter accepit. Post huius hostiæ mirificam apparitionem & deuotam susceptionem, tanto diuino amore & sacræ communionis desiderio cor virginis accendebatur, quòd pluribus annis per omnem quindenam, venerabile Eucharistiæ sacramentum de manu sacerdotis sumebat: quem etiam multa prouidentia & subtilitate ab hoc vti oportebat: quia aliàs illud insumere præ debilitate non potuisset. Postea verò parum aquæ pro ablutione ei porrigebat, ob cuius modicitatem, tantam difficultatem patiebatur in gutture, quòd vix poterat eam deglutire. Interdum tamen non porrigebat aliquam ablutionem, propter nimiam insumendi grauitatem. Et hic quidem status communionis eius, vsque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum vigeſimum primum.

4. Ab hinc autem vsque ad mortem suam, communiter patiebatur febres quartanas, & interdum quotidianas pro subleuatione animarum à purgatorio. Quo tempore, tanto diuino amore flagrabat, quòd communiter (quando tempore quartanę febris accessum febrilem non patiebatur) duobus diebus coniunctim de manibus confessorum suorum communicabat. Erat autem hoc sanctum & venerabile corporis Christi sacramentum virgini infirmanti, non solùm spiritualis animæ eius refectio, sed etiã corporis afflicti releuatio quædam & sustentatio. Præcipuè tamen, tempore subtractæ gratię ac diuinæ consolationis priuamine, hoc sacrosanctum Dominici corporis epulum, crebriùs sumebat in singulare subsidium. Nam interna diuinæ consolationis gratia, erat sibi corporis & animæ refectio, quam sæpiùs experiebatur in abundantia spiritus & lætitia cordis: ex cuius iterum carentia, in tantum corpore debilitabatur, quòd quasi sine spirituali refectione, non valeret sustinere & corporaliter viuere. Ideo (vt dictum est) corpus Christi ardenter sitiebat, & in sustentaculum vitæ accepit; ne in peregrinatione præsenti, sub onere afflictionis lassata expiraret. In cuius sumptione, tanto diuino lumine frequenter illuminabatur, quòd sicut corporalibus oculis

cor-

corporaliter videbat: ita & ipsa super cæleſti hoc lumine perfusa, omnia interiora ſua oculo mentali perſpiciebat. Hoc idem & in cæteris temporibus ſæpe ei contigit, in præſentia luminis diuini & raptu vitæ contemplatiuæ. Vnde & poſtea tempore ariditatis ſuæ & ſubtractione conſolationis, cùm per diuinam diſpenſationem hanc illuſtrationem non ſentiret, dicere intra ſe ſolebat: O vbi nunc ſunt dies illi, in quibus interiora mea interno oculo ſolebam intueri, ſicut corporis oculo corporalia videbam? Sicque in ea perficiebatur illud Sapientis dictum: *In die bonorum, ne immemor ſis malorum: & in die malorum; ne immemor ſis bonorum.*

CAPVT XXII.

De febre Balduini pueri, & domini Ioannis confeſſoris eius.

1. HAbebat autem apud ſe virgo deſolata pro aliquali ſolatio, in extremo tempore ægritudinis ſuæ filium fratris ſui Balduinum nomine puerum duodennem, quaſi continuè ſibi miniſtrantem. Qui, vt firmiter retineret, quæ apud eam mirabilia fiebant, & frequenti experientia cernebat, ſalubri verbere & pro quodam miraculo, in recordatione mirabilium ſuorum, infirmitatem febrium ei à Domino procurabat. Vtebatur namque idem puer iuuenculus amphora quadam, ex qua potare ſolebat.

2. Circa feſtum igitur Natiuitatis beatæ MARIAE virginis, anno illo ante diem obitus ſui, præcepit virgo eidem puero veſpere iam facto, vt amphoram ſuam tenui potu repletam, apud lectulum ſuum collocaret. Manè facto adnocans puerum, iuſsit vt amphoram tolleret, & potaret. Cùm ergo amphoram accepiſſet, inuenit eam nouo quodam poculo Dei dono repletam: quaſi in ea eſſet confectio facta ex mixtura cinnamomi, & aliarum ſpecierum ſuauiter redolentium, ac ſaporosè guſtantium. Sicut autem hæc virgo ſecundùm multitudinem tribulationum, quibus quotidie flagellabatur, diuinis etiam conſolationibus refouebatur: ſic è conuerſo, prædictus puer accepto & potato, quantum volebat, de præfato poculo; eodem die cœpit languere, & ſucceſſiuè diuerſis febribus inquietari, vſque circa feſtum natalis ſancti Martini Epiſcopi, eiuſdem anni tempore hyemali. Ex eodem autem poculo miraculoſo, diuerſi homines etiam potabant, non tamen aliquas infirmitates, ſicut præfatus puer incurrebant. Similiter & diuerſi alij liquores in eandem amphoram per integram hebdomadam miſsi, ſaporem ſuauiſsimi poculi bibentibus præbuerunt, abſque moleſtia tamen alicuius infirmitatis. Hoc

ergo

ergo poculum, quod puero fuit in signum flagelli, alijs gustantibus extitit in solatium noui miraculi.

3. Curato autem puero à febribus suis, rursus extensa est manus Domini in sacerdotem huius virginis. Nam dominus Ioannes confessor eius, in febres quartanas incidit; & eodem die quo virgo solito more febricitabat, & ipse percussus rigorem febrium sustinebat. Hęc videns soror domini Ioannis, interrogabat virginem, quamdiu febres fratris sui deberent durare. Quæ respondit, eum circa Dominicam primam quadragesimæ sequentis esse liberandum. Quod & ita factum est, vt prædixit. Et cùm idem dominus Ioannes, graui infirmitate vsque ad mortem ægrotaret, virgo ei compassa, magna instantia precum suarum, mortis dilationem & vitæ prolongationem, à Domino misericorditer eidem impetrauit.

CAPVT XXIV.

De dolore calculi illius, & de præscientia ante diem obitus eiusdem.

1. VIrgo Christi Lideuuigis, in multis examinata doloribus, vt non remaneret in ea peccati macula, tandem adhuc vna acutissima plaga percussa est & purgata. In vltimo igitur anno vitæ suæ, à festo Purificationis vsque ad festum Paschæ sequentis, cum alijs infirmitatibus, quas priùs diutissimè habuerat, tanta molestia calculi grauabatur, quòd frequenter duabus vel tribus vicibus, vna hora quasi exanimis facta, loqui non poterat. Qua angustia cum vehementi morsu dentium, sine verbis impatientiæ, vix transacta & cessante, paucissimis verbis vix vti poterat ad loquendum. Dicebat autem, quia idem calculus mortem sibi esset illaturus, quantitatem habens quasi vnius oui columbæ.

2. Eo quoque tempore ita rarò per internas consolationes diuinitus visitabatur, quòd domino Ioanni confessori suo, quodammodo se derelictam à Domino præ solito, cum lachrymis conquerebatur. In qua tamen desolatione, maius meritum per patientiam ei accreuit: quia conformior Christo in cruce patienti reddebatur, qui voce magna ad Patrem clamauit dicens; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ipsa autem sancta virgo, sicut vera amatrix & baiulatrix crucis, continuabat & tolerabat infirmitates suas vsque ad mortem, quam etiam longè antè (Domino reuelante) præsciuerat. Nam cùm quidam religiosus Prior, ab ea demandatus, ad eam veniſſet, (scilicet in profesto Cathedræ sancti Petri, eodem anno quo obijt)

altera

altera die summo manè admonitus est idem Prior à domino Ioanne confessore virginis, vt intraret cellam eius, si quid gratiæ spiritualis circa eam vellet experiri.

3. Cùm ergo cellam eius intrasset, tantam odoris suauissimi fragrantiam in ea persensit, quam virgo tunc à Domino visitata, & ad loca cælestia perducta reportauerat; quasi in eadem cella diuersæ species aromaticæ repositæ fuissent. Post mutuum igitur diuinumque colloquium de his propter quæ Priorem vocauerat, admonuit eum, vt in festis Paschalibus ad eam rediret, ad conferendum adhuc de ijsdem melius, prout Dominus donauerit. Quòd si eam nō inueniret, quòd tunc ex charitate pro ea oraret. Ex quibus verbis liquidò patet, hoc eam de morte sua dixisse, licèt mentionem mortis non expresserit.

CAPVT XXV.

De gratia in nocte Paschali, & prophetia mortis eius.

1. ADueniente autem solemnitate Paschali, in ipsa sacra Dominicæ Resurrectionis nocte, circa horam quartam diluculo illucescente, prædictus dominus Ioannes confessor eius, ad inuisendam virginem accessit: qui tam ex odore manuum eius, quàm ex verbis ipsius clarè percepit, quòd more solito, ab Angelo sancto visitata fuerat. Tantam enim suauitatem apud eum sentiebat, quòd putabatur diuersorum aromatum vnguentis peructa. Super quo, cùm ille ei congratulans Domino gratias ageret, ipsa ad se post habitam visitationem reuersa, fatebatur se diuinitus consolatam: pœnas tamen grauissimas sibi instare asserebat, quas per eadem festa passura erat.

2. Dicebat quoque se in eadem nocte audisse, in cælestibus alleluia cantari: atque sperabat, quòd idem canticum alleluia, cum cælestibus spiritibus breuiter in maiori gaudio & consolatione esset cantura: leuius quoque se habituram ab illis grauaminibus, si festa Paschalia transissent. Quod de mortis exitu dixisse videtur, quamuis breuiter se morituram non indicabat. Singulis tamen diebus, scilicet ipso sancto die Paschæ cum duobus sequentibus, dicebat aduentantibus: quòd pœnæ, quas patiebatur, non essent diu duraturæ, sicut postea rei probauit euentus.

CA-

CAPVT XXVI.

De felici obiti eius & doloribus in extremis.

1 IGitur cùm feria tertia infra octauas paschæ ingrueret, virgo mitis & patiens, volens se plenius recolligere, supplicabat domino Ioanni confessori suo, qui manè ad eam veniebat, quatenus nec ipse nec aliquis diligentium eam, ipso die ad visitandum eam intraret; excepto puero Balduino, qui ei sedulò vsque ad mortem seruiebat. Quòd & factum est, vt secundùm desiderium cordis sui, solitariè & ab omnibus desolata moreretur. Siquidem præfatus confessor eius cuidam religioso referebat, quòd ante quatuor vel quinque annos oblitus eius, audierat eam Dominum rogantem, quòd non nisi se solo teste & ipsa sciente moreretur. Itemque petierat, quòd pœnas & infirmitates suas multiplicaret, dies suos abbreuiaret, horam mortis acceleraret, ac breuem mortem redderet, Quòd & factum fuit, vt iam è vicino patebit.

2. Omnibus igitur familiaribus domus suæ exclusis, & domino Ioanne absente, qui pro tunc vigilias defunctorum, pro quadam matre sororum defuncta legerat: virgo ad extrema tendens (præsente solo præfato puero, qui ei testam porrigebat, & effusa per vomitum exportabat) in tantum angustiabatur, in ipsis vomitibus expuendis, quòd conquerendo puero ministro suo dicebat: Charissime fili, vtinam sciret dominus meus Ioannes, quantum nunc grauor. Nec mirum, si in his angustijs grauari se fatebatur, cùm dolor super dolorem in ea aduenies augebatur.

3. A septima namque hora eiusdem diei, de manè vsque circa quartam horam post meridiem antequam moriebatur, ferè viginti vicibus euomuit materiam satis viridem, quam de fellis amaritudine exisse putabat. Cumque puer præfatus his visis & auditis interrogaret eam, an vellet dominum Ioannem aduocare: Tandem aduenient vltimo vomitu, tantam difficultatem in eo patiebatur, quòd materiam in gutture collectam non valens eijcere, cœpit ex eo suffocari. Quod cernēs puer innocēs, suspicatus eam statim morituram, flens cucurrit foras, & nuntiauit hæc domino Ioanni ac cæteris condomesticis illic congregatis. Qui cùm similiter flentes accurrerent, inuenerunt eam agonizantem. Tunc dominus Ioannes apprehensa manu eius, petijt ab ea signum, an viueret, vel si vellet inungi. Cumque illa reticeret, accenso lumine & lucernæ imposito, applicuit sacerdos lucernē retrò à capite eius, putabat enim eam adhuc viuere, & ideo non

posse lumen sufferre, inuenit eam defunctam, & præsentis vitæ euasisse miseriam.

4. A tempore autem quo vltimè loquebatur, vsque ad expirationem eius, vix spatium trium psalmorum Miserere interceßit; sicque finis eius breuis apparuit, quemadmodum à Domino dia antè petierat. Obijt autem virgo patientißima, Deo & angelis gratißima, decimo octauo Kalendas Maij, ipso die sanctorum Martyrum Tyburtij & Valeriani: anno dominicæ incarnationis millesimo quadringentesimo tricesimo tertio, feria tertia infra octauas Paschæ, circa quartam horam post vesperas: anno ætatis suæ, quinquagesimo tertio, qui secundum cursum festiuitatis completus fuerat ante mortem eius in die Palmarum. Et conuenienter satis (Deo moderante temporum vices) in hebdomada Paschali ex hoc seculo migrauit; vt quæ longo tempore particeps fuerat passionum Christi meditando, compatiendo; etiã cum ipso in sancta festiuitate Paschali lætißimæ resurrectionis eius, ad æternæ vitæ gaudia transiret.

5. Obijt autem electa virgo Christi, varijs tribulationum ictibus concussa, completis ab exordio ægritudinum suarum triginta octo annis, trigesimo nono incepto, angelorum choris digna associari; quæ angelicam vitam in castimonia à puerilibus studuit imitari.

CAPVT XXVII.

De mirabili dispositione brachiorum eius, & inuolutione corporis.

1 POst mortem autem eius, quædam mirabilia circa corpus eius sunt inuenta, de quibus habentur testimonia certa. Nam dextrum brachium eius, quod per multos annos ita mortuum erat, quòd non poterat illud per se mouere: sed postea per actem curationem cuiusdam chirurgi, aliquantulum mobile fiebat. Post mortem tamen eius nudato corpore sancto contra omnium spem & notitiam, nemine sciente, quo modo id factum fuerit, inuentum est cum sinistro brachio eius, quasi complicatis manibus & digitis incutuatis circa pectus eius decenter iacere. Solita namque erat adhuc viuēs quibusdam dicere, quia sperabat, quòd adhuc ante mortem suam, cum vtroque brachio extenso Deum esset laudatura; Quod & factum fuit, & multis post mortem eius clarè apparuit. Multis quoque annis, & ferè triginta ante mortem eius elapsis, cingulis cilicinis pluribus ad carnem castigandam vtebatur; cum quorum vltimo per triennium accincta, diem clausit extremum. Cùm ergo defuncta esset, & nudata

nudata pro sepultura, reuestiri deberet: inuenerunt, qui aderãt, circa scapulas eius prædictum cingulum à corpore eius solutũ, modo hominibus ignoto: sed integrum in rotundum, & à vinculis ligaturæ suæ non solutum.

2. Petierat autem diu ante obitum suum, à suprà memorato domino Ioanne confessore suo, quòd non pateretur eam post mortem longam trahere moram super terram: sed statim procuraret eam inuestiri, & secundum modum ab ea sibi dispositũ, faceret sepeliri. Quod cùm ille libenter fecisset, impeditus est propter violentiam rectorum ciuitatis, quibus resistere non poterat. Præceperant enim ei sub pœna bonorum & corporis sui, ne eam de loco moueret. Remansit ergo corpus vsque ad manè feriæ quartæ, more solito vestitum, & in ligneo scrinio reconditum, atque in eodem loco repositum, vt ferè viginti annis iacuerat viuum. Vestiebatur autem idem venerabile corpus, more religiosarum sororum, in tunica lanea, cum zona cilicina desuper accinctum, quali in vita ad carnem vti consueuerat. Deinde positum est super caput eius pileum rotundum, siue mitra quædam circularis de franceno formata: in cuius ambitu gloriosa nomina Iesus & Maria erant cum nigro incausto scripta: cum quibus plura corda depicta fuerant, quasi iaculis siue sagittis acutis transfixa.

3. Hæc autem omnia sepulturæ suæ necessaria, pluribus annis antea præparauerat: & de extremis cogitans apud se tenebat, iuxta illud prophetæ dictum: Præparare in occursum Dei tui Israel; quia veniet Dominus, & non tardabit reddere vnicuique iuxta opera sua. Sub capite verò eius (sicut desiderauerat) positus est sacculus quidam, cum lachrymis eius sanguineis suauiter redolentibus, quas rosas appellauerat: quę ex charitate magna, & cordis contritione, ab oculis eius distillauerant. Has quidem successu temporis ex oculis eius defluentes, & super genas eius coagulatas, dominus Ioannes confessor eius, cum alijs communibus lachrymis eius leniter emolliendo, cautè abraserat; & in sacculo diligenter recondens, apud se in scrinio mundo reseruauerat.

CAPVT XXVIII.

De mirabili decore & aspectu vultus eius.

1. PRædixerat autẽ virgo eximiæ humilitatis, quòd sicut cæteri homines cũ maximis pœnis morerentur; & quòd nulla miracula, in eius morte contingerent; quod & factum fuit, vt iam patuit. Sed tamen, ne Deus pauperis & humilis ancillæ suæ doloris & laboris obliuisci penitus videretur, & laudabilis

patientia eius de ore hominum tolleretur, ostendit etiam certis iudicijs coram humanis aspectibus, quàm magnis meritis micaret in cælis, diu iacens gemma nobilis in ergastulo carnis. Nam virginea facies eius, quæ virorum declinauit aspectus, vt cælesti Sponsum videret limpidiùs: nullum mortis prætendebat pallorem nec horrorem; sed quasi oleo vel aliquo aromatico liquore linita fuisset, tanto splendore & decenti albedine radiabat; vt nõ facies communis hominis mortalis, aut cadaueris defuncti videretur; sed quasi similitudo hominis glorificati aspicientibus appareret.

2. Dicebant namque, qui aderant, nunquam tam speciosam imaginem se vidisse. Vnde & licèt multi ad videndam eam pluries accesserint, non tamen poterant aspectu eius satiari. Similiter & totum corpus eadem albedine, & simili splendore nitebat; tantaque gratia sanitatis & decenti carnositate omnia membra eius refulgebant; quasi nunquam aliquid infirmitatis passa fuisset. Fractura etiam frontis eius olim in vita apparens, toraliter euanuit. Pedes quoque & crura, manus & brachia, collumque corpulentum, ac totum corpus ita integrum visum est, quasi nũquam aliquid lęsionis aut vulneris in eis priùs contigisset; Excepto tamen, quòd in vulnere dextri brachij eius, & in vno vulnere à Picardis sibi illato, paruæ cicatrices ad modum fili, in signum percussionis apparebant.

3. Habebat autem prædictus dominus Ioannes tres sorores germanas, quæ cum alijs quibusdam honestis matronis, hoc venerabile corpus custodirent. Ex aspectu autem & præsentia illius, tanta gratia replebantur, quod toto tempore (scilicet à transitu eius, vsque ad sepulturam) nec fame, nec siti, nec somnolentia grauabantur.

CAPVT XXIX.

De concursu visitantium corpus eius defunctum.

1. Omperta autem morte eius, ac fama gloriæ corporis eius longè lateque peruolante, tantus concursus hominũ fiebat ad visitandam eam, etiam vsque ad mediam noctem, per omnes dies quibus manserat insepulta: ita quòd de diuersis ciuitatibus & villis, de Rotterdam, de Delft, de Leydis, & Brielis, ac de alijs circumiacentibus oppidis & locis, tam multi ad spectaculum sacri corporis properarent; vt eorum certus numerus vltra multa millia taxari non possit, nec de facili explicari. Nam pueri trium vel quatuor annorum, quasi ad ambulandum præcincti, tam affectuosè currebant; quòd etiam homines prouectę ætatis,

ætatis, ad visitationem tantarum reliquiarum incitabant. Poterat tunc virgo dicere, si vixisset: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.*

2. Ingressi ergo domum, in qua funus sanctum erat: & quia pusilli statura pueri erant, nec se ad videndum corpus in loco, vbi iacebat; erigere poterant, plurimi eorum vociferantes ac dolentes dicebant, Nonne ego videbo hanc virginem, pro qua de tam longinquo veni? Tunc astantes leuabant eos ad videndam faciem virginis; & post visionem remiserunt eos ad propria, cum eleemosyna candidi panis. Et quod amplius mirandum est, adfuit etiam matrona quædam, cum paruulo suo vnius anni & triũ mensium: qui quidem infantulus complicitatis manibus, & facie ad funus conuersa, oculos suos ita reuerenter & seriosè in illud retorsit, quòd custodes & assessores sacri funeris, deuotionem infantuli videntes & admirantes, ad lachrymas mouebantur.

CAPVT XXX.

De maculis, quas contraxit ex contactu immundorum hominum.

1. Propter fortissimam passionum suarum tolerantiam, & frequentem cum Angelis familiaritatem, atque in cælestibus conuersationem: hæc virgo ad tantam peruenerat puritatem, vt ab indignis & immundis hominibus per manus attacta adhuc viuens, nonnunquam visibiliter maculas cõtraheret; quarum nigredines per biduum vel triduum in manibus eius remanserunt, quæ prius in ea visæ non fuerunt.

2. Sic & post obitum eius, simile quid accidit. Nam cùm facies eius post mortem ipsius, tanto splendore (vt dictum est) radiaret: accessit quædam matrona cum alijs visitationis gratia, & oratium suum, quod manibus tenebat, super faciem eius ex deuotione, sicut putabat, circumduxit: statimque facies virginalis ex illo contactu, successiuè notabiliter est obscurata. Quapropter cùm corpus eius in ecclesia positum esset, & quidam ad aspectum astantium postularent illud manifestari, & scrinium sibi aperiri; cæteri qui huiusmodi obscurationem nouerant, omnino hoc fieri prohibuerunt, timentes ne si amplius ex indignorum aspectu obscurata fuisset, alij inde scandalizarentur.

CAPVT XXXI.

De reuerenda sepultura eius.

1 TAndem feria sexta infra octauas Paschæ aduenientе, quæ fuit quarta dies à felici transitu eius, de conuallе plorationis & terrenæ habitationis clausтro, post missarum solemnia deuotissimè celebrata, tradita est sepulturæ hora duodecima meridiano sole fulgente & ad ima die decurrente; exemplo Christi, qui sexta feria passus, hora nona mortuus, ante solis occasum est sepultus. Ad cuius exequias celebrandas adfuit religiosus pater Iudocus Prior regularium de Brielis, qui sæpius cũ ea viuente fuerat familiariter loquutus, & plura sanctitatis eius arcana sagaciter expertus. Hic suasit pro meliori, & hortabatur populum, vt Christiano more famulam Dei paterentur sepeliri. His dictis, deuotio popularis Priori consensit: & statim ab eo, sarcophago firmiter obserato, corpus sacræ virginis traditur sepulturæ, (exemplo Christi sepulti in corde terræ) iterum ab ipso resuscitandum in nouissimo die, ac glorificãdum cum Sanctis omnibus in æterna beatitudine.

2 Sepulta est autem prædilecta sponsa Christi Lidia, virginitate candida, humilitate profunda, patientia expolita, charitate feruida, misericors, benigna, deuotione præcipua, contemplatione præcelsa, omnibus virtutibus & donis Spiritus Sancti affluenter decorata. Non sericis inuoluta, non in tumba marmorea clausa; sed in sepulchro de lapidibus opere cæmentarij congruenter facto. Non in ciuitate regia; sed in oppido paterno Schiedam nominato. Non in choro clericorum, aut in sanctuario sacerdotum; sed in communi cæmeterio parochialis ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ, ad australem partem templi. Vbi ab omnibus inhabitantibus possit sepultura virginis videri & visitari. Non tamen profundè in terra, nec cum terra desuper tecta; nec super terram nimis eleuata; sed super trabes ligneas, intra fossam lapideam extensas. Et hoc quidem dignè satis; vt quemadmodum in triginta annis terram non tetigerat viuens; ita nec terra eam tangeret defunctam, nec tumulus terræ operiret corporis eius arcam. Super quam positus est lapis grandis rubei coloris, diuersis rubeis crucibus ab intra decenter figuratus, duobus ferè cubitis super tumulum sepulchri eleuatus.

CAPVT

CAPVT XXXII.

De miraculis post mortem eius.

1 POst venerandæ virginis exequias, cùm multi fideles sepulchrum eius visitarent, & oblationibus spontaneis honorarent; qui se à varijs languoribus & infirmitatibus curatos asserebant: Rectores ciuitatis & ecclesiæ magistri, inito consilio saluberrimo pro honore Dei dilatando, anno sequenti capellam lapideam cum altari iuxta sepulchrum eius construi fecerunt, circa festum decem millium Martyrum, ad laudem & gloriam Dei, & specialem memoriam eiusdem virginis, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quarto.

CAPVT XXXIII.

Narratio trium miraculorum.

1 SEd iam ad comprobandam huius virginis sanctitatem, dignum omnino videtur, in fine libri adnectere de multis signis tria notissima miracula, ad honorem Dei & istius sacræ virginis laudem: quæ ex fide dignorum perhibentium testimoniũ sanctitati eius, verissima probantur, & per ora multorum referuntur, breuiter Deo cooperante in Hollandia facta.

Primum miraculum.

1 VIr in ciuitate Delfensi virgo quædam, quæ octo annis continuè lectum tenens, grauiter ægrotauit. Hanc quatuor magistri in medicina periti & famosi nominati visitabãt, & humana pietate permoti, magis autem amore Dei inducti, succurrere ei cupiebant. Erat autem ægritũdo istius virginis, prædictis iã magistris omnino occulta: nec aliquis eorum poterat dare aliquod remediũ, quod potuit ægrotanti prodesse. Inter quos vnus magistrorum, magister VVilhelmus Sonderdanc doctor approbatus, multum admirans dixit virgini prædictæ: Tu nondum tanto tẽpore passa es tantos dolores sicut felix illa virgo Lideuuigis: propter cuius merita, iam Dominus facit multa miracula in partibus nostris. Virgo igitur ægrotãs hæc audiẽs, ex propria deuotione, aut potiùs diuina inspiratione accensa, legit tot orationes dominicas, (Pater noster vulgariter dictas) quot sũt mẽbra in corpore hominis, ad honorẽ Dei & istius S. Lideuuigis virginis. Cõtigit ergo post hæc, quòd felix Lideuuigis virgo apparẽter visitauit virginẽ languentẽ dãdo ei remediũ artis medicinæ, & veraciter curata surrexit sana, ambulans, comedens,

edens, & opera sanarum virginum exercens. De quo magister supradictus valde stupefactus, hoc ipsum verissimum esse testatur.

Secundum miraculum.

3 SEcundum miraculum contigit Goudæ, in notissima ciuitate Hollandiæ. Erat ibidem in clausstro virginum monialis quædam, quæ habebat contractionem neruorum in vna tibia; cuius tibia fuit ita incuruata & contracta, quod ire non poterat: nec eam quouis modo ad longitudinem alterius extendere ad spatium duarum palmarum. Ista libenter visitasset medicum istum magistrum VVilhelmum Sonderdanc prænominatū (qui antea vnam de eadem Domo in Delft sibi transmissam, cum remedijs artis suæ, & Dei gratia auxiliante, in spatio octo septimanarum curauit: sed à superioribus suis non poterat licentiam obtinere. Contristata igitur fleuit amarè pluribus diebus, quia clauda maneret omnibus diebus vitæ suæ, vt æstimabat, sic existens maiè contenta. Tandem venit felix illa virgo Lideuuigis de nocte, loquēs cum ea & dicens: quòd impetraret à sororibus, vt quælibet monialis illius domus, legeret quinque Pater noster & Aue Maria, ad honorem Dei & ipsius virginis Lideuuigis atque in Dominica die in propriam ecclesiam se portari faceret, sicque sanitatem tibiæ claudæ recuperare deberet. Quod incunctanter actum est. Nam licentia à confessore suo obtenta, portata fuit ad ecclesiam, vt Lideuuigis ei per reuelationē dixerat: & sub Missa subitò perfectam sanitatem tibiæ suæ acquisiuit; per semetipsam lætissimè exiens, ac gratias maximas Deo referens, qui per merita huius felicissimæ virginis Lideuuigis, istud miraculum operatus fuerat.

Tertium miraculum.

4 TErtium verò miraculum Leydis contigit, in oppido celebri partis Hollandiæ. In hac populosa ciuitate fuit virgo religiosa, quæ habuit in collo duritiem cancrosam, ad quantitatem magni pomi: sic quòd nec bibere aut comedere poterat, aut se inclinare; quin volebat suffocari, ex nimia angustia anhelitus. Ista venit nudis pedibus & sine lineo ad sepulchrū prædictæ sanctæ Virginis, pro auxilio impetrandæ sanitatis, quo nō obtento recessit cum magna tristitia, ignorans quæ bona sibi essent ventura Nocte sequenti post recessum suum à sepulchro, & somno habito expergefacta, fuit plenè curata ab illa cancrosa duritie, quam passa fuerat octo ferè annis, sicut notū est multis. Hanc virginem miraculosè curatam, suprà memoratus magister

VVil-

VVilhelmus Sonderdanc, doctor in medicinis, oculis suis vidit, & collum eius manibus tetigit: qui etiam testimonium fidelissimum perhibet scriptis suis de omnibus præmissis, dicens: Testor Deum, quòd ista tria acta sunt in breui tempore: sed & alia plura, quæ vidi oculis meis, longum esset enarrare. Hæc supra scripta miracula contigerunt, Deo innouante signa in diebus nostris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octauo: præsidēte in sede Apostolica sanctissimo Papa Nicolao quinto, Pontificatus eius anno secundo.

VITA VENERABILIS M. GERARDI MAGNI, VVLGO GROOT.

Prologus.

1 AVxiliante Domino, frater chariſſime, de paternis actibus (pauca tamen de pluribus) charitatis ausu dicere tentabo, ob magnam vtique petitionis tuæ instantiam, & communem vtilitatem. Ex quo enim multi iam patres & deuoti fratres, olim mihi cogni dormierunt, eorum virtutes effari non vereor; quatenus exinde bonam memoriam de bonis exemplis ipsorum posteris relinquam, ad diuini nominis laudem altius extollendam. Igitur à venerabili M. Gerardo, cognomento Magno, prædicatore egregio & deuoto, exordium sumam.

2. Deinde etiam (si Dominus annuerit) de deuotis fratribus discipulis eius, aliqua sanctæ conuersationis exempla adijciam, ad tuam & aliorum simplicium fratrum deuotionem excitandā. Quem licèt in carne non viderim, plures tamen discipulatui eius adhærentes corporaliter agnoui, à quibus multa de felicibus actibus eius frequenter audiui; vt non putes me propria imaginatione hęc confinxisse, sed à valde fidelibus vtriusque sexus personis, veridica relatione percepisse.

CAPITA EORVM, QVÆ IN HAC vita continentur.

De ortu & de interpretatione nominis Gerardi. Cap. I.
De celeri profectu eius in studio Parisiensi. II.
De conuersionis eius reuelatione Coloniæ. III.
Qualiter per religiosum patrem & Priorem Carthusiensem tractus sit ad Deum. IV.
De mutatione habitus & morum. V.

statum per deuota exempla reparauit. Nam licèt diu in seculari vita insolens ac vanus interceſſerit, tamen postea conuersus humillimè ac deuotissimè in sancta paupertate & abstinentia multa, vitam valde exemplarem exegit, quam & felici agone optimè consummauit.

CAPVT II.

De celeri profectu eius in studio Parisiensi.

1 HIcitaque à parentibus ad studium Parisiense, sub annis adolescentiæ missus est: & copiosis expensis præ multis consodalibus affluens, satagebat (pro quo venerat) proficere diligenter. Nec tunc quidem Christi gloriam studens quærebat; sed magni nominis vmbram sequens, famam potissimum curabat humanam.

2. In breui tamen, secundum communem studentium cursū, ad altiora auidè nitens, ad magisterium (intellectu suffragante) decimo octauo ætatis suæ anno promotus est. Adeptus ergo hunc apicem, cùm calleret ingenio ac seculari fastu tumeret, ecclesiasticis beneficijs insignitur; & inter plura beneficia, etiam Aquensis Ecclesiæ canonicus inuestitur. Verùm latas adhuc seculi vias necdum inspiratus peruagatur, donec Deo miserante in virum alium mutaretur.

CAPVT III.

Quòd conuersio eius cuidam solitario in Colonia fuit reuelata.

1 SEd cùm omnipotens & misericors Deus, qui facit mirabilia magna solus, hunc doctum & famatissimum magistrū, à præsentis seculi nexibus soluere decreuisset, modum conuersionis eius duxit ad effectum. Cuius tamen conuersio hominibus inopinata & incognita, cuidam solitario in Colonia prius fuit reuelata & prædicta.

2. Cùm enim quodam tempore Coloniæ esset, & secularibus ludis intenderet vagabundus, præfatus solitarius nomen & habitum magistri Gerardi expresse designans, prædixit eius conuersionem citò complendam, & multis profuturam. Vnde quidam hoc sciens, venit ad eum, vbi stabat, & ait: Quid hic stas vanis intentus? Alius homo fieri debes. Quod ille de se dictum, tanquam puerile factum existimauit, nec tunc quidē multum aduertit. Sed Deus præscius futurorum, qui non fallit, in breui tempore impleuit prædestinationis suæ verbum; reuocans dilectum sibi Gerardum, à via iniquitatis ad sanctæ conuersationis statum, per quendam religiosum Carthusiensis ordinis virum,

CAPVT

Qualiter à consortio secularium se subtraxit. VI.
De abstinentia eius, & de cilicio, quod gestauit. VII.
Quo consilio cœperit verbum Dei prædicare. VIII.
De laboribus & patientia eius inter aduersarios. IX.
De profectione eius ad partes Brabantiæ. X.
De rigore eius in victu & vestitu. XI.
De deuotione eius in orationibus, & diuinis audiendis. XII.
De magno eius desiderio legendi scripturas sanctas. XIII.
De multiplici fructu eius, in conuersione hominum. XIV.
De deuotis congregationibus & monasterijs ab eo exortis. XV.
De felici obitu eius, & sepultura. XVI.
De magnifica commendatione eius à Cantore Parisiensi. XVII.
De publica protestatione eius, & de veridica prædicatione Euangelij, quod prædicauit. XVIII.

CAPVT I.

De ortu & interpretatione nominis eiusdem.

VEnerabilis magister Gerardus, dictus magnus, ciuis fuit Dauentriensis ciuitatis, ex honestis & maioribus eiusdem loci parentibus ortus, ac diligenti cura suorum teneriter educatus. Congruè autem satis tale sortitus est nomen, à terrenis parentibus sibi impositum, sed cælesti promissione postmodum in melius permutatum. Nam qui antiquam vitam suam in nouæ conuersationis statum mutauit, dignè quoque nomē eius piam interpretationem habere promeruit; sicut ob virtutum eius insignia, sequens narratio declarabit.

2. Dicunt namque Gerardus, quasi gerens artes; quia studio literarum deditus, in liberalibus artibus & scientijs multis fuit vel maximè eruditus. Vel dicitur Gerardus, quasi gerens ardorem; quia gratia Dei misericorditer præuentus, in amore Christi arsit interiùs, & in diuinis laudibus vehementer erat affectus. vel rectè iam tertiò Gerardus vocatur, quasi gerens ardua, quia ad Deum perfectè conuersus, magna & alta gessit in vita; dum sedulò mentem ad cælestia erexit, & multos populos ad emendationem vitæ prædicando conuertit. Nam totam hanc patriā nostram, vita, verbo, moribus, & doctrina illuminauit & accēdit. Fuit itaque re & nomine magnus in seculo, diuitijs, honoribus, scientijs ac beneficijs locupletatus; sed maior extitit in cōtemptu seculi, & imitatione humilis vitæ Iesu Christi; nec non in multiplici fructu discipulorum Christi, sicut vestigia derelicta patenter ostendunt.

3. In memoria ergo æterna erit vir iste, qui in diebus nostris orthodoxæ fidei regulares secutus docuit, & sanctæ religionis statum

statum per deuota exempla reparauit. Nam licèt diu in seculari vita insolens ac vanus interceſſerit, tamen postea conuersus humillimè ac deuotissimè in sancta paupertate & abstinentia multa, vitam valde exemplarem exegit, quam & felici agone optimè consummauit.

CAPVT II.

De celeri profectu eius in studio Parisiensi.

1 HIcitaque à parentibus ad studium Parisiense, sub annis adolescentiæ missus est: & copiosis expensis præ multis consodalibus affluens, satagebat (pro quo venerat) proficere diligenter. Nec tunc quidem Christi gloriam studens quærebat; sed magni nominis vmbram sequens, famam potissimum curabat humanam.

2. In breui tamen, secundum communem studentium cursū, ad altiora auidè nitens, ad magisterium (intellectu suffragante) decimo octauo ætatis suæ anno promotus est. Adeptus ergo hunc apicem, cùm calleret ingenio ac seculari fastu tumeret, ecclesiasticis beneficijs insignitur; & inter plura beneficia, etiam Aquensis Ecclesiæ canonicus inuestitur. Verùm latas adhuc seculi vias necdum inspiratus peruagatur, donec Deo miserante in virum alium mutaretur.

CAPVT III.

Quòd conuersio eius cuidam solitario in Colonia fuit reuelata.

1 SEd cùm omnipotens & misericors Deus, qui facit mirabilia magna solus, hunc doctum & famatissimum magistrū, à præsentis seculi nexibus soluere decreuisset, modum conuersionis eius duxit ad effectum. Cuius tamen conuersio hominibus inopinata & incognita, cuidam solitario in Colonia prius fuit reuelata & prædicta.

2. Cùm enim quodam tempore Coloniæ esset, & secularibus ludis intenderet vagabundus, præfatus solitarius nomen & habitum magistri Gerardi expresse designans, prædixit eius conuersionem citò complendam, & multis profuturam. Vnde quidam hoc sciens, venit ad eum, vbi stabat, & ait: Quid hic stas vanis intentus? Alius homo fieri debes. Quod ille de se dictum, tanquam puerile factum existimauit, nec tunc quidē multum aduertit. Sed Deus præscius futurorum, qui non fallit, in breui tempore impleuit prædestinationis suæ verbum; reuocans dilectum sibi Gerardum, à via iniquitatis ad sanctæ conuersationis statum, per quendam religiosum Carthusiensis ordinis virum,

CAPVT

CAPVT IV.

Qualiter per religiosum Carthusiensem tractus sit ad Deum.

1 ERat namque in terra Geldrensi, apud oppidum Arnemense, religiosus quidam Prior ordinis Carthusiensis in Monichusen, vir literatus & deuotus, magistro Gerardo olim in seculo familiariter notus. Hic charitatis visceribus plenus, & zelo animarum erga proximum concitatus, cœpit cogitare qualiter cum magistro Gerardo posset habere sermonem, & secretò de eius tractare salute; ne tantus vir eruditusque magister in seculo deperiret, sed de diaboli laqueis ereptus Dei auxilio, electorum numero iungeretur. Eo siquidem præcipuè tempore mundi status in maligno videbatur vndique positus, ita vt pauci essent, qui verbum vitæ moribus ac vocibus prædicarent, pauciores verò qui continentiam sectarentur, & quod dolendum erat, nomẽ sanctæ religionis & status deuotionis, præinopia spiritus, à patrum præcedentium vestigijs nimium claudicabat. Apud Carthusienses verò, lux vitæ cęlestis remansit occulta, & carnalibus videbatur satis austera, erat tamen Deo gratissima, & spiritu feruentibus optabilis atque iucunda.

Apud Carthusianos velut cineribus latuit viguitque intemeratus hactenus monachismus.

2. Interea accidit, vt prænominatus Prior, causa emergente Traiectum tenderet, ibiq́ue dilectum magistrum Gerardum esse percipiens, ad eius colloquium desideranter properat; moxq́ue ad extrahendum piscem hunc magnum de seculi fluctibus, sanctæ exhortationis rete oportunè relaxat. Aggreditur ergo familiarem amicum, salutat sodalem antiquum, hortatur sapienter hospitem benignum, cum docto loquitur de summo bono, proponit præmia æterna, terret iudicio futuro, miscet blandis tristia, laudat religionem, mundi vituperat cursum, ostendit sub sole cuncta esse peritura. Nam mors imminet, inquit, incerta dies mortis & hora: sed ô quanta sectatoribus Christi sunt dona promissa? Inter hæc sancta mutuaq́ue colloquia sæpius repetita, adest gratia diuina. Mollitur animus audientis, fidem præbet dictis magister reuerendus, assentit veris, ducitur rationibus, trahitur promissis, firmatur Sanctorum exemplis. Tandem proponit vitam mutare in melius, & mundanis renũciare fastibus Deo fauente.

3. His prior perceptis, exhilaratur altiùs quòd semen Dei in terram bonam cecidit, gaudetq́ue gaudio magno, de certo grandi Christi hamo capto, citiùs de marinis turminibus extrahẽdo. Redit lætus ad socium suum, gratias agit Deo, à quo omne bonum,

num, fatetur se non frustra texuisse sermonem. Quia cepi, inquit, vt spero, magistrum Gerardum, & confido de eius conuersione, quòd bonum propositum velit tenere, & factis comprobare. O stupenda & laudanda saluatoris nostri clementia! O ineffabilis Spiritus sancti virtus & gratia; quæ facilè corda hominũ mutat, dum intus visitat & illustrat. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi; faciens prodigia sursum, & signa in terra deorsum; euacuans tenebras, & lucem cordi infundens. Hæc est Dei solius potentia magna, qui in benedictionibus dulcedinis suæ preuenit electum diaconum suum Gerardum, faciens de leone agnũ; quẽ ante secula prædestinauit sibi incorporandum, atque in fine seculorum præparauit ad euangelizandum verbum suum multis ciuitatibus & populis, ad sancti nominis sui laudem & honorem.

CAPVT V.

De mutatione habitus & morum.

1 NEc longè pòst, cœpit bonæ voluntatis suæ propositum ducere ad effectum Igitur animo bene deliberato, & in Christo fundato, abrenuntiat beneficijs cunctis; vestes mutat seculares, simplicibus induitur, sicut decuit humilem clericum, mundi contemptum diuitijs præferentem. Fit rumor in populo, & multi obstupescentes de nouitate facti, ad inuicem loquebantur: Quid hic iam prætendit? Quæ res noua huic accidit? Numquid multæ literæ ad insaniam eum perduxerunt? Ecce, qui iam antea ornatis vestibus incedebat, nunc incultis & grisеis tegitur lanis. Et qui conuiuijs & epulis delectabatur varijs, nunc respuit iucunda, quærit vilia; fugit honores, diligit paupertatem. Etenim manus Domini erat cum eo, cœpitque fiducialiter agere in nomine Domini.

2. Vnde hominum fabulationes & susurrationes inanes parui pendens, ad Deum tota cordis intentione se conuertit, dicens: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Factus est ergo (Deo cooperante) ex diuite pauper, de superbo humilis, de delicato abstinens, de vago stabilis, de mundano spiritualis, de curioso simplex & deuotus. Loquentibus igitur & mirantibus populis, de subita mutatione tãti viri: accessit ad eum secretò vnus ciuium eius de magnatibus, volens pleniùs scire propositum venerabilis magistri fugientis læta consortia mundi.

3. Cumque multa ab eo studiosè exquisisset, & perfectè abrenuntiationis mysterium audisset, ita de dubijs quæstis perdoceretur, vt summè ædificatus abiret, dicẽs: Quid isti ignari & vulga-

res,

res, de bono & prudenti viro tam insana verba loquũtur? Nũquam tam sapiens & sensatus esse cœpit, sicut modò cùm seculi vias fugiens deserit, & Deo in spiritu humilitatis seruire intendit. Quam felix foret, qui imitari veller, nec bene agenti insultaret? Si in hoc bono perstiterit, multorum erit ipse causa bonorum.

CAPVT VI.

Qualiter à consortio secularium se subtraxit.

1. SEd ne semen sanctum in corde viri Dei plantatum, à trãseuntibus secus viam conculcaretur, aut à volucribus cæli non opertum carperetur, ne etiam lumen accensum leui flatu extingueretur, sed potiùs sub modio latens seruaretur, & pinguedine internæ deuotionis nutriretur; vel ne recens & fragilis arundo, vanitatis aura pulsata, ad terram mox flecteretur, sed virtute firmaretur ex alto: elegit humilis magister ad tempus latêre, & ab humanis aspectibus secularium quę colloquijs sę cautè segregare; à cunctis quoque mundi curis animum soluere, soli Deo & sibi liberè vacare, vt primò in se discerer, quod postea docturus erat; quatenus diuina dulcedine prægustata, æquanimiùs ferret pro veritate aduersa; nec diabolica pertimesceret tentamenta ipsi aduentura.

2. Secessit igitur à ciuitate sua, & de domo paterna, venitq; in partes Geldriæ, ad religiosos fratres Carthusienses in Monichusen, in Christi charitate sibi dilectos. A quibus reuerenter susceptus, cellam accepit, vt hospes amãdus, quam lætus & desideranter ingrediens, cum beato Petro, in mentis excessu ait; *Domine bonum est nos hîc esse.* Ibi nãque recollegit cordis sui dispersiones; ibi veteris vitæ deterfit rubigines, atque interioris hominis imaginem reformauit ad purum. Ibi insurgentes passionum motus ieiunando vigilandoque confregit, & dæmonũ varios insultus orando flendoque deiecit, loquens cum sancto Dauid: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine: Expectabam eum, qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Vidi & ego habitationis eius locum, in quo lucerna Dei & amicus omnipotentis ad tempus latuit, donec super candelabrum poneretur, vt omnibus lucis exempla monstraret.

Psal. 54.

CAPVT

CAPVT VII.

De abstinentia eius, & cilicio quod gestauit.

1 NOuus igitur miles Christi, sub castris Carthusianorum stabat intrepidus. Nec tædio cellę vincitur intus, nec laboris exercitio frangitur foris; sed sicut bonus claustralis, fit custos cordis & oris. Etenim agrum cordis sui districta examinatione quotidie visitans, diligenter excoluit, spinas vitiorum eradicando, ac virtutum semina inserendo. Itaque bellum spirituale aduersus carnem & sanguinem assumens, quo citiùs mundi rectorem, principem tenebrarum diabolum prosterneret, strenuè contra seipsum in loco solitudinis armatur. Non ergo se palpat, vt delicatus; nec sibi parcit, quasi sit debilis; nec se excusat, tanquam innoxius; nec pœnitentiam differt, sicut negligens & tepidus seruus: sed memor iniquitatum suarum antiquarum, spiritum contritionis concepit, & faciem Christi placare desiderans, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs pro nomine Iesu crucifixit. Tenero namque corpusculo, crebra ieiunia indixit; ab esu carnium (sicut mos ordinis est) & à multis licitis abstinuit. Vigilias noctis prolongauit; somni torporem stãdo, orando, genu flectendo ab oculis excussit; atque in spiritu feruoris, corpus spiritui seruire coëgit.

2. Lumbos quoque suos cilicio asperrimo & nodoso præcinxit, ne caro lasciuiens titillaret; fortique pudicitiæ vigore renes constringens; pellem & carnem pro anima fideliter exposuit. Vnde ad literam, veraciter prophetæ verbum in psalmo impleuit, vt meritò dicere posset: *Ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.* Qui sunt isti, ô bone magister, tibi in claustro infesti. Caro certè concupiscens, mundus alliciens, & diabolus tentans. Mirum, si in hac solitudine tentationes habes, vbi iam à secularibus longè degis. Non sum securus, nec ego, nec aliquis in corpore peccati constitutus. Sed ne vincar affectionibus prauis, aut mouear exemplis malis, quæsiui locum solitudinis; sub maiori spe diuinæ protectionis. Et quidem Christus nũquam fuit tam aperrè tentatus, nisi cùm intrasset desertum, & ieiunasset à cibis, qui tamen liber erat à passionibus cunctis. Itaque, ego qui peccator sum, vt Deo meo ampliùs satisfaciam, subtraxi me à turbis; humiliaui in ieiunio animam meam, vt oratio mea in sinu meo conuertatur. Retulit mihi quædam deuota soror, quam ipse conuertit; quòd post mortem eius, cilicium magistri Gerardi vidisset, & manibus contrectasset, quia valde longum & asperum fuit, & multos nodos habuit, ad grauiorem pœnam ipsi infligendam. *Psal. 43.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Quòd consilio religiosorum cœpit verbum Dei prædicare.

1 CVmque deuotus ac studiosus magister, virtutum profi-
ceret incrementis; & mundus tanto magis ei vilesceret,
quanto Christus ipsi plus dulcescebat; Deo disponente, cùm
tempus fructificandi iam instaret, consilium fuit prudentum vi-
rorum ac religiosorum fratrum, vt lucerna ardens & lucens su-
per candelabrum poneretur, quatenus omnibus, qui in domo
Dei sunt, luceret, ac per vocem prædicationis, & per sanctæ cō-
uersationis exemplum, accenderet corda peccatorum. Fuisset
bonum quod vir magnæ facultatis, Deo & sibi continuè vacas-
set in solitudine claustrali; sed maius bonum & altior laus Dei
exinde sperabatur; quod magister ad prædicandum idoneus, &
ad ferendum onus ordinis minus validus, pluribus proficeret a-
nimabus verbum vitę palàm prædicando; qui viam humilitatis
didicit incedere terrena omnia aspernando, vt sic Christo lucrū
maximum ferret, & multos secum ad æternum perduceret reg-
num; tanto gloriosior vtique in futuro, quanto feruentiùs la-
boraret pro animarum salute in præsenti.

2. Tribus autem annis lectioni & orationi vacauit, antequam
prædicare inciperet. Accensus est ergo præco fidelis spirituali-
bus armis, & scripturarum documentis, ad euangelizandum ver-
bum Dei in ciuitatibus & villis, coram clericis & laicis ac reli-
giosis multis audientibus, viris & mulieribus, paruulis & mag-
nis, doctis pariter & indoctis, magnatibus, scabinis, consulibus,
seruis ac liberis, diuitibus, pauperibus, indigenis, & peregrinis.
Cumque tuba salutari intonaret, nec quicquam necessariæ salu-
tis audientium auribus subtraheret; sed omne consilium Dei, se-
cundùm statum & conditiones personarum sexus & ætatis, pu-
blicæ annunciaret, commota sunt corda plurimorum à facie for-
midinis Domini, & à ventura ira iudicij extremi & ignis extre-
mi. Posuit quippe securim, secundùm beati Ioannis Baptistæ
sententiam, ad radicem arboris; vt districtum iudicem omnes
timerent, peccare desinerent, ac dignos pœnitentiæ fructus age-
rent, orationibus, eleemosynis, & ieiunijs insistendo, faciem pij
conditoris præuenirent atque placarent. Et multi audientes ser-
monem eius, compuncti sunt; & accedentes ad eum, consilio e-
ius se subdiderunt, omnē vanitatē seculi abijcientes. Quidā etiā
in castimoniæ æmulatione virgines permanserunt, nonnulli cō-
tinentiam vouentes, plures secum in Dei seruitio congregarunt;

3. Sed

3. Sed quoniam probitas bonorum, inuidiâ patitur malorũ, contradixerunt ei frequenter homines mente corrupti, amatores mundi, & deliciarum sectatores; viam veritatis odientes, & omnibus bonis aduersantes. Isti viro Dei secretò detrahebãt, & quandoque apertis latratibus contra eum turbationem suscitabant: quia eorum vitia & scelera acriter arguebat. Sed (quod nequius est) quidam prælati & sacerdotes, necnõ religiosi circumuagantes, indignè ferebant tanti viri doctrinam, & iustitiæ zelum in desertores sacræ legis: idcirco famam eius denigrare, & animi constantiam debellare conabantur. De quibus & ipse in quadam epistola ita scribit: Multi me circumstant latratus, qui exardescunt sicut ignis in spinis, sed nõ comparent. Vnde amator Christi & zelator animarum, nec minis aduersantiũ turbabatur, nec vituperiis exprobrantiũ irritabatur. Fundatus enim erat supra firmam petram, quia non quęsiuit mundi gloriã, nec veritus est pati pro Christo cõtumeliam; quinimo paratus erat, pro veritate & Euangelio Dei, corpus tradere & animam, ad Dei gloriam promouendam & vbilibet dilatandam. Benedictus itaque Deus, qui talem nobis prædicatorem suscitauit, & ad prędicandum transmisit; per quem nobis in hac infima terra refulsit lux vitæ cælestis.

CAPVT IX.

De laboribus & patientia eius inter aduersarios.

1. LOngum est enarrare labores, quos pertulit in prędicando; conflictus, quos habuit cõtra subuersores fidei in disputãdo: exhortationes, quas peregit: deuotos fratres & sorores in sancto proposito cõfirmando. Et hæc latissimè in epistolis eius patent, quas diuersis personis pro consolatione destinauit. Ait namque in epistola quadam, ad Sacerdotes in Amsterdamo sibi multum familiares: Non terreamini charissimi, si famam audieritis de Campensibus contra me. Omnia succedunt, vt spero, sicut Deus vult. Et mirabiliter augetur Ecclesia in Campis, Deo altissimo laus & gloria. Ardeat charitas intra nos, non lentè, sed vehementer. Despiciamus ista stercora: simus in laudem conditoris, vt exẽplaria Altissimi. Sentiens proinde multos ecclesiarũ prælatos sibi aduersari, & prædicationem suam inimica æmulatione impediri, ac callido edicto interdici; cessit humiliter furori & liuori, nolens in populo tumultũ contra clerũ agitare. Dixitque ad plebem, quę indignè ferebat inhibitionem talẽ confictam; Prælati nostri sunt, & volumus, prout decet & tenemur, eorum edictis obedire. Non enim quærimus aliquẽ lædere, nec scandalum suscitare. Dominus bene nouit suos, quos elegit ab

initio, & vocabit etiam per gratiam suam sine nobis, sicut ei placuerit. Suppressit ergo vocē suam ad tempus. & interim ad priuatas se contulit exhortationes, cunctis aduentantibus cōsolationis verbū alacri corde impendendo, quemadmodū & beatus Paulus ait: *Et ego ipse impendar pro animabus vestris; non quia sens, quod mihi vtile sed quod multis.* 2. Cor. 12.

2. Fecit etiā plures sacrę theologiæ libros à scholaribus scribi, quos attraxit colloquiis bonis, ac precio remunerauit: inuitans eos ad domū suā venire, & verbum Dei sæpius audire, vt sic instrueret ad castitatē & vitæ emendationē: quatenus æternę beatitudinis participes fierent, & sanctæ nouitatis formam arriperent, per abrenunciationem vitæ secularis. Interdū quoque pia cautione præhabita, pecuniæ summam ex integro non soluit, sed per partes tribuit, vt frequenter ad eum pro debito tollendo accederent, & tali occasione familiaritatis eius gratiā inuenirent. Qui tanto libentiùs magistri doctrinam audiebant, quanto maiora pietatis beneficia in eo redundare videbant. Multum enim affectauit ex his scriptoribus aliquos facere discipulos Christi quod etiam Deo fauente factum est in tempore breui. Plus enim delectabatur simplicibus & minùs eruditis loqui, quam sapientibus seculi: quia innocentes & egeni, plerumque consilium Dei citius admittunt quàm astutiores, qui in sua sapientia confidunt. Vnde propheta Dauid: *Innocentes & rectiadhæserunt mihi, quia sustinui te.* Psal. 24.

3. Quidā ex ordine mendicantiū religiosus habitu, sed pernicioso sermone, cœpit venerabili magistro cōtradicere in multis. Is ergo, cum eum vincere non posset, ad curiam Romanam iter arripuit: vt viro Dei litem inferret, aut qualicumq; astutiæ silentium imponeret: quod vtique facere pertimuisset, si spiritus Dei motus fuisset. Verùm Deus arbiter iustus & pacis amator aliter disposuit, quā ille iniquus turbator præsumpsit. Subitò enim infirmatus in via obiit, & tota machinatio eius ad nihilū redacta cessauit. Fuit & alius in ordine prædicatorum eloquens sermocinator, magnæ opinionis habens titulum & dignitatem, qui comperta venerabilis magistri fama præclara, gauisus est charitate eximia, congratulans eidem mente deuota. Misit ergo ipsi amicabilem literam, eleganti dictamine conscriptam, recōmendans bonum opus ab eo inceptum, suadens ne frangeretur impulsibus peruersorum: sed in Domino cōfisus staret fortissimè, & populo Christiano celestia fluenta vberius instillaret. Quibus auditis & literis perlectis, magister in multis probatus collegam sanctæ exhortationis charitatis vlnis amplexus est, & ad prædicationis opus velut diuinis oraculis armabatur.

CA-

CAPVT X.

De profectione eius ad partes Brabantiæ.

1. AVdiens pius & humilis magister Gerardus, magnam ac celebrem famã venerabilis Domini Ioannis Rusebroec religiosi, prioris Viridis vallis prope Bruxellam, perrexit ad partes Brabantiæ per longinqui itineris spatium, ad videndã sancti ac deuotissimi patris præsentiam corporalẽ; vt quem opinione vulgata tantùm, & ex librorũ eius editione cognouerat, coram quoque positus oculata specie cerneret, ac viuentis in carne vocem gratiosam tantum Spiritus sancti fistulam, audiret sua verba resonantem. Assumpsit ergo secum reuerendum magistrum Ioannem Cele, rectorem scholæ Swollensis, deuotum ac fidelem Iesu Christi amatorem, quorũ erat anima vna & cor vnum in Domino, & grata vtriusque societas, & accensa voluntas, vt ad hominem Dei pariter proficiscerentur, spiritualis ædificationis duntaxat gratia.

2 Profectus est etiam cum eis vir quidam fidelis & deuotus laicus, Gerardus Calopifex dictus, dux angusti itineris, & indiuiduus comes huius felicissimæ profectionis. Venientes ergo ad locum Viridis vallis nomine, viderunt in eo non alta & curiosa ædificia, sed simplicitatis & paupertatis insignia; quæ cælestis regis nostri fuerunt vestigia prima, cum in orbem terrarũ rex cæli ex virgine natus, processit inopia plenus. Intrantibus autẽ monasterij portã, mox occurrit pater sanctus Prior deuotus, ætate grandæuus, affabilitate serenus, ac morum honestate reuerendus, propter quem inuendum & visitandum venerant. Qui benignissimè aduentantes salutans, diuina reuelatione instructus, magistrum Gerardum proprio nomine appellauit & cognouit, quem tamen antea nunquam viderat. Salutatione igitur præmissa, hospites honestissimos secum ad interiora claustri perduxit, & debitã humanitatis gratiam hilari vultu & corde lætiori eis exhibuit, tanquam Iesum Christum recepisset.

3. Mansit autem magister Gerardus ibidẽ paucis diebus, cõferens cũ viro Dei de sanctis scripturis, à quo multa secreta cælestia audiuit, quæ suum intellectum excedere fatebatur; ita vt cum regina Saba stupens diceret: *Maior est sapientia & scientia tua* (pater eximie) *quàm rumor, quem audiui in terra mea*, vicisti enim virtutibus famam. Post hæc, cum suis ad propriam vrbem plurimũ ædificatus repedauit, & tanquã mundũ animal, audita mente pertractans frequenter intus ruminauit: & quædã ex his dictis, ne obliuisceretur, in scripta redegit. Cui etiã Deus obitũ 3. Reg. 10.

amantissimi patris reuelauit, vt in compulsatione campanarũ, multis ciuibus audientibus manifestauit: eiusque animam vna hora purgatam, ad cælestem gloriam transisse quibusdã amicis suis secretius indicauit. Sed nec ipse diu postea superuixit. Nam triennio ferè transacto, mortalitatis tempore carnis debitum Domino se vocante persoluit. Nec fuit otiosa huius visitationis peregrinatio, nec infructuosa tam sancti patris allocutio, sed viuæ vocis eius informatio fiebat nutrimentũ amplioris dilectionis, & augmentum noui feruoris: sicut in quadam epistola, ad eosdem fratres de Viridi valle directa, testatur dicens: Intimè commendari desidero præposito & priori, cuius scabellum pedum, tam in hac vita quàm in futura, (quia anima mea ipsi præ cunctis mortalibus amore & reuerentia conglutinata est) fieri concupisco. Ardeo adhuc & suspiro vestram præsentiam, & de spiritu vestro renouari, & inspirari, & mihi impertiri.

CAPVT XI.

De rigore eius in victu & vestitu.

1 DOmestica autẽ conuersatio eius qualis fuerit, paucis edicam. Ipse namque normã viuendi sibi statuit, & multa deuota exercitia compilando descripsit. Valdè sobrius in comedẽdo fuit: & penè omni die vno prandio contentari consueuit. Sõni necessitatem sic temperauit, vt septem horas pro quiete sufficere existimaret. Extra domum suam comedere, à quocumque etiã inuitatus, noluit: deuitans familiaritates secularium & longas epulationes diuitum, in detrimentum egenorum. Tam rigidè suum propositum tenuit, vt nemo eum inuitare aut molestare precibus auderet. Et in hac cõscientia bonis viris sic placuit, vt malis omnem obloquendi tolleret ansam. Attamen aliquos pauperes Deo seruientes, & interdum vnum vel duos honestos burgenses, ad suam mensulam conuocauit ob instructionẽ vitæ melioris, quos vberius suauitate cælestis sermonis refecit quã ferculis accuratis, quæ minimè præparauit. Siue enim solus siue cum hospite edebat, lectio sancta præibat, sermo ędificatiuus ex ore mellito fluebat: aliàs, silentiũ suum strictè tenebat.

2. Longè ab ore eius risus & iocus, lõgius detractionis næuus: aut, qui ad rem non pertinet, rumor secularis. Sermo eius sale conditus; & super omne delectamentum, Dei cultus & animæ salus sapiebat edenti. Inter hæc etiam mensæ cęlestis in regno Dei, & dulcis societatis sanctorũ, post grande huius mundi exiliũ recordabatur; sicque hospites suos reddidit lætos in Domino, in corde cõpunctos. Habebat autem refectoriolum modicũ,

in

in quo pauci cum eo poterant discumbere. Vbi in propinquo, contra mensam stabat promptuarium libris optimis refertũ, vt si ferculum corporis non placeret, ex copia librorum poculum animę amicis suis propinaret. Sæpe etiã cibos insulsos aut exustos edebat, non impatiens, sed gratias agens, & tamquam pœnam de præteritis bonis exigens & persoluens. Ipse sibi cibos coquere solebat, licèt peritiam coquendi non haberet.

3. A sororibus autem, quæ in vicina domo segregatim morabantur, suscipere seruitium deuitabat. Si quid fortè emendũ esset in foro venali, hoc illæ prouidebant; nullam tamen ad suum domicilium ingredi permisit, sed vnius clerici solatio cõtentus fuit. Cuncta ad honestatem bonæ famæ, tam intus quam foris disponebat. Et ne suspecta res notaretur, nulli sororũ nisi clausa & obuelata fenestra loquebatur. Quòd si aliquid ipsũ dandũ erat & ministrandũ, per volubilem rotam hoc inferebatur. Vnde quidam discupulorũ eius videns eum tam solicitè custoditum, quæsiuit ab eo familiare verbũ, dicens: Quare bone magister, tam diligenter obstruitis fenestram vestram? Respondit verbũ ędificatione dignum. Si possem, etiam aures obturarẽ, ne voces earum audirem. Siquidem abundans cautela non nocet. Omne enim scandalum & periculum fragilium personarum, ex incustodia sensuũ & nimia familiaritate venit. Qui ergo vult seruare continentium, visum reprimat & auditum: nam sola necessitate cogente, cum feminis timoratè est loquendum. Feminarũ vitandum commercium.

4 Ieiunia autem sanctæ ecclesiæ multum strictè obseruabat. Feriis sextis à lacticiniis penitus abstinebat: & sæpè istis diebus condimento salis pro oleo vtebatur. Scutellam suam rarò lauit, sed pane turgebat, aut catello & muribus lingendam exposuit, nec mucidum panem abhorrebat. Feriis quintis verò ob parasceuen sequentem, cuncta vascula sua ab omni sorde pinguedinis cœna facta abluebat in aquis. Erat igitur iucundus in Domino, modicis & simplicibus necessariis contentus, superflua resecans, delicata non requirens, sibi rigidus & parcus, alijs misericors & benignus.

5. Vestimenta eius grisei coloris erant, & humiliter formata, non mollia, non nitida, nõ multis rugis complicata, rarò noua, & ob vetustatem quandoq; attrita, quæ modicis etiam panniculis fecerat resarciri. Nec erubuit homo bene natus, inter amicos & conciues videri abiectus in vestitu. Gestauit perinde ruptum pelliceũ, multis particulis repeciatum, pauperibus & mẽdicantibus consimile, diuitibus aspernabile: deuotis tamẽ exemplare, & posteris sanctum memoriale. Omnis siquidem amictus illius nõ magni valoris erat, sed non paruæ virtutis. Nam

totus ornatus eius ab intus lucebat, ideo externos non curabat obtutus. Quæ prius vix aspexisset, istis iam delectabatur inuolui. O virum inclytum, non mollibus indutum, sed cum Ioanne duris cilicij sagis opertum, cum Christo quoque sanctæ paupertatis pannis amictum!

6. Interrogatus est aliquando à quodam familiari amico, quare tam antiquum & subunculatum pellicium portaret, vnde rusticanus homo erubescere potuisset? Respondit more suo grato & iucundo: In hoc quęro commodum meum, ne frigus patiar, & ne ventus per foramina intret, si non essent obstructa. Hoc audiens frater ille, valde ædificatus fuit, perpendens quòd non mundo, sed Deo tantùm placere desideraret. Quæsitus est etiã de pellicio suo & tunicis, quot annorum essent. Qui ait: Maius pellicium, quod superius gero, vltra nouem annos habet: sed paruũ, quod subtus porto, duorum annorum est. Quamdiu inquit, portasti tunicam tuam? At ille: Vna duodecim annorum est, altera verò trium. Poterat ergo cum sancto Dauid dicere, Domino fiducialiter supplicando: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.* Psal. 24.

7. Recordabatur enim humilis magister & paupertatis sectator, qualis dudum in seculo fuisset, cum delitias amaret; quoniam oportet recto iudicio, cõtraria contrarijs curare. Olim siquidem pulchris vestibus & cingulo deargentato processit in publicũ; transiit etiam inter canonicos, cum superpellicio subtilissimo & almutio formoso; corpori suo lautiora sæpe indulsit alimenta, & pocula preciosa. Sed postea mutatus in virum alterum, non est passus priora inulta transire: subiecitque se nõ solùm pedibus maiorum & honoratorum, sed etiam nouissimorum laicorum, coram eis super nudam terram aliquoties comedendo, ita inquiens: Non sum dignus vobiscum in sedili ad mensam sedere, quia plus omnibus peccaui, & Deum offendi. Et qui capiti suo loturam superfluam frequenter exhibuerat, crines molliter componendo; postmodum sibiipsi indignatus, birretum gessit in capite valde vetustum, à tineis corrosum, & penè centum foraminibus pertusum. Magnam igitur sibi violentiam fecit, carnem subegit, mundum contemsit, caput serpentis antiqui contriuit. Nec vitia sibi dominari permisit, sed Christi duce per viam humilitatis cõstanter incessit, vitam suam secundùm mores sanctorum Patrum legitimè conformando.

CAPVT

CAPVT XII.

De deuotione eius in orationibus, & diuinis audiendis.

1. SEd quàm deuotus & feruidus in oratione extiterit, quis enarrabit? Sæpe namque cùm horas legeret, ex infusione superabundantis gratiæ in vocem iubilationis erupit; internum cordis gaudium cantu dulciſono promens. Dumque leniter intra ſe modularetur, ſurſum in Deũ ſpiritus eius ardenter ferebatur. Plus enim iucundabatur in eloquiis diuinis & orationibus deuotis, quàm vnquam prius in mundi comeſſationibus, & variis muſicorum cantilenis. Habebat autem ſecum in miniſterio Ioannem Zutphaniẽ, cognomento Brinckerinc, deuotum clericum, moribus maturum, ab adoleſcentia ſua Deo deditũ, qui cum eo horas canonicas legere, & ad diuerſa loca prædicationis tempore ipſum comitari ſolebat. Hunc bonæ indolis iuuenem, tanquã filium paternè dilexit, quia Deo & hominibus charus extitit, & difficulter ab eius latere auelli potuit. Cui quadam vice horis expletis dixit: Quid tu Ioannes iam meditaris? Intelligíſne, quæ legis? Dic mihi, quid inde ſentis? At ille ad magiſtrum: Quomodo intelligerem, niſi ab aliquo inſtructus? Tunc ille ad diſcipulum ſuum: Et mihi ſenſus multiplex & myſticus occurrit, & de vno ad aliũ latenter trãſmittit, vt tædiũ in legendo non habeam, ſed diutiùs his bonis gaudeã immorari.

2. In via poſitus & hoſpitio receptus, dicto cõpletorio dixit duobus diſcipulis ſuis, Florentio & Ioanni iam prefato: Dicamus modò ſinguli ſuffragia noſtra quotidiana. Et hęc erant de conſuetudine bona, vt vnus alteri defectus ſuos diceret, ſi quid fortè reprehenſibile in ipſo notaſſet. Tunc ſatis libenter obtemperantes, liberè ſe inuicem admonebant, & humiliter culpam agnoſcentes, veniam petebant, ſicque charitatiuè emendati, ibant ad quietem.

3. Quodam tempore cùm ciues Dauentrienſes contra hoſtes ſuos pergerent armati, vir Dei pro ciuium ſalute ſuppliciter orauit. Et factum eſt Deo diſpenſante, vt hoſtibus appropinquãtibus, nebula condenſa inter eos exurgeret, vnde aduerſarij perterriti & in fugam verſi diſceſſerunt, at ciues cum ſuis ſalui & alacres in oppidum remearunt. Multum ergo valet deprecatio iuſti aſſidua. Omni quoq; manè, priuſquam negotia externa tractanda ſuſciperet, vel quęrentibus reſponſa daret, ſacris lectionibus mentem refocillabat, & deuotis meditationibus ac precibus futuras actiones ſuas tempeſtiuè ſtuduit præuenire, ſecundum illud Pſalmiſtę verbum; *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Pſal. 118

4. Quotidie missam cũ magna reuerentia & debita deuotione satagebat audirę, quærens primò regnum Dei & iustitiam eius, deinde proximorum vtilitatibus se exponens, rectum tenuit iter geminæ charitatis, iuxta illud in Cãticis: *Ordinauit in me charitatem.* Cumque ecclesiam introisset non ad spectandum excelsas parietũ vitrinas stetit erectus, sed humiliter genua coram Domino flexit, aut super terram in oratione se prostrauit. Nec vllos ibi sermones conferere voluit, sed solùm diuinas auscultare laudes, aut horas legere complacuit; vitans in templo Dei, omne otiosum verbũ loqui. Et ne deuotio orantis, ex tumultu hominũ turbaretur, aut ab astantibus, quid secreti cum Domino gereret, notaretur; locum priuatum & clausum apud fratres minores obtinuit, vbi solus reclusus iacuit in oratione prostratus; & per quandam fenestellam, venerabile altaris sacramentum, in pluribus locis vidit & adorauit. Ibique precibus & gemitibus cælum pulsabat, pectus suũ cum Publicano amarissimè tundebat; postulans Deum sibi propitium fieri, & delictis preteritis ignosci; ab instantibus malis & passionibus emundari, & à futuris periculis solitæ pietatis suæ munere defendi. Capit. 1.

5. Tantæque deuotionis & contemplationis extitit, vt diuina plerũque reuelatione mereretur consolari, & prophetico spiritu instrui de futuris. Nam quendam discipulum suum, de longa fratris sui absentia tristẽ, consolabatur de celeri aduentu eius; quia sanus est, (inquit) frater tuus. & citò veniet, & ita accidit. De quibusdã etiã fratribus clericis sibi adhærentibus prędixit, quòd aliqui eorum ad sacerdotium essent promouendi, & quidam ad statũ religionis assumendi. Quodam tempore, magno desiderio æternæ vitæ accensus ait vni ex discipulis suis; Quid hic faciam amplius? Vtinam essem apud Dominum meum in cælis. Tunc frater ille respondit; Prędilecte magister, non possumus adhuc carere presentia tua. Quis nos ita instrueret, & pro nobis tam strenuè certaret? Pauci sumus & imbecilles, & isti seculares citò nos forsitan fugarent. At ille rursum confidenter aiebat: Rogabo pro vobis Patrem, vt non deficiat deuotio vestra, quam Dominus noster plantauit in terra ista. Spero, quòd istud modicum inceptũ erit in magnum profectum. Deus bene prouidebit sibi pro me alium virum idoneum, qui se murum ponet pro domo Dei indubitanter.

CAPVT XIII.

De magno desiderio eius legendi scripturas sanctas.

1. MAgnus autem huic venerabili magistro inerat amor legẽdi scripturas sanctas, & infatigabilis æstus colligendi libros

bros

bros doctorum pluſquam theſauros denariorum. Vnde in epiſtola quadã teſtatur dicens: Semper (inquit) ſum inutilis, ſemperque auarus & præauarus librorum. Quamuis enim multis doctis eſſet doctior, non tamen inde voluit honorari: ſed erat mœſtorum conſolator, & omnium volentium Deo famulari fidelis ſemper auditor. Nec deſtitit ſemel lecta ſæpe repetere, obſcura quoque diligentiùs inueſtigare: vt ſeipſo ſemper melior fieret, & induſtrior ad ſacratiora capeſſenda. Sed nec puduit eũ à minoribus aliquid diſcere vel quærere, ſciens ſcriptũ. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Vnde talibus valde affabilẽ ſe præbuit & benignum; imò maluit potius ab alio conſilium petere, quam in ſenſu ſolus abundare. Quam, inquit, ſi puer aliquis me poſſet iuſtruere, ad ſciendam plenius Domini voluntatẽ, libentiùs eum vellem audire, quam nemine conſulto ex meipſo aliquid noui attentare? *Pſalm.* 118.

2. Erat igitur ſtudioſus in ſcripturis legendis, ſed nõ curioſus in pulchris libris habendis. Siquidem & breuiarium non multũ valens habuit, ex quo horas ſuas legebat, vitans pro vſu ſuo omne quod niteret, aut ſimplicitatẽ non redoleret. Videns ergo quendam habere librum ſatis bene paratũ, & quàm ſolicitè illũ inſpiceret & complicaret, dixit ei: Potiùs habeo, quod liber me cuſtodiat, quam ego illum. Seruire debet liber vtilitati legẽtis, non ad curioſitatem intuentis. Itaque affectio deuoti magiſtri magis verſabatur erga ſententias in libris, quam ad venuſtatem expoliti codicis. Sic & beatus Hieronymus maluit habere in vilibus membranis codicis emendatos, quàm pulchros & incorrectos. Eſt tamẽ decens & recommendabile ſatis pro honore Dei, & ornatu ſanctæ eccleſiæ longè lateq; florentis, quòd libri ſacræ ſcripturæ, & ad diuinum officium pertinentes, meliori ſtylo ſcribantur, atque ab omni pulueris ſorde & corruptione præſeruentur; quatenus multis tam præſentibus quàm futuris catholicæ pacis fidelibus deſeruiant, & inertes ad legendum ardentiùs prouocent, ac diu nobiſcum perſeuerent: quia magno precio empti, & longo labore conſcripti exiſtimantur. Libros accur. tè cuſtodiri addecet.

3. Nec ſolum ſacros libros perlegere ſtuduit, ſed etiam ex authenticis dictis ſanctorum, nunnulla opuſcula rogatu aliorum flagitatus, pro vtilitate petentiũ fideliter conſcripſit & edidit; paratus etiam illos inſtruere, quos corporaliter adire & ore tenus informare non potuit. Scripſit namque inter cætera, plures notabiles epiſtolas, quę apud pleroſque ſimul aggregatæ, pro digno memoriali ſeruantur & leguntur. Habuit enim ſcientiam omnium liberalium artium, cum multiplici ſanctarum ſcripturarum notitia; necnon naturale ingenium valde acutum, diuinæ

gratiæ lumine exornatum, lingnam quoque eruditam, copiam exhortandi, memoriamque tenacem; vt vix ei alter in tot scientiis sciretur æqualis, & in sancta conuersatione tam strenuus & deuotus. Cumque esset tam diuinarum quàm humanarum eruditionum prærogatiua illustratus, erat nihilominus in deferendo honorem maioribus suis & prælatis valde humilis & submissus; in studendo simplicia & deuota aliorũdicta bene affectatus, in sermocinando circũspectus, in scribẽdo scriba velox, in meditando cõpunctus, & in negotiis sibi commissis fidelis & expeditus. Sed ne obliuioni traderet, quæ agere vel dicere eum oportebat, prout vtilitas causarum exigebat, mox in regestis aut in marginibus librorum vel operculis, negotia occurrentia firmiter assignare solebat. Vnde ad cautelam propter æmulos reuincẽdos, qui ei insidiabantur in multis, copias dictorum suorum apud se diligenter retinuit: vt casu emergente in promptu haberet, quid detrahentium latratibus responderet.

4. Contigit igitur, vt quidam ecclesiasticus prælatus aduersarius eius, contra ipsum disceptaret, & de quibusdã scriptis eius, quasi minùs bene saperet, palàm eum argueret: non perpendẽs, quali inuidiæ morbo intus ipse laboraret. Tunc vir Dei memor innocentię suę, copiam literarum suarum protulit, afferens illa, quæ sibi obijciebantur, non esse scripta ipsius, nec cum literis suis consonantiam habere. Vos (inquit) Domine videritis, quales literas recepistis vel misistis. En hęc est copia & series literarum mearum, quas manu mea dictaui: cum istis loquor, & pro istis ago & respondeo. His ita constanter editis, obstructum est os loquentis iniqua: & magister insignis, per assertionem veritatis, in maiori abscessit reuerentia coram multis astantibus: quoniam veritas semper prævalebit, quamuis ab imperitis frequenter impugnetur.

5. Fertur quoque, quod idẽ magister in astronomia & necromantia tritus fuerit: & antequam conuersus esset, quædam magicę artis prestigia actitasset. Sed à duobus discipulis eius intellexi, plura ipsi non rectè imponi. Cùm enim vnus discipulorum eius, de hac re sciscitaretur ab eo veritatem, ait illi. Scientiã quidem huius artis didici, & libros legi & habui: sed magicã leuitatẽ non exercui. Adiecit etiam mihi dicere quidam discipulus eius fidelis & deuotus presbyter, ad certificandũ me clarius de dubio præsenti. Quia duplex est (inquit) necromãtia. Vna dicitur naturalis quæ est subtilissima, & à paucis vix discernitur à secunda, quæ diabolica appellatur, & à iure prohibetur. Naturalẽ magister Gerardus sciuit, sed alterã existimo eum non didicisse, nec cum diabolo pactũ iniisse. Sed qualitercumque tamen sit,

Necromãtia, siue Magia duplex.

sit, quicquid vanitatis & contagionis ex prædicta scientia olim cõtraxit, siue ioculariter siue seriosè aliquid egit vel dixit, hæc cuncta dignis pœnitentiæ fructibus ad Deum plenè conuersus diluit & purgauit. In cuius rei testimonium, quadã ægritudine tactus, coram sacerdote omnibus illicitis artibus renunciauit, & codices vanitatis igni tradidit exurendos.

6. Agnoscatur in his omnibus diuinæ pietatis sinus immẽsus, qualiter omnipotens Deus, quosdam sinit grauioribus peccatis & diuturnis erroribus implicari; & tandẽ ampliori miseratione apparente ex occulto, renouat perditos ad vitam, ac lapsos suscitat ad pœnitentiam; donans nõ solum de præteritis criminibus veniam, sed etiam perfectè conuersis, & bene proficere nitentibus, cumulum maioris gratiæ; & quod diabolus instigauit ad confusionis pœnam, Deus nouit ordinare ad altioris gloriæ coronam promerendam. Si enim gaudium nascitur angelis, super vno peccatore pœnitentiã agente; quàm ingens gaudium factum est de eo, qui non solum de propriis malis pœnituit, sed tam multos etiam peccatores ad pœnitentiam, verbo & exemplo suo conuertit, atque magnam turbam fidelium ad cælestia regna trahere laborauit?

CAPVT XIV.

De multiplici fructu eius, in conuersione hominum.

1. QVoniam quidẽ omnis arbor, Christo attestante, ex fructu cognoscitur: pandendum nunc est, quales ac quantos pietatis fructus hæc arbor protulerit in tam breui tẽpore, quo prædicauit. Tribus autem præcipuè arboribus, hunc memorabilem virum & doctum magistrum, dignum duxi comparandum; videlicet oliuæ fertili, cedro sublimi, & palmæ florenti. Ipse enim tanquam lignum fructiferum, secus decursus aquarũ plantatus extitit, qui in tempore suo fructus optimos Deo reddidit; quia plenus fluentis scripturarum, veniam Domini sabaoth vbertim irrigauit; vnde botri deuotionis, cum viriditate boni operis excreuerunt, ad laudẽ Domini nostri saluatoris. Non fuit iste homo Dei arbor sterilis, nec siluestris velut quercus defluentibus foliis: sed reuera fertilis, vt oliua speciosa in cãpis; sicut cedrus nobilis, exaltata in Libano; & tanquã palma decora, in monte Sion. Præstitit enim ei misericors Deus gratiam magnã, quam non in vacuũ recepit, sed ad vsum boni operis exercuit; vt fieret omnibus exemplum virtutis, qui priùs fuerat multis causa erroris & comes vanitatis. Et factus est tanto humilior & feruentior ad bonum, quanto grauius se nouerat errasse in malo.

Quam-

Quamobrem spiritu Dei innouatus & accẽsus operibus misericordiæ diligentius insistebat; magno compassionis affectu proximis succurrendo; salutis verbũ populis prędicando; tristibus & tentatis, tanquam pius animarum medicus, diuinæ consolationis solatium adhibẽdo; & recidiuantes, crebra exhortatione ad primi feruoris statum, prĕcibus & lamentis reuocando.

2. Quia ergo multam misericordiam assecutus est à Domino, & hanc cum proximo impertiri studuit in vera charitate largiter & vbique; meritò potest cum sancto Dauid cantare & dicere: *Ego autem sicut oliua fructificaui in domo Domini, speraui in misericordia Dei in æternum.* Non enim incompassiuus & immiseri-
Psalm. 51.
Matt. 18. cors extitit, sicut malus ille seruus, qui omnibus sibi dimissis nõ est misertus conserui sui; sed ab initio cõuersionis suæ omne debitum in se peccantibus dimisit; pro detrahentibus sibi suppliciter orauit: paratus etiam ad satisfactionẽ prior venire, si quẽ offendisset; & cum omnibus pacem, salua veritatis defensione conseruare. Nec etiam abscondit pecuniam domini sui, sicut piger ille seruus, propriis commodis intentus; sed donum scientiæ ac talentũ sibi traditum, ad lucrandas animas fideliter exposuit. Dignè ergo oliuę fertili comparatur, qui oleum misericordiæ, quod à Deo percepit, in proximos suos pia erogatione transfudit. Prĕcipuè tamen misericordię viscera pauperibus clericis, viduis desolatis, & virginibus castitatem seruantibus ostendit, curam paternæ solicitudinis eis impendens; atque omni quo potuit consolationis auxilio, necessitatibus egenorum per se & per alios studuit subuenire.

3. Comparatur quoq; non absurdè cedro sublimi, in altũ protensæ; quia terrena cuncta spernendo, per contemplationem æternorum creuit in altum; atque per propriæ fragilitatis respectum, cor suum fixit in humilitatis profundo; factusque & tanto latior in summo, quanto angustior & depressior in mundo. Cùm enim esset tam multis scientijs prędituς, & maximæ reputationis inter egregios sui temporis doctores, despexit tamẽ omne culmen secularis honoris, & simplicium se conformauit moribus; vt si quis eum non cognouisset, vix attendisset aut salutasset. Bene etiã palmæ florenti magister iste assimilatur, qua antiquitus victores pugilesque solebant coronari: quia multis laboribus & scripturarũ documentis, velut armorũ telis contra hæreticos, simoniacos, vsurarios, proprietarios, focaristas, ac alia cõplura vitiorũ monstra certauit, & vicit; dignus proinde æternę beatitudinis palma coronari, atque à fidelibus populis debita laudũ veneratione cõmendari. Ecce iam verus Israëlita, & theologicæ veritatis deuotissimus prædicator & defen-

sor;

sor, qui sic Deum dilexit, vt proximũ non negligeret: sic ad cælestia mentem erexit, vt necessitatibus aliorum non deesset: qui non tantum propriæ saluti intendit; sed multis prodesse, & secum ad perfectiorem vitam ducere satagebat.

4. Erat enim vultu hilaris, affatu benignus, mente tranquillus, habitu humilis, victu sobrius, consilio sagax, iudicio discretus; rigidus contra vitia, feruidus ad virtutes; ocium fugitans, semper aliquid vtilitatis pro ædificatione exercens; simplicitatem diligens, humilia sectans, cælestia meditans; interna penetrans; lectionibus & orationibus sedulò vacans; Deum semper præ oculis habens, iura Ecclesiæ solicitè custodiens, atq; secularibus bonũ exemplũ præbens; nil terreni commodi ex prædicatione quærens; sed animarũ lucra pensans, ac gratis sine ecclesiasticis sumptibus euangelizans. Quamuis ergo longęuam vitã non duxit senio fessam, in breui tamen tempore multum fructũ prædicatione sua protulit, & deuotissimos post se discipulos ac fratres in diuersis locis reliquit, quos ipse primò nouæ lucis grãtia, qua imbutus erat, fideliter instruxit & accendit.

CAPVT XV.

De deuotis congregationibus & monasteriis, ab eo exortis.

1. OPtimè autẽ æterna Patris sapientia supernaq; clementia prouidit, vt senescenti iam mundo, & ad deteriora vergẽti, talis ac tantus magister tanquam cælestis legatus destinaretur, lorica fidei indutus, & sanctitate vitę suffultus: per quem religio sacra resloreret, & deuotio Christiani populi, ad diuini cultus studium & obseruantiã decalogi, frequenter eius sermonibus erudita incalesceret, atque opera misericordię in pauperes exerceret. Non enim imperiti hominis opus esse videbatur, tot hominũ malitiis posse resistere: & de profunda peccatorũ caligine, pereuntes animas ad veritatis lucẽ reuocare. Sed huic doctissimo viro & in multis experto, gratia diuina prędicandi tribuit facultatem; qui vitæ merito & doctrina cælesti plenissimè instructus, alios præcellebat; & contemptum mundi, non in humanæ sapientiæ verbis, sed sanctæ cõuersationis exemplis, suis auditoribus efficaciùs persuadebat. Tantusq; affectus audiendi verbum Dei in populo fuit, vt turbam conuenientẽ ecclesia vix caperet. Nam multi sua prandia relinquebãt; & negotia necessaria suspendentes, ad eius sermonem pia prorsus auiditate tracti concurrebant. Sæpe namq; duos sermones vno die prædicauit, & quandoq; spiritu feruoris concepto, tribus horis aut amplius sermonem continuauit. Prædicauit autem in principalioribus

lioribus ciuitatibus diœcesis Traiectensis; Dauentriæ, Svuollis, Campis pluribus vicibus; & in Traiecto, coram vniuerso clero; atque in Hollandię partibus, Lexdis, Delsi, Gaudæ, & in Amsterdamo primum sermonem teutonicum, & in compluribus aliis oppidis ac villis famatis; vbi sperabat aliquem fructum facere, & nouum populũ Deo parturire. Et benedictus Deus, qui misso desuper Spiritu sancto, accendit corda fidelium suorum, & auxit populum suum vehementer; vt de paucis granis conuersis, surgerent multæ congregationes deuotorum fratrum & sororum, in castimonia vitæ Deo seruientium; ex quibus nonnulla monasteria regularium ac sanctimonialium feminarum, initium sanctæ conuersationis acceperunt.

2. Magna laus magistri Gerardi, quod de origine ac fonte prædicationis eius stirps tanta processit; quæ nec post mortẽ eius, licèt nouiter plantata in agro dominico, germinare cessauit. Siquidem primò ad proximas regiones Hollandiæ, Geldriæ, Brabantiæ; dehinc ad remotiores partes Flandriæ, Frisiæ, Westfaliæ, Saxoniæ, ordo regularis & deuotorũ conuentus (Deo prosperante) cursim emanauit. Insuper ad audientiam apostolicæ sedis, ordo bonæ opinionis peruenit. Ipse namque venerabilis magister Gerardus, spiritu Dei repletus, cùm videret paulatim numerum discipulorum suorum augmentari, & ad studium cæleſtis exercitij conflagrare; operam dedit & consuluit, vt deuoti quandoque in vnam domum pro mutua exhortatione conuenirent, & de Deo ac charitate seruanda sincerè tractarent. Et si qui simul stare vellent, de labore manuum suarum victum quærerent; & communem vitam, quantũ possent, sub disciplina ecclesiastica tenerent. Nullum etiam permisit publicè mendicare, nisi euidens necessitas coëgisset: Nec curiosè per domos sub obtentu alimoniæ circuire, sed potiùs domi manere, & operi manuali, vt Paulus docuit, insistere suasit: Neque aliqua negocia deuotionis impeditiua, spe vberioris lucri, censuit exercenda, ne diabolo instigante, daretur infirmis occasio recidiuandi rursum ad pristina mala.

2. Thes. 3.

3. Habuit etiam in proposito ædificandi manasteriũ clericorum ordinis Canonicorum regulariũ, volens quosdam de idoneis clericis sibi adhærentibus, ad religionis habitũ promouere, vt aliis deuotis essent in exemplũ, & aduentantibus aliunde clericis vel laicis, bonæ cõuersationis iter ostẽderent. Ad huuc ordinem regularium instruendum præcipuè inductus fuit, propter singularem reuerentiam & amorẽ venerabilis domini Ioannis Rusebroec, primi prioris Viridis vallis, & aliorũ ibidem religiosè conuersantium probatissimorũ fratrum in ordine regulari,

gulari, quos dudum personaliter in Brabantia visitauerat, à quibus magnam ędificationis formam, ob multam ipsorum humilitatem, & simplicis habitus deferentiã, traxit & annotauit. Cũ igitur pro loco religioni apto & monasterio fundando diligenter instaret, mortalitate præuentus nõ potuit perficere, quod optauit. Sed Deo regi immortali & inuisibili omnium rerũ conditori, intentũ voluntatis suæ pro operis effectu obtulit, ac totum desiderium monasticæ constructionis, chariſſimis discipulis suis ab eo conuersis, perficiendũ commisit: hortans, ne tantum bonum ipso defuncto sopiretur, sed pro honore Dei ampliando, omnes pariter consilium præstarent & iuuamen. Ex his fuerunt, qui monasterium in Windesem, & domum S. Agnetis in monte prope Svuollas, primitus Deo iuuante fundauerunt.

CAPVT XV.

De felici obitu eius, & sepultura.

1. SEntiens itaque fidelis & prudens seruus Domini magister Gerardus, dierum suorum adesse finem, vtpote communi mortalitatis fulmine percussus, salutare viaticum petijt & accepit. Insuper plagam Domini patienter tolerans, cum electis non refugit flagellari; vt irã omnipotentis iudicis tanto facilius placaret, quanto humilius & libẽtius præsentia flagella sustineret. Igitur omnimodo voluntati diuinæ se resignans, & ordinationi supernæ sponte se subijciens, agonẽ suum fiducialiter Domino commendauit, ita ad astantes sibi fratres breuiter loquens: En vocor à Domino, & tẽpus resolutionis meæ instat. Augustinus & Bernardus pulsat ad ostium, non possum prędterire terminum à Deo constitutum. Cogor cum mortalibus cæteris, debitum persoluere carnis. Deus tueatur exitum meum, pergat spiritus ad Dominum, qui fecit illum. Tegat terra corpusculũ de terra sumptũ, non diu ibi mansurum. Det mihi Deus inuenire requiẽ post mortem, pro cuius amore laboraui, scripsi, & prædicaui.

2. Contristati verò nimis discipuli eius, & profundè ingemiscentes dixerunt: Quid iã vltrà faciemus, & quis de cætero nos informabit? Tu pater & defensor noster fuisti, & ad Dominum nos traxisti. Iam aduersarij nostri lętabuntur, & seculares nos subsannabunt, dicentes: Non habent isti ducem ac principem, ideo citò redigentur in nihilum. Si te viuente ausi fuerunt nos deridere & maledicere, quid facient te decedente? Cadat oratio tua pro nobis, & fer citò auxilium filijs derelictis. Tuo consilio nos emendare incepimus, adiuua, vt perseueremus. Videns pius & misericors magister corda filiorum suorum, de suo transitu grauiter contristari, benignam consolationem intulit

intulit dicens: Habete fiduciam in Domino chariſſimi, nec timeatis ſeculares homines contra vos garrientes. State firmiter in propoſito ſancto. Dominus erit vobiſcum in loco iſto. Non enim prævalebit homo infringere, quæ Deus decreuit operari. Vt primùm venero ad Dominum, ſpero, quòd proijciam vobis flores de cælo; vt gratiam ſentiatis, & fructum faciatis in mundo. Commendo autem vos omnes Deo & Sanctis eius.

3. Et ecce dominus Florẽtius, dilectus diſcipulus meus, in quo verè Spiritus ſãctus requieſcit, erit vobis pater & rector veſter. Ipſum loco mei habeatis, ipſum audite & eius conſilio obedite. Non noui conſimilem ei, de quo talia ſentio, & cui tantum confido, quem ſicut patrem diligere & honorare debetis. Sicque benignè cõſolatus eſt diſcipulos ſuos graui mœrore affectos, ſpõdens auxilium Dei eis certiſſimè affuturum. Quibus non aurũ, nec argentum, nec prædiorum copias reliquit in teſtamentum; ſed ſacros codices & pauperculas veſtes, ac alia quædam vilia & antiqua vtenſilia, in ſignum contemptus mundi, & ad conſequendũ facilius regnum Dei. Tunc etiam venerunt ad eum quidam deuoti ſcholares, morbo peſtilentiæ percuſſi, cupientes pro remedio animæ ſalutare aliquod verbum ab eo audire. Ad quos ille clementer locutus eſt: Si habetis bonam voluntatem ſemper ſeruiendi Deo, ſecurè poteſtis mori. Omnes lectiones, quas didiciſtis, reputabuntur vobis ſicut oratio dominicalis: propter piam intentionem, quam ad Deum in ſtudendo habuiſtis. His auditis conſolati iuuenes, & reuertentes ad hoſpitia ſua, defuncti ſunt in confeſſione bona, commendantes Deo & angelis ſanctis animas ſuas Chriſti ſanguine redemptas.

4. Igitur poſt feſtum aſſumptionis B. Mariæ ſemper virginis, cùm iam natalis dies beati Bernardi illuxiſſet, venerabilis pater magiſter Gerardus, ſpeciali deuotione ſancto Bernardo affectus ſole adueſperaſcente inter quintam horam & ſextã, tradidit Deo animam ſuam ſacramentis eccleſiaſticis munitã, fide precioſam, ac multis virtutibus claram, Anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo octogeſimoquarto; ætatis ſuæ quadrageſimo circiter quarto; tempore Vrbani Papæ ſexti, ac reuerendiſſimi domini Florentij de Weuelichouen Traiectenſis Epiſcopi viri ſpectabilis, multis probis actibus adornati.

5. Cùm ergo triſtis rumor obitus eius exiſſet in populũ, conuenerunt multi fideles, ad tam amandi & Deo deuoti magiſtri exequias celebrandas. Fuderuntq; pias lachrymas religioſi fratres & ſorores, debitum humanę defunctionis cum precibus & miſſarũ ſolenniis ex more perſoluentes. Omniq; eccleſiaſtico officio fideliter peracto, corpus eius deportatũ eſt ad Eccleſiam beatæ

beatæ Mariæ, in qua reuerendæ traditur sepulturæ; vbi frequenter verbum Dei noscitur viua voce prædicasse. Ibi non longè à sanctuario requiescit in pace, cum ceteris fidelibus resuscitandus in nouissimo die, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui iudicaturus est viuos & mortuos & sæculum per ignem. Hęc pauca de pluribus & magnificis actibus venerabilis magistri Gerardi, pro ædificatione præsentium & futurorum fratrum nostræ congregationis, sint dicta ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Peto autem veniam mihi dari, pro omni errato & sermonis defectu, quia imperitiam meam agnosco, & fraternę correctioni humiliter me subijcio, gratię Dei tribuens, quicquid boni hîc scriptum inuenitur.

Nouitius.

6. MVltum desideranter ista audio, & quasi nouum deuotionis spiritum sentio mihi exinde generari. O si multi iam tales magistri possent inueniri, qui Ecclesiam Dei tam præclaris exemplis & doctrinis conarentur informare. Quapropter egregium virum hactenus mihi ignotum, in maiori reuerentia dilectionis habebo; & eius scripta ac gesta, vbicunque inuenero, studiosè perlegere & indagare curabo. Sed quęso te, si adhuc aliqua commendabilia de eo nosti, quatenus hæc mihi priùs edisseras, antequam ad vlteriora procedas.

Senior.

7. LIcèt ad alia scribenda festinem, tamen vt tuo desiderio satisfaciam, paucis audi, quid de eodem quidam doctor in theologia cantor Parisiensis, olim ipsi familiaris scribit, & quanta eum laude post mortem extollit.

CAPVT XVII.

De magnifica commendatione eius, à cantore Parisiensi.

1. SAcræ recordationis magister Gerardus, dictus Magnus, feliciter migrauit ad Dominũ. Et verè Magnus, quoniam in omnibus scientijs liberalibus, naturalibus, moralibus, ciuilibus, canonicis, & theologicis, simul in vno suppositio congregatis, nulli secundus erat in orbe. Erat etiam tantę sanctitatis & exempli in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, in contemptu mundi, in charitate fraterna ad omnes, in desiderio salutis animarum, in efficacia prædicationis, in reprobatione & detestatione vitiorum, in opponendo se hęreticis, in persequendo secundùm iura canonica concubinarios, in conuertendo à

vitam spiritualem plures viros ac mulieres, priùs secundùm seculum viuentes; in fidelitate ad Dominum nostrum Vrbanum sextum, quòd multa millia personarum testificarentur de credulitate, quòd credunt eum fuisse non minorem in dictis virtutibus, quàm in antedictis scientijs. Magister VVilhelmus de Saluaruilla cantor Parisiensis, Archidiaconus Brabantiæ in ecclesia Leodiensi, Doctor in theologia præcellens, hæc prædicta compilauit, prout ab ore fide dignorum audiuit, & secundùm quòd ipse magistrum Gerardum nouit, vera esse procul dubio credit.

Nouitius.

2. COnsonant scriptis tuis verba supradicti doctoris, de veridica laude magistri Gerardi, primi nostræ religionis institutoris. Nam quod doctor præcellens breuiter & summatim conscripsit, tu largiore stilo reseraſti. Vnde quo plura testimonia de venerabili viro percipio, eo amplius exulto, & dictis eius fidem firmiùs adhibeo.

Senior.

3. VT ergo non tantùm aliorum testimonijs informeris, ad habendam notitiam magistri fidelissimi, volo introducere eloquia oris eius: quatenus publica protestatione eius lecta, cognoscas clarè, quid viuens ipse docuerit & professus sit.

CAPVT XVIII.

De publica protestatione eius, & de veridica prædicatione Euangelij, quod prædicauit.

1. EGo Gerardus dictus theutonicè Groot, coram omnipotenti Deo, coram omnibus Sanctis, & coram vobis & omnibus hominibus, protestor firmiter me circa ea, quæ fidei sunt, in ipso summo lapide IESV CHRISTO fundamento, firmam, illibatam, & catholicam fidem prædicasse & defendisse; atque in via morum sanas, certas, & indubitatas euangelicas & apostolicas doctrinas & vias, secundùm scripturas diuinitus inspiratas, docuisse & seminasse secundùm sensus

sensus & intelligentias sanctorum doctorum & patrum, Ambrosij, Gregorij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Dionysij, Bernardi, Bedæ, Isidori, Hugonis & Richardi; quorum libros, vnà cum sanctorum aliorum libris, pro terrenis habeo & quæro. Itemque ea, quæ scripsi aut prædicaui circa iura humana, aut circa materiam decretorum aut decretalium, & maximè circa turpissimos notorios fornicatores; spero ab omnibus medullitus iura intelligentibus, aut tanquam certa & indubitata, aut tanquam securiora & probabiliora aut veriora, cum eo temperamento & moderamine, quibus ea pronunciaui aut scripsi, inueniri & probari; saluo semper iudicio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui humillimè vndique & vbique me submitto. Et si (quod absit longissimè) me contra fidem vel sanam doctrinam, quam vbique defendo, quispiam dixisse diceret vel confingeret, aut nominatim me exprimendo, aut si hoc non auderet in proprijs verbis, diffusiùs circumloquendo, aut in genere me vrendo secundùm præsumptionem aut cleri aut populi designaret, aut temerariè infamaret, aut falsum aut mendacium reperietur in effectu. Episcopalem reuerentiam excipio, cui in hoc defero honorem. Si tamen (quod absit) quid reperiretur in literis principis populi & domini nostri Episcopi, respondeo quod beatus Bernardus ad litteras quasdam summi pontificis, cùm ascensum malo præbuisset, respondit, videlicet pontificem nostrum aut circumuentum mendacio, aut importunitate victum.

F. thesauris.

Conclusa & proposita, non vota, in nomine Domini à magistro Gerardo edita.

2. AD gloriam & honorem, & seruitium Dei, intendo vitam meam ordinare, & ad salutem animæ meæ. Nullum nouum temporale, siue corporis, siue honoris, seu fortunę, seu scientiæ, præponere saluti animæ meę. Omnem æmulationem Dei sequi, de qua mihi certum esset esse scientiam & discretionem; habito respectu ad corpus & statum meum, de quibus aliquæ æmulationes subsequuntur.

3. Primum est, nullũ amplius beneficium desiderare: nec spem, nec desiderium in aliquod lucrum temporale ponere de futuro. Siquidem quanto plura habuero, tanto sine dubio auarior fuero. Item secundùm ecclesiam primitiuam, non potes habere plura beneficia. Item in morte te pœnitebit, quia communiter dicitur: quod nunquam quis pluralis in beneficijs, sine huius pœni-

tudine mortuus est. Et quanto plura beneficia & plura bona habeo, tanto pluribus ego seruio, & pluribus oneratus sum : & est contra libertatem spiritus, quæ est principale bonum in vita spirituali. Alligatur enim affectus pluribus, & tenetur pluribus alligatus. Repugnat namque paci cordis & quieti mentis, affectio huiusmodi animam inficiens; & curæ istæ annexæ, mentem maculant & disturbant sæpius. Item appetitus plurimum rescindendus est: deinde possessa abbreuianda sunt, discretè ad minus. Itē. Si de meis largiri volo, cur pro pluribus stabo? Tantum est, si dedero ex modico modicum, sicut ex magno multum Deo ; quia non substantiam, sed cor pensat Deus. Vnde vidua, quæ misit duo minuta, diuitibus præfertur à Domino. Item video, quod quæ habeo, excellenter me ligant: quanto magis illa acquirenda, si adderentur istis? Item satis habeo, secundùm proportiones communis vitæ & dignitatis.

4. Item, nulli Cardinali vel Ecclesiastico attēto fine hoc seruiam, ab beneficia vel bona temporalia consequenda; quia hoc seruitium multis lapsibus & recidiuationibus proximum est, & tu debilis es, & periculis multis, nisi in seruitio Dei, te expones & morti satis proximus, & nullas comessationes vales sustinere. Item, nulli Domino temporali seruies ad lucrum consequēdum. Item, nullius domini vis vnquam esse astrologus. Item, pro nullo homine mundi, exercere debes aliquam scientiarum prohibitarum; quia res in multis in se malæ, suspicioſæ, & suspectæ, & prohibitæ. Item, omnes has superstitiones & alias curiositates debes à mentibus hominum remouere, inquantum potes, salua quiete mentis & puritate & libertate voluntatis, vt in illo, in quo Deo displicui, Deo complaceam secundùm suam volūtatem. Item, nunquam tempus eliges ad itinerandum vel flebotomizandum, vel ad aliquid aliud, nisi grosso modò secundùm aeris consistentiam. Talis enim electio prohibita est in decretis & à sanctis Patribus. Item, quicquid incipiam, in nomine Domini incipiam, & spem meam in illa re ponam in Domino, vt ipse ad viam salutis meæ, me in illa re dirigat. Et non dependeat aliqua spes in fato vel orbibus cælestibus, alia à spe Dei, & oratione, & bonis spiritibus, & eorum custodia. Item, quomodo scio, si prosperari in via vel in re est mihi vtile? imò sæpissimè inutile, quia sæpe angustia, sæpe tribulatio vtilissima est; ergo supponam me inordinationi Dei. Beatus enim homo, qui sperat in Deo. Omnem igitur solicitudinem in eum proijcias, quoniam ipsi cura est de te. Quanta enim misericordia me, per flagella cōtra meam voluntatem, spero reuocauit? Nec soliciti debemus esse, quid manducemus, quanto minùs de astris & superstitiosis? Necessa-

Temporis nulla ratio habenda ad iter suscipiendum, aut aliud quiduis.

rium

rium est enim ex corde puro omni Christiano seipsum deserere, & se Deo committere.

5. Item, nunquam iudicabo rem futuram, & modicum aduertam futura in genere; quoniam Deo & me & mea singula supponam. Item, per honores, & fauores, & per auaritiam, quibus omnes studeant, coinquinatur homo, & per tales lucratiuas scientias obscuratur, passionatur, & rectitudo naturalis obliquatur, & inficitur appetitus; vt nec quæ sunt Dei, nec virtutis, nec bona corporis rectè aspiciant. Vnde rarissimè est, quòd qui scientiis lucratiuis vel medicinæ vel legibus vel decretis inhæret, rectus sit vel æquus in ratione, vel iustus, vel quietus, vel rectè viuens. Item, Tu nullum tempus consumes in geometricis, arithmeticis, rhetoricis, dialecticis, grammaticis, lyricis poetis, iudicialibus, astrologis. Hæc enim omnia per Senecam reprobantur, & retracto oculo bono viro respicienda sunt, quanto magis spirituali vel christiano respuenda? Item inutilis temporis consumptio est, & nihil prodest ad vitam. Item, inter omnes scientias gentilium, moralia minùs abhorrenda sunt; quę sæpe sunt multum vtilia & proficua, & tam in propria persona quam in docendo alios. Vnde sapientiores omnem philosophiam ad mores retorquebant, sicut Socrates & Plato. Et si de altis rebus dixerunt, etiam sub leui moralitate ea figuratiuè, secundùm beatum Augustinum & experientiam tuam tradiderunt, vt & inueniri posset semper mos iuxta cognitionem. Vnde & Seneca hæc secutus, in quæstionibus naturalibus, toties admiscet moralia. Quicquid enim meliores nos non facit, vel à malo non retrahit, nociuum est. Item, secreta naturę non esse studiosè inquirenda in libris gentilium, nec legis nostræ veteris & noui Testamenti; sed cùm occurrent, de eis & in eis Deus est laudandus & glorificandus; vt de naturali fiat meritoria scientia, & offeratur sicut sacrificium Deo altissimo, per gratiarum actiones cum Abel iusto, & cum eo cogitetur aliquod bonum in honorem Dei. Aduerte in omnibus, quòd hęc omnia coinquinant, non satiant; & inuenies in eis nauseam, per gratiam spero Altissimi.

Moralia ex scriptis gentilium præcipuè sectanda.

6. Nunquam capies gradum in medicina; quia nec lucrum, nec beneficia, cum gradu intendo acquirere. Similiter nec gradum in legibus vel canonibus, quia finis graduum est, vel lucrum, vel beneficia, vel inanis iactantia, vel gloria mundi: quæ cùm ad lucrum vel beneficia non ordinantur, simpliciter inutiles sunt, & supernacuæ, & stultissimæ res, & contra Deum & omnem libertatem & puritatem sunt; & homo cùm illas appetit, cadit in mala plurima, & peiores sunt lucris & beneficiis. Item nullam artem studere, nullum librum facere, nullum iter arripere vel laborem,

Gradus & honores in scientiis quam vani.

borem, nullam practicam scientię exercere ad dilatandam famam meam, & nomen scientiæ meæ; & ad habendos honores vel gratitudinem quorumcumque; vel propter memoriam mei post me derelinquendam. Si enim propter hæc talia, vel aliquem actum fecero, mercedem in eis ponendo, non reddetur mihi apud Patrem qui in cęlis est; & si quid talium propter bonum & mercedem æternam semper faciam, vnde dilatatio nominis omnimodo vitetur. Item, quia hæc inanis gloria, memoria, & fama, etiam per philosophos tam excellenter est reprobata, vt vix eam aliquis dignus laude admitteret. Et si veniret laus ex opere propter Deum facto, de quo intentio fuerit occulta, licèt hoc opus luceat, redde Altissimo laudem illam & gloriam.

Disputationes publicę haud adeò vtiles.

7. Item secundùm Bernardum, nullum verbum proferas, de quo multum religiosus vel scientificus appareas. Item, omnem disputationem publicam vitare & abhorrere, quæ est litigiosa vel ad triumphandum, vel ad apprehendum, sicut sunt omnes disputationes theologorum & artistarum Parisijs, imò nec ad discendum interesse. Patet, quia contra quietem sunt, & lites & dissensiones fiunt, & inutiles & semper curiosæ; & vt plurimum superstitiosæ, animales, diabolicæ, & terrenæ: ita quòd doctrina sæpe nociua & semper inutilis est, & consumptio temporis inutilis est. Interim possis lucrum spirituale acquirere vel oratione in merito vel studio alicuius deuoti. Item, nunquam disputabo cum quocumque priuatè, nisi præordinetur certus finis euidentis boni: & nisi talis sit, qui me velit audire, & cum quo possim sine litigio conferre & modestè, nisi malitia rigorem requireret propter bonum subsequens, & hoc nunquam nisi bene deliberatè. Patet, quia semper in bono fine omnis res debet ordinari in laudem Dei, hoc est semper orare. Vnde non differas cum eo, nisi qui veritatem concedit.

8. Item, nunquam studebis ad capiendum gradum in theologia, vel nitêris ad hoc, quia lucrum & beneficia nolo consequi vel famam, & scientiam æqualiter possum habere sine gradu. Item, communiter est carnale, & qui carnaliter sapiunt. Item in multis retrahereris à salute proximi. Item ab oratione, à puritate mentis & abstractione. Item multis vanis lectionibus oportet interesse, & multitudine hominum in quibus homo inquinatur & diuaricatur. In legibus & in medicina nunquam studebis, nisi casu occurrente, & in quo possis aliquid boni facere cum eis. Nihil enim nutriunt in se, sed mentem diuertunt: sed amore concordiæ, vel casu necessitatis, vel casu mirabili se offerente in legibus potest videri, & pro proprio corpore vel socij in medicina. Sunt enim res seculares, in quibus magis congruum est pati alio-

-rum

rum consilia, quàm dare. Item theologis, monachis, & legem Dei desiderantibus prohibentur leges & medicina. Item, non dabis dubias medicinas, vel dubiæ infirmitati quascumque medicinas, vel cuicumque ægroto, nisi maxima necessitate modicum dicas, vbi alius haberi non possit, sed aliter nunquam te intromittas. Item, vides quantum boni viri gaudent liberati à practica eius. Item, in nullis causis placiti vel controuersiæ consulas, vel te intromittas, nisi euidenter constaret tibi, quòd illi calumnia euidens fieret; & nisi miserabilis, & nisi causa tota pia esset; vel manifestissimorum malorum fieret repressio, vel pauperum suppressio; & si æqua mente seruata, possis te intromittere. Et post intromissionem te retrahe, ita vt reliquiarum curæ non maneant. Et in hoc cautè attende, vt amicitia, vel consanguinitate, vel odio non mouearis. Et si amicus, vel consanguineus, vel odibilis aliquando tibi, inuestiga intra te, si esset alienus vel non odibilis, si idem faceres. Patet satis, quia conditio felicitatis in rustico est, quòd non vidit (secundùm Virgilium) ferrea iura, insanumque forum.

9. Item, corã officiali vel iudice spirituali, pro nullo amicorũ, vel consanguineorum, vel aliorum fauore comparebis; nisi vrgeret maxima necessitas pietatis; & tunc alium procuratorem mittere debes, si necessitas requirat, & ipsemet non ire. Ex hoc namque turbatur quies mentis, si ires, & strepitui & naufragio mundi te intromitteres: in omnibus aliis, mitte mortuos sepelire mortuos suos. Coram scabinis vel iudice seculi in Dauentria nõ comparebis, nisi in similibus necessitatibus: quia amici tui omnia hęc tractant satis coram scabinis. Nunquam de quibuscũque hominum controuersiis (nisi vt suprà) te intromittas: nisi ad cõponendum, si in breui & sine strepitu cõponi potest: & vbicũque etiam compositio fieri debet, si æquè bene per alium fieri potest, non te intromittas, & hoc semper considera: sed propter tuam quietem, pacem, quam posses verisimiliter ordinare, non dimittes.

10. Item, quandocumque aliquis tuus consanguineus verberatur, interficitur, vel molestatur, nunquam iniuriantem molestabis: nunquam consilium in malum eius, contra eum dabis: nunquam os tuum contra eum obturabis, vel eum vitabis: sed potiùs consolatoriè monebis, vel ad pacem reduces. Et si volunt vindicare amici, à vindicta eos remouebis placidis verbis: & ab iniuriis, ne inferant. Tu te dimittes omnibus, & exemplum tale præbebis, quanto magis alios mouebis. Item facta amicorum, & consanguineorum, vel dominorum, nunquam tractabo: nisi merè pia sint, ad misericordiam, & pietatem, & iustitiam declinantia: & quæ per alios æquè bene fieri non possint. Malum

esset etiam propter contemplationem, pietatem, & iustitiam, quod per alium fieri non posset deserere, & proximi vtilitates pias.

De sacris libris studendis.

11. REuertor ad scientias. Radix studij tui & speculum vitæ sint primò euangelium Christi, quia ibi est vita Christi. Deinde vitæ & collationes Patrum. Deinde epistolæ Pauli, & canonicæ, & actus Apostolorum. Deinde libri deuoti, vt meditationes Bernardi, & Anselmi horologium. De conscientia Bernardus, Soliloquia Augustini, & consimiles libri. Item Legenda & flores Sanctorum. Instructiones patrum ad mores, sicut pastorale Gregorij. De opere monachali beati Augustini: Gregorius super Iob, & similia. Homiliæ euangeliorum Sanctorum Patrum & quatuor doctorum. Intellectus Sanctorum Patrum, & postillæ super epistolas Pauli, quia continentur in capitulis ecclesiæ. Studium in libris Salomonis Parabolarum, & Ecclesiastæ, & Ecclesiastici; quia continentur in ecclesia in lectionibus & capitulis. Orabo spiritu, orabo & mente. Studium & intellectus psalterij, quia continentur in ecclesia sanctorum Patrum. Psallam spiritu, psallam & mente.

F. prosologium.

12. Librorum Mosaicorum; studium historiarum, Iosue, Iudicum, & Regum, prophetarum, & expositiones Patrum in his. De modo transcurrēdi decreta, propter scire instituta maiorum & ecclesiæ; non ad incorporandum, sed transcurrere, ne ignorantia iuris pietatem vertas in inobedientiam; vt videas grossos ecclesiæ primitiuæ fructus; vt scias à quibus debes cauere, & à quibus monere cauendum. Omni die quando potes, debes audire missam vsque ad finem: laicis enim præceptum est in dominicis, vt de conse. dist. 1. c. missa: clericis singulis diebus, vt in glossa ibidem. Idem in ecclesia maneas diebus festis, quousque missæ solemnitas compleatur. Item corporali naturę iuuamen est ad deuotionem cantus, vt scis per experientiam.

13. Surgendum semper in euangelio, & standum est, vnde de conse. 1. cap. dicitur: Apostolica auctoritate mandamus, vt non sedentes, sed venerabiliter curui stantes simus, & in cōspectu euangelij. In verbo Venerabiliter includitur, honorem tribuendum euangelio. Vnde & in verbo quo dicit; Attentè verba eius audiant, & fideliter adorent; id est, venerentur per compositionem corporis. Corporales venerationes sunt: primò in curuitate; secundò in capitio deponendo ex consuetudine; tertiò inclinare ad verbum Iesus & Maria; quia hoc habent Deo deuoti. Item cùm legitur Euangelium, mens non debet aliam sibi ora-

Missam audiendo quomodo nos gerere oporteat.

tionem

tionem præponere, vel aliam lectionem, cui debet intendere. Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Præcipiuntur enim verba euangelij & scripturarum apostoli, in solennitatibus attendenda, per cap. Omnes de conse. d. prima. Frustra audire esset, nisi attenderemus. Item nihil legere, nihil meditari; quia attendere præsens debitum est seu debemus euangelio; à quo subtrahimus omne, quod vel dicendo vel meditando peragimus. Item curuatio nostra illis verbis, & veneratio corporalis, signa sunt venerationum mentalium. Signa falsa sunt, nisi signata eis respondeant. Item illorum mentalium hæc exteriora inductiua sunt: & sic sunt frustra, si eis non corresponderent.

14. Item plus ore & mente venerari est, quam solo ore vel capitio. Vnde audiam capitio, audiam aure, audiam & mente: aliter est sicut cymbalum tinniens, aut æs sonans. Non sunt mihi voces aut loquelæ, quorum sermo à me non percipitur. Item genu flexo, capite non velato, dorso inclinato stabis post consecrationem sacramenti, si ipsum vel calicem videre valeas. Humilis illa adoratio & bassatio corporis, decens Deo & menti congrua, in iuuamen deuotionis omnimodo; imò aptissima inclinatio capitis super cubitum vt scis. Maximè enim seruus tenetur exhibere reuerentiam Domino, in præsentia Domini. Incuruatio est mirabiliter apta deuotioni mentis, propter proportionabilem phantasmatum motionem. Quando es remotè, vel videre non potes, iaceas capite declinato, & ora in abscondito Deum tuum, à Sanctus vsque ad pacem; & deinde siue capias siue non, vsque ad Euangelium sancti Ioannis.

Incuruatio apta deuotioni.

15. Pacem venerabiliter & deuotè sumas, quia contactus est Dominici corporis per os sacerdotis. Nonne & Veronica adoratur? Nonne pictura Christi, non Christi dedicata corpore adoratur? Nam fideles solebant communicare omnes in primitiua ecclesia; loco cuius communicationis datur pax, quasi aliquid communicationis corporis Christi. Ratio, quare non ita communiter datur corpus, opinor; quia in primitiua ecclesia meliores erant feruente sanguine Christi; & religio stetit in vigore & culmine, quæ est iam antiquata. Vnde & ipsi se subtraxit. Quando pax venit, sis paratus ac si capias corpus Christi; & tunc leua desiderium, & te præpara; vt si sacramentum corporaliter manducare non vales, saltem spiritualiter manduces. Post communionem talem ex pace, oportet desiderium tuum manere, & diu durare intus. Si tamen euagari incipias, sicut solet tibi contingere, quando per te cogitas, quæ non præordinasti, vade ad passionem Christi.

Pax oblata in missa quid notet.

16. Item à Sanctus sanctus, præpara te ad videndum sacra-

mentum. Nunquid solent omnes se præparare ad videndum regem, à quo & videantur? Post visionem, præpara te ad ipsum manducandum, & nihil aliud facias; quia tunc præsentia Christi operatur, & iuuat infirmitatem tuam, & sic ad sacramenti amorem exciteris. Hoc patet per hoc quod dicitur, Sursum corda, & Habemus ad Dominum. Item semper appropinqua sacerdoti, quantum honor permittit, vt audias missam, vt videas sacramentum, & in præsentia eius sta. Nunquam velis alicui consulere vel dicere (nisi deuotissimo) vel iuuare vt ordinetur. Primò, propter dicta, quæ ad officia continentur, quæ fieri deberent, & non fiunt; vt patet in 4. Sententiarum, & in Decretis. Secundò, propter simoniam, quæ communiter interuenit. Tertiò, propter inutilem statum ecclesiæ. De abstinentia, videtur bona, sed non promissa. Primò, seruare præcepta ieiunia; Secundò, nunquam comedere carnes. Rationes habes in margarita Decretorum, de Consecratione, v. distinctione, vbi. Tertiò, aduentum & septuagesimam semper ieiunare, non sine causa dimittere. Quartò, quotidianum ieiunium sit, non satiari totaliter, nisi frigus impediat. Hoc suadent philosophi omnes, præcipuè Seneca & Aristoteles. Dum adhuc appetitus durat manum retrahe. Sed male scitur satietas; sed eam sic considera, quantum velles comedere, si omnino liceret tibi vsquequaque; & de illo appetitu durante aliquid trahas, quod tibi rationabile videtur. Quintò, iuxta finem comestionis vel vltimum ferculum, delibera quantum comedisti, & quantum esses adhuc comesturus, si continuares, & de hoc reseca; sequitur vel præcedit ista præcedentem? Sextò, in principio, cùm præparare incipis, delibera comestionem tuam, & eius quantitatem. Septimò, caue plus quàm ab vno pyro cocto post cibum, nec multum magnum, vel tria paruissima. Octauò, semper in nocte comedere inter horam quartam & quintam; nisi hospites, infirmitas, vel accidens aliud, iter vel huiusmodi impediuerit. Probatur per causas. Primò, hoc digestioni conueniens, vt cibus in stomacho non corrumpatur in vigilia, per hoc quòd calor sit nimis modicus. Secundò, propter studium vel aliud impediens digestionem in vigilia, sicut solicitudo & tristitia. Tertiò, ne digestionem impediat potus supersumptus. Quartò, ne potum supersumere tibi conscientiam faciat, quod sæpe contingit. Quintò, ne crudum pomum, species, vel alia te tentent per diem. Sextò, quia somnus est melior, quia plenus venter libenter dormit. Septimò, quia tunc studium & orationes diei, minùs impediunt somnum. Octauò, ex hoc fiet, vt eatur citò dormitum, & vna hora semper. Nonò, ex hoc fiet, vt sit vnus somnus con-

De abstinentia documenta.

continuus propter tempestiuam dormitionem. Decimò, non tenebit te delectatio studij nimis ad noctem. Vndecimò, quia tunc habes totam diem in laboribus & orationibus. Duodecimò, quia tunc tua vigilia tota est sobria & ieiuna, subtilis & apta ad Deum & opera. Item plus appetit homo cibum, qui comedit quàm ieiunus; sicut non potest se homo abstinere, existens iuxta vel in mensa. Item, ab exaltatione sanctæ crucis vsque ad pascha, non nisi semel comedere, hoc est Carthusiensium, & Bernarditarum, & aliorum. Item, hoc incipit in septembri circa æquinoctium, & durat vsque ad æquinoctium ferè vernale.

17. Item, in magno frigore, plus comedere licet, non tamen nisi semel, quia hoc est doctrina Hippocratis. Item, hoc adiuuat te ad resistendum frigoribus, quibus vix aliàs posses resistere: Vnde potes vna hora vel media plus dormire. Item quando bis comedendum est, tunc modicum de paruo digestibili; vt vnum ouum, non plus; vel magis aliqua siccantia, vt panem & vinum, vel species cum pane modico; si tamen vinum, &c. quia pro digestione. Sunt hic rationes sicut superiùs, vbi de nocte comedendum concluditur. Item vellem posse nunquam bibere vinum sine causa, quamdiu essem sanus, ne contra doctrinam Pauli agerem; est enim in eo luxuria, item expensæ nimiæ. Item post prandium & ante, sed inter prandium, nunquam bibere, nisi infirmitas vel causa maxima ac ratio dictaret. In labore & post laborem nullo modo bibere, nisi sedata calefactione, hoc sanum corpori & animæ. Nulla satietas trahat te ad potandum inter horas vel ieiunia frangenda. Bonum est inijcere pedes in compedes sapientiæ. Item fit tibi hora ad perlegenda ea, quæ scribis in hoc libro, quia hoc ordinat statum tuum. Videtur mihi, quòd patres in deserto breues & crebras orationes fecerunt; ex eo vt semper continuè cor eleuetur ad Dominum, & non in res fundatur, sed abstrahatur à rebus, & sic faciendum est.

18. Consilium in nomine Domini, quòd semper ferijs quartis ieiunem, nisi infirmitas vel rationabilis causa obstiterit; vt non habeam tanquam fixum, sed tanquam ad quod niti debeo: similiter sabbato, & feria sexta. Die namque feriæ quartæ Iudas tradidit Dominum, & sexta crucifixus est; & qui non ieiunat, videtur tradere & crucifigere Christum cum crucifigentibus sine necessitate. Eo plus teneor, quia clericus sum de sorte Domini. Item sanitas conseruatur multa, & animam sentio meliorem cum Deo suo. Etiam si modicum corpori noceret, non aduerte; semper enim melius fuisti, quando ieiunasti; semper solue Deo tuo aliquid, & semper eius melius recordaberis. Ieiuniorũ per hebdomadam ratio.

19. Caue

19. Caue subitam comestionem, & auaram, & auidam. Venit enim velocitas ex amore obiecti inordinato. Edacitas velox gulæ, & desiderium admixtum habet & vitium. Gregorius in expositione Iob: Loquacitatem excitat, immo inebriat, calefacit & exorbitat, sicut ebrietas vel nimia loquela tepefacit, & illecebras educit. Item omnem cogitatum de Deo præscindit & recludit. Melius est vnum actum in magna mora bene facere, quam in parua exorbitare. Nam ad sanitatem corporis, quanto honestiùs & ornatiùs ingeritur cibus, tanto faciliùs digeritur & salubriùs. Et sic etiam debet vsitari, & scribendo, & loquendo, & agendo, vt non festines. Secundò, quia in illis non potest gloria Domini quæri; cùm ita impetu homo fertur in rem, quòd omnes vires in eam extenduntur. Discas ergo tardare & minui ab actu. Nullum bonum facias, vt inobedientiam incurras. In temporalibus pecunijs, reditibus, & libris, habeas te sicut dispensatorem, & videas, vt in hoc fidelis & prudens inueniaris. Tibi ergo victum & vestitum frugaliter tribuas; deinde magis indigentibus & melioribus, & in salutem animarum magis. Nulli non indigenti aliquid notabiliter tribuas vnquam, quia indigentes plurimos inuenis. Et si abundanti tribueres, fideliter non dispensares, nec prudenter ad tuam salutem. Item ne carnaliter in dando afficiaris. A nullo temporale accipiam, cùm indigentiores reperiantur; quia quod nulli facere volo, ab aliis non postulabo. Item dixit: Pro nulla re mundi deberet homo turbari. Qui facit illud quod scit, multum meretur scientiæ: & qui non facit illud, quod scit, multum cæcitatis.

20. Magnum est obedire in illis, quæ sunt homini contraria & grauia, & hæc est vera obedientia. Præ omnibus & in omnibus stude te humiliare specialiter in corde, & etiam ad extra coram fratribus. Scientia scientiarũ est scire se nihil scire. Quanto plus homo scit se distare à perfectione, tam prope est perfectioni. Initium vanæ gloriæ est sibiipsi placere. In nullo meliùs cognoscitur homo, quàm in hoc, quòd laudatur. Semper debes niti aliquid boni notare, & cogitare de alio. Quoties aliquid inordinatè extra Deum concupiscimus, toties à Deo fornicamur. Ideo propheta ait: *Mihi autem Deo adhærere bonum est.* Viriles esse debemus in oratione, & non leuiter desistere: nec cogitare, quòd Deus non vult nos exaudire; sed quoties repellimur, nunquam desperemus. Pusillanimes orare debent, tanquam filius ad pium patrem, sicut in euangelio dicitur: *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dat ei?* Et cætera. In omni re mundi est tentatio, quamuis homo non sentiat.

Scientia omnium maxima est scire se nihil scire.

Psal. 72.

Luc. 11.

21. Maxi-

21. Maxima tentatio est non tentari. Quamdiu homo inuenit in se aliquid ad amputandum, tunc bene stat. Quando aliquid mali sibi suggeritur, cogita, quòd velis socios tuos interrogare, & tunc diabolus stat confusus. Semper magis sperabis de æterna gloria, quàm timebis de gehenna. Caueat quiuis, ne alios scandalizet moribus suis; sed studeat mores suos corrigere, & honestè se vbique habere, vt alij magis ædificentur. Cum qualibus cogitationibus vadit homo dormitum, cum talibus surgit. Vtile est tunc orare; vel aliquos psalmos legere. Modica confusio hîc perpessa delet æternam confusionem coram Deo & omnibus Sanctis. Illi studeas solùm placere, & illum timere, qui te & omnia tua cognoscit. Posito quòd omnibus placeres, & Deo displiceres, quid esset? Auerte ergo cor tuum à creaturis, etiam cum magna vi. Aduerte, vt teipsum perfectè sic vincas; & erige cor tuum semper ad Deum, sicut propheta dicit: *Oculi mei semper ad Dominum, Deo gratias.* Psal. 24.

Maxima tentatio non tentari.

Epistola ad Episcopum Traiectensem pro Magistro Gerardo Groot quando erat ipsi interdictum, ne publicè prædicaret.

22. PAter præcelsæ potestatis, & princeps populi Traiectensis. Nuper cùm inspirãto Domino, Gerardus Magnus diaconus vestræ diœcesis, in his vltimis temporibus prædicationis zelo accensus, clero ac populo scelera sua annunciasset & pericula, nec non sanam & veram Euangelicam & Apostolicam doctrinam, contra hæreticos, vsurarios, & clericos focarias habentes, atque contra diuersa aliorum facinora & flagitia in diœcesi vestra, per vestram & parochialium curatorum licentiam, non sine fructu & incremento, vt sperat, prædicasset & seminasset. Vnde in diuersis locis, multorum corda vias suas peruersas & malas relinquentia, conuersa sunt ad Dominum. Vnde etiam in agro dominico, virginei flores plurimi, viduarumque castarum, & voluntariorum pauperum segetes, abrenunciationes seculi, restitutiones ablatorum, atque multi & varij Ecclesiastici & Catholici germinis fructus, ad oculos verè Deum amantium noscuntur pullulasse. Vnde etiam quorundam hæreticorum, secretè serpentium in terra, audacia compressa videtur; & in partibus Zelandiæ, vsurarum prauitas & vesani amores cessauerunt. Verumtamen eidem Gerardo, procurantibus (vt præsumitur) clericis & presbyteris focarias habentibus, per vestras literas fine causa vel causæ cognitione, exercitium prædicationis indirectè interdictum est. Nam quamuis generaliter vestræ literæ emanarunt, omnes tamen alij ad sua officia penè restituti sunt: quod

ab episcopali prouidentia non sperat idem Gerardus, sed à malignorum suggestione processisse; in sanctæ ædificationis non paruum detrimentum & grauamen. Inde lætantur hæretici, & serpunt audaciùs. Inde exultant inimici ecclesiæ clerici focaristæ, in lubrico carnis fœtidissimè permanentes. Inde gaudent vsurarij; inde etiam multiplicantur scandala, & multiplicantur fortè latiùs quàm carnales & mundanæ mentes valent existimare. Et quamuis (Deo teste) idem Gerardus, quantum est ex se, speculationi veritatis vacare mallet & quiescere; tamen quia vidit hostem humani generis in proximos suos vndique crudeliter grassari, & eos per abrupta & in præcipitia vitiorum impellere, quorum plures secundùm spem ipsius, (vt etiam ex effectu apparuit) per suam prædicationem possint eripi à laqueo venantium, & à verbo aspero; zelo domus Domini incitatur, & amore proximorum accenditur & stimulatur, vt possit verbum Domini sine emolumento temporali in paupertate humiliter sed veraciter prædicare & seminare, prout priùs non sine fructu euidenti prædicauit & seminauit. Et si sibi specialis licentia denegatur, hoc saltem petit, vt parochialibus curatis non inhibeatur, quin ipsum possint, si velint, admittere; qui secundùm consuetudinem ciuitatis & diœcesis Traiectensis, quos voluerint prædicatores maximè veros & bonos, sine licentia vestra semper admittere consueuerunt. Et adhuc (quod absit à dominatione vestra) si contra huiusmodi fructum & contra consuetudinem prædictam, ipsum Gerardum velitis à prædicationis exercitio prohibere, rogat & petit humiliter & obnixiùs, vt sibi causas & rationes prohibitionis vestræ velitis ostendere; & non sine monitione, quæ semper debet præcedere, ipsum iudicare, aut iure suo priuare, vel à iure suo suspendere. Qui paratus est, non solùm vobis Pater, verùm omni homini de singulis, quæ docet publicè vel priuatè, rationem reddere, & sanctis sanctorum radicibus & scripturis veraciter comprobare; & si necesse fuerit, ad conspectum summi Pontificis deducere.

Epistola magistri VVilhelmi de Saluaruilla, cantoris Parisiensis ad Papam Vrbanum sextum, ad impetrandum magistro Gerardo priuilegium prædicandi.

23. SAnctissimo in Christo patri ac Domino nostro, domino Vrbano diuina prouidentia Papæ sexto, sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ sũmo Pontifici; Humillimus vestræ sanctitatis orator & seruitor, VVilhelmus de Saluaruilla, cantor Parisiensis, archidiaconus Brabantiæ in ecclesia Leodiensi.

Ea-

Beatissime Pater, humillima ac deuotissima ad pedum oscula beatorum subiectione præmissa, zelum Dei habens (nisi fallor) scribo fideliter, quæ sequuntur. Vir quidam venerabilis nomine Gerardus Magnus, diaconus Traiectensis diœcesis, in scientiis liberalibus, naturalibus, & moralibus, ac etiam in Theologia & iure canonico eruditus; qui dudum propter Deum omnia beneficia sua, scilicet præbendas Traiectensem & Aquensem, ac etiam patrimonium suum satis largum reliquit, modica dicti patrimonij parte retenta pro tenui victu suo; cui mundus crucifixus est, & ipse mundo; factus est magnus hæreticorum persecutor; iustitiæ & vnitatis ecclesiæ zelator, & feruidus prædicator in dicta diœcesi contra vitia laicorum & clericorum, nihil ab illis, quibus prædicat, recipiens seu requirens, nullum temporale seu ecclesiasticum petit beneficium; sed desiderat, vt liberiùs & sine impedimento prædicare possit, habere super hæc commissionem auctoritate apostolica. Vnde, quantum mihi potest apparere, videretur expediens, quòd vestra sanctitas eidem conferat auctoritatem prædicandi, & contra hæreticos inquirendi, & etiam vestræ sanctitatis canonicam iustitiam in suis sermonibus propalandi, in prouincia Colonienſi, vel saltem in prędicta diœcesi Traiectensi. Præsentiam vestræ sanctitatis dignetur Altissimus conseruare feliciter, ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum Leodij, xxj. die Octobris.

Epitaphium vetus, & inconditum venerabilis magistri Gerardi Magni.

24. GErardus Magnus, vixit sicut pius agnus.
Fecit quòd dixit, sicut docuit, quoque vixit.
Sicut non fictus, aliis mitis, sibi strictus.
Lux fuerat cleri, tradens huic lumina veri.
Lux fuerat prauis, oculus mentis bene gnauis.
Hic mundò spretus, sed pneumate corde repletus.
Eius doctrina, falsi fuerat quasi spina.
Ridiculum vanis, odium mentis malè sanis.
Quæ falsos læsit, pars veridicis sed adhæsit.
Illi pro vero, fuit vtilis hic quia clero.
Vt clero laicis prodesse volens inimicis,
Doctrina veri, debet Christus misereri
Eius de iure, pro tali pondere curæ.
Talis namque fore voluit gratis, sed amore
Diuino tactus, nulla mercede coactus.
Namque resignauit præbendas, sicut amauit
Christum, sic strauit carnem, tenues quoque pauit,

De proprijsque bonis, tenuit regimen rationis.
Sic fuit exemplo, lux in Christi bene templo.
Gerardus Magnus, quem verus diligit agnus,
Sanctorum sortem tenet, cuincens modò mortem.

VITA
D. FLORENTII.

Prologus in vitam Reuerendi D. Florentij, deuoti presbyteri, & vicarij Ecclesiæ Dauentrienſis.

1. DIgnum iam arbitror, ex ordine præmisso, aliqua etiam scribere de vita & moribus Reuerendi Patris, ac piæ memoriæ, Domini Florentij, Dauentrienſis ecclesiæ presbyteri, quondam M. Gerardi discipuli, de quò superiùs narrationē peregi. Et rectus iam ordo loquendi procedit, vt qui bonæ arboris vbertatem in Gerardo ostendi, qui fuit nostræ deuotionis fundator, iam in pio Florentio eius discipulo, aperiā speciosi floris dulcedinem, qui eiusdem deuotionis imitator extitit, & feruentissimus propagator. Cuius humiles & tractabiles mores, profectò sunt animæ languentis flores medicinales; & sanctæ eius virtutes, nouellos instruunt & prouectos.

2. Obsecro autem te frater bone, ne simplicitatem eloquij mei ad iniuriam illustris sacerdotis retorqueas, qui erat humilitatis & simplicitatis amator; sed bonā audita, pio considerationis oculo inspicias & perlegas. Esto sicut apis prudentissima, sugendo mel dulce de floribus pulchris prato in virenti, atque ad ædificationem status & ordinis tui, dilecti patris nostri Florentij virtutum germina & exempla, tanquam flores rosarum & lilia redolentia, in hortulo pectoris tui diligenter insere & reconde; vt in bono semper proficias, & in amore Christi ampliùs inardescas. Ipse enim fuit insigne virtutis speculum, & cunctis Deo seruire cupientibus ad cæleste regnum iuuamen. De quo tanto fidētiùs valeo loqui, quanto apertiùs eum agnoui, & sæpius ipsi adsisti & ministraui.

Nouitius.

3. OPus, quod rogatu meo & aliorum instanter incepisti, ad honorem Dei perfice. Erit enim delectabile posteris audire, quàm clarā luminaria in finibus nostris emicuerunt. Quorum meritis tu quoque particeps esse poteris, si ea quæ gratis accepisti cæteris in charitate studeatis impertiri.

Senior.

Senior.

4. LAborioſum eſt opus, quod aggredior, & quod ſcientiam meam ac vires imbecilles excedit. Nam potius eligerem ab alijs dictata in ſilentio legere, quam ruſticitate mea claritatē illuſtrium virorum barbarizando obſcurare. Verùm tu, qui non apices literarum, ſed virtutes morum quæris in literis, propter inopiam dictaminis non debes aſpernari margaritas in vilibus conchis. Fateor namque imperitiam meam, non poſſe ſufficere ad tanti patris vitam deſcribendam, ſed in templo Dei offero pilos caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi, qui lapides pretioſos non habeo, ad ornandam chlamydem Sacerdotis. Denique durum & ingratum mihi indigno videtur, ſi tam dilecti patris virtutes reticerem: qui mihi & multis alijs benefecit in vita, & primò traxit ad Dei ſeruitium, ac tandem direxit ad monaſterij portum. Vnde pro gratiarum actione & dulci recordatione eius, libens ipſi rependo muneris vicem, hoc opuſculum conficiendo poſt eius deceſſum.

5. Sit igitur pro aliquanta excuſatione operis præſumpti ingens affectus patris reuerendi, cuius memoriam inter deuotos opto ſemper & vbique florere. Dominus autem Ieſus, qui duo minuta pauperis viduæ non ſpreuit, mihi exiguo in futuro recompenſet, quòd pia intentione in eius gazophylacium mitto manum, doctioribus me altiora reſeruás. Nam & propriam exiguitatem ſciens, correctioni me ſubdo maiorum. Iuuet me obſecro deuota mens orando, & ſi quid ædificationis hauſerit hæc ſcripta legendo, laudet Deum de vniuerſis donis ſuis, & ſit grata etiam in paruis.

CAPITA VITÆ FLORENTII.

De humilitate Chriſti, quam D. Florentius ſtuduit imitari. Cap. I.
De interpretatione nominis Florentij & laude triplici. II.
De interpretatione nominis patris eius Radevvini. III.
De patria eius, & profectu in ſtudio Pragenſi. IV.
De honeſtate morum eius inter ſeculares. V.
De conuerſione eius per prædicationem magiſtri Gerardi. VI.
Qualiter ſeculari vita deſpecta, magiſtro Gerardo adhæſit. VII
Qualiter ipſe iam plenè conuerſus, complures alios conuertit. VIII.
De preſturis & iniurijs ipſi illatis. IX.
De promotione eius ad ſacerdotium, & deſcenſu humilitatis eius. X.
De raritate exitus eius, & cum quanta diſciplina ſtabat in choro. XI.

De simplicitate vestimentorum eius. XII.
De humili seruitio eius inter fratres. XIII.
De labore manuum eius pro communi bono. XIV.
De misericordia eius in pauperes, & ægrotos, atque ignotos. XV.
De refectione pauperum, & balneatione miserorum. XVI
De abstinentia eius & infirmitatibus, ex rigore austeritatis contractis. XVII.
Qualiter orationibus deuotorum adiutus sæpe reconualuit. XVIII.
Quod semel in nocte paschali, angelica visitatione curatus fuit. XIX.
De viro, qui eo prædicante in puteum cecidit, & inde illæsus extractus fuit. XX.
De visione Crucifixi, super domum eius apparentis. XXI.
De patientia eius & mansuetudine, ac dilectione ad omnes. XXII.
De deuota exhortatione eius ad spiritualem profectum. XXIII.
De efficacia sermonum eius & intellectu scripturarum. XXIV.
De custodia verborum, & iuratione vitanda. XXV.
De tribus periculosis tentationibus deuotorum. XXVI.
De missione fratrum ad fructificandum in diuersis locis. XXVII.
De felici transitu eius ex hoc mundo, & ecclesiastica sepultura. XXVIII.
De quadam visione facta post obitum eius, & magna gloria eius. XXIX.

VITA.

D. FLORENTII.

CAPVT I.

De humilitate Christi, quam dominus Florentius studuit imitari.

1 FLos omnium virtutum omniumq; scientiarum magister & Dominus noster Iesus Christus, ab humilitate & mansuetudine normam viuendi incepit, quam & discipulis suis tanquam legitimam regulam tradidit obseruandam, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Matt. 11.

2. Hanc autem veræ humilitatis virtutem, quæ rectissima via est ad cœleste regnum promerendum, secutus est deuotus & humilis Sacerdos Christi magister Florentius filius Radevvini: quã vsque ad consummationẽ vitæ suę, per multos spiritales agones, in longa carnis maceratione continentissime viuẽdo tenuit, donec in æternæ beatitudinis requiem, pro pijs & iustis laboribus à Deo

Deo remunerandus introiret. Sed qualiter ad hanc humilitatis viam peruenerit, referam Deo fauente per processus sequentes. Deus enim omnipotens & misericors, qui eum ab æterno Sacerdotem elegit consecrandum, ac donis sublimioribus præsciuit illustrandum, ipse quoq; eundem de mundi naufragio mira pietate eripuit & abstraxit: atque in sanctioris vitæ statum, & nouæ prolis palmitem, per verbum veritatis efficaciter regenerauit.

CAPVT II.

De interpretatione nominis Florentij, & laude triplici.

1 SAnè non sine præsagio futuræ probitatis, Florētius Radevvini est appellatus, ad cœlestis patris gloriam & sui generis famam lucidius declarandā. Tunc enim res digna laude geritur, si vita nomini concordat, si fama virtutibus non dissentit: quod vtique in sinceris actibus eius cōprobatur. Est namque Florētius dulce nomen pijs ad nominandum & recolendum; qui talem se exhibuit in vita, vt ab omnibus, tam religiosis quam secularibus, in maximo amore & reuerentia haberetur.

2. Pulchrè autē Florentius quasi flores legens dicitur, propter liberales artes quas olim didicit; in quibus tantum valuit & profecit, vt magister vocaretur & esset. Aut propter diuinæ legis notitiā, & sacræ theologiæ libros, quos præ cæteris scientijs libentius legit, & super omnes mundi thesauros charius dilexit; quēadmodum Propheta in Psalmo dicit: *Ideo dilexi mandata tua, super aurū & topazion.* Sed multo pulchrius Florentius dicitur, quasi florem tenens, quia Christum omnium virtutū florem & castitatis amatorem secutus est, pro cuius amore florentem mundum despexit, atq; sinceritatem fidei & catholicæ pacis vnitatem firmissimè tenuit, dicens cū Spōsa in Canticis Canticorū: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Tenui eum, nec dimittā.* *Psal.118.*

3. Adhuc autem sacratiori sensu & vberiori fructu Florentius dicitur, quasi flores colligens: quia multos fratres clericos primæua ætate florentes, secum in domo sua congregauit; qui seculi vanitate despecta, humiliter & deuotè altissimo Domino in castimonia vitę & fraterna charitate seruierunt, secundum quod sanctus Dauid gratulabunda voce decantat: *Ecce quam bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Hos cum tanta disciplina & spiritali feruore rexit & educauit, vt esset domus domini Florentij schola cœlestis exercitij, speculum sanctitatis, ornatus morum, exemplar virtutum, aditus pauperum, conuentus clericorum, instructio laicorum, refugium deuotorum, & totius boni initium & profectus. Ex hac quippe do- *Psal. 32.*

mo, complures honorabiles & literati viri spiritum deuotionis conceperunt; & veluti apes dulcedine mellis refertæ, de alueario pleno ad fructificandum in alijs locis longiùs processerunt; & Deo benedictionem dante, non modicum fructum effecerunt, vt de his meritò efficere libeat: *Quia flores apparuerunt in terra nostra.* *Cant. 2. F. effarre.*

CAPVT III.

De interpretatione nominis patris eius Radevvini.

1. SEd nec absurdum videatur, si paterni nominis vocabulum mysticè exponatur, quia hoc ad laudem tanti viri non parum tendere existimatur. Aptè ergo satis Radevvinus dicitur, quasi radius diuinus. Quo nomine rectè Christus intelligitur, qui est splendor Patris, mundum illuminans sapientiæ suæ luce, vita pura, doctrina vera, miraculis sanctis, & reuelationibus multis. Qui & Apostolos suos, tanquam veri solis radios, misit in orbem terrarum ad prædicandum verbum suum, & ad dandum exemplum bonum fidelibus cunctis, ita ad eos inquiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* *Matt. 5.*

2. Bene ergo Florentius filius Radevvini dictus est, qui à Christo in spem viuam renatus, ab ipso irradiari meruit & accendi, vt terrena despiceret, & cœlestia ardenter amaret. Et si idem nomen Radevvinus ex teutonico transferatur ad latinum, consilium exprimit & vinum. Quæ duo simul Florentio optimè adaptantur, qui consilium mundanæ sapientiæ reliquit, & diuinæ legis mandatis se subdidit, iuxta illud Psalmistæ: *Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* *Psal. 118.* Cui etiam Christus pro delectationibus vanis & carnilibus, quas mundus offert suis amatoribus, gustum internæ suauitatis præstitit, quam mundus accipere non meretur: & spiritualis lætitiæ vino, dum diuina mysteria celebraret, cor eius & animam potissimum repleuit; vt omnia interiora eius diuini amoris incendio feruerent, atque in voce exultationis cum Propheta deuotissime iubilaret, dicens: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* *Psal. 83.* Tunc enim totus intra se collectus, & supra se in spiritu raptus, semetipsum hostiam viuentem ac Deo placentem obtulit, multumq; fideliter pro sancta Ecclesia & omni populo Christiano suppliciter intercessit. In quo sacro conuiuio, deificam in suo fonte dulcedinem gustans, & præ magnitudine diuinæ largitatis amorosè liquefactus, cum magna gratiarum actione hæc mystica verba ruminabat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ* *Psal. 30.*

Do-

Domine, quam abscondisti timentibus te? Sed his iam prælibatis, ad rem gestam stylus vertatur.

CAPVT IV.

De patria eius, & profectus in studio Pragensi.

1. REuerendus pater & deuotus Sacerdos Christi magister Florentius, vicarius fuit Ecclesiæ Dauentriensis, per prædicationem venerabilis magistri Gerardi Magni, diuina gratia opitulante conuersus. Cuius factus humilis auditor, per omnia studuit eius fieri imitator. Et salutaribus consilijs gratanter acceptis, ipsum sicut patrem charissimum & suæ salutis genitorem dilexit, ac summa cum reuerentia, vt decuit, semper & vbique honorauit. Vnde mutuò ab ipso, inter cæteros discipulos suos, amplius diligi meruit, & præ cæteris commendari, ob specialem morum suorum venustatem & modestiam, qua eminenter præditus fuit, ac religiosius refulsit.

2. Hic igitur de ciuitate Leyderdam, in terra nobilis domicelli de Erkel originem natiuitatis duxit, quæ circa fines Hollandiæ sita, tribus ferè miliaribus à Traiectensi ciuitate distat. Huius pater Radevvinus nomine, vir quidam erat inter suos fama notissimus, rebus ac facultatibus secundum status sui exigentiam decenter adornatus. Qui filio suo Florentio ad studium Pragense pergenti, pium assensum præbuit & iuuamen. Nã tunc temporis apud Pragam Bohemiæ, studium priuilegiatum latissimè flóruit, & multi de partibus inferioribus illuc expeditiùs pergebant. Fit cito artista bonus, qui erat ingenio clarus, & in proficiendo studiosus, taliter inter scholares, pius ad domesticos, reuerendus erga magistros. Post hæc ad patriam suam cognatosq; reuertitur, & pro magisterij gradu honorificè suscipitur.

3. Congaudent vniuersi amici cum vicinis eximiè, quòd iucunda eius præsentia salubri prosperitate, post tanta terrarum spatia, & pericula, diuinitus concessa, frui ac consolari merebantur. Siquidem matura eius de Pragensi vniuersitate ac studio reuersio, grandis extitit amicorum exultatio. Sed Deo melius disponente, facta est æternę salutis eius felix præparatio, quia non multo nec longe post tempore lapso, factus est verus Christi discipulus de magistro. Cui etiam pius Dominus, cùm de Pragis rediret, rem satis mirandam ostendit, in qua misericordiam eius manifestè cognouit. Nam cùm ad quandam profundam vallem peruenisset, sequebatur eum currus cum impetu magno de monte descendens. Quem declinare non valens, & periculum

corporis metuens, cum iam humanum deesset auxilium, confugit ad diuinum. Et inuocato omnipotente Domino, affuit gratia saluatoris immensa. Vidit namque (quod dictu mirabile est) mox vt Dominum inuocasset, currum eundem antecedere se per viam qua tendebat, & omne periculum esse sublatum. Quod factum erga se miraculosè gestum Deo totum asscripsit, qui tribulatos corde sanat, & ab omni angustia liberat ad se clamantes.

CAPVT V.

De honestate morum eius inter seculares.

1. ERat autem morum honestate conspicuus, lætus inter sodales, affabilis verbis, liberalis expensis, facie venustus, statura gracilis, & mediocriter procerus. Quem Deus aliquo tempore permisit in seculo versari, & eius insanias falsas experiri, sed non finaliter periclitari, vt nemo cõuerti volens de venia desperet, quando hunc tam citò in melius mutatum cognoscit.

2. Quodam namque tempore, inuitatus est cum multis amicis ad nuptias seculares. Cumque in itinere simul pergerent, egit aliquid pro solatio amicorum, promptissimè eis obsequendo & lætitiam exhibendo. Præcidit itaque ramos virentes de arboribus, quibus secum allatis obumbrauit in vehiculo sedentes, vt magnos inde mereretur habere fauores. Nondum enim sciebat, quid Dominus de se facturus esset, nec aduertit, quanto studio conscientiam suam interius ornare cum virginibus sanctis debuisset, vt ad cælestes nuptias dignus esset intromitti. Sed nec spiritales epulas in nuptijs Christi nouerat, ideo secularibus cõuiuijs interesse gaudebat. Verum Deo miserante, non diu in hac vanitate permansit; sed ad magnam deuotionis gratiam, omnem mundi suauitatem superantem, felici vocatione peruenit.

3. Præfigurauit tamen istud factum seculare, aliquod bonum in eo futurum, quia ipse Dei gratia mutatus in virum spiritualem, plures secum contubernales inuitaturus esset ad nuptias ciuium supernorum, vbi Sponsus immortalis Iesus Christus cum omnibus Sanctis conuiuatur in sęcula sæculorum. Hoc postea verissime patuit in multis fratribus, per eum deuotè conuersis, sicut etiam manifestè oculis meis conspexi, & tota Dauentria nouit.

CA-

CAPVT VI.

De conuersione eius per prædicationem magistri Gerardi.

1. NEc distulit pietas Saluatoris nostri succurrere ouiculæ erranti, quæ inter nebulas gloriæ secularis versabatur, non sine periculo grandi. Cùm igitur tempus miserendi eius aduenisset, pius pastor animarum, ouem suam pretio sanguinis sui carè redemptam, de medio laqueorũ cau è subtraxit; & ad sanctæ cõgregationis caulam, quam recturus erat, clementer induxit. Prędicante namque venerabili magistro Gerardo Magno euangelii Christi per diœcesim Traiectensem, multi clerici & laici audito verbo Dei, reliquerunt vanitates seculi, cupientes euadere pœnas ignis æterni, & regna cœlestia per pœnitentiam & luctum adipisci. Viua etenim vox magistri prædicantis, tanto fortiùs valuit in cordibus audientium, quanto perfectius cæteros præibat in via virtutum; vt fidem sermonibus eius daret sancta conuersatio in operatione ostensa.

2. Cùm igitur Dauentriæ apud sanctam Mariam frequenter prædicaret, affuit etiã magister Florentius diligenter auscultãs, quid diceret, & lumine cœlestis sermonis sapienter foris instructus, mox interius irradiatus est, & corde compunctus. Solebat enim prędicator egregius interdum oculos suos dirigere ad adstãtes, & pro audientium qualitate ac vtilitate, sermonem suum formare in altum vel longum per feruoris excessũ; quemadmodũ cupidi piscatores ibi latiùs sua retia laxant, quò plures pisces confluxisse opinantur. Diuina itaque inspiratione actum est, vt magister Florentius ætate iuuenili decorus, & sufficienter prębendatus, vocem Domini libenter audiret, & sonitum cœlestis fistulę non surda aure pertransiret; sed ad se vtiliter traxit, quod ad omnes generaliter per os magni prædicatoris emanauit. Erat enim de ouibus illis, de quibus Saluator noster prædixit: *Oues mea vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Ioan. 10.

CAPVT VII.

Qualiter sæculari vita despecta, magistro Gerardo adhæsit.

1. IGitur spiritu Dei afflatus magister Florentius, ac rore cœlesti intime perfusus, repentè pedem vanitatis retraxit, quem in huius seculi itinere figere cœperat. Perpenditque prudenter, quid sequeretur post fugitiua gaudia carnis, quia profecto mors sæua & luctus æternus. Ideoque ne florigeram Angelorum patriam amitteret, falsos mundi honores spernere decreuit,

& humilem vitam Christi sectari pro optimo duxit. Cupiens ergo magistro Gerardo familiarius loqui, quem vidit magnum zelum animarum ad omnes habere, non differt ad eius reuerentiam fidenter accedere, cui quid intus gerebat, tanquam amico & secretario Dei ex ordine narrat.

2. At ille venientem gaudenter acceptans, charitatis sinum aperit, colloquium desideratum præbet, paratus rationem reddere, de quibuscunque voluisset scisciatari. Itaque in vnum conuenientes, ea quę salutaria sunt dulciter conferunt. Exardescunt corda amborum cælestibus, vilescunt omnia terrena, ratificantur consilia bona de diuina seruitute tenenda. Efficiuntur deinceps in fraternitatis amore vnanimes, qui in sanctę cõuersationis proposito ad patriam in Domino feruent. Quibus affuit etiam multiplex gratia Christi, vt non tantũmodo sibi, sed & proximis suis proficerent ad salutem. Nam additi sunt illis ad solatiũ amplioris gaudij, & decorem domus Dei nostri, quidam literati & eloquentes viri, qui dono Spiritus sancti vehementer inflammati, elegerunt vestigiis Christi firmiter adhærere, atque per contemptum mundanorum & fortia bella vitiorum ad æterna bona transire.

CAPVT VIII.

Qualiter ipse iam plenè conuersus, complures alios conuertit.

1. CVmque suauissimus diuini amoris auster, hortulum cordis magistri Florentij crebriùs perflaret, & fletibus irrigaret, cœpit magna deuotione fœcundari, & ad extrahendum alios de sordibus peccatorum pia æmulatione moueri. Dedit ergo operam ad habendum fratres spirituales, qui dudum studio literarũ intentus delectabatur socios habere seculares. Nam igne quo ipse iam erat accensus, cupiebat & alios secum accendere, & lumine, quo fuerat à Deo illustratus, non tardauit ad se venientes verbis & exemplis lucidis informare. Suasit igitur clericis ac laicis, Deo seruire volentibus, praua consortia fugere, ad audiendũ verbum Dei properare, humilitatem Christi sectari, & sanctorũ vitam ad imitandum aspicere, quatenus per continentiæ virtutem & præcepta dominica, præmia consequerentur æterna.

2. Nec fuit inutilis labor, quem pro lucrandis animabus impendit, sed copiosus inde fructus excreuit. Plures namque iuuenes & virgines, eius salutari consilio freti, relictis parentibus & amicis, humiliter & deuotè incedere cœperunt, & secularem vitam odientes, apostolico more socialem in Christo cõuersationem

nem ducere, & alacri corde communem mensam & victum tenuem habere gaudebant. Denique virtutum gradibus singulos proficere hortabatur, orare sæpius, & temporibus debitis laborare manibus: necnon sacris lectionibus ac meditationibus insistere compunctiuis, quibus feruor duotionis maior acquiratur, & horror continuus contra vitiorum incentiua habeatur, ne quis per desidiam cordis à diabolo seducatur.

CAPVT IX.

De preßuris & iniurijs ipsis illatis.

1 INtuens hæc studia spiritualis exercitij, antiquus humani generis hostis grauiter doluit, & felicibus initijs ac pijs actibus deuoti magistri Florentij inuidit, non omittens persequi bene agentem. Nam metuens exemplo eius & industria sermonis multarum animarum spolia sibi auferri, suscitauit aduersarios quosdam, qui asperis verbis & derisionibus insuetis, iusti simplicitatem impugnarent, ad retrahendum eum à bonis inceptis. Sed vir animo mansuetus, & ad toleranda opprobria pro Christo bene animatus, nec verborum iniurijs, nec detractionum mouetur figmentis, sed velut aranearum telas paruipendit omnia, permanens constantissimè in bono, quod cœpit. Ibat ergo mitis inter peruersos, patiens inter obloquentes, nulli malum pro malo reddens, sed tranquillo corde orabat & tacebat, aut rationabili verbo imprudentium ora frenabat. Reprehenderunt enim stulti, quod ignorabant: & quem humiliter incedere, atque omnem leuitatem vitare cernebant, hunc proteruo sensu multum delirare autumabant.

2. Ipse autem tanquam flos campi processit verecundo aspectu, grisea tunica indutus, & longa toga palliatus. Et sicut lilium inter spinas crescit, & incisum redolet, sic Florentius derisus inter subsannantes lętior fiebat, & odorem notitiæ suæ per patientiam suauiorem reddidit ac clariorem. Induit enim eum Dominus loricam fidei, & virtute constantiæ militem suum armauit, vt non posset hominum peruersitas statum mentis eius euertere, quem gratia Dei roborauit intus. Studuit quippe pro nomine Iesu contumelias pati & terrores, sciens scriptum. *Beati eritis, cũ maledixerint vobis homines: & exprobrauerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis.* Attendebat igitur sedulò in auctorem vitæ Iesum filium Dei, quem Samaritanum & seductorem vocabant Pharisęi, qui discipulos suos præmonuit multa contraria debere pati à mundanis, quia & ipse prius grauiora patiebatur ab æmulis Iudæis. *Si me,* inquit, *persecuti sũt, & vos persequentur;* *Luc. 6.* *Ioan. 8.* *Ioan. 15.* *Matt. 10.*

sequentur; non est enim seruus maior Domino suo, Et si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?

3. His itaque sermonibus sanctis strenue confortatus, nec hominum ludibria curauit, nec à vera humilitatis via, quam veritas docuit, declinauit, sed per contemptum mundi & abnegationem sui, conatus est ascendere ad alta virtutum. Elegit namque potius abiectus Lullardus cum fratribus suis vocari, aut insanus à secularibus reputari, quam magnus dominus & magister nominari. Vnde quantum in eo fuit, honorificum magistri nomen suppressit, voluitque solum simplici nomine Florentius dici, sicut & alij fratres eius, quorum aliqui satis bene literati erant, & ex ditioribus in seculo nati. Nihil autem pretiosum aut nitidum in vestibus habere voluit, nil delicatum in cibis cupiuit, nil superfluitatis in necessarijs vtensilibus admisit, sed simpliciora & plana, quæ humilitatem prætenderent, & seculares non offenderent: qui melius docentur humili exemplo, quam subtili sermone. Itaque communem vitam sectando, & fraternam charitatem omnibus exhibendo, non alta de se sapiendo, sed humilibus semper consentiendo, iam non vt magister rigidus metuebatur, sed sicut amabilis pater diligebatur; quia in ipso velut in lucidissimo speculo, & foris decens morum honestas, & intus cælestis puritas apparebat.

CAPVT X.

De promotione eius ad sacerdotium, & descensu humilitatis eius.

Prou. 29. 1 SEd quia humilem merito gloria sequitur, & mitem iusta laudatio decet, illi, qui viro Dei prius aduersabantur, videntes mentis eius constantiam, & propositum in Domino fixum, repressérunt linguas suas ab infestatione iniusta. Vnde ad pietatem conuersi cœperunt commendare vitæ sanctitatem, & reuereri eum propter modestiam habitus eius & disciplinam, nec non fratrum eius deuota diligere studia in humilitate Christi fundata. Et quidem iustè. Quem enim gratia Dei perfuderat, & multis virtutibus florere fecerat, rectè diligi meruit, & ab omnibus magnificari. Crescente igitur fama bonitatis eius, complures clerici & laici ad audiendum verbum Dei domum eius frequentabant, & nonnulli de scabinis & maioribus ciuitatis, consilij causa ad eum veniebant, eo quod sapientia Dei & fides maior, secundum virtutem animi inueniebantur eidem inesse. Quapropter in arduis & obscuris casibus conscientias suas securiùs

riùs ei committebant, & libenter eum audiebant, auditoque eo multa bona Deo placita faciebant.

2. Gaudebat igitur magister humilis charitate plenus, de fructu animarum & spirituali profectu fratrum suorum, magnamque curam pro necessitatibus pauperum clericorum gerebat. Christum Dominum in eis venerando. Considerans autem venerabilis magister Gerardus, dilectum discipulum suum magistrum Florentium speciali deuotionis prærogatiua florere; consilio sancti Spiritus inspiratus, & multorum fratrum precibus flagitatus, decreuit eundem ad sacerdotij gradum promouere. Qui tanto honore indignum se contestans, ab hoc onere humiliter petijt subleuari. Sed fratrum victus instantia, tandem magistri sui monitis resistere non audens, obedientia compellente assensit. Factus ergo presbyter, non est elatus in gloriam humanam, sed tanto humilior in omni actu & habitu suo inuentus est, quãto dignitate & ordine maior. De quo magister Gerardus tale testimonium perhibuit, dicens: Semel feci vnum ordinari in presbyterum, & spero, quod dignus sit. De cætero cauebo ne leuiter quid simile faciam, quia paucos ad hoc idoneos cerno. Ipse tamen dominus Florentius, sicut vere paruus & vilis in oculis suis, nil magni ex clericali ordinatione de seipso existimauit, sed inferiores etiam fratres in animo sibi præposuit, & de quodam simplici clerico nondum in sacris constituto sic ait: O si pro calice meo, possem Deo offerre in iudicio, pennam illius clerici.

CAPVT XI.

De raritate exitus sui, & cum quanta disciplina stabat in choro.

1. EX bonis autem & honestis moribus suis, facile poterat vir D. Florentius ab ignotis & secularibus agnosci: quod erat deuotus homo & amicus Dei, dignusq; vicarius Iesu Christi. Hic itaque prius fuit canonicus sancti Petri in Traiecto: sed illa præbenda relicta, vicariam recepit in Dauẽtria: vt apud magistrum Gerardum staret, eius erudiendus exemplo & doctrina. Vnde semel vni amicorum dixerat hæc verba: Spero, quod non moriar canonicus, sed in humiliori statu seruiam Deo. Et factum est ita, ad laudem Dei in secula. Qui cùm in magna haberetur reuerentia, pro sua sanctitate & abstinentia, summe tamen vitauit ab hominibus honorari. Ideoque egredi ad publicum declinauit, & manere domi cum fratribus suis vnicum solatium sibi duxit, sciens maiorẽ sibi profectũ, & alijs exemplũ stabilitatis inde prouenire. Transiens autem per plateã expeditius ibat, nõ texens

xens alicubi longos sermones, sed breui verbo aut solo nutu capitis, satisfecit obuianti. Sed & oblatos sibi honores sic parui pendebat exteriùs, vt sæpe non aduerteret obuiantes: nec quorsum tenderent, inuestigare curaret. Vadens autem ad ecclesiam interim orabat, aut meditabatur de Deo, prout Spiritus sanctus inspirabat.

2. Propter magnam autem corporis sui debilitatem & frequentes infirmitates, quas in primo feruore propter nimiam abstinentiam inciderat, non potuit quotidie chorum visitare. In magnis tamen festiuitatibus & celebritatibus Sanctorum, quantum valetudo permisit, libenter affuit vesperis & missę maiori. Cumque esset senior vicarius, in sinistro latere chori semper in inferiori stallo locum tenuit; cùm tamen altissima ei sedes post canonicos competisset. Stans autem in choro, nequaquam vagis oculis circunspectabat, sed versus ad altare, cum omni disciplina & reuerentia quietissimus stabat, Deo & sibi deuotè intentus, & prout æger potuit, moderata voce, non fractis notulis psallebat. Ita morigeratus & reuerenda facie erat, vt multi pueri & cantores eum frequenter aspicerent, & religiositatem eius mirarẽtur; quia nihil leuitatis in verbo aut motu corporis apparuit, vnde potuisset reprehendi. Et ego tunc temporis cum alijs scholarib. chorum visitare consueui, sicut iniunctũ mihi fuerat à magistro Ioanne Boëme, qui scholas & chorum strenuè regebat. Quoties ergo Dominum meum Florentium in choro stantem vidi, licet ipse non circumspiceret, præsentiam tamen eius ob reuerentiam status eius metuens, cauebam aliquid fabulari.

3. Et accidit aliquando, vt non longè ab eo starem in choro, vertitque se ad librum nobiscum canendo. Et stans post me, manus suas super humerum meum posuit, stetique fixus vix audens me mouere, stupens ad tantæ dignationis gratiam. Erant quoque tunc temporis in collegio Dauentriẽsi plures canonici & vicarij literati, ac probabilis vitæ viri, strenui & alacres ad diuinum officium debita cum laude persoluendum. Hi virum Dei magistrũ Florentium, in reuerentia & digno honore habentes, ipso præsente insolentias leues solicitius compescebant, totusque chorus illustrabatur tanti sacerdotis disciplina.

CAPVT XII.

De simplicitate vestimentorum eius.

1. AMator simplicitatis & humilitatis pius Dominus Florentius, sciens quod ornatus vestiũ clericum nõ facit, sed magis humilitas cordis & probitas morum, ad maiorem conscientię

suæ

sue puritatem seruandam, omnem à se amouit vestium nitorem; & quicquid ad mundi pertinuit pompam & ostentationem humanam. Vt ergo interiori homini habitus exterior responderet, postquam sacerdos effectus est, non quæsiuit molliores vestes, quasi præ cæteris sibi magis competentes; sed communibus & simplicibus, sicut alij fratres, erat contentus. Nam Deum præ oculis semper habens, non amauit transitorium corporis cultum vel ornatum, sed ad virtutes animæ oculum gerebat apertum.

2. Cauebat autem infirmis dare offendiculum in propria veste aut alia quacunque necessitate naturæ, eligens exemplo Christi, quod humilitati erat propinquius, & minus ab hominibus reputabatur. Non ergo alia portabat in festis, alia in diebus quotidianis; sed tantum in celebratione missæ ob reuerentiam sacramenti, meliori ornamento in festis vtebatur, in quo tamen metam seruauit debitæ honestatis. Almutium eius, quod habebat, satis antiquum & pallidum erat, & in multis locis quasi à tineis corrosum & caluum. Et quando vidi eum cum tali almutio ad chorum transire, condolui, quòd tam bonus & honestus sacerdos ita simpliciter & humiliter incedebat. Ad pedes non habebat pulchra sandalia, sicut alij vicarij in ecclesia; sed pro illis fecerat sibi parua & bassa calopodia, quæ erant antiquo corio subsuta, cum quibus sine strepitu chorum intrauit. Tunica eius & toga de griseo panno erant. Dederat ei auunculus eius nouam togam amicitiæ gratia, sed eam noluit portare; quia nimis honesta videbatur, & ipse simplicia præferebat semper pretiosis. Capitium nigri coloris aut grisei fuit, & sicut ipsi parabatur, portauit, quod vtramque scapulam & colla nuda protexit. Manicas habebat paruas & strictas cum paucis nodis, quæ propter attritionem vetustatis, interdum fuerant nouis panniculis anterius reparatæ. Non enim erubescebat humilis sacerdos Dei, antiquam tunicã à sartore repeciatam portare, quinimo, ipse & omnes fratres eius, contendebant sacra æmulatione viliora indumenta habere, & in hoc alius alium superare.

3. Quadam vice, præsente quodam seculari clerico, loquebatur deuotè de Deo, & stabat idem scholaris iuxta eum pulchris & curiosis manicis suis occupatus, nunc huc nunc illuc manus suas versando. Ad quem dominus Florentius, benigne intuens aiebat: Ecce frater manicas meas, quales ego habeo, quæ me non occupant nec inquietant. Nam tam longas manicas ferre, sicut tu habes, tædium mihi foret & onus. His auditis parum erubescens, quietiùs stetit, & bene acceptans quod dixit, ædificatus abscessit; quia ad simplicitatem vestium, proprio eum exemplo instruxisset.

4. Alio

4. Alio quoque tempore vocauit ad se sartorem, qui ei tunicã nouam facere debebat, & ait, Magister scis deformem tunicam facere? Qui respondit: Nescio, an bene hoc noui. Dicas tamen mihi Domine, qualem vultis habere? Tunc ait humilis magister Florentius ad sartorem: Facies de isto panno quatuor partes, & ita consuas eas simul sine plicis, vt de facili queam tunicam istã induere, & exuere, & tunc satis bona erit. Ad hæc sartor, cum admiratione multa respondit: O dilecte mi, qualiter hoc staret? Quare vellem bonum pannum destruere? Ego faciem bene, sicut melius conuenit. Tunc humilis & mitis sacerdos ait: Quæ cura est de apparatu ad extra? Facias amore Dei planiori modo quo potes, sic enim mihi magis placet: nam simplicia me decet habere, ad ædificationem cæterorum. O nobilem Christi sacerdotẽ, ad humilia semper inclinatum, qui vt Deo amplius placeret, omnem curiositatem amputauit!

CAPVT XIII.

De humili seruitio eius inter fratres.

1 LVx mundi Christus, ad illuminandum mentes fidelium venit in mundum, prædicans verba vitæ cœlestis, atque per humilitatis suæ exempla, ad amorem sui nominis torpida peccatorum corda præcipuè accendit, quæ cunctis per orbem fidelib. imitanda reliquit. Nam talem se Christus in medio discipulorũ suorum exhibuit, sicut vnum ex ipsis, seruitium pietatis ostendens, & dominiũ potestatis non exercens, vt qui eum imitari voluerit, ab eo quoque dignus sit honorari, & super omnia bona in cœlesti regno constitui. *Ego* (inquit) *in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Et iterum: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis.* Hanc autem sanctæ seruitutis doctrinam, humilis seruus Christi Florentius, cum fratribus suis studuit obseruare, persuadens omnibus sibi adhærentibus cuiuscumque essent ætatis, vt per charitatem inuicẽ seruirent, inuicẽ sua onera portarẽt, nulla abiecta opera exhorrerẽt; sed humilia seruitia libenter exercerẽt, illud amplectẽdo chatius, quod minus continet honoris, & plus habet laboris & rigoris.

Luæ 22. Matt. 20.

2 Mos igitur sanctus, & probabilis apud eos virtus inoleuit, vt quilibet fratrum per hebdomadam in coquinæ ministerio staret, & cum omni humilitate ibi coqueret: vel quæ sibi à coco iniungebantur, promptè & hilariter adimpleret. Feruebant enim tunc omnes ad villiora opera facienda, siquidẽ & pro regno Dei laborare, iucunda requies putabatur. Volens ergo bonus pater & dulcis magister Florentius, exemplum bonum præbere subiectis,

ctis, tenuit etiam ipse in coquina vicem suam pro posse. Cui quidam ex vicinis compassione motus, dixit: Cur bone domine versaris in coquin? Non habes aliquem, qui pro te istud faciat? Nonne melius esset, quod tu ires ad ecclesiam, & alius coqueret pro te? Respondit humilis minister Christi Florentius, dicens: Nónne magis affectare debeo, quod habeam omnium aliorum orationes, quàm solummodo meas? Dum enim ego sum in coquina, omnes alij interim tenentur orare pro me. Maiorem ergo fructum spero consequi de orationibus aliorum, qui sunt in ecclesia, quam si ego solus orarem. Sic ergo tam verbo quàm exẽplo ędificauit vniuersos: non quęrens quod sibi esset delectabile, sed alijs vtile & exemplare. Quoties autem cum fratribus comedebat, primum ferculum manibus suis eis apposuit, & de hoc plurimum doluit, quia infirmitate cogente refectioni fratrum quotidie interesse non potuit. Quapropter seorsum in coquina cum coco suo solus edebat, habens mensam paruam sobriè paratam: quia solidum cibum, debilitas stomachi non sufferebat. Ego licet indignus ab ipso sępè inuitatus, mensam eius paraui, & modicum quod petebat de cellario attuli, gaudensque cum multa hilaritate ei ministraui.

CAPVT XIV.

De labore manuum eius pro communi bono.

1 OPtimus in moribus digneque memorandus, inter omnes deuotos deuotissimus Florentius, nunquam otiosus voluit inueniri: sed preciosum tempus fructuosè nisus est expendere: cauens omnimodo, quamuis beneficiarius esset, panem suum gratis & absque labore manducare. Quod à venerabili magistro Gerardo didicit & accepit, hoc diligenter obseruauit: cuius sententia fuit, vt nemo ad congregationem suscipi deberet, nisi secundum beati Pauli dictum manibus laborare vellet. Est namque operatio sancta, ad omnem spiritualem profectum vtilissima: per quam carnis lasciuia domatur, & ab euagandi leuitate mens dissoluta citius refrenatur. Per hanc otia nociua tolluntur, & confabulationes friuolæ ex otio surgentes, facilius decurtantur. Occasione enim loquendi sublata, labor proficiet in manibus: & erit semper ditior in bonis, qui fuerit operarius fidelis. Per hanc etiam necessitatibus fratrum sapienter prouidetur, & pauperum miserijs copiosius subuenitur. Nam illa eleemosyna gratius Deo placet, & clarius lucet, quæ de vultus sudore procedit, & iusto labore quæsita reficit indigentes. Igitur ars scribendi libros, quæ clericis melius conuenit, & quietius exerce- 1. Cor. 4.

exerceri potest; à fratribus domus eius est maturiùs arrepta, & pro communi bono seruando vsitatius introducta. Ipse vero venerandus Pater Florentius, ne vacuum nomen gereret rectoris, sed in exhibitione operis officium sacerdotale commendaret, dedit scriptoribus exemplum clarum, membranas pumicando, quaterniones lineando, & componendo. Quia licet minùs bene scribere sciret, in præparando tamen alijs necessaria, quàm plurimum scriptores adiuuit manu sua, oleo sancto consecrata.

2. Interdum cùm opus esset, & tempus vacaret, assumpto socio libros iam scriptos perlegit & correxit; aut de scripturis sanctis aliqua deuota notabilia, ad consolationem fratrum & exercitationem internorum compilauit. Multum namque gauisus est & delectatus, cùm pro communi aliquid vtilitatis per diem fecisset, sciens hoc Deo gratissimum fore. Verùm multitudine clericorum ad eum confluente, cùm fama bonitatis eius longiùs resonaret, requisitus est à multis extraneis, & religiosis viris, & literatis. Idcirco pro animarum salute altioribus negotiis oportebat eum intendere, & à priuatis actionibus & internis studiis frequenter abstinere, & spiritualia lucra temporalibus commodis anteferre.

3. Totque consultandi causa ante cameram eius quandoque steterunt cupientes ei loqui, aut abscondita sua tanquam viro sancto confiteri; vt vix ei transitus exeundi pateret, vix tempus pro horis dicendis & necessitatibus corporis soluendis opportunè supereresset. Neminem tamen inconsolatum reliquit; sed vel incontinenti expediuit, aut altera vice liberum ad se reditum secundum condictum petentis concessit. Contigit aliquoties, vt horas suas legere inciperet, & superuenientibus aliis & aliis perquam multis, non posset finire Psalmum, quem inchoaret. Ne ergo tædio affectus desisteret aperire pulsanti, ait ad semetipsũ: Adhuc semel propter Deum; sicque semel iterauit sæpe, & fiebat longum, vincens molestiam & inquietudinem aliorum in patientia ex charitate fraterna.

CAPVT XV.

De misericordia eius in pauperes, & ægrotos, atque ignotos.

1. VIrtus quoque misericordiæ in corde pij patris, inter alia pietatis opera præcipuè floruit & exercuit; quam frequẽti eleemosynarum largitione in pauperes & peregrinos ostendit & impleuit. Vnde merito de ipso dici debet, quod de iusto

iustoviro in psalmo decantatur: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Psal. 111. Ipse enim dominus Florentius fuit pijssimus pater pauperum, dulcissimus consolator tribulatorũ, & compatientissimus visitator infirmorum. Qui profectò spiritu Dei plenus, cum lacte miserationis habuit vinum zeli & feruoris: fouens infirmos oleo misericordiæ, & odio habens passiones & vitia ipsorum: magna cum maturitate & discretione, exercens vtrumque in tempore suo.

2. Sæpe namque egenis & debilibus cibos mensæ suæ misit, & species sibi ex charitate missas, maiori charitate vlterius, cũ aliis indigentibus impertitus est. Pauperum etiam nomina in scriptis habuit, quorũ curam vni aut duobus fratribus suis iniunxit, vt hospitia honesta & subsidia sumptuum eius procurarent. Erant autem tunc temporis in oppido Dauentrjensi viri quidam honesti, Deum timentes, secundum consilium domini Florentij bene conuersantes; nec non matronæ aliquæ diuites & deuotę, misericordiæ actibus deditæ; quæ ecclesiã Dei sedulò visitantes, & sacerdotes honorãtes, multa beneficia pauperibus clericis Deo famulantibus, rogatu & instantia eiusdem domini Florentij libentissimè ministrabant. Tam pius tamq; dilectus omnibus apparebat humilis vicarius Christi Florentius, vt si pro aliquo paupere rogasset, citò petitionẽ suam impetrasset. Ignotis & extraneis ita affabilẽ se præbuit, quasi amici & cognati sui fuissent; quærens vnde essent, & quo nomine vocarentur, rogans vt interdum visitandi gratia ad se accederent.

3. Paruulis & iuuenibus naturali innocentia & puritate nitentibus, insignis castitatis amator suam beneuolentiam non abscondit; sed pijs verbis ad amandum Iesum & Mariam eos instruxit, suadens eis innocentiã seruare; quatenus angelis Dei similes facti, in cęlo canticum virginũ decantarent. Tristibus & tentatis, hilarẽ se exhibuit & solatiosum; vt si quis offensus fuisset & turbatus, eo viso & secũ parum loquente, mox bene pacatus & cõsolatus ad sua cum gaudio remearet. Hoc sæpissimè expertus sum in me ipso & socijs meis deuotarijs, qui eius consilio eruditi sumus, & in schola Christi optimis collationibus informati. Sed nec leprosos & aliqua deformitate corporis vitiatos abhortuit; imò clementiorẽ se talibus abiectis personis curauit exhibere, cognoscens hoc magis placere creatori & sibi gloriosius fore: quia non vilitatem personæ, sed naturæ copulã & imaginem Dei in homine considerabat.

4. Vidi quendam monoculum, & alium pede claudicantem ab ipso cõuersos, & probabiles viros postea effectos. Cognoui etiam quendam leprosum extra mœnia ciuitatis morantẽ, qui

deuotionis gratia ad sacerdotem Dei accessit, loquens cum ipso familiariter, multis hoc idem videntibus & mirantibus, quam humiliter iuxta leprosum sederet. Cui etiam iussit potum dari, & misericordiam vtique specialem impendi: quem post plura sacræ consolationis verba, dimisit ad propriam mansionẽ cum suo collega gratiosè redire.

CAPVT XVI.

De refectione pauperum, & lauatura miserorum.

2. Cor. 9. 1. QVia verò docente Scriptura diuina, hilarem datorem diligit Deus, libet amplius aliquid narrare de eximia misericordia huius clementissimi patris Florentij, erga inopes & vlcerosos atque deformes, solatia amicorum nõ habentes. Igitur misericordissimus pater pauperum, exceptis quotidianis elecmosynis in pios mendicantium vsus, omni anno in festo beati Gregorij papæ, duodecim pauperes scholares ad honorem sancti Gregorij, ad suum prandium inuitare solebat: quia beatum Gregorium duodecim pauperes omni die habuisse legerat. Et ego ex commissione eius, aliquos pauperes nominatim mihi expressos, ad domum eius hora prandij introduxi. Qui cibo potuque refecti, alacri corde ad scholas redierunt: & de acceptis beneficijs, Deo laudes & magnas grates largifluo hospiti suo domino Florentio, & fratribus eius retulerunt. Tunc manifestè impletum est, quod per Psalmistam dicitur, & à multis religiosis ante benedictionem mensæ canitur: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, &c.* Psal. 21.

2. Similiter in mense Maio, quando herbæ agrestes maximè valent pro medicamentis, pius pater non est oblitus pauperum suorum. Sciens ergo multos esse debiles, scabiosos, & vlcerosos, fecit eos ad domum suam venire certo die & hora, pro quadam medicina & corporali balneatione in aquis calidis, cũ odoriferis herbis suscipienda. Quibus bene balneatis & lotis lectulum parauit mundissimum pro sudoribus eorum abstergendis. Datoque poculo & consolationis verbo, cum ingenti lætitia ibant ad sua hospitia, mutuò inter se conferentes: Quàm bonus & pius homo est iste dominus Florentius & quàm boni fratres sunt isti cum eo habitantes, qui nobis propter Deum gratis talia præstant?

3. Quodam tempore in quadragesima (cùm tempora essent aliquatenus cara, & pauperes mendicantes grauarentur inopia) multi ad solatiũ misericordis patris Florentij obsecrando confuge-

fugerunt, sperantes qualecunque subsidium inuenire: quia nemo vacuus, nemo inconsolatus inde cosueuit abire. In tali ergo articulo, misericordiarum pater condoluit fame afflictis & pauperibus deuotis; habitoque consilio cum fratribus suis quæsiuit optimum modũ succurrendi egenis: qui erant ità attenuati rebus, vt neque æs in zonis neque panes haberent in saccellis. Tunc vnanimiter fratres accensi sunt, ad succurrendum pauperum turmis: præcipuè in tam sancto tempore quadragesimæ, quando aguntur dies pœnitentiæ, & largiora misericordiæ stipendia exuberare debent erga indigentes, panem pro Deo multis precibus postulantes, sicut in Esaia legitur: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Esaiæ 58. Statuerunt ergo firmiter aliquid sibi subtrahere, & pauperibus contribuere copiosiùs: atque vltra solitum tempus laboris, vnam horam adijcere quotidiano operi suo per totam quadragesimam pro pauperibus: & quicquid illa hora scribendo lucratentur, hoc integrè collectum prouisori pauperum tradere: vt ille consequenter necessaria alimenta emeret, & indigentibus fideliter ministraret. Hoc idem fecerunt in aliis domibus quidã fratres scriptores & officiales, propriis de laboribus eleemosynam Deo immolantes, seipsos sponte castigantes, & pauperes feliciſſimè recreantes.

4. Et quis digne explicabit omnes misericordias huius feliciſſimi patris in pauperes & peregrinos, maximè autẽ erga simplices & deuotos Christo famulantes? Etsi omnes tacuerint, ego non silebo, sed misericordias domini Florentij in æternũ cantabo: quia indubitata fide, ipso adhuc viuente, per septennium multitudinem miserationum ipsius experientia rerum probaui. Siquidem cum beato Iob, pes fuit claudo, oculus cæco, manus egeno, baculus infirmo, solamen lapso, amictus malè vestito. Alius namque gaudebat de eleemosyna sibi data, alius de tunica sibi parata: alius togam, alius capitiũ reportauit. Alius calceos, alius caligas, alius cingulũ & soccos recepit. Alius libros, alius pennas, atramentum & papyrum se impetrasse lætabatur. Singuli pro singulis læti muneribus, ab ipso honorabili domino Florentio, patre orphanorum & egenorũ, emolumentum non tantum corporis, sed & animę suæ remedium se consecutos fatebantur. Cuius virtutes & opera charitatis, ad plenum exprimere lingua fragilis non sufficit: quia existimationem humanã, conuersatio eius ac fratrum ipsius præcellit. Meritò ergo de his dicere nõ vereor, quod de apostolicis viris scribitur: Isti sunt viri misericordiæ quorum iustitiæ obliuionem non ac Iob 29.

ceperunt. Cum semine eorum permanent bona, & eleemosynas eorum narrabit omnis Ecclesia sanctorum.

CAPVT XVII.

De abstinentia eius, & infirmitatibus ex rigore contractis.

1. FEruidus ac deuotus Dei famulus Florentius, in primordio conuersionis suæ, ad edomandá carnis suæ concupiscentiam corpus suum ieiunijs & vigilijs rigidè nimis castigauit, non satis naturæ imbecillitatem attendens: sed in feruore spiritus tantum persequebatur hostem domesticum, vt pondere rigoris obrueret ciuem sibi adhuc necessarium & fidelẽ. Quia non solùm ab illicitis & superfluis abstinebat, sed multa etiam sibi necessaria subtraxit; ita vt plerumque appetitum comedendi perderet, & gustum discernendi cibos non haberet. Vnde semel accidit, vt absente coco cellarium intraret, & ex quadam amphora oleũ pro ceruisia potaret: nec hoc dicernere potuit, nisi quando cocus eum, de qua amphora bibisset, requisiuit, & tunc se errasse cognouit. Alio quoque tempore, in monasterio quodam oblatum ei fuit modicum vini ad bibendum, pro sua debilitate & reuerentia, quam ad ipsum fratres habebant. Cumque inde parum gustasset, ait astanti: Quàm acrem & amaram ceruisiam habetis. Et mirati sunt fratres, quia vinum ab alio liquore non discreuit. Comedit igitur sæpius quasi sine sapore, & potius ex necessitate naturæ, quàm ex appetitu gulæ, vel alicuius cibi suauitate.

2. Veni aliquando ad visitandum eum in camera eius, vbi sedebat debilis in lectulo suo: & salutaui eum benignè, multum dolens de eius infirmitate. Frater autem Iacobus de Viana, qui ei tunc ministrauit, aliquas species confortatiuas ei obtulit, dicens: Istæ bonæ species sunt, gustes parum inde. Nonne valde bene sapiunt? Tunc ille me audiente respondit: Crustula panis meliùs vobis saperet, quàm istud mihi. Quamuis ergo totus debilis esset, & multis teneretur incommodis corporis, non tamen ab opere Dei & pijs animarum fructibus cessauit: sed quãdo accessus hominum pati potuit, resumpto spiritu dabat petentibus monita salutis. Et tanto dulciùs, quanto amplius nouerant eum à Deo dilectum, & infirmitatibus varijs tanquam aurum pretiosum in igne probatum.

CA-

CAPVT XVIII.

Qualiter orationibus deuotorum adiutus sæpe reconualuit.

1. CVm igitur frequentes pateretur molestias corporis, studuit Deo sedulè gratias agere: quia nõ sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam Dei promerendã. Ideoque virgam Domini sibi illatam patienter susceptit, sicut animę medicinã, reputans dilectionis esse signũ, secundùm illud apostolicum verbum: *Quem enim diligit Dominus, castigat flagellat autem omnem filium quem recipit.* Volens autẽ pius Dominus ostẽdere, quantũ sibi placeret probata virtus filiorũ, & quantũ valerent orationes deuotorũ: misertus est dilecti Sacerdotis sui sæpe in extrema necessitate constituti, qui à medicis humana via desperatus videbatur. Sed ipse in Domino spem totã posuit qui merentes erigit sospitate. Igitur quoties grauis eũ infirmitas inuasit, missum est ad vicinas cõgregationes fratrũ, & clericorũ, atq; sororũ: vt pro eo instanter singulis diebus omnes orarent, quatenus Deus ei adhuc parceret eius vitam pro multorum salute protelando: ne deuoti tristitiam super tristitiam haberent, si tam amabili patre & necessario gubernatore priuarentur. *Rom. 8.* *Hebr. 12.*

2. Ego quandoq; internuncius huius rei fui, dicens sororibus: Orate pro Domino Florentio, quia grauiter infirmatur. Et ecce clemens Dominus, qui non spernit preces pauperum, sed vota humilium libenter exaudit, reddidit sanitatem dilecto & fideli seruo suo, vt notam faceret filijs hominum potentiam suam. *Psal. 144.*

3. Fuit temporibus illis magnus quidam magister in medicinis, dominus Euerhardus Eza curatus in Almelo, vir valde peritus & nominatus inter physicos doctos: qui deuotionis gratia inspiratus, multum familiaris extitit domino Florentio, & fratribus eius, aliisque Christo deuotis. Hic frequenter ad dominum Florentium venire consueuit, & libenter illi artis suę medicamenta adhibuit: quem fratres valde diligebant, & reuerenter suscipiebant. Qui magna adhibita diligentia pro curatione domini Florentij intimi amici sui, multoties ei profuit, mœstitiamque fratrum fiducia sperandæ salutis sæpe erigebat & consolabatur. Dicebatque: Ista attento, in Domino plus confidens, quàm in arte medicinæ, quia supra humanas vires est, quòd hic homo potest tamdiu in tam debili corpore viuere: Et nisi specialis gratia eum præseruaret, & orationes multorum pro eo fierent, celerrimè deficeret, aut etiã diu defunctus fuisset. Bonum est ergo fideliter pro ipso orare, quia salus eius specialiter in diuina stat gratia.

CAPVT XIX.

Quod semel in nocte paschali, angelica visione curatus fuit.

1. INter cætera tempora anni, grauius & frequentius in quadrageſima ægrotare ſolebat, propter cibos quadrageſimales ſibi magis oneroſos & inflatiuos. Et licet tunc corpore debilior erat, mente tamen hilariori ad ſuſceptionem ieiunij ſe offerebat. Semel igitur quaſi per totum ieiunium debilitato ſtomacho nimium languebat, & vix vſque ad paſcha victurus ſperabatur. Sed deuota fratrum oratio non ceſſauit ad Dominum pro eo clamitare, & gratiam Domini, quam ſæpe fuerant experti, multiplicatis interceſſoribus iterum flagitabant. Deficiebat enim tunc omne humanum præſidium, ideoque ad fortiſſimum deitatis recurrebant ſolatium.

2. Cùm ergo iam peracto ieiunio, dominicæ reſurrectionis glorioſa inſtaret feſtiuitas, & electus vir dominus Florentius in lectulo ſuo requieſceret dulci ſomno ſoporatus, ecce in ipſa ſacratiſſima nocte paſchę mox angelica viſione meruit conſolari & confortari. Vidit namque duos angelos ſibi apparere, quorum vnus ſtabat ad dexteram lectuli, & alter ad ſiniſtram. Eleuans autem vnus manum ſuam in altum, quaſi ad percutiẽdum, gladium vibrabat ſuper caput dormientis; ſed ſtatim alter ictum ſuſtentauit ferientis, & prohibuit eum, dicens: Noli percutere, vita enim adhuc viuet, & non morietur. Ad hanc viſionem cælitus factam obſtupefactus, & quaſi de morte ad vitam reſuſcitatus euigilauit, mirabiliter in Domino confortatus: & vocans miniſtrum ſuum, qui non longè in camera quieſcebat, ait illi confidenter: Surge, & para aliquid, quod hodie manducem. Sentio me melius habere, & volumus in Domino pariter epulari. Tunc ille ingenti gaudio repletus, feſtinauit parare, quod iuſſit. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt & gauiſi; quia tam citò conualeſcere cæperat, quem iam pridem mori formidabant.

3. Hãc viſionẽ poſtea auunculo ſuo canonico S. Marię in Traiecto intimauit, qui eũ cordialiſſimè dilexit; non tamẽ ſeipſum nominando, ſed quod cuidam reuelatum eſſet quòd adhuc ſuperuicturus eſſet. De quo magnificè & intimè cõgratulans, Deũ benedixit: quia miſit angelum ſuum, & ſanauit eum ab interitu mortis. Vixit poſt hæc chariſſimus dominus Florentius aliquot annos, ad conſolationem omniũ deuotorum, tam clericorum quàm laicorum, de diuerſis partibus & regionibus ad eum venientium pro remedijs animarum ſuarum; quibus vir Domini tam

tam verbo quàm exemplo, magnum præstitit sanctę conuersationis ducatum, cum vniuersis fratribus secum in domo congregatis ad laudem Dei omnipotentis.

CAPVT XX.

De viro, qui in puteum cecidit, & inde illæsus extractus fuit.

1. ACcidit autem quodam tempore, vt plures ad audiendum verbum Dei, in antiquam domũ prædilecti patris domini Florentij conuenirẽt. Et dum collatio deuotę exhortationis fieret, vir quidã cum aliis fidelibus sedebat super putei marginẽ; & oppressus somno, cecidit improuisè retro in aquã, capite verso. Ad cuius lapsum exterriti, qui aderant, mox in putcũ dolentes respiciunt; & ecce Deo protegente, stetit homo super pedes suos in aquis putei saluus & illęsus, mirantibus cunctis. Sumentes ergo festinanter vectem desuper pendentẽ, submiserunt in os putei, & extraxerunt hominẽ viuum, quem existimauerunt penè submersum & defunctum. Videntes autem eum de tanto periculo liberatum, gratias Deo omnipotenti retulerunt, & cõsolati sunt nõ minimè; quia Deus non est passus hominem periclitari in illa domo subita morte. Hæc mihi quidam ciuis Cãpensis retulit, qui præsens tunc affuit, & Dauentriæ iuuenis frequentauit: sed & multa alia bona, de viro Dei & fratribus eius enarrauit. Et ego ex eodem puteo sæpius aquam hausi ad vsum coquinæ, qui satis angustus erat; & ideo res gesta ad gloriam Dei ampliùs valet, qui supra id quod petitur, occurrit periculis animarum.

CAPVT XXI.

De visione crucifixi super domum eius apparentis.

1. GRata admodum & Deo dilecta cõgregatio fratrum, in domo reuerendi patris domini Florentij ad laudẽ Dei collecta, magnis refulsit virtutibus, & sublimium meritorũ actibus extitit decorata. Ibi humilitas, omnium virtutum prima, exquisita fuit à maiore vsque ad minimum; faciens de terrena domo paradisum, & transferens homines mortales in cælestes margaritas, tanquam lapides viuos in templo Dei glorificandos.

2. Ibi obedientia, mater virtutum & discretionis lucerna, viguit sub tanta disciplina; vt summa esset sapientia obedire sine mora, & nefas foret horrendũ præterire senioris consilium aut minimum verbum. Ibi charitas ad Deum & ad proximum, sic arsit intus & extrà, vt dura corda peccatorum auditis sermonibus sanctis, soluerentur in lachrymas; & qui frigidi aduenerant,

verbi calore accensi, læti abibant de cætero peccare cauentes. Ibi spiritualis militiæ armatura, cõtra singula vitia enituit strenuè; & senes cum iunioribus, aduersus Satanam, & propriam carnem, ac mundi fallacias, fortiter certare didicerunt. Ibi antiquorum patrum memoria, & Ægyptiorum monachorum feruida conuersatio; quæ quasi semimortua iacuit in terra, ad vitam redijt; & clericorum status, ad summæ perfectionis normam, secundùm ecclesiæ primordia surrexit. Ibi audiebatur deuota spiritualis exercitij exhortatio: & inter quotidianas meditationes, sacrosancta & dolorosa passio saluatoris nostri Iesu Christi, crebrius & affectuosiùs est repetita & masticata; ex cuius intenta recordatione, salus animæ nosci tur effluere; valens mortiferos serpentis morsus sanare, & mentem passionatam mitigare, ac torpentem animum ad cælestia de terrenis per cruciformem imitationem subleuare.

3. Cùm igitur magnificę deuotionis ardor erga diuina beneficia recolenda, in multorum cordibus flagraret, & exemplo reuerendi patris domini Florentij, ad perfectum mundi contemptum, sancta illa congregatio erudita proficeret semper in melius; pius Deus, qui benedictionem suam & gratiam humilibus præstat, non destitit consolationibus sacris & internis gaudijs refouere sibi fideliter seruientes. Et vt de multis aliquid proferam, vnam breuiter visionẽ his inferam, quam Deus omnium secretorum cognitor super domum illam, cælesti vnctione benedictam, ostendere dignatus est.

4. Quidã ex nouellis plantationibus domini Florentij discipulus deuotus, quadam nocte insolita visione perterritus, expauit totus in principio, sed in fine lætificatus est mira Dei pietate. Cumque in stratu suo quiesceret, ecce ventus ab aquilone validus nimis, & tempestas sæuissima veniebat totam concutere terram, quasi iam instaret dies extremi iudicij omni carni metuenda. Pauefactus ergo horrenda tempestate, cœpit iuuenis ille cogitare quonam fugeret, & quò diuerteret à facie formidinis Domini. Deprehensus itaque inter angustias, aspexit sursum in cælum; & ecce signum crucis euidens in aëre apparuit, salutis humanæ auctorem repręsentans. Videns ergo hanc sanctam imaginem crucifixi, expansis manibus & cõfixis clauis in aëre pendentem, cuius radiis illuminabatur orbis, iam tẽpestas illa cessabat. Et crux vltra procedebat, vsque dum staret supra domum domini Florentij; in qua habitabant sanctæ crucis serui, & veri contemptores mundi. Ad cuius aduentũ & præsentiam, tota domus quasi obuiam tendens saluatori, à fundamento eleuabatur in aëre super terram, nusquam tangens terrã: atq;

reue-

reuerenter se inclinans ex vno latere versus crucem, redijt iterum super stabilitatem suam. Imago autem crucis processit, & stetit super murum contra ostium domus, per quod quotidianus est transitus fratrum. His visis, cœpit iuuenis expansis manibus orare versus crucem, & petere à timore terribilis iudicij protectionẽ. Statim raptus est de loco suo, & intra ianuã domus domini Florentij collocatus, tanquam in loco securitatis sub alis crucifixi. Tunc nimium exhilaratus, & quasi de omni angustia tutatus, præ ineffabili lætitia expergefactus est. Et vehemẽter admirans, gratias egit Deo, qui dignatus est sibi talia de deuotis fratribus illis reuelare; quibus deinceps studuit adhærere, & vitam eorum cum Christo absconditam semper venerari.

CAPVT XXII.

De patientia eius & mansuetudine, ac dilectione ad omnes.

1. QVidam curialis secularj fultus astutia, virum Dei magistrũ Florentium non est veritus molestare; sed eum beneficio suo conabatur frontosè priuare, existimans quòd forsitan nemo se opponeret, aut pro vicario Christi responderet, quia deuotus & mansuetus ad iniurias videbatur. Vocatus ergo ad causam, vt de obiectis sibi querelis aduersario responderet, non multa contentione nec splendido sermone vsus est, sed breui & humili responsione sic ait: Si vos melius ius habetis quàm ego, tenetis in nomine Dei. Mirati sunt astantes, & ædificati in verbo præsenti.

2. Vnus autẽ ex canonicis pro viro Dei zelans, nec sustinens iustum & innocentem opprimi, ait ad eum: Quomodo ita loquimini, dilecte magister Florenti? Non curatis plus de præbẽda vestra? Verumtamen iste non habebit, quod quærit; sed pro vobis agimus, vt teneatis, quod bono iure possidetis. His auditis siluit aduersarius, & recessit nihil adeptus. Cognouerunt siquidem à maximo vsque ad minimum, quòd fidelis & deuotus magister Florentius, dignus sacerdos Christi erat; cuius vita & doctrina, plures ad seculi contemptum trahebantur. Nam de magnis & terrena sapientibus, humiles & simplices fratres fecit, necnon quosdam competenter instructos, ad statũ religionis & sacerdotij honorem, crescente in eis septiformi Spiritus sancti gratia, habilitauit.

3. Illud autem pro maximo lucro & gaudio singulari reputabat, si alicui iter æternæ salutis ostendisset, atque à peccatis ad continentiã reuocasset. Reuerebatur igitur à mundanis, honorabatur à magnatibus, & à bonis & deuotis tenerrimè diligebatur. Fecerat enim eum tam amabilem cunctis vita sincera, chari-

tas ad Deum perfecta, pietas ad proximum, largitas ad egenos, honestas ad ciues, affabilitas ad afflctos. Vnde quidã de eo dicebat: Non est religiosus, quem tantum diligo, nec est quem tãtum timeo, sicut Dominum Florentium, quem sicut angelum Dei aspicio. Ipse tamen nequaquam de sui reputatione gaudebat; sed de conuersione hominum & fratrum profectu, quorum numerus quotidie augmentabatur, Domino gratiam suam in diebus eius largiter conferente. Hinc & nomen eius ad exteras ciuitates, cum multa admiratione & bonæ famæ notitia, peruenit; & tam præsentes quàm absentes, eximijs eum laudibus cõmendabant. Sed humanas laudes sibi impensas nõ attendit, nec ponderauit; imò vilipendit, & derisit. Nam literas quasdã commendatitias sibi transmissas breuiter legens, post cistam iactauit, dicens: Non est aliud, quod scribant? Bene potuissent de hoc tacuisse.

CAPVT XXIII.

De deuota exhortatione eius ad spiritualem profectum.

1. EGregius ac vernans flos sacerdotum magister Florentius, feruidus animarum zelator, non solùm curam domesticorum fratrum habuit; sed etiam salutaris verbi semina, in alijs vicinis congregationibus clericorum, plantare studuit; faciens interdum collationem deuotæ exhortationis per se vel per aliũ idoneum fratrem domus suæ, pro mutua pace & charitate seruanda. Ad cuius aduentum lætabantur omnes inhabitantes, ex ore sacerdotis Dei sacra verba audire cupiẽtes. Nam loquebatur Spiritus sanctus per eum ad consolationẽ gregis pusilli, qui paratus erat ei obedire alacriter & deuotè.

2. Dicebat ergo in quadam collatione admonendo hoc modo: Quilibet deberet omni die proponere vitam suam feruẽter emendare, & nouum certamen contra tentationes & vitia sua arripere, & quæ amplius eũ molestant, fortiùs illa niti vincere, & violentiam sibi propter Christũ inferre; quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Est etiam vtile quandoque alicui fratri discreto & in via Dei experto, passiones suas & perplexitates reuelare; nec proprio sẽsui innitij; sed alteri potius credere, atque humiliter accipere consiliũ, & libenter sequi suum rectorem; quia hoc est magnum releuamen nouiter conuersis, & bonum signum spiritualis profectus. Qui ergo sic proponit Deo semper seruire, & totam vitã suam diligenter emendare, atque ab omni peccato se cauere, de hoc magis meretur & acceptior fit, quàm si centum pauperes pasceret, & tale propositum continendi non haberet. Quia maximũ munus, quod homo potest Deo offerre, est bona & perfecta voluntas seruiendi

Matt. 11.

Deo

Deo omni tempore, quo vixerit. Talis etiam non potest malè mori quamdiu in sancto proposito steterit. Et si obierit, spero, quòd in statu salutis erit & misericordiam inueniet; quia bonũ propositum habuit, & bona voluntas pro opere completo ipsi ad meritum computabitur; sicut Dauid sanctus confitetur, dicens: *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Multa quidem & alia consolatiua, pro confirmatione bonorum iuuenũ loquebatur; qui de diuersis partibus illic congregati fuerant, non tantum in schola literarum, sed etiam in schola Christi vacantes studio spirituali. *Psalm. 5.*

3. Quidam ex ipsis verba viri Dei in tabulis signabãt, & alijs absentibus indicare cum magno feruore satagebant; multo alacrius diuina eloquia inter se tractantes, quàm seculares solent scurrilia recitare, De altis quęstionibus, & subtilibus rebus, & intricatis negociis, omnino tacuit: sciens, quòd paruã ædificationem deuotis mentibus præstant, & compunctioni cordis frequenter obsistunt, & corda innocentium subuertunt; sicut expertum est in plerisque, qui curiosa scrutàntes, & viam Christi planam & humilẽ relinquentes, multis lapsibus & erroribus se inseruerunt.

4. Cùm quidam literatus monachus quendam Carthusiensem argueret, eo quòd ordo eorum deditus esset solitudini & quieti ad vacandum proprię saluti, & penè nullum fructum facere viderentur in Ecclesia Dei; respondit ille bonus religiosus satis prudenter & eleganter, dicens: Nos libenter faceremus, quod vos prædicatis & docetis. Nam contemptũ mundi melius credimus pœnitẽtiæ laboribus persuaderi, quàm sermonibus pulchris & euagationibus multis. Vir quidam ex Iudæis ad fidem christianam conuersus, audiens famam sanctæ conuersationis magistri Florentij, cupiebat cum ipso de antiquis patriarchis & prophetis differere, eo quòd in vetere lege & Hebraicis literis satis edoctus videbatur, & rabbi à multis secundùm sectam Iudęorum dicebatur. Cumque venisset ad præsentiam viri Dei, ipse benignè eum susciens, & patienter audiens, humanè & charitatiuè cum eo, fidem sinceram in Christo suadens tenere, ac operibus bonis insudare. De quæstionibus verò legis ad salutem non pertinentibus, & genealogijs veterum nihil ventilare voluit; non quia ignorabat, sed quia ædificationem non importabant.

CAPVT XXIV.

De efficacia sermonum eius, & intellectu scripturarum.

1. SErmo reuerendi sacerdotis, non fuit palpans adulatio, sed veritatis clara protestatio: nõ secularis eloquẽtia, sed humilis

lis informatio morum,& ad abiectionē sæculi rationabilis inductio per exempla Sanctorum. Neque enim à diuitibus pecunias quæsiuit,nec honorē inter magnates;sed cum simplicibus liberior sermocinatio eius,pro quibus etiam instabat apud potentes,vt pauperum memores essent;& de mammona iniquitatis,facerent sibi amicos in tabernaculis regni cælestis. Et quis illi facilè negaret,pro quo ipse intercedere volebat ? Sensam Dei timebat,qui eum in petitione non audisset.

2. Venit ad eum aliquando pastor & curatus ecclesiæ Dauentriensis,bonus amicus eius,beneuolentiam obsequij sui exhibens,& dicēs:Prædilecte mi domine Florenti,si possum aliquid tibi gratum facere,non parcas mihi. Ad quem pius pater ait:Nihil aliud pro nunc,nisi vt beneuolum te exhibeas deuotis fratribus & sororibus sub cura tua positis,ne molestentur à sęcularibus & improbis personis.Qui mox piè annuens, respōdit: Libenter id faciam amore Dei & vestri,vt etiam sitis memores mei.Magister Ioannes Boheme rector scholarum, & vicarius maioris ecclesię,sub quo diu scholas frequentaui,magnus amicus fuit domini Florentij:libenter eum audiens,& facięs quod Deo placitum fore sciebat,Cùm ergo tempus soluendi precium instaret, reddiderunt singuli quod iure debebant. Tunc etiam ego obtuli ei precium ad manum eius, repetens librum quem pro pignore reliqueram. Et quia notitiam mei habuit, sciens me stare sub cura Domini Florentij,ait mihi: Quis dedit tibi hanc pecuniā?Respondi: Dominus meus Florentius. Vade(inquit) reporta ipsi pecuniam suam, nolo à te recipere propter ipsum.Reportaui iterum pecuniam domino meo Florentio, & dixi:Reddidit mihi magister precium amore tui. At ille: Grates illi ago,aliàs iterum donis potioribus prouidebo. Per spiritum discretionis sciebat,quid vnicuique respondere deberet; & per donum consilij,sapientibus & indoctis, varijsque necessitatibus occupatis salutari subuenit remedio, nihil tamen terreni commodi pro his requirens.

3. Vnde quidā eius consilio se committens,dicebat:Quoties consilium domini Florentij secutus sum,bene mihi successit:& quando proprio sensui innixus sum,malum mihi semper aduenit,aut me pœnituit;quia non feci,sicut mihi dixit. Intellectus sanctarum scripturarum,velut quidam cęlestis radius,in eo luculenter resplenduit;tantaq; puritate diuinæ claritatis illuminatus est,vt siue in vetere,siue in nouo Testamento legeret, ab omni parte mysticus ei sensus occurreret;& vbique inueniret, quod eum instrueret, & ad Deum omniū scientiarum fontem finemque verborū reduceret.Habebat tamen apud se simplices

&

& morales libros,& præcipuè Speculum monachorum,& quædam virtutum exercitia contra vitia,quibus se suosq; commilitones in Christi militia docuit contra diabolica tentamenta triumphare.Nouis autem & imperfectis,ac sęculari fastu tumidis,& carnali amore adhuc infectis,dissuasit alta & subtilia atq; obscura & dubiosa legere,& curiosè rimari.

4.Discant ergo isti primitus se humiliare & proprios defectus bene cognoscere;superioribus suis perfectè obedire,nemini se præferre,cum omnibus pacem & concordiam tenere, timorem Dei in mente semper habere & firmum fundamentũ in humilitate ponere,ac sic demum ad arcem claritatis & diuinæ speculationis ascendere lucem,per inhabitantem Spiritus-sancti gratiam mundis cordibus promissam,iuxta illam Domini sententiam,qua ait:*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matt.5.

5. Qui autem studeni magis videri subtiles,quam esse humiles:& plus quærunt scire,quàm bene viuere,citò extolluntur; & sunt carnales.Tales solebat acriter corripere,& ad cognitionem defectuum suorum per humiliationem & frequentes exercitationes salubriter reuocare. Quando autem necessarium fuit,vt aliquem argueret;ita timebatur,vt nemo auderet contradicere,nec se excusare,propter reuerentiam sanctitatis eius, quam nullus audebat offendere, metuens Dei indignationem incurrere,si non humiliter sermonibus eius obediret.

CAPVT XXV.

De custodia verborum,& iuratione vitanda.

1. QVodam tempore apud Amersfordiam constitutus, ab incolis illius ciuitatis & maioribus illius loci satis reuerenter est susceptus;& interdũ pia deuotione visitatus.Tunc etiam quidam honesti viri ad audiendam vocem sermonum eius venerunt ad prãdendum cum eo & fratribus eius,cupientes familiaritatis eius habere gratiam, & exemplis bonis & doctrinis informari.Quos benignè tractans,& pro eorum statu salubriter exhortans,post auditionem verbi Dei,cum gratiarũ actione singuli in domum suam sunt reuersi.Illis autem abscedentibus,mox breuem admonitionem fratribus dixit:Periculosum est magnatibus & sæcularibus loqui & coniungi.

2.Nõ expedit diuitibus blãdiri,nec arctiora eis conuenit dici.Ideo oportet,vt homo cautè prẹuideat, quid talibus loquatur;ne scandalizentur in aliquo verbo leui, vel actu indecenti. Habent enim oculos super nos apertos,ad considerandum gestus nostros,propter bona quæ audiunt de nobis, stemus ergo

super

super custodiam nostram, & demus bonum exemplum alijs, qui nos visitant & requirunt; qui tantùm exteriora vident, & secundùm hęc de interioribus iudicant. Quamuis in omnibus perfecti non simus, tamen præcauendum est, ne malum exemplum & occasionē scandali demus infirmis. Sed isti nimis benevoli sūt nobis, & hoc fortè nō expedit nobis. Nō delectemur fauoribus vanis qui simplices & humiles esse debemus. Melius est ergo ad locum pristinum citiùs redire, quia multi ibidē minus curant de nobis & quidam etiam deridēt nos & obloquuntur: quod valde nobis proficuum est, & ad Deum magis redire compellit.

Viri Dei tutius inter hostes quam cum amicis versantur.

3. Fuit itaque vir Domini Florentius, custoditus & præmeditatus in cunctis sermonibus suis, maximè coram sæcularibus & ignotis personis. Pessimam etiam hominum sæcularium cōsuetudinem iurandi strictè vitauit, & omnibus suis interdixit, vt neq; certè vel verè in quotidiano sermone dicerent; ne peccatum super peccatum ex incauta iuratione cumularent. Quando ergo aliquid notabile & seriosum exprimere voluit, aut dicere in testimonium oportebat, non facilè nec temere iurandi notam interposuit, sed faceto modo ita respondit: Dico vobis finaliter vel vtique: & sic satisfecit querenti. Nec voluit verbū assertiuè loqui, in quo potuit deprehēdi; sed memor verbi Domini, *Matt. 5.* est est, non nō, lapsum linguæ studuit præcauere; & alios bono exemplo, & simplici veritatis prolatione docere. Vnde magis ipsi credebatur sine iuramento, quàm aliorum linguis multa iuratione malè assuetis.

CAPVT XXVI.

De tribus periculosis tentationibus deuotorum.

Tentationes tres prætextu boni fallentes.

1. EXpertissimus in spiritualibus rebus ac strenuus athleta magister Florentius, tres tentationes dicebat esse valde periculosas, quę sub prætextu boni decipiunt multos. Et nisi tempestiuè eis in principio resistatur, ad peruersum finem paulatim perducunt, aut in miserabilē teporem desides trahunt. Sed (quod nequius est) multi has tentationes pro versutia diabolicæ fraudis minus cautè aduertunt; & in quanta pericula labi possunt, vix à prudentibus & expertis informari queunt.

2. Vna est, quādo aliquis nouiter conuersus repatriare desiderat, & visitare quærit parentes vel amicos. Hic enim sub specie boni & spe conuertendi sęculares reuertens ad sæculum, cùm existimat in partibus suis facere fructum, ex tali occasione sæpe negligit semetipsum. Dumque moras trahit inter vanos & lubricos, periculosis se exponit vētis & vndis. Quia (sicut frequēs experientia docet) leuis animus, & necdū in virtute fundatus, si mundanis libenter iungitur, aut peccatis eorum inuoluitur,

aut

aut tentatus refrigescit ab inceptis bonis. Bonũ est ergo homini, vt semper fugiat omne, quod animæ nocet, & sine causa notabili patriã vel amicos non requirat. Nunquã de seipso præsumat, sed præsens sæculum laqueis venenatis plenũ habeat vbique suspectum, & prælati sui sequatur consilium & dictũ, quod in omni euentu est magis securum & firmum. Nam de decem, vix vnus vel duo illęsi redeunt, qui inter cognatos & notos diu versantur. Sępe etiã aliis deteriores & vaniores fiunt, qui à bono proposito resilientes, in sæculo remanent; & gratiã Dei abijcientes, nõ erubescunt iterare mala, quæ prius cõtempserunt.

3. Alia tentatio est, quando laicus vult esse clericus, & idcirco humilem statum relinquit, & à sancta congregatione recedit, vt agnitis literis magnus dominus fiat, & nescit miser, quàm malè decipitur, qui humilitate & obedięntia relicta tendit ad alta. Hic ex modica scientia cito inflatur, & tardè bonus clericus erit; qui proprio motu ductus, pro vilibus literis virtutes perdit, & boni nominis famam denigrat, vtinam totus secularis non fiat.

4. Tertia tentatio est, quando clericus & literatus anhelat ad sacros ordines, & prælaturam, aut aliquam dignitatẽ sub aliqua specie sanctitatis; vt possit aliis magis prodesse, & melius docere ac frequentiùs prædicare. Iste licèt piam intentionem videatur habere, intus tamen graui superbia laborat; dũ per se ascendere festinat, vt alijs maior appareat. Et quia humilem subiectionẽ non diligit, & contemptũ sui inuitè sustinet, per preces & cautelas amicorum quærit promotionis suffragium, non attendens animę suę periculum. Heu quàm malã inueniet conscientiam, post modicam & breuem glorię captionem, quam difficulter assequitur multoque facilius omni honore priuari potest.

5. Qui ab his tribus liberari desiderat, Deum quotidie roget, vt eũ à superbia & vana gloria custodiat, & in humili subiectione & perfecta obedientia cõseruet. Nam superbia facit hominem intus cæcum & insipidum, & foris garrulum ac præsumptuosum; sui ipsius nescium & de aliis habere contemptum. Et quod deterius est, super alios quęrere dominium, apertum satis est perditionis signum & multorum malorum inductiuum. Cũ quidam frater cum Domino Florentio loqueretur in camera eius, ait illi inter cætera: Studeatis vos dare ad humilitatem, tunc potestis perficere, & gratiam Dei promereri.

Superbia & ambitio quam noceant.

CAPVT XXVII.

De emissione fratrum ad fructificandum in diuersis locis.

1. ARdentissimus amator Christi dominus Florentius, cui Christus viuere erat & mori lucrum; desiderans fructũ facere *Phil.1.*

cere in tempore suo, maximã operam dedit multis prodesse ad æternę salutis regnum, suadens hunc miserum & caducum spernere mundũ. Misit ergo plures personas ad diuersa monasteria & ad nouas domos pro aliorũ conuersione extruendas. Ex quibus aliqui in Windeshem, aliqui in montẽ sanctæ Agnetis; aliqui in Northorn, aliqui in Gelriam, aliqui in Hollandiam perrexerunt. Quidam etiam monasteriorum Priores, nonnulli rectores congregationum & monialium confessores effecti sunt. Ex quibus aliqui adhuc superstites sunt, qui deuotissimum & Deo dilectum magistrum & dominum Florentium, pridem in carne viuentem cognouerunt, & indubitabile testimonium magnæ sanctitatis eius perhibere possunt.

2. Sed & sacer ordo Carthusiensis necnõ Cistercienſis, sanctiq; Benedicti, viros habet mihi non ignotos; qui virũ Dei Florentiũ, & fratres sanctæ congregationis eius, cùm Dauentriæ frequentarent videre & audire meruerunt, & me verum dicere cõprobabunt. Fuerunt eodem tempore, quo claruit & floruit in Dauentria insignis sacerdos Dei Florentius, plures deuoti sacerdotes in diœcesi Traiectensi, qui populum fidelem sermonibus sacris instruxere, & religiosos conuentus siue fratrum siue sororũ strenuè gubernare nouerant. Hi omnes debita cum reuerentia domino Florentio humiliter se submittebant, & angelicum virum super arduis causis libentissimè consultantes, eius potius discretionis & prudentiæ, quam sibiipsis credere maluerunt. Videbant enim in ipso præ cęteris gratiam diuini consilij celsius efflorere, qui tanquam lilium conuallium aqua sapientię perfusus, in medio turbarum candorem suæ puritatis conseruauit, & bonę opinionis odorem longè lateque respersit.

3. Erat itaque tunc temporis in Traiecto dominus Wermboldus, famatus prædicator, & confessor sororum sanctę Cæciliæ: feruens amator sanctę Scripturæ, & magnus amicus reuerendi patris domini Florẽtij: optimè visus & auditus, à tota cõmunitate plebis. Apud Amersfordiã fuit dominus Wilhelmus Henrici, qui incepit congregationẽ clericorũ, qui postea facti sunt canonici regulares. In Swollis fuerunt dominus Henricus Goude egregius prædicator, pecuniarum contemptor, humilis confessor beguinarum, necnon Dominus Gerardus Kalker deuotorum clericorum rector, & optimus virtutum informator. In partibus Hollandiæ claruerunt valde notabiles & eruditi in lege Domini presbyteri, verbo & actione conspicui, quorũ aliqui contubernales magistri Gerardi fuerunt, atque Florentio cordialissimè prædilecti: qui suis in locis fructum non paruum Domino retulerunt in conuersione hominum & ædificatione

conuen-

conuentum deuotorum. In Harlem fuit dominus Hugo Aurifaber dictus cum presbyteris suis. In Amsterdamo dominus Gisebertus Dou, duorum monasteriorum fundator, ac multarum sororum inclytus gubernator. In Medenblic, dominus Paulus totus Deo deuotus & probus. Horum etiam meminit magister Gerardus in epistolis suis, & per hos prima deuotio in Hollandia cœpit & profecit.

4. Fuit enimuero in partibus Gelriæ in Doesbourch dominus Dericus Gruter, multarum sororum laudabilis pater, antiquus magistri Gerardi discipulus, qui multa mihi bona de eo narrauit. Longum est per singulos nominare deuotos patres, qui à tempore magistri Gerardi cœperunt, & contemporanei domini Florentij fuerunt; qui nos vanitates seculi contemnere, & humiliter ac continenter viuere docuerunt, omnibusque sequacibus suis, clara exempla deuotæ conuersationis, per patientiam & obedientiam reliquerunt.

CAPVT XXVIII.

De felici transitu eius ex hoc mundo, & ecclesiastica sepultura.

BEnignissimus Iesus omnium fidelium cõditor & redemptor, æternæque vitæ fidelissimus promissor ac redditor copiosus, (qui dicit: *Omnis, qui reliquerit patrem, & matrem, & cætera terrena propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*) ad remunerandum fidelem famulum suum piũ Florentium, multis adornatum virtutibus, ac diuersis probatum pressuris & languoribus, de huius ergastulo corporis educere dignatus est, & in regnum suum cæleste lętantibus Angelis trãsferre. Matth. 19.

2. Fundatis igitur eius consilio & auxilio quàm plurimis deuotis congregationibus & monasterijs, atque humili grege domus suæ secundum beneplacitum Christi in pace & charitate fraterna ordinatè instructo & solicitè custodito; iam ad supernæ patriæ ciues & Christi gloriam intuendam medullitus suspirabat, & ardenter anhelabat: per omnia cõfidens in Christo Iesu, quem super omnia amabat. Petiuit ergo sibi corpus Domini cũ sincera deuotione ministrari, quod & plena fide & digna veneratione intuẽs & adorãs, ait: O mi dilecte Domine Deus, ignosce mihi, quòd toties te tã indignè tractaui & sũpsi. Ad hæc verba multi compuncti fleuerunt. Quidam etiam ex canonicis ista audiens valdè ingemuit, dicens: Quid ergo ego miser peccator dicam, si tantus vir talia de se sentit & dicit? Vir autem Deo plenus, & Christi gratia munitus, totum se in diuino beneplacito

obtulit; & quamdiu loqui aliquis potuit, saluberrimæ consolationis verba dilectis filijs & fratribus suis eructauit.

3 Inter alia dignè memoranda, fraternæ charitatis vnitatem commendauit, dicens; Quicunque in vna domo habitant, vnum sentiant & num propositum in Domino teneant; & semper ad conformitatem morum sine omni singularitate, cum simplici obedientia sui superioris tendant. Ibi est pax, ibi spiritualis profectus, & optima dispositio domus; vbi omnes in feruore spiritus nituntur esse vnanimes, & humilitate Christi se omnibus conformare. Manete in humili simplicitate vestra, & Christus manebit vobiscum. Post sacram exhortationem, ne grex Domini inter populares fluctus cōstitutus sine rectore maneret, quasi debito gubernaculo destitutus, præfecit vniuersæ congregationi suæ vnum de presbyteris suis, dominum Amilium, virum deuotum, sapientem, & eruditum, zelum Dei & animarum salutem incunctanter habentem; vt ad eum singuli recurrerēt, & ipsi ex animo obedirent. His itaque atque alijs quietè dispositis, crescēte iā infirmitate corporis, ad extrema peruenit vitæ præsēris.

4. Cùm ergo dominicæ annunciationis sanctissima solēnitas instaret, deuotissimus vicarius Christi Florentius, intimus amator beatissimæ sēper virginis Marię, pijssimæ matris Iesu Christi, in profesto eiusdem gloriosæ genitricis Dei, post horam completorij, pulsato ad laudem B. Virginis Aue Maria solito more, finito iam die, finem vitæ fecit in terris, orantibus fratribus circa eum cum gemitu & mœrore. Nec mirum. Vis etenim intensi amoris cogebat eos flere charissimum patrem, omnium deuotorum lumen & speculum, omniumque tribulatorum solamen, ex hac temporali luce subtractum. Sed pia fides amātium, recogitans optimi sacerdotis sobrietatem ac vitæ modestiam, consolabatur spe gloriæ cælestis, ipsi non negandæ per Iesum Christum, quem toto corde dilexit; cui vsque ad mortem plena fidei deuotione seruiendo, perseueranter adhæsit.

5. Transijt autem ex hoc mundo dilectus Deo & hominibus sacerdos magister Florētius, anno dominicæ incarnationis millesimo quadringentesimo, tempore Bonifacij Papæ noni; & anno ætatis suæ (vt existimo) quinquagesimo, aut non multo senior. Vixit verò post obitum venerabilis magistri Gerardi, in bona ac sancta conuersatione annis ferè sedecim, quibus magnum fructum fecit in populo Dei in Dauentria, & in tota diœcesi Traiectensi. De cuius laudabili vita, sit laus & gloria Christo in sæcula, qui tam præclari luminis sidere decorauit tempora nostra. Sequenti igitur die congregatis canonicis cum clericis, corpusculum eius longa macerationē castigatum, ad ecclesiam

cleſiam S. Lebuini à canonicis & presbyteris eſt proceſſionaliter allatum, & exequiarum ſolemnijs perſolutis, ante altare eius in honore S. Pauli conſecratum, cum magna reuerentia ſepelitur. Ipſe autem electus ſacerdos Dei, ſicut verus humilis ſeruus Chriſti, optauerat cum fratribus ſuis ante eum defunctis in cœmeterio ſepeliri, & nihil amplius honoris ſibi exhiberi. Sed reuerendus dominus Rambertus decanus Dauentrienſis hoc penitus recuſauit, quin potius rectiſſimè decreuit, vt in eccleſia & loco celebri honorificè conderetur, qui eiuſdem eccleſiæ extitit ſacerdos egregius, virtutibus & ſcientia illuſtratus.

CAPVT XXIX.

De quadam viſione facta poſt obitum eius, & de magna gloria ipſius.

1. Vir in ciuitate Gorichem, vir quidem fidelis bonæ vitæ & famæ laudabilis, Ioannes Hermanni nomine, cuius vxor Iutta vocabatur; qui pariter ſecundum mandata Dei viuẽtes, cõplures alios ad Dei ſeruitiũ traxerunt. Frequenter ſacris diebus de Deo in domo ſua loquebãtur, hoſpitalitatẽ multis deuotis ad ſe venientibus libenter exhibentes. Erant autem ambo valde familiares domino Florẽtio, à quo ſanctæ cõuerſationis formã habentes, etiam proximis ſuis vitæ exempla præbuerunt. Poſt obitũ igitur domini Florentij, ſupradictus Ioannes in breui ex hoc ſæculo migrauit. Euenit itaque quadã die vt Iutta Deo deuotiſſima in camera ſua orationi incumberet. Qua conſummata, ſurrexit aperiẽs oſtiũ ad exeundum de camera ſua. Quod cum aperiret, repentè audiuit feneſtram camerę poſt ſe aperiri.

2. Reſpiciens ergo, vidit quendam lumine ſplendoris circũamictum, & aſpectu amabiliſſimum, eãdem feneſtram intrantẽ, viro ſuo facie tenus ſimilem. Cui illa ait: Es tu ibi Ioannes, dilecte coniux? Cui ille: Ego ſum; Sed ne modò voces me coniugẽ tuum. Cui illa: Et quomodo eſt tecum? Ille reſpondit: Ego ſaluatus ſum, & gaudijs cæleſtibus & præſentia Dei fruor. Cui illa: Et quomodo eſt cum domino Florentio, patre noſtro? Reſpõdit ille: Dominus Florentius eſt in valde magna gloriã, & omnia eius incepta recta & bona fuerunt. Et adiecit: Mane in hac domo & non mutes locum, quia citò morieris. Et hæc rectrici ſororum Aleydæ Thomę reuelato. Et tandem hæc viſio diſparuit. Poſt hæc iſta Iutta ita feruido ad Deum corde dies ſuos licèt perpaucos peregit, vt omnia temporalia tãquam deſpecta ſtercora ei viderentur. Ex quo ſolo ſigno euidenter apparet, quòd ſupradicta viſio non fuit deluſio vana, ſed reuelatio cœleſtis à Deo facta.

3. Cùm quæreret quidam de magna gloria domini Florentij in cælo, responsum est: Propter tres maximè virtutes. Primò, propter eximiam charitatem, quam habuit ad Deum, omnia bona sua finaliter ad eum referendo, & Dei honorem & beneplacitum in omnibus quærendo. Secundò, propter zelum animarũ, quem ad proximos habuit, salutem omnium desiderando, & ad seruitium Dei eos alacriter trahendo. Tertiò, propter magnam humilitatem tuam, & contemptum sui ipsius, semper patua & vilia de seipso sentiendo. Et hæc tria satis lucidè & distinctè in vita eius superiùs descripta apparent, & à multis fidelibus non ignorantur.

Epistola eiusdem ad quendam regularem in VVindeshem.

1 CHarissime, quare me sic vexas? Nonne mihi sufficiunt miseriæ meæ? Tamen tædio victus, & importunitate tua compulsus, cogor tibi scribere, quæ longè à me distant. Primò, vt ita importunè coram Deo pulses pro omnibus tuis sine intermissione, & confestim aperiet tibi longè clariùs, quàm aliquis hominum totius vitæ tibi possit scribere, si permaneris perseuerans, quærendo, pulsando, petendo. Item suadeo tibi, vt ante omnia humilies te sub omnibus, & sufficit tibi, corde, verbis, & operibus. Cogita indesinenter secundùm beatum Bernardum ad fratres de Monte Dei, vbique solem lucere, nisi in conscientia tua; vbique serenum esse, nisi apud te. Et hoc fit per assiduam assuefactionem, inspiciendo propriam vilitatem corporis & animæ, non respiciendo defectus aliorum, aut excusando. Maximè quando corripis aliquem, tunc caue tibi ab intra, ne te eiecues. Beatus Hieronymus super Marcum dicit: Cœcus à Domino illuminatus, vidit homines tanquam arbores ambulantes, sic dicit, quod peccator existimabit omnes homines super se; sic & tu vide omnes fratres, tanquam arbores coram te. In operibus tuis fac viliora & abiecta, sed interim vilitatem tuam cogita, aut de morte, aut de pœna, aut iudicio; vel quidquid potest te deprimere aut accendere ad amorem Dei & proximi, & in huiusmodi cogitationibus exerce te ad amorem Dei & proximi, vel ad extirpandum vitia, vel acquirendas virtutes.

2. Item secundùm Bernardum ad fratres de Monte Dei, compara diem præsentem semel in die diei præteritæ, vt apprehendere possis, quod proficis in virtutibus, aut deficis. Disce semel aut bis in die tibi præesse, & vitam tuam ordinare, mores componere, & teipsum accusare & condemnare, nec impunitum dimittere. Consulo tibi, vt habeas circa te Speculum monachorum, aut Speculum Bernardi, secundùm quod omnes actus tuos

potes

potes ordinare; quem librum etiam discas exteriùs, quod in omnibus operibus tuis leuiter occurrat, quomodo te debeas habere, aut in quo te malè habuisti. Item omnes actus tuos præueni præmeditatione & oratione breui, quomodo te deceat habere in eodem opere; & hoc erit tibi leue, quando prompta consuedine scis libellum exteriùs.

3. Item manè & post prandium, statue ante oculos tuos tuas malas cõsuetudines, & vitia tua principaliora & virtutes ad quas niteris; & sic intra recenter bellum cum hostibus tuis, cum carne, mundo, & diabolo, nil hæsitans; quia plures sunt nobiscum, quàm contra nos. Et sic implebis illud Bernardi: Manè præteritæ noctis fac à teipso exactionem: & venturæ diei tibi statue cautionem, quomodo per totam diem te vis habere. Item Bernardus: Singulis horis describe tua singula exercitia; cui spiritualia, spiritualia: cui corporalia, corporalia: vt in vesperis, quando de singulis factis tuis tenes capitulum, si quid imperfectum fuerit, suo modo, suo loco, aut tempore, non abeat impunitum vel irrecompensatum. Quære commune bonum, & cor semper sursum habe. Ora pro me frater, nunquam sic feci. Vale. Ante prandium cogitabis de passione Domini. Post prandium, de morte, de iudicio, de pœnis inferni: Post cœnam, de vitijs & peccatis.

Quædam notabilia verba domini Florentij presbyteri.

1 ANte omnia, cognosce vitia tua & passiones tuas. Semper sis vigilans circa tentationem & motus passionũ. Si sentis eas, & statim reijcis, non nocent: si moraris, malum est: si delectaris & moraris in eis, peius est. Ad quæsita, humiliter respõde. Fuge mulieres, & caue inspicere. Malum exemplũ est sæcularibus, oculos non custodire. Dic peccatum tuum cum verecundia & tristitia, & magno proposito dimittendi, coram Deo & presbytero tuo. Dic culpam tuam singulariter, sic feci, & hoc feci. Nota bene, in quo stat culpa tua, & hoc expone simplicibus verbis, Non debes malũ alicuius dicere, nisi possit ipsi vel alteri prodesse. Accusa alium cum compassione, sicut cũ infirmo fratre. Tunc conscientia est bona, & ratio tua recta; quando nihil agis, nisi secundùm sacram Scripturã, & intelligis eam, sicut Sancti intellexerunt, & non credas capiti proprio. Bonum esset homini spirituali, quòd temporalia sua in aliquo tempore deputato tractarer; & pòst ad spiritualia rediret, quasi omnium oblitus.

2. Existimo, quòd motus & cogitationes, quę incidũt in corda nostra, non sunt in potestate nostra; sed tamen nostrũ est aliquid boni in corde nostro plantare, legendo, orando, ruminãdo, donec alij motus illiciti, ab his victi succũbant, & per gratiã

Dei cessent. Sunt aliqui tantæ superbiæ, quòd vel oportet eos alios regere, vel omnino deficere, & ad mundum reuerti; quia nec sciunt se æquare alijs, nec subesse. Sæpe mouetur totũ corpus secundùm passionem, quæ regnat in homine, ipso tamen non considerante. Quidam per medium annum, nec bene potuit dormire, nec comedere, & non potuit causam inuenire; sed postmodum inuenit causam, quæ fuit tristitia, ita latent passiones in nobis. Debiles non iudicabunt facta superiorum, quia sæpe falluntur. Nil tene secretum vel in rebus vel in conscientia, quin reueles. Rarò loquere cum seculari, quin confortes eum secundum statum suum ad bonum.

3. Fuge sæculares, magnates, & conuiuantes. Si facis opus humile & vile in præsentia hominum, noli ridere; si rides, superbis; quasi hoc opus ad te non pertineat. Disce intelligere, quod oras, & sic expellentur vagæ cogitationes. Alius cantus conturbat caput & sensum, & deuotionem extinguit. In orationibus potius desiderare debes gratiam & misericordiam Domini, quã magna præmia. Maria reputabat se indignam salutatione Angelica, & repleta Spiritu sancto ascendit citò ad montana, & seruiebat Elizabeth. Si quis haberet loqui magno regi, conciliaret sibi specialiores apud regem: sic de Maria agendum est, quæ maximè specialis est Deo. Omnia fierent homini dulcia, si se bene exerceret in passione dominica. Sine intermissione deberemus cor nostrum erigere ad cœlum, & ad sacram scripturam recurrere; & sæpius suspirare, quòd tam carnales sumus & pigri ad bona æterna quærærenda. Et nimia festinantia perditur deuotio. Caue ergo importunitatem, & omnia fac cum attenta consideratione, & non ex consuetudine.

4. Quando aliquid contrarium corpori tuo iniungitur tibi, cogita quòd corpus non est tuum, sed eius, in cuius obedientiam te dedisti. Quantum homo omnia bona sua siue corporis siue animæ communia fecerit, tantum omnia bona aliorum erunt ipsi communia. Dilige omnes conuersos æqualiter in Deo, tam absentes quàm recum existentes. Fuge actionem, cui appẽdet honor, vel de qua vanè gloriari potes, si posset per alium æquè bene fieri. Quod in alio loco & per alium potest bene fieri, dilige & exalta plus, quàm si per te fuisset factum. Noli inuidere, quòd alius te sanctior sit, vel maiorem habeat famam; sed dona Dei ama in illo, & tua erunt. Nil sic extinguit carnalia vitia, sicut feruens studium. Assuesce & coge te in camera manere, & in libro lege, donec sit tibi dulce, & graue exire, & cum gaudio intrare. Fuge ad cellam, sicut ad amicam, quia securus es in ea. Quandocunque homo loqueretur cum hominibus, deberet niti,

ret niti, vt imprimeret eis humilia. Scientia sæcularis est valde allectiua, caueat ergo homo, ne nimis afficiatur ad illam; sed per illam, quasi per medium, studeat transire ad Deum, nec satis sit in medio stare.

5. Deuotus & venerabilis pater Florentius, dixit sæpe ad socios suos & fratres: Quàm bene vobis est & quàm securè statis, quòd potestis sic viuere sub obedientia. Et si antea sciuisset, pro nulla re mundi incepisset alios regere, nisi ipse prius sub obedientia fuisset. Et nisi infirmitas corporis impediret, adhuc mallet esse sub strenuo aliquo magistro, qui eius voluntatem plenè frangeret. Item, si esset sub obedientia, nunquam vellet esse perplexus. Nam quinis debet ponere onus suum super dorsum alterius, in quo dubitaret. Meritò deberet se homo sub omnibus conuersis humiliare, quantumcumque etiam nouus: quia nescit quantam gratiam ipsis dederit Deus. Nunquam potest aliquis venire ad veram humilitatem, nisi contemnatur ab alijs, & in nullo curetur. Melius esset conculcari pedibus, quam laudibus aliorum consentire. Cùm aliquis fratrum petit consilium, debes ei humiliter dicere, quod legisti. Semper est melius sequi videre aliorum, quàm proprium: nisi homo sciret aliquid melius sibi reuelatum, propter humilitatem eius, qui ab eo interrogauit, & nunquam sibi illud asscribat. Si homo habuerit multas phantasias, tunc debet vocaliter orare.

Via pertingendi ad veram humilitatem.

6. Omnia exercitia & studia sua debet homo dirigere, vt passiones & defectus suos superet, quia alioqui parum proficit. In labore communi sta in continua custodia, cauendo multa verba: & cogita de studio tuo, quæ legisti. Non est morbus tam grauis, à quo verus obediens non curatur. Si homo purè se resignasset, nõ deberet plus sibi confidere vel desperare, quã superior sibi diceret. Sæpe debet homo se resignare in die, deo & superiori suo; & genua cordis pro venia flectere, & intellect aliter obedire. Miror quòd qui sub obedientia est, habet dubia, & non stat contentus. Quando aliquid boni facis, cautè respice, vt fiat vtique propter Deum; & non concupiscas aliud, nisi honorem Dei, & ædificationem proximi. Inter fratres potes cogitare: O si possem me taliter habere, quòd nullus per me scandalizaretur. Semper debes niti quærere commonia; quia si quærere incipis te in minimis, citò probaberis ad maiora.

7. Quicquid est pro communi bono, solicitè custodire debemus, sicut sacra vasa altaris. Libri sacræ Scripturæ custodiendi sũt, tanquã verissimus thesaurus ecclesiæ. In scriptura nõ solùm quærere debemus nos, scilicet vt bene scribam⁹; sed vtilitatẽ cõmunis boni, vt libri sint correcti, & bene cõpũctuati, & distincti;

quia nos non libenter ſtudemus, ex malis & incorrectis libris. Væilli, qui in communitate exiſtens, quærit quod ſuum eſt, vel dicit aliquid eſſe ſuum. Væ homini, qui in communitate murmurat de aliquo, & diſſentit communitati, vel qualicunque modo eam perturbat.

8. Tunc verè in vnum habitamus, ſi vnum volumus, vnum ſapimus, & vnius moris ſumus in Domino. In omni opere ſuo & moribus ſuis ſtudeat ſe quilibet communitati conformare, in legendo, cantando, comedendo, ieiunando, & non ſit ſingularis. Nihil tam pacificum reddit hominem, quam quod nihil ex ſe præſumat facere, ſed totum cum conſilio bonorum; & ſemper credat ſalubrius eſſe, quod conſulunt. Stude humiliter implere, quod tibi iubetur; quia ſi vis diſcernere, vix verus obediens eris. Quantum potes ſtude deuotioni, attentè orando. Diſſolutio eſt deuotioni contraria, ſicut aqua igni. Quamuis pauper es in virtutibus & debilis, non debes tamen te deijcere, ſed magis humiliare & cogitare; Quia non habeo magna, volo iſtud paruum Deo offerre quod habeo, ſicut Matia obtulit par turturū, & non agnum. Ille verè eſt frater & amicus alterius, qui odit vitia eius, & iuuat ipſum ea vincere. Semper debes niti te occupare aliquibus bonis, & omnino non attendere ad phantaſias.

9. Periculoſum eſt multum, ſæpe loqui vel conuerſari cum hominibus ſæcularibus poteſtatem habentibus ſiue dignitatem; vt ſūt ſcabini, presbyteri, canonici, & alij diuites. Ratio eſt, quia ex natura timens illos, ſæpe homo applaudit eis, & aſſentit verbis eorū. Caueas de multiloquio, maximè apud ſeculares; quia rarò loquitur homo, quin poſtea pœniteat de aliquo verbo incauto. Etiam abſtineas à riſu & cachinno; quia qualem ipſi viderint hominem ab extra, talem ipſum iudicant ab intra, quamuis tamen talis non ſit. Parum prodeſt multū ſtudere, niſi quis ſtudeat vitam ſuam emendare, & cum omni diligentia ad bonos mores ordinare. Nam diabolus multa ſcit de ſcripturis, & tamen nihil ei prodeſt. Si quis manè tardus & piger fuerit, non debet deſperare, quoniā Deus poteſt illi dare gratiā deuotionis, quādo ſibi placuerit. Ante laborem, breuem oratiunculam præmitte.

10. Seruus Chriſti breuiter & ſubmiſſa voce loqui debet, & cauere loqui, vbi non debet. Et ſi neceſſitas cogit, eat ad locum ſecretiorem ſibi permiſſum, & videat vtrùm expedit, quod loquitur. Semper niti debes, vt ædifices audientes verbis tuis, & trahas eos magis ad ſeruitium Chriſti; quoniam nihil plus placet Deo, quàm laborare pro animabus conuertendis. Et nihil iniurioſius Deo facere poſſumus, quām aliquem noſtro malo exemplo ſcandaliſare, vel à ſeruitio Dei laxare; quia hoc peius

eſt,

est, quàm Christum cum Iudeis carnaliter crucifixisse. Præ omnibus actibus bonis; debes niti pro puritate cordis, & bonas meditationes assumere; quia ex his surgit charitas, oratio, deuotio, & omnes aliæ virtutes firmantur. Nunquam sit otiosus, sed sancta præcipuè occupatione implicitus, dirigendo affectiones tuas & omnes operationes ad Deum.

11. Melius est modicum spiritus, quàm multa scientia sine deuotione. Nam pulchrorum verborum valde leuis est emptio, sed operum bonorum difficilis inuentio. Quicquid fecerit homo, si non senserit se inde humiliorem, nihil sciat se lucratum. Quando aliquid boni facis, fac simpliciter & purè ad honorem Dei, & non quæras te ipsum aliquo modo. Ex improuidentia verborum, veniunt perturbationes, scandala, & oblocutiones. Vide ergo, quid facis; quare facis, & quomodo facis. Non est leue, in quo offenditur Deus, & scandalizatur proximus. Ante initiũ operis, propone qualiter te velis habere, nec leuiter hoc frangas. Festina ad cellam, & recuperabis deuotionem perditã.

12. Quando duo vel plures colloquuntur, quiuis respiciat, quòd non ad inutilia sermo procedat. Et si contigerit, debes hoc alteri absque omni verecundia dicere charitatiuè & humiliter: Frater, non expedit nobis plus loqui, eamus ad cellam, & faciamus aliquid melius. Seruus Dei, quantumcumque potest, debet niti, quòd cor suum auertat à creaturis & concupiscentijs terrenis. Et quanto plus in illo profecerit, tanto plus crescit appetitus ad amorem Dei.

13. Desideraus proficere studeat sibi vim facere; hoc est nitatur vitia sua vincere, vt qui priùs desiderauit sublimia, iam desiderer humilia; & sic de alijs vitijs vincendis. Bonus obediens nunquam debet paruipendere mandatum, quantumcumque leue videatur. Tunc diabolus in veritate fugit à nobis, quando perspexerit nos humiles & vnicordes; quia ipse est pater superbiæ & discordiæ. Non debemus attendere proximum nostrum, vt pulchrum vel diuitem, sed sicut sanguine Christi redemptum. Seruus Dei multum niti debet, pro pace & concordia habenda cum fratribus suis; quia angeli nihil plus diligunt & libentiùs vidẽt in nobis, quàm quòd sumus inuicem pacifici & cõcordes.

14. Quicquid boni seruus Christi facit, nunquam sit securus; sed timeat semper de seipso, ne fortè reprobus inueniatur corã Domino nostro Iesu Christo. Et præ omnibus debet niti vt omnes homines reputet sanctiores & meliores se. Deuotio non est aliud, nisi desiderium animæ ad Deum. Quantumcumque parũ consuetudinis nostræ fuerit, si quis tamen humiliter studuerit facere, totum reputabitur pro obedientia. Quòd si neglexerit

xerit & non curauerit, timeo, quòd grauiter punietur.

15. Oprans in humilitate proficere, sæpe debet sibi dura & despecta proponere: & semetipsum arguere, iudicare, & condemnare, & secretis cogitationibus suam vilitatem considerare; vt aduenientè humiliatione, sciat patienter contemptum pati. Cum sentis inuidiam, vel suspicionem, aut vanam gloriã, responde tibi ad intra, & dic: Pro pudor, quod tu adhuc tam miser & tam debilis es, quòd ex aliorum profectu deficis, & deterior efficeris. Sicque intus temetipsum humilia & confunde, & fugiet diaboli tentatio à te, qui solet talia ingerere. Magno labore oportet nos contra carnalia pugnare, si volumus ea vincere. Rarò vel nunquam comedimus, quin diabolus insidietur nobis. Igitur semper vigilemus, & oremus; quia aduersarius nunquam dormitat, sed vndique nos impugnat.

LIBER DE VITIS DISCIPVLORVM DOMINI FLORENTIJ.

Prologus libri de discipulis Domini Florentij.

1. Via Deo donante, de venerabilibus Patribus ac illustribus viris, Magistro Gerardo & Domino Florẽtio, quædã virtutum opera, secũdum tenuitatem ingenij mei, impolito sermone descripsi: restat nunc consequenter, prout memoriæ occurrit, de eorum discipulis aliqua assignare, quæ simplicium fratrum vitam & mores valeant humiliter informare. Hi etenim seculi pompam & carnis mollitiem viriliter calcantes, Christũ secuti sunt per arctam viam, quæ ducit ad vitam, vt non immeritò cæli luminaribus comparentur. Nam maximam multitudinem fidelium virtutibus suis illustrarunt, quam ad bene agendũ, dum adhuc viuerent, exhortari non cessarunt: Ideoque pia eorum in Christo conuersatio, non est penitus silenda, sed ad instructionem paruulorum, pandenda sunt facta eorum venerãda.

Nouitius. 2. Rogo te obnixè, vt de tam præclaris viris, saltem paucas deuotionis scintillas, in lucem proferas, quibus accendi valeam ad virtutis amorem: quatenus ex auditu modernorum, nouæ conuersationis statum accipiam. Nam plerique poëtarum gesta scripsere gentilium, pro qualicumque vtilitate legentium. Quãto magis ad consolationem religiosorum, recitare debes exempla

pla seruorũ Dei, qui de mundo triumpharunt: vt boni in melius semper proficiant, & pigri de torporis lectulo citiùs suscitẽtur.

3. Si me digneris audire, dicam quod non parum te ædificet in præsenti. Eos tibi proponam, qui non tantùm virtutis nomẽ, sed cum bono nomine, vitam tenuerunt virtutibus claram. Sed iam, proh dolor, aliqui sunt, qui primo feruore derelicto, euagationes diligunt, vaniloquijs delectantur, propriam sapientiam primis Patrum nostrorum institutionibus præponunt: & ad sua desideria explenda callidis argumentis pro sacris legibus vtuntur. Quorum stultam præsumptionem omnimodè caueas, & probatorum patrum humiles mores habitumque attendas: qui in diebus nostris, sub disciplina R. P. Domini Florentij, Dauẽtriæ emicuerunt. Det igitur nunc gratiam proferendi ea, quę ædificationis sunt, quatenus præsens hic sermo sic simplices & humiles fratres erudiat, vt Christum sequi in Religione cupientes, omnem seculi curam perfectè abijciant: & tales in feruore deuotionis & sãctæ simplicitatis subiectione esse studeant, quales isti deuoti virtutum viri omni studio prædicandi extiterũt. Senior.

Capita eorum quæ in hoc libro tractantur.

De prima congregatione clericorum in Dauentria.	*Cap.* I.
De domino Ioanne Gronde.	II.
De domino Ioanne Brinkerinck.	III.
De domino Luberto Berneri.	IV.
Scriptum domini Amilij de felici obitu eius.	V.
Collecta quædam ex deuotis exercitijs domini Luberti.	VI.
De domino Henrico Brune.	VII.
De domino Gerardo Sutphanensi.	VIII.
De domino Amilio de Buren.	IX.
Exhortatio eius de mutua charitate seruanda.	X.
De domino Iacobo Vianensi.	XI.
De Ioanne Ketel humili coco.	XII.
De deuotis exercitijs eius.	XIII.
De Arnoldo Schoonhouia deuoto clerico.	XIV.

CAPVT I.

De prima congregatione clericorum in Dauentria.

1 HOnorum probitas (vt ratio dictat) laudem dignam vbique meretur. Nam qui in vita sua laudabiliter vixerunt, post mortem quoque obliuioni tradi non debent. Siquidem ad solatium viuorum, actus iustorum recensendi sunt, &

& ad exemplum cæteris fidelibus proponendi. Vnde iam præcipuè eos commendare oportet, qui in domo reuerendi patris Florentij, à principio domus illius, Deo humiliter ac deuotè seruire studuerunt, & cum magno feruore spiritus vsque ad finē vitæ, in sancta obedientia constantissimè permanserunt. Non tamen omnium intendo scribere virtutes, quod nullatenus possibile est, sed de pluribus pauca mihi nota libet memorare.

2. Cùm igitur studij causa, in annis adolescentiæ Dauentriam peruenissem, quæsiui iter pergendi ad regulares in V Vindesem. Ibique inuentis fratribus canonicis regularibns cum germano meo, hortatu illius inductus sum adire summæ reuerentiæ virum magistrum Florentium Dauentrienſis ecclesiæ vicarium, sacerdotemque deuotum; cuius fama dulcissima ad partes superiores iam ascenderat, & in amorem sui mentem meam traxerat; quem frequens turba scholarium in diuinis rebus agentem commendare solebat. Visu enim & auditu iustus erat, atque omnium oculis gratiosus; vtpote verus Dei cultor, & sanctæ matris ecclesiæ deuotissimus venerator. Veniētem ergo ad præsentiā patris reuerendi, mox pietate motus, aliquātisper me secum in domo tenuit, & ad scholas instituit, datis insuper libris, quibus me egere putauit. Demū hospitium cum quadam honesta & deuota matrona gratis impetrauit, quæ mihi & alijs multis clericis sæpiùs benefecit. Adiunctus itaque tam deuoto viro & fratribus eius, quotidie deuotam eorum conuersationem attendi & inspexi; & gauisus sum ac delectatus in bonis moribus eorum, & in verbis gratiæ, quæ de ore humilium procedebant. Quia nunquā prius tales homines, tā deuotos & feruentes in charitate Dei & proximi, me vidisse memini; qui inter seculares viuentes, de sæculari vita nihil habebant, nihilque de terrenis negocijs curare videbantur. Nam domi quietè manentes, libris scribēdis operā solicitè dabāt, sacris lectionibus & deuotis meditationibus frequenter insistentes, ad iaculatas orationes laboris tempore pro solamine recurrebant. Manè etiam dictis matutinis horis ecclesiam visitabant, & inter missarum celebrationem, primitias oris sui, & cordis suspiria Deo libantes, puras manus & oculos mentis corpore prostrati leuabant ad cælum, precibus & lamentis Deum sibi per hostiam salutarem reconciliari quærentes.

Oratio sāctis viris post laborem loco est solaminis.

3. Huius eximiæ congregationis primus institutor & spiritualis rector extitit dominus ac magister Florentius, virtutibus ornatus, & diuina sapientia & intelligentia in agnitione Christi refertus; sacræ apostolicæ vitæ cum suis presbyteris & clericis, formam humiliter imitando. Isti ergo cor vnum & animam vnam in Deo habentes, singuli quæ sua erant in commune conferebant;

rebant; & simplicem victum ac vestitum accipientes, de crastino cogitare vitabant. Sponte namque se Deo dicantes, omnes rectori suo aut eius vicario obedire satagebant: & sanctam obedientiã pro summa regula tenentes, totis viribus seipsos vincere, & passionibus resistere, ac motus propriæ voluntatis frãgere nitebantur: rogantes insuper feruenter, vt pro defectibus & negligentijs suis seriosè corriperentur. Idcirco gratia magna & vera deuotio erat in eis, & multos ædificabant verbis & exemplis; atque patienter derisiones sæcularium ferentes, plures etiã ad sæculi contemptũ perducebãt. Et qui antea illos despexerãt, vitam eorum sine honore tanquam stultitiam existimantes, postea ad Deum conuersi, & deuotionis gratiã experti veros Dei seruos & amicos palàm illos conscientia perurgẽte fatebantur.

4. Multi ergo viri ac mulieres, mundana felicitate contempta conuersi sunt ad Dominum, & consilijs dilecti patris domini Florentij innitentes, præcepta dominica seruare, & misericordiæ opera christiana deuotione in pauperes exercere studuerũt. Adiuuabant autem eum omnes fratres sui, verbum vitæ retinẽtes, qui tanquam luminaria cæli, in medio turbarum lucebant mundo senescenti. Quidam etiam sacerdotes scientia diuinæ legis illustrati, strenuè in ecclesia prædicabant: quorum ex prædicatione fideles populi, in actibus pijs exercendis & sermonibus sacris audiendis, salubriter sunt instructi.

CAPVT. II.

VITA

D. IOANNIS GRONDE.

1. Vit tunc temporis in Dauentria sacerdos deuotus, dominus Ioannes de Grõde, dictus de Oetmershẽ, ex Tvventhia natus. Hic fama celebris & sermone facundus, aliquo tempore in Hollandiæ partibus honestissimè conuersatus est; qui castitatis titulo inter sacerdotes insigniter effulsit, simplici altaris beneficio sobriè contentus. Hunc venerabilis magister Gerardus Magnus ad se accersiri fecit, ita scribens ad sacerdotes, qui in Amsterdamo Domino deuotè tũc seruiebãt, quibus specialicharitatis vinculo vnitus erat. Ait namque: Noscatis, quòd villa Dauentrienſis mirabiliter bono presbytero pro adiutorio spiritualiũ in cõfessione indiget, quia nullũ talẽ ad votũ nostrũ habemus. Quapropter vos rogo, si non fuerit notabile impedimentum sanctæ Ecclesiæ in Amsterdamo, nostrum prędilectum Ioannem de Gronde à loco vestro remoueri, nobis sine dubio pro-

proficuus erit. Et ſtatus ipſi erit multum conueniens, qui tãtùm ad hoc ordinatur, vt ſubueniat veraciter conuerſis ad Dominũ, quod eſt opus piiſſimum. Et libentiſſimè & cum gaudio eum acceptabimus.

2. Veniens igitur Dauentriam ad Magiſtrum Gerardum, & benignè receptus, in antiqua domo domini Florentij, cum primis fratribus illius ſanctæ congregationis, humiliter & deuotè cum communi ſocietate vixit; & feruens ſpiritu ſummo manè fratres ad orationem excitare conſueuit, dicens: Surgite, vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Permanſit autem in eadem domo vſque ad obitum magiſtri Gerardi; poſt cuius felicem tranſitum, fuit apud ſorores in camera magiſtri Gerardi. Prædicauit autem verbum Dei frequẽter in eccleſia Dauentriẽſi voce ſolenni: cuius prædicationi dominus Florentius quandoq; reuerenter affuit, audiens intentè ac deſideranter diuini ſermonis dulcedinem ex ore prædicantis. Erat enim vox eius ſonora, aures hominum penetrans, & corda compungens.

3. Hic etiam interdum Svvollas venit, ad confortandum deuotos fratres & ſorores. Et quodam tempore ibidem in quadrageſima pluries prædicauit, inſuper paſſionem Domini in paraſceues vltra ſex horas deuotiſſimè prædicando expoſuit; modico tamen interuallo in medio ſermonis, pro virium reparatione, populis indulto. Cumque charitatis intuitu moras illic faceret, quorundam deuotorum confeſſiones audiuit; dans remedia ſalutaria pœnitentibus, & ſuadẽs permanere in propoſito ſancto. Nam multus in ea populus ad ſeruiendum Deo inuentus eſt, & vſque ad tempora noſtra feliciter ampliatus. Tam diligẽter deuotus prædicator quærebatur & libenter audiebatur, vt hoſpitio receptus, verbum ſalutis ad prandium ſedens petentibus non negaret; ſed inter epulas corporis, animarum medicinam præſtabat corde contritis ſuper delictis ſibi confeſſis. In hoc ſiquidẽ opere Chriſtum imitabatur, qui inter cibos menſæ, pœnitentiã beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ clementer ſuſcepit, & Simonem de pœnitente malè ſentientem, prudenti ratione per pietatis opera ſibi exhibita redarguit, & bene inſtruxit. *Luc. 10.*

4. Acceſſit etiam interdum ad fratres in montem ſanctæ Agnetis, eorum confeſſiones audiendo, qui adhuc pauperes erant, & ſine ſacerdote. Et ait: Non ſit vobis graue humilem Deum ſequi; nam paucis laboribus poteſtis regnum Dei promereri. Poſt hæc redire feſtinauit ad habitationis ſuæ locum, nolẽs diu à dilectis fratribus domini Florentij ſeparari, cum quibus viuere vnicum ipſi ſolatium fuit, & qui ipſum cordialiſſimè diligebãt. Simplex erat in veſtitu, & ſobrius in conuictu; non blandiens ſæcula-

sæcularibus propter quæstum, sed sicut verus euangelicus prædicator, lucrum quærebat animarū, & augmentum spiritualis profectus in domibus deuotorum. Cùm ergo Domino fideliter ministrasset, & dies vocationis eius iam instaret, vt pro laboribus suis æternam mercedem reciperet, cœpit grauiter infirmari.

5. Et existimans se non diu victurum, fecit se ad domum domini Florentij deportari, desiderans finem dierum suorum in medio fratrum consummare; quorum orationibus & meritis se confidebat in extremo maximè iuuari, & ab inimico insidiante fidelissimè defendi. Quod & factum est Deo miserante. Nam domino Florentio cum fratribus suis præsente, confortatus est in misericordia Altissimi; & ad iussionem patris dilecti, vltimum verbum suum terminauit in nomine Domini. Sicque agonē suū Domino cōmendans, spiritum vitæ summo manè circa horam quartam, in crastino S. Ioannis ante portam Latinam exhalauit, Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, mensis Maij die septima. Sepultus est autē in ecclesia beatæ Mariæ virginis, ad latus venerabilis magistri Gerardi in vno sepulchro, vbi pariter requiescunt in pace. Et hoc aptè satis; vt quomodo dilexerunt se in vita, & in morte non sint ab inuicem separati; in vna ecclesia sub vnius petræ signaculo clausi, exspectantes aduentum Domini nostri Iesu Christi, ab ipso iterum resuscitandi.

CAPVT III.

VITA D. IOANNIS BRINCKERINCK.

1. HVic athletæ Dei successit dominus Ioānes Brinckerinck, quondā M. Gerardi discipulus prædilectus, de Sutphania natus. Hic, vente M. Gerardo & prædicāte in diuersis locis, cum ipso sæpe perrexit comes itineris eius, quēadmodum Lucas cum Paulo. Vnde multa bona frequenter ab eo audiuit & didicit: factus deuotus imitator operum eius, ac testis idoneus sanctitatis eius, intrans & exiens cum eo, oras legendo, ac alia pietatis obsequia sedulò exhibendo. Post cuius mortem feliciter celebratam, sub obedientia reuerendi patris domini Florentij deuotè & humiliter vixit; nō segnis æmulator bonarū informationum, quas olim magistro Gerardo prædicante sitibundo pectore hausit. Dei autem consilio ad sacerdotium promotus est, mansitque cum fratribus in congregatione, multū laborans in ædificatione primæ domus domini Florentij, donec defuncto domino Ioanne de Gronde, ad regimē sororum poneretur. *2. Tim. 4.*

Quā

Qui sicut vir strenuus & zelator castitatis, in omni disciplina creditam sibi domũ gubernauit, proprijs nõ parcens laboribus, sæpius supra vires fatigatus pro animabus lucrandis. Ipse etiam interdum verbum Dei prædicauit in Ecclesia, acriter obiurgando peccata, & virtutes commendando vt decuit excellenter.

2. Bina vice audiui eum prædicantem in die parasceues passionem Domini satis compunctè & prolixè. Primũ thema eius fuit, Proprio filio suo non pepercit Deus. Secundum vero ex psalmo sumsit: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Libenter à deuotis audiebatur, sed sæculares quidã susurrabant contra eum, quia vitia eorum vbi oportuit arguebat. Sed tamen propter hos non terrebatur, quia amabat veritatem dicere, & pro iustitia agonizare; eligens Deo potiùs obedire & bonis prodesse, quàm prauis consentire. Quadam igitur die in circumcisione Domini, valde eleganter & dulciter de nomine Iesu prædicauit, benedictum & dulce nomen Iesu, super omnia nomina in cælo & in terra exaltando.

3. Tandem ad arguendum quosdam sæculares & stolidos homines sermo eius descendit, eo quòd (prõ dolor) plures minùs reuerenter, imò sæpe iocanter sanctum & inuiolabile nomen Iesu nominant: & clamauit dicens: Sunt quidam, qui audito dulci & benedicto nomine Iesu, iocaliter & despectiuè loquuntur, Ay Iesus Deus Beguinarum. O miseri & insensati, quid dicitis? Quis est ergo Deus vester: Est tunc diabolus Deus vester, quia dicitis, Iesus Deus beguinarum. Hoc est magnum scandalum vobis. Illis autem hoc sanctum nomen magnus honor est & gaudium singulare, quia frequenter nominant Iesum, summè venerantur Iesum, & ante omnia & super omnia nomina sanctorum diligunt, & adorant Iesum Dei filium, quem vos deridetis & despicitis; quia fratres & beguinæ Iesum libenter nominant, & deuotè laudant, & in nomine Iesu inuicem se salutant. Væ vobis, qui diabolum frequentiùs in ore habetis quàm Iesum, eo quòd nimis humilis & despectus Iesus vobis esse videtur. Hæc dicens lætificabat amatores Iesu, & confundebat derisores eius, prout digni erant.

4. Cumque numerus ancillarum Dei cœpisset augeri, dominus Ioannes spem iactans in adiutorium Altissimi, fecit ampliora ædificia ad habitãdum, vt plures animas saluaret, quæ de huius mundi naufragio ad Christum confugerant. Demum extra ciuitatem versus Aquilonem, monasterium sanctimonialium nõ sine grandi labore construxit: in quo de domo magistri Gerardi sorores aliquas assumens: fecit illas sacris literis imbui, & habitu regularium sub perpetua clausura inuestiri. Has strenuè

cum

cum his, quæ in ciuitate manebant, per viginti sex annos (Domino iuuante) rexit vsque ad vitæ terminum; nonnullis tamen ad alia loca, pro nouis domibus inchoandis ab ipso transmissis. Nam primò sedecim tantùm sorores, in communi viuentes reperit, sed Domino multiplicante numerum in diebus eius, post obitum centum quinquaginta reliquit.

5. Sed quàm humiliter ac timoratè inter tanta bona de seipso senserit, testantur verba, quæ vni familiari socio aliquando dixit. Cùm enim pariter per viam transirent, & de futura vita loquerentur, hæc ait. Ecce frater, si angelus Domini ad me nunc veniret, & diceret: Inclina te Ioannes, & permitte caput tuum amputari, & eris in purgatorio, ego libenter hoc subirem, vt de salute mea certus essem, & sic in gratia mori possem. Alia vice in prædicatione sua hæc dixit: O quàm magnus & altus est status sacerdotalis, cuius dignitatem vix aliquis mortalis dignè exequi valet. Ego si tam facilè possem tunicam sacerdotalem deponere sicut induere, statim eam hic exuerem. Aduertãt hæc, qui de sacris ordinibus gloriantur & intumescunt, nec quantis debitis obligantur attendunt; & discant de seipsis humiliter sentire, & in timore Dei corda sua deprimere; quia tanto erit quisque securior apud Deum in futuro, quanto nunc humilior in semetipso. Ordo sacerdotalis quantus.

6. Ecce iste seruus Dei multos labores fecit in vita sua, passus est contumelias & detractiones ab æmulis, sed per patientiam vicit omnes. Et dans Deo gloriam, opus bonum quod incepit, fideliter consummauit; & tanto Deo plus placuit, quanto humiliùs de se sensit, & plures secum ad cælibem vitam traxit. Igitur postquam in vinea Domini, quam dextera Dei plantauit, diu satis vbertimque laborasset, venit dies ad vesperam, in qua laboris sui præmium reciperet, & ab omni opere temporali cessare deberet, iuxta verbum Domini dicentis: Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Et ecce magna vi febrium correptus infirmatur, & existimans se iam migraturum, denunciat Priori de Windesem ægritudinis suæ molestiam, & dierum suorũ finem aduenisse. Quo veniente, exponit ei desiderij sui intentum; cõmendans eidem, sicut fideli commissario, curam sanctimonialium; quatenus de idoneo Rectore eis prouideret: ne feruor disciplinæ nouiter introductus, per negligentiam aut insolẽtiam deperiret.

7. Cùm ergo festiuitas dominicę Annuntiationis illuxisset, sequenti die fidelis seruus Christi Ioannes, ad cœlestem patriam anhelans, septimo Calendas Aprilis, animam Deo reddidit: cui totis viribus in corpore positus, studuit à iuuentute sua famulari. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo nono, residente in sede Traiectensi venerabili domino Federico de Blãckenhem,

kenhem, nobili Episcopo, omnium deuotorum patrono pio & glorioso. Sepultus est autem in monasterio sanctimonialiū ordinis regularium in Diepenuene, ante summum altare in medio chori, quod ipse primus incepit, & ad honorem beatæ Virginis & sanctæ Agnetis consecrari fecit.

Nouitius. 8. Gratanter capio, quod dicis. Felix Dauentria, quæ talibus sacerdotibus extitit adornata. Sed iter inceptum iam prosequere, & quæ nondum audiui, noli abscondere mihi.

Senior. 9. Exigit feruida petitio tua, vt adhuc quædam incognita tibi describam. Sed mens proprijs grauata malis, quid dignè dicere valet de virtutibus perfectorum? Quia tamen pietatis causa id facere cœpi, consequentia pariter aduerte. Breuiter transibo, ne tædium generet lectori sermo prolixus. Nec quæras in verbis ornatum, sed ædificationem morum, in humili conuersatione deuotorum.

CAPVT IV.

VITA

D. LVBERTI BERNERI.

1 INter illa primitiua deuotorum luminaria, refulsit Dauentriæ magnæ humilitatis & summæ obedientiæ sacerdos quidam nomine Lubertus, filius Berneri Ioannis de Svvollis oriundus. Cuius feruidam in Christo conuersationem, plures mecum nouerunt fratres in Windesem, in monte sanctæ Agnetis, & in fonte beatæ Mariæ prope Arnem; ex quibus multi adhuc superstites sunt, quidam autem in Domino dormierunt. Quid autem dicam pauperculus de tam egregio viro, cui testimonium perhibet tam religiosa multitudo. Sed & ipsi seculares viri consulares & scabini, necnon eius temporis canonici & vicarij Dauentrienses, dominum Lubertum cognouerunt magnarum virtutum fuisse virum, quod ex multis humilibus actibus eius probari potest, de quibus exempli gratia hic aliquos inseram, tanquam suaue olentes ramusculos de bona arbore natos.

Hic igitur iuuenili ætate pollens, & artis grammaticæ Rudimenta transcendens, cum coætaneis sociis ciuibus suis profectus est ad studium Pragense, ibique breui tempore baccalaureus factus Svvollas redijt, ab amicis suis lætissimè receptus. Nec diu postea, deuotorum fratrum affabilitate tractus, cælesti inspiratione ad emendationem emollitur; inuitisque parentibus & amicis, clanculò recessit Christo seruire proponens; & studium sæculare, in spirituale exercitium feliciùs commutauit. Venitque Dauentriam ad magistrum Florentium, vitæ sanctitate potissimè

tunc

tunc florentem; à quo paternè susceptus, docetur perfectè renũciare pompis & curis sæculi, & humilem vitam Christi imitari. Qui toto mentis feruore iugo obedientiæ se subdidit, & disciplinam nouæ vitæ alacriter arripuit: & semetipsum quotidie hostiam viuam Domino offerens, ad summam perfectionem per propriæ voluntatis fractionem citò ascendit.

3. Sed pater eius Bernerus potens scabinus Svvollēsis, indignè satis tulit, quod filius suus Florentij discipulus esset effectus, & ad tam humilem statum se conuertisset. Misit ergo nuncios plures, qui eum à proposito sancto reducerent; existimans ipsum nimis errare, quòd parentes & seculi diuitias insipienter reliquisset. Sed Lubertus animo constans stabat intrepidus, eligens magis sequi consilium Christi, quàm facere voluntatem Patris sui terreni: quia Deus maior homine est, qui se super omnia præcipit amari dicens: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth. 10. Interea accidit, vt pater eius infirmaretur, & erat languor fortissimus, vt nec loqui quidem posset. Nunciatum est ergo Luberto, quatenus ad patrem citò veniret, si eum viuentem videre cuperet; vtpote qui in extrema necessitate constitutus, consilium salutis per ipsum Deo propitio esset habiturus. Tunc ille filialiter condolens patri ægroranti, memor dominici præcepti, sed immemor iniuriæ sibi priùs illatæ, accessit festinus domum paternam, propter animæ eius salutem.

4. Visitat iam securus infirmum, quem dudum fugiebat persequentem: ac blandè eum alloquitur, quem pertulerat aduersantem. Videns autem pater filium suum dilectum, exhilaratur nimis ad eius conspectum. Et quod mirum est dictu, incipit loqui præ gaudio, qui antea obmutuit oris priuatus officio. Mox obsecrat ab eo veniam, vt sibi clementer ignoscat, quòd ei in via Dei aliquando resistebat. Ille charitatis visceribus affluens, libēter cuncta remittit. Pacato igitur patre cum filio, saniori iam pater vtitur consilio; & nolens filium bonis fraudari paternis, omnia illi dari præcipit, quæ hæreditario iure ad ipsum deuoluuntur. Hæc viuens ordinat; quatenus Deum post mortem propitium inueniat, & filij sui precibus fideliter adiuuetur. Post paucos dies pater obijt, & Lubertus memor beneficiorum patris, deuotas pro eo preces cum multis lachrymis fudit. Recepitque deinceps portionem suam, non ad cupiditatem propriã, sed cuncta in manu domini Florētij, in pios vsus fratrum tradidit dispensanda. At ille non ad priuata commoda sibi credita retinuit, sed ad ædificationem domus suę & solutionem expensarũ exposuit. Hęc est domus domini Florentij, titulo nominis eius insignis; quæ fauentibus ciuitatis scabinis, pro congregatione clericorũ deuoto-

rum fundata est; Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo.

5. Eodem anno, Lubertus cum socio suo Henrico Brune viro deuoto, presbyter est ordinatus. Qui ambo tanquã gemelli fratres, lacte sanctæ deuotionis in domo illa enutriti, & magnis virtutibus ornati, sacerdotali honore digni censebantur; viri secundùm seculum genere clari, secundùm Deum deuotione præcipui, humiles, sobrij, casti, benigni, alacres, feruidi, amabiles, tractabiles, simplices, & obedientes. Sed iam de domino Luberto presbytero facto aliqua exempla, quæ vidi, & à fratribus sæpè audiui, dicere conabor.

6. Quadam namque vice sedebat in camera sua scribendo, missúq; dominus Florentius pro eo, vt ad se veniret. Statim vt hoc audiuit, pennam de manu sua posuit, & de sede surrexit. Erat autem in vltima riga lateris, & fortè tria vel quatuor verba adhuc scribẽda restabant. Dixit ergo ad eum frater, qui missus fuit pro eo: Perscribe illam rigam seu lineam, & tunc latus erit finitum, adhuc tempestiuè venies. Ad hæc sicut verus obediens respõdit: Non plus, sed oportet obedire. Ecce nouus Marcus cum eodem præmiandus in cœlo; de quo in vitis Patrum legitur, quòd vocatus ab Abbate, inceptam literam non compleuit. Facto ergo negocio, Lubertus ad explendum opus suum redijt, repletus fructu obedientiæ cum gaudio bonæ conscientiæ. Tunc frater ille domino Florentio ex ordine hęc omnia recitauit. Audiens autem dominus Florentius tam promptam Luberti obedientiam, respondit ita eundem commendando: Luberte, Luberte, quàm bene nosti lucrum tuum & animæ profectum! Tam diligens erat in scribendo, vt cùm ei aliquis loqueretur, ipse nihilominus scribebat, & quod vtile fuit respondebat.

7. Alio tempore iuuenis quidã scholaris, scripturus literas ad parentes, de consilio eius composuit eas in camera eius me præsente. Superuenit dominus Florẽtius, & ait: Quid facitis? Respõdit reuerenter: Socius meus scribit literas ad parentes. Tunc dulcissimus pater ait: Scribe, vt scribaris in vitam æternam. Et iuuenis ille postea factus est deuotus religiosus. Et ego nõ sum oblitus verborum domini mei Florentij, quæ locutus est in camera Luberti; quia bonus homo, de bono thesauro semper profert bona. Ad hoc enim studebat dominus Florentius, vt ædificationis verbum proferret: Ad hoc conabatur Lubertus discipulus eius, ne verbũ ex ore magistri negligeret, sed festinãter implerer.

Obediẽtiæ bonum quantum.

8. Quidam deuotus licentiam petijt à domino Florẽtio visitandi amicos & cognatos. Concessit ille, ne contristaret importunè petentẽ. Postea reuersus, & multa pericula expertus in via,

accessit

acceſſit ad Lubertum Chriſti famulum, dicens: Miror, quòd dominus Florentius tam facilè mihi licentiam dedit repatriandi, cùm tot pericula homini occurrant in mundo. Reſpondit ei Lubertus: Si dominus Florentius cognouiſſet te tam fortem, & poſuiſſes totam voluntatem tuam in beneplacito eius, bene aliter dixiſſet tibi. Sed ille condeſcendit deſiderio tuo & inclinationi ex pietate, ne per te pectora attentares. Vnde culpa eſt ex parte tua, non de conſenſu ipſius. Tunc ille: Bonum eſt quod hoc ſcio. Aliàs meliùs prouidebo, vt faciam ſicut dicitur mihi; vtens eius conſilio, qui me regere habet. Fatuè igitur facit qui contra ſuperioris beneplacitum, propriam inclinationem ſequitur: ſicut iam probatum eſt in iſto, & multorum experientia idem teſtatur.

9. Libenter hæc audio de virtute ſanctæ obedientiæ. Vtinam prę ſenti exemplo inſtructus de cętero caueam abundare in ſenſu proprio; ſed ſemper me inclinem, ad obediendum prælato meo. Sed adhuc velim audire de humilitate huius deuoti viri, quia niſi humilis fuiſſet, tam citò non obediſſet. Nouitius.

10. Dignum eſt, vt de hoc aliqua tibi dicam. Nam in pia cauſa exaudire petentem, ædificationis eſt, & non parui meriti apud omnipotentem. Humilis fuit iſte felicis memoriæ dominus Lubertus, humilis corde, humilis habitu, humilis actione, humilis ſermone, vt ſequentia declarabunt. Solebat namque aliorum virtutes altiùs commendare, & ſeipſum omnibus viliorem reputare, & cum pauperibus & ſimplicibus libentiùs quàm cum diuitibus loqui. Vnde quidam clericus ad eum veniens, rogauit, vt aliqua bona pro emendatione ſibi diceret. Qui reſpondit: Bone frater, quid ego piger & inutilis homo tibi dicerem? Vade ad illum fratrem, & ipſe te meliùs informabit. Ego ſum ſicut vas vrinale fœtidum, quod nunquam ad purum poteſt lauari, ſed ſemper de ſe fœtorem emittit. Audiens hæc frater ille, multum ædificatus abſceſſit, & ſocijs ſuis dixit: Quam humilis homo eſt dominus Lubertus. Senior.

11. Duo clerici inter ſe de domino Luberto loquebantur, quorũ vnus ait; Videtur mihi, quòd dominus Lubertus nimis auſterum vultum prætendit: libenter ipſi quandoque loquerer, ſed nõ audeo. Reſpondit alius: Si placet: dicam ipſi, & fortè emendabit ſe. Venit ergo ad eum, & dixit: Domine libẽter dicerem tibi modicum. Qui reſpondit: bene potes. Dixit ergo: Quidã offenduntur in te, quòd tam maturè incedis & auſterè eos inſpicis. Ideo non audent ad te venire, & tecum loqui. Sis magis affabilis, & dulcior in verbis tuis, vt liberè accedant ad te. Tunc reſpondit humilis dominus Lubertus: Ego libentiſſimè me emendabo per Dei gratiam, grates tibi quòd me admoniſti. Ex illa hora do-

minus Lubertus quasi in alterum virum muratus est, vultusque eius hilarior apparuit erga aduentantes, debita tamen honestate seruata.

12. Quodam tempore congregatis fratribus, dominus Florētius interrogauit de quadam materia ex scripturis sanctis. Multis ergo tacentibus; dominus Lubertus, quia senior erat, loqui cœpit. Dominus Florentius volens eum coram alijs humiliare & probare, ait illi seriosè: Luberte existimas, quòd talia nescimus, quamuis non sumus baccalaurei & magister? Mox ille humiliter respondit: Mea præsumptio. Habebat autem hanc consuetudinem, quando de aliqua re parua corripiebatur, vt se non excusaret, sed magis se reum fateretur, dicens: Mea culpa, aut mea negligentia, aut mea inaduertentia, aut mea leuitas, aut mea obtusitas, aut pigritia, vel aliud consimile verbum, quod humilitatem sonaret, & fratres ædificaret.

13. Cùm legeret ad mensam, quandoque scienter titubauit, vt à correctore mensæ corrigeretur; & dissimulauit se interdum audire, vt eum ampliùs emendaret; desiderans confundi & habens reputari, quasi non sciret melius legere. Sed dominus Gerardus Sutphanię, qui erat corrector errorum in mensa, perpēdens quia non simpliciter de ignorantia errabat, sed ex virtute humilitatis, cessauit eum iterum emendare. Habebat autem vocem virilem & tubalem, multumque decenter legebat.

14. Frater quidam quæsiuit à domino Florentio dicens: Quare me non ita deprehendis & exercitas sicut dominum Lubertum, & Ioannem Kessel cocum nostrum? Nónne esset etiam mihi bonū, vt me aliquoties exercitares & argueres? Respōdit pius pater, discretionis virtute plenus: Si te tam fortē ad omnia cognoscerem, bene similiter te probarem. Sed isti tales sunt, vt ex increpationibus magis proficiant, nec inde murmurant, sed humiliores & feruentiores ex hoc fiunt. Gaudent enim se despici, & præ aliis reprehendi. Solebat autem dilectus pater istos frequenter corā fratribus in præsentia eorum arguere; quia licet eos duriter corriperet, propter exemplum cæteris præstandum, intimè tamen eos diligebat, sicut specialiter in obitu eorum profusis lachrymis ostendebat.

Fortiū est fortiter reprehendi.

15. Huic denique domino Luberto, sicut viro virtuoso & prudenti, veraciter sapiebant virtutes; & maximè horrori erant passiones & concupiscentię carnales. Nam quod contrarium sibi erat, illud vincere conabatur, & alios consimiliter ad certandum contra vitia fortiter incitabat.

16. Quadam igitur vice, cum quibusdam fratribus deuotè & feruenter de passionibus vincendis loquebatur, & vsque ad mediam

diam ferè noctem collatio mutua extendebatur; atque in Dei amore & emendatione vitæ corda eorum ita sunt accensa, vt seipsos obliuiscerentur, non sentientes somni vaporem; sed omnem expellentes torporem, in nouam quandam deuotionem ex igneto colloquio verbi Dei euigilabant; experimentaliter probantes in semetipsis illum versiculum psalmistæ esse completum: *Ignitum colloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud*. Ex hac sancta collatione, valde feruebant ipse & qui cum eo ad spiritualem profectum erant inuitati; vt postea ad commilitones fratres suos Lubertus iucundo ore diceret, & affectuosè repetereret: Quando quando volumus non iterum igniri? Psal. 118.

17. Dum ista narras, in admirationem me ducis. O vtinam semper talia audirem quæ me salubriter compungerēt & accenderent; & nullum vaniloquium interueniret, quod conscientiam meam macularet. Sed ad vitandum scurrilia verba, profer vlteriùs huius humilis Sacerdotis exempla. Fateor enim me ex deuota collatione ista, non modicam lætitiam recipere. Nouitius.

18. Saluator noster Iesus Christus dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Et quia tu libenter de seruis Dei bona audis & legis, spero, quòd hoc sit de gratia diuina, quam cum magna solicitudine custodire debes, & ad humilitatem te semper inclinare, quæ in domino Luberto arctiùs erat radicata. Quodam igitur tempore, stabat circa coquinam molendo sinapium: & superuenerunt quidam amici eius Svvollenses, visitare eum cupientes. Intuens autem eos, admonitus est eos alloqui, ne fortè offenderentur eius allocutione optabili defraudati: quia erant viri honesti, & consules nominati. Tunc humilis Lubertus, sicut erat linteo prȩcinctus, accessit ad eos, & salutauit familiariter amicos: non erubescens seruili habitu coram amicis apparere, sed Deo gestiens magis humili in officio placere. Post breue colloquium vale dicto amicis, redijt ad opus iniunctum: amici verò recedentes, de humilitate eius plurimum sunt ædificati. Senior. Ioan. 8.

19. Cùm esset aliquando Svvollis, quidam amicorum eius ibant cum eo bene vestiti: ille autem sicut simplex frater ibat lōga toga inuocenter indutus. Hoc quidam videntes, dicebant de eo admirando: Ecce quomodo transit agnus inter lupos. Et erat aperta comparatio, quia ingens distātia vtriusque vitæ. Semel in æstate dabatur ipsi capitium simplex griseum, pallidum, & antiquum. Frater autem Amilius multum ipsi familiaris & dilectus, volens eum probare, dixit ei: Luberte quale capitium habes modò? Satis malè stat tibi, nā sic pendet in collo tuo, quasi esses pulmone percussus. Tunc ille lętus respondit: Frater mi, quid dicis?

Ecce & palpa, quam bonus pannus est iste, & desine vituperare, quod non sum dignus portare. Audiens hæc Amilius, ædificatus est in verbis eius.

20. Rursum quoque Amilius hæc mihi de eo recitauit, dicens: Iste dominus Lubertus ita humilis est, & mortificatus in propria voluntate; vt etiam paruo puero se subderet, & minimo fratri in domo ita libenter obediret, sicut domino Florentio, si eum dominus Florentius poneret ad regendam hanc domũ. Erat quippe vilis & abiectus in oculis suis, & ideo meliora sensit de alijs, & præcipuè de eis, qui seruiebant fratribus in coquina. Et dicebat: Iste Ioannes Kessel & socius eius, multum præcedunt nos in virtutibus, ipsi adhuc efficientur superiores nostri. Nam cõfessionem nobis faciunt propter reporem nostrum, & ipsi operantur cum magno feruore. Videntur esse serui nostri, sed reuera domini sunt & magistri in via Dei. Hæc autem ex cordis humilitate proferebat, quibus seipsum & alios optimè informabat. Sciebat etiam competenter bene scribere, & libenter scripsit, vitans otium, & diligenter operi manuum instans, & alios inducens ad scribendum.

21 Roganteautem quodam iuuene, vt exemplar ei scriberet, benignè annuit, & fecit. Et ait: Bene addisces scribere, longos enim & molles digitos habes. Et Deo cooperante verum prophetauit. Scripsit autem in rotunda scriptura, pro exemplari & bono memoriali: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11. Ista verba intimè sapiebant ipsi, & ideo omissis philosophorum dictis, ad humilitatem Christi hortabatur, quæ ducit ad veram sapientiam & æternam beatitudinem promerendam. Igitur postquam humilis & deuotus Sacerdos dominus Lubertus de Sylua cognominatus, multis virtutibus clarus, ex hoc sæculo esset migraturus, instanter petijt à fratribus, vt sui recordarentur post mortem in orationibus suis, præcipuè tamen tempore scripturę in cellis, legendo in priuato quandoque orationem pro defunctis.

22. Cùm ergo plaga mortalitatis Dauentriæ, & in circumiacẽtibus locis grauiter regnaret, plerosque etiam deuotos de hac vita subtraxit, sed æternæ luci (vt piè credendum est) in supernis coniunxit, contigit etiam dominum Lubertum eadem peste cõprehendi. Et ecce in mense Iulio, tribus diebus ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ cœpit ægrotare & lecto decumbere, dicẽs se non diu hic permansurum. Laboratum est è contrario multis precibus, & quæsitum remedium à Deo & ab intelligẽtibus chirurgicis, quia vita eius erat optabilis cũctis. Sed illius prænaluere

desidę

desideriorum preces, ad audiẽtiam supernorum ciuium præuolantes. Dixit ergo ei vnus de fratribus. Adhuc nõ separabimur tã citò, sed in camera Domini Florentij tenebimus collationes nostras. Tunc ille: Non hic amplius, sed in supernis cum sanctis. Cupiebat enim dissolui, & esse cum Christo. Igitur in die B. Mariæ Magdalenæ, fecit coram se cantari sequentiam, Laus tibi Christe. Qua cantata ait: Quàm deuota & feruida verba sunt ista. Et repetiuit intra se hunc versum ruminando. Quidnam haberet ægra, si non accepisset, si non medicus adesset? Multi deuoti qui aderant hęc audientes, lachrymati sunt. Ille verò lætus in Domino consolabatur mœrentes.

23. Frater Amilius, qui ei solicitè ministrauit, multa ædificabilia ex ore eius audiens, diligenter omnia conseruabat; quæ post obitum eius, per epistolam fratribus absentibus per ordinem scribens, digna fide exposuit; quam etiam pro memoriali his inserere placet, in qua pleniùs felix obitus eius & finis vitæ cognoscetur. Cùm igitur octo ferme diebus ægrotasset, nec recõualuisset; tandem multis doloribus fatigatus, ad extrema peruenit; & diuina consolatione repletus, in crastino S. Iacobi Apostoli, corã fratribus, qui exitum eius deuotis precibus tuebantur, lætus ac feliciter obdormiuit in Domino: Anno dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo octauo, septimo Calendas Augusti; tempore Bonifacij Papę noni. Cuius corpus in cœmeterio S. Lebuini, circa Ioannem Kessel deuotum Christi famulũ collegam eius, in australi parte Ecclesiæ reuerenter est sepultũ; vbi & complures alij fratres per successum temporis consepulti requiescunt in pace.

Scriptum prædilecti domini Amilij, de felici obitu domini Luberti.

24 IN nomine Domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo octauo; quartodecimo Calendas Augusti, dominus Lubertus vanden Busche, id est, de busco aut sylua, humilis presbyter & homo magni feruoris, morbo pestilentiali correptus, per duos vel tres primos dies somniando & dormiendo quasi sine sensibus (sicut huius morbi moris est) versabatur in lectulo; in quibus diebus ad tantam venit debilitatẽ, vt morti videretur proximus. Post hoc tamen confortatus, videbatur disponi ad cõualescentiam ab his qui aderant; sed ipse per omnia habuit se, quasi certissimè se sciret moriturũ, aliquos confortans, aliquibus valedicens. Etiam complures dictauit literas, ad amicos suos familiares, presbyteros & religiosos, huc illuc ad diuersa loca, vt sibi ad purgatoriũ & loca pœnarũ transeũti, missis, vigilijs, & orationibus subuenirent. Deinde desidera-

uit conuocari fratres noſtros domeſticos, dicens quòd videretur ſibi vtile & congruum, vt cum quibus tot annis conuerſatus fuiſſet, pacificatus diſcederet, & veniam ac indulgentiam peteret. Quibus conuocatis, ſtans apud eos innixus baculo, quo ſuſtentabatur, ita exorſus eſt: Ego tot annis fui in domo domini Florẽtij, & parum me emendaui, & non ita in virtutibus profeci, ſicut propoſui, quando eò veni. Tunc enim fuit omnis intentio mea & propoſitum, quòd vellem me dare ad omnem humiliationem, ſubiectionem, abiectionem, charitatem, & cęteras virtutes, & in omnibus me ſubijcere domino Florentio, & omnibus fratribus; quod non ita feci, ſicut iam moriturus me feciſſe gauderem. Sed fui vobis ſæpe ſcandalum & offenſio, ſuperbia mea & alijs complurimis vitijs, quæ tunc ex humilitate proferebat.

25. Deinde humillimè quantumcunque debilis proſtratus in terra, cum magna humilitate & lachrymis, ab omnibus veniam poſtulabat. O quis tam duri cordis, qui lachrymas continere potuiſſet; quando tantum virum, patrem & fratrem cordialiſſimum cerneret, tam humiliter cum lachrymis proſtratum in terra? Deinde eleuatus à terra & innixus baculo, cœpit iterum loqui ad fratres & exhortari eos, vt fideliter & cordialiter ſeruarent vnionem & charitatem ad inuicem; & vt ſemper niterentur ſe ſubijcere, & in obedientia charitatis ſibi inuicem acquieſcere; & vt quilibet niteretur eſſe minimus & ſeruilis alijs. Etiã, vt fideliter fratres ſe inuicem niterentur cuſtodire, charitatiuè admonendo, & fraternaliter corripiendo de vitijs & inordinatis moribus; & non blandiri vel applaudere ſibi inuicem, in vitijs & negligentijs; & ſic venirent ad veram vnionem & charitatem, per extirpationem vitiorum. Addens, ſi ſic ſimul manſeritis, & ita feceritis, à nullo habebitis timere, & eritis tanquam murus inexpugnabilis. Alioquin citò res peribunt, & omnia nullius reputationis erunt, ſed tantùm vanitas & friuola. Poſt hoc humiliter rogabat fratres, vt fideliter orarẽt pro ſe: & memores eſſent ſui in orationibus ſuis, ſicut in eis confideret; & ſpecialiter in illis orationibus, quibus quotidiè inter laborem manuum ſe excitant; & ſic valedicens fratribus, dimiſit eos. Deinde altero die dictauit vnam epiſtolam, mittendam domino Florentio & alijs fratribus tunc abſentibus, quæ ſequitur in hæc verba.

Epiſtola deuoti & humilis domini Luberti, ad dominum Florentium.

26 SAlutem, & omne bonum, Chariſſime pater. De infirmitate mea Amilius dilectus noſter credo vobis ſcripſit; hoc tamẽ addo, quòd à ſexta feria, qua obruebar penè vſque ad tertiam feriam, ſine ſenſibus dormiens; neſciui quomodo huc illucque in lecto me verterem. Sed nunc, cùm Dominus propter bonitatem

ſuam

ſuam ingeniolum meum modicum reilluminauit, nō potui pacificè ex hac miſeria tranſire, niſi vobis ſaltem ſemel & nunquam amplius in hac vita, dolorem meum & neceſſitates infinitas mihi præcipuè imminentes, obuolutus pedibus veſtris filialiter aperirem. Iam enim terribili Dei iudicio coram angelis eius & aduocatis noſtris præcipuis præſentandus ſum, cum maxima verecundia peccatorum illorum, de quorum remedijs vos me ſæpiſſimè inſtruxiſtis. Sed heu, tunc non cogitaui, quòd mihi tam grauia & terribilia forent, ſicut vos ea ponderaſtis. Et quia domine Florenti, manui veſtræ propriæ in Dei iudicio neſcio contradicere ſuper paſſionibus meis, quas mihi ſcripſiſtis; licet tamen multis & importunis precibus meis, ad hoc vos quodammodo coëgi; & eandem ſchedulam Amilio dilecto noſtro vobis præſentandam commiſi, vt miſericordiùs ex illis & alijs videatis, quid iam patiar in loco horroris & immanium pœnarum; & vt precibus veſtris, mihi maximè neceſſarijs occurratis. Prædilectiſſime pater, ſi apud vos præſens eſſem, flebilibus oculis vos rogarem vt mihi, præcipuè de inobedientia & alijs offenſionibus (vt inde non terribiliùs damnarer) paternaliter & ſincere velitis indulgere, ſicut non dubito, quòd libenter indulgetis.

27. Nunc loquar ad vos dilectiſſimi fratres, qui vita veſtra & conuerſatione, me tepidum & negligentem toties ad emēdationem reuocaſtis; dulciſſimis veſtris admonitionibus me toties de paſſionibus meis admonuiſtis: ſed heu miſer ego (vt ſcitis) me non emendaui quantum potui & debui; nec exempla veſtra nec verba poterant durā tiam cordis mei compungere, ſicut expediebat mihi; neſciens tamen nec præuidens, quòd talis qualis ſum, ex hac vita ad loca horribilium pœnarū, vbi ſerpentes ſunt mordentes, leones feroces, lupi rapaces, & infinita mōſtra dæmoniorum, ſubitò eſſem deducendus. Gratias tamen omnibus vobis, pro veſtris exhortatorijs & bonis exemplis, ſi quas poſſim, nunquam reddere negligam: ſed non ſufficio. Quia quantulumcunque in hac vita profeci, hoc adiutorio Dei & veſtro profeci, nec mihi adſcribo. Nunc etiam de omnibus negligentijs meis, humiliter me pedibus veſtris proſternens, corde & ore coram Deo & vobis me accuſo, & veniam de ſingulis peto. Rogo etiam vos, quatenus obitus mei diem illis, quibus vobis viſum fuerit expedire, quod tamen ſatis facietis, denūciari facere velitis; & pro me diuinum officium, vigilias, & alia quæ vobis videntur, fieri faciatis. Valete, valete, & in æternum valete, quos amplius in hac vita non ſum viſurus.

28. Dictata hac epiſtola in vigilia S. Iacobi Apoſtoli, reſedit ad perlegendum eam, ſi fortè aliquid placuiſſet apponere vel deponere.

ponere. Tunc subitò inuasit eum tantus horror & tanta debilitas, vt omnibus viribus destitueretur; & sic ab his, qui aderant, reclinatus & reductus est in lectum. Et statim post hoc cœpit magnis doloribus & angustijs agitari; ita vt instantissimè cum lugubri, alta, & lamentabili voce clamaret & peteret, vt conuocarentur fratres domus nostræ & alij deuoti extra domum nostram, vt orationibus suis sibi succurrerent. Quibus conuocatis, incepit mirabiliter tremere pectore, & omni corpore vehementer palpitare & conquassari, pallescere, sudare, versis oculis horribiliter videre, ore ac dentibus fremens ac stridens, dabat rugitus anxios & voces lugubres. Interea deuotis vndique concurrẽtibus, & cum lachrymis pro eo instanter orantibus, respiciens ad eos, & ipse aliquantulum incepit lachrymari.

29. Tunc innuit mihi Amilio, qui semper ipsi aderam, vt cereũ sibi in manu quasi statim morituro positum remouerem; & vt cũ eo legeremus septem psalmos, quia adhuc non est moriturus. Incepit ergo legens mecum vnum versum, alijs dicentibus reliquum; & sic quasi vsque ad finem, magno feruore & deuotione cõtinuabat. Quibus finitis dixit: Maneamus omnes in fine apud S. Mariam, & sic incœpit; Salue regina cum collectis. Quam antiphonam sæpius cum magno affectu & deuotione repetiuit, dicens collectam, & mutans sæpius verba secundum affectum & deuotionem suam. Et cùm sibi succedentiuè vis loquendi subtraheretur, sæpissimè eandem antiphonam incepit, vt eam alij prosequerentur. Quo satis diu continuato, dixit mihi Amilio, quòd ego dicerem fratribus, quòd orarent pro eo sub silentio in compunctione cordis. Post hoc diu iacuit sine loquela, & (vt extra apparuit) in magnis pœnis & angustijs. Deuoti vero & fratres nostri, per totam diem apud eum orantes perseuerabant, de hora in horam mortem eius expectando. Postquam diu sic iacuisset, vocauit me dicens; Amili frater, nunc mihi virtus loquendi restituta est. Dicas ergo fratribus nostris & omnibus deuotis, vt quiuis eorum pro me legere incipiat psalterium; & quòd in principio & in fine cuiuslibet psalmi, flexis genibus orent vnum Aue Maria. Post hoc dixit mihi: Dicas fratribus, quòd ego non curo multitudinem psalmorum; sed quòd aliquando expectent modicum intra psalmos, meditantes & in compunctione cordis pro me Dominum orantes, ne præ multitudine psalmorum obruantur in intellectu. Postquam hoc eis dixissem dixit mihi, vt omnibus congregationibus demandarem, vt orarent pro eo septem psalmos, horas de Domina, horas sancti Spiritus, & si quid aliud scirent, perseuerantes secum in orationibus, sic expectando mortem suam. Quo facto, subiunxit dicens ad me: Frater, timeo fratres

tres & sorores grauare, sed cogit me necessitas: quia omnino non confido in me, sed valde multum in orationibus deuotorũ hominum. Quid videtur vobis? Tunc consolabar eum, vt esset bene contentus, eo quòd libentissimè facerent. Deinde ab hora vesperarum vel circiter, vsque ad octauam horam iacuit sine loquela in magnis ardoribus. Octaua hora cœpit denuo loqui, & efficiebatur totus tranquillus.

30. Post hoc vocauit me ad se, & dixit mihi quomodo per diẽ fuisset secum. Primò, quòd habuisset multas & mirabiles tentationes. Et quòd venisset ad eum quidam malignus spiritus, in specie fratris nostri Ioannis Kessel, qui multis modis nitebatur eum decipere; & quòd iste spiritus, valde multa & mirabilia dixit ipsi de gloria cœlesti, de diuersis subtilibus & altis materijs, de quibus multa vera & conformia scripturis, sed multa intermiscuit falsa; & quòd multa mirabilia dixisset sibi, quæ non sciret exprimere, quia modus loquendi fuit spiritualis; & quòd spiritus ille videbatur coniunctus spiritui suo, vt ipse loqueretur sibi, & spiritus suus responderet ei. Deinde dixit: Isti spiritui fuit valde contrarium, quòd aliquando alloquebar vos. Quando volui vos alloqui, tunc dixit mihi, Non loquaris carni, non loquaris carni. Etiam fuit ipsi valde contrarium, quòd ego feci fieri tã multas orationes à deuotis, & quòd tantum in eis confidebam. Et quando ego petij a vobis, quòd legerentur psalteria, ipse dixit mihi ad intra; Stercus stercus, vt quid confidis in istis psalmis, Maria, Gregorio, Hieronymo, & similibus? Tu deberes in Deo confidere. Deus irascitur tibi quòd tantum cõfidis in istis rebus, & non in se solo. Sed quia pusillanimis & timidus es, & non fecisti ex malitia, ipse indulget tibi, sed noli amplius talia facere. Ego Kessel sic non feci, tamen sine purgatorio veni ad regnum cœlorum. Me verò requirente quomodo hoc esset, ille subiunxit duas causas.

Vera imago tentationũ maligni spiritus sub morte hominis.

31. Vna erat, quòd omnibus bonis & diuitijs temporalibus purè propter Deum & salutem animæ suæ renunciasset; & se ad talem humilem statum, puta officium coquinæ, dedisset; & quòd nunquam pœnituisset eum renunciasse. Secunda causa erat, quòd cum magno affectu & desiderio sic perseuerauerit in coquina, sine vllo desiderio redeundi ad pristina. Et quòd habuit firmum propositum & magnum affectum, in tali humili statu & abiecto officio (vt posset omnibus seruire) vsque ad mortem permanendi, & quod in tali statu & proposito obiisset. Tunc dixit mihi dominus Lubertus: Frater scio quòd ista, quæ iste nequam spiritus narrauit de vero & dilecto fratre nostro Ioanne Kessel, vera sũt; sed vtrum sine purgatorio venit ad regnum cœlorum, nescio. Et sub-

subiunxit: Iste nequam spiritus etiam dixit mihi, quòd ego sine purgatorio venirem ad regnum cœlorum. Me verò inquirente causam, respondit? Tu coram Deo martyres, eo quòd pro fratribus & sororibus tuis posuisti animam tuam; quia ex affectu & charitate elegisti apud eos manere, in tali periculo mortis. Tunc dixit ad me humilis dominus Lubertus: Vtrùm sine purgatorio veniam ad regnum cœlorum, nescio; sed hoc negare non possū, quin ex charitate & affectu mansi apud fratres. Sed tantum est, quòd omnino multis verbis nitebatur me inducere, vt confiderem in proprijs meritis & virtutibus. Ego tamen semper timidus nunquam confisus sum in meipso, nec adhuc confido. Sed omnis confidentia & spes mea est in misericordia Dei, in precibus & meritis gloriosæ Virginis Mariæ & aliorū Sanctorum, & orationibus deuotorum hominum. Ergo placet mihi & gaudeo, quòd multi boni psalmi & orationes lectæ sunt. Aliquando priuauit me omnibus sensibus præter solū auditum, & illum similiter conabatur auferre, sed non potuit. Item dominus Lubertus dixit mihi de pluribus alijs mirabilibus; quæ diabolus dixerat ei; quorum plura erant hæretica & contra fidem, ad quæ nitebatur eum trahere, sed multa intermiscuit vera. Et sic scio, quòd fuit malignus spiritus, qui conabatur me decipere, quoniam plura talia & mendacia semper miscuit. Apparet igitur mihi, quòd valde vtile & necessarium sit homini morienti, vt habeat hominem intelligentem apud se, sicut sunt fratres nostri, vsque in exitum. Hæc in vigilia S. Iacobi Apostoli, post octauam horam de vespere, narrauit mihi.

32. Post hæc, totus debilis in magna tranquillitate & pace cordis, vsque ad mortem purdurabat. Valde enim ardenter cupiebat dissolui, & esse cum Christo; habens firmam fiduciam & spē, de aduentu Domini nostri Iesu Christi, gloriosæ virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum. Et in tali ardenti desiderio, cum magno feruore orans, suspirans, ruminansque deuotos psalmos, specialiter psalmum Beati immaculati, vsque in crastinum S. Iacobi perdurabat, sæpius inquirens quā propinquus esset morti; & an adhuc haberet omnia signa mortis; anne breuis anhelitus esset verum signum mortis, & huiusmodi. Et in nullo eum melius consolati potuimus, quàm vt mortem propinquam adesse diceremus.

33. Aliquando cum magna fiducia, quasi exclamando; O quādo veniet Dominus Iesus & S. Maria cum Angelis sanctis absolvere me? & huiusmodi. Spero, quòd non diu exspectabunt. O si vellent citò venire; ô si vellent facere finem. Spero, quòd nō diu hic durabo, & huiusmodi. Et sępissimè inuocabat S. Mariā, Hieronymum, & Gregorium (quos specialiter dilexerat) & alios Sā-

ctos

ctos, vt orarent pro eo, & adessent, & succurrerent ipsi in hora mortis. Etiam petijt, vt aliquando breuiter alloqueremur eum, excitando ad inuocationem sanctorum & orationē; & alioquin, oraremus pro eo in silentio suspirijs & gemitibus, in compunctione cordis ad Dominum, secum suam mortem exspectantes. Sic in tanto feruore, in tanta deuotione, in tam ardenti desiderio dissoluendi; & in tam affectuosa ac fiduciali exspectatione aduētus Domini nostri Iesu Christi, gloriosæ Virginis Marię, sanctorum Angelorum, & aliorum Sanctorum peruenit ad horam extremam: nec (vt videtur) fraudatus est à desiderio suo. Iam enim in membris omnibus præmortuus erat & totus frigidus, sola vita in lingua & pectore videbatur palpitare, & vix aliquod membrorum videbatur posse mouere.

34 Et ecce subitò sine cuiusquam sustentatione, seipsum proprio motu erigens, complosis eleuatisq; manibus, oculis sursum versus parietem defixis, illuc reuerentissimè cum omni deuotione inclinauit. Et viribus, quibus potuit, raucam & fractam vocē recolligēs, exclamauit; In gloria, in bonitate tua, in misericordia tua susci pe: In gloria in gloria, in bonitate in bonitate, in misericordia suscipe suscipe suscipe. Et dū sic erectus sedens hæc sæpius iteraret, tandem reclinatus ad lectū; bina vice, eisdem motibus & gestibus, eadē replicās, se iterū erexit. Qui vltima vice reclinatus videbatur iacere in magno stupore & admiratione. Ego verò inquirens, alloquebar eum dicēs: Luberte frater, quid est? quomodo est tecum? Ipse autem quasi cum magna admiratione respōdit. Mira mira, mirabilia mirabilia, magna mirabilia vidi, quando me erexi. Quo dicto, statim subiunxit. Vocate fratres, vocate fratres. Quibus conuocatis, statim modicum agonizando expirauit, & feliciter in Domino obdormiuit, plenus virtutibus & bonis operibus, de quo bene dictus sit Deus in secula. Amen.

Ex epistola domini Florentij, de commendatione eius.

35 QVis non doleret de morte dilecti fratris Luberti, qui eum nouit? Quis non fleret, si quis eum dilexit? Quis non de domo nostra plangeret & lamentaretur, si diligenter respiciat, quantam ruinā, quantum casum domui nostræ mors eius minatur? quantum humilitatis exemplū, quantū feruoris ad communia spectaculum, per mortem eius ablatum sit? Quis remāsit, qui vt ipse, ad omnia deuotionis præcipuè & contemptus exercitia feruet? Quis nostrum, vt Lubertus, cōmunia promouet? Quem, vt ipsum, pro domo nostra comedit zelus Dei? Quis nostrum remansit, qui sibi tam vilis in oculis proprijs, tam parum sapiens,

piens, tam parum idoneus sibi videatur? Horum omnium exẽplum, in eius morte ablatum est. Hinc meritò piè dolet, qui domum nostram diligit. Hinc lachrymatur, qui profectum nostrũ in spiritualibus affectat. Hinc nos, quantum dilectum fratrem Lubertum dileximus, tantum dolemus. Quanto corda nostra ipsi erant vnita, tanto amariùs sentiunt eius separationem. Verè erat nobis cum dulcissimo fratre Luberto, cor vnum & anima vna in Domino. Pensate igitur ex vnione cordium, dolorem separationis. Quæ mensura tristitię, ex amoris quantitate perpendite. Verùm, si breuiter & clarè mensuram tristitiarum & dolorum nostrorum scire cupitis, qui vtique tantus & tam grauis est, vt vix duas rigas vel tres in literis vestris potuimus legere; vix tres rigas rescribere potuimus, quin effluerent lachrymæ copiosæ, quæ & scribere & legere prohiberent: Si inquam huius tristitię & miseriæ mensuram scire cupitis, perfectè propria corda vestra inspicite, qui nobiscum similiter dilexistis Lubertum.

Collecta quædam ex deuotis exercitijs domini Luberti.

36 TVum erit laborare pro vitijs tuis extirpandis, & pro virtutibus acquirendis. Sed nisi purè ex corde Deo teipsum resignaueris, & illi vlteriùs commiseris, generat tibi magis præsumptionem, & faciet te durum, & perplexum, & anxium, & pusillanimem. Labora ergo cum verecundia, & quiete, & timore; sed resigna & committe Deo, vt faciat sicut voluerit. Et noli tristari vel deijci, si nescis propositum tuum exequi; fortè sic est voluntas Dei, vt non confidas propriæ virtuti. In oratione nihil intende nisi Deo & psalmodię, quasi in conspectu Dei. Et committe voluntati eius liberè ex toto; & abijce leuiori modo, quo poteris, superfluas & vanas cogitationes; & ad hoc tende, quasi tu solus coram Deo, & beata Virgine, & omnibus sanctis stares; & ostende eis necessitatem, & vulnera animæ tuæ. Noli attendere fratres in oratione, in colloquio, vel vbicunque, nec etiam quoscunque; quia valde alienaris à teipso, & dissoluit virtutem mentis; facit te suspiciosum & amarum, obscurat intellectum, generat Dei obliuionem, & applausum hominum, obnubilat intellectũ, turbat conscientiam. Habeas cor pacificum, & à phantasmatibus rerum & à peccatis auersum, & ad Deum conuersum.

37. Tene faciem communem cum cæteris, sine nimia austeritate, aut serenitatis ostentatione, & apud teipsum, semper intus maneas. Et in quocunque opere auersus fueris ab ista forma, nitere reformare te; & sic semper tranquillo animo perficies voluntatem Dei, & custodies te à vitijs, & semper hilaris perseuerabis. Caue omni modo in omnibus vehementiam, sed omnia delibe-

rato

rato animo facito absque ostentatione. Nunquàm debes alicui aliquid durè dicere, vel opprobriosè increpare, aut deridere increpando. Obsecra & mone, vt charitas poscit: & quandoquè turbidi animi es, patienter & quietè suffer illa, quæ sunt tibi contraria & passioni tuæ; & pro tunc nihil moue contra hoc vel de illo, ad quod importunè agitaris. Potiùs expecta, donec gratia Dei & serenitas mentis redierit. Fuge interim ad cameram & ad orationem, tanquam infirmius & obsessus, & cogita: *In patientia vestra, possidebitis animas vestras.* Luc. 21. Fuge ad tempus solitudinem, & laborare manibus, & patienter orare, & facere sine importunitate. Semper aliquid de Deo aut sacra Scriptura ruminare, quod ad amorē vel timorem Dei, aut ad horrorem vitiorum te inflammet.

38. In omni actione temporali, non nimis strictè attendere exteriora & ornatum, sed intendère voluntati Dei solùm, & ipsi totum committere: cor & oculos auertere ab hominibus, ad intra semper manere, exteriora obliuisci: ad cælestia oratione, suspirijs, lectione, compunctione tendère, & mentem ad prædicta frequenter exacuere. Ostentationem & præsumptionem fugere, abijcere imagines hominum de corde. In hoc omnis virtus, omnis profectus, exequi voluntatem Dei, & ipsi placere. At hoc tende, vt intentio tua sit ad Deum secundùm Deum, & abijce passiones animæ. Hoc habe pro regula infallibili: Quicquid placet domino Florentio & fratribus, hoc vult Deus, vt facias; quia inhabitantur à Deo, & ipsi nihil quærunt nisi eius voluntatem. Omnia fac cum consilio domini Florentij: & quando abest, eodem modo per omnia quasi ex Deo fac cũ consilio domini Gerardi; quia longè sapientior, humilior, cautior, & spiritualior, & abstractior te est; & facit magis secundùm voluntatem Dei, quàm tu. Cauenda est multum occasio vitiorum. Et sæpe in quiete videris tibi aliquid esse, sed effusus in exterioribus rebus apparet, quid in te latuit: ex hoc, potes multum te humiliare. Longa locutio hominem à se rapit, & ducit in ignorantiam, præmeditationem aufert, inordinata profert. Necessaria est ergo homini multa dicere volenti, frequens meditatio & interpolatio siue pausatio, scilicet, vtrùm secundùm beneplacitum Dei loquatur, an non; an declinet ad iactantiam & applausum hominum, & ad vanam gloriam. Necessitatem, pietatem, & vtilitatem, attende in verbis, & maximè voluntatem Dei. Nullo modo licèt loqui burdosa, vel alios verbis ad hoc incitare.

39. Nunquam improuisè ex capite tuo, deriſoriè alicui coram aliis aliquem defectum dicere; quia signum est superbię & præsumptionis, & malum exemplum alijs. Disce parùm & paucis verbis loqui, & cum præmeditatione; & exspecta alium

in verbis, & time audire, vnde lædaris. Discute verba etiam cuiuscunque, an sint vera, an detractoria. Firmiter propone per gratiam Dei, de malo nullius hominis dicere, nec libenter audire, nisi pia vtilitate: & tunc maximè caue, ne seducaris. Assuesce ad nullam rem mundi, neque temporalem, neque spiritualem, cor importunè effundere; sed semper cum timore vitiorum tuorum mediocriter abstrahere, cum discretione & pedetentim incedere, ad horam te mutare, & nunquam in toto à te recedere; sed in verbo Dei cor tenere suspensum, & reflexum contra vitia tua in communi; tamen specialiter magis contra hoc, quod tunc magis times. Et sic per gratiam Dei, cum bono moderamine & matura deliberatione, coram oculis Dei loqui & facere, quicquid putas Deo placere. In comestione, caue auiditatem & subitam comestionem; sed retrahe potiùs appetitũ, vt cæca & turbata cõcupiscentia tua illuminetur compunctione & auiditate lectionis; & cum quiete mastica aliquid de lectione, aut de illa particula:

Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Quandocunq; ex comestione turbatus es in capite vel grauatus, tunc fuge ad cameram, vel loquens cum hominibus magis caute conare ad custodiam; tutius est fugere, & orare. Beatus homo, qui semper est pauidus. Et veraciter scito, quando declinas à timore ad securitatem, declinas à Deo, & caperis à dæmonibus & à passionibus tuis. Tamen sic debes timere, vt eo magis de Deo confidas. Et quanto videris tibi infirmior, tanto te faciet fortiorem. Præstat ergo alijs magis credere, & in teipso trepidare. Propter Deum disce ab alijs virtutes & mores, & time vanam gloriam tuam. Christus tibi didicit, tibi tacuit.

Prou. 28.

40. Disce intus manere, & inter fratres & alios homines communiter & socialiter te habere, & extolle eos. Cogita virtutes eorum, & vitia tua. Semper de aliquo, cum quo es, virtutem aliquam cogita; & vitium tuum, ad humiliandum te ad intra, ex vitijs interioribus Deo & angelis & tibi notis. Accede ad studium; sicut ad cibum capiendum animæ; vt lectione refecta discat in illis anima occupari, quæ legit; & obliuisci temporalia, & refrenari à vitijs. Non multum simul est tibi vtile studere sine masticatione & oratione, sed parum; & masticare illud cum oratione & desiderio, & sic mittere in ventrem animæ, & in mores & in virtutes, vt anima his quasi nutrimento sustẽtetur. Sicut enim corpus cibo, sic anima virtutibus reficitur. Nunquam debes aliqua studere, quæ non reficiunt animam; quia fructus studij est fortitudo animæ, & propter virtutes acquirendas. Studere propter scire, & propter docere alios, aut propter quodcunque aliud quàm dictum est, non nutrit animam, sed facit eam insanam, sic-

Literis nauare operã ob aliud quiduis quam vt saluus fias quid prosit.

us

ni superflui humores corpus; & generat vanam gloriam, elatum cor, incompositos mores, vanas cogitationes, instabilitatẽ mentis, Dei obliuionem & contemptum, applausum hominum, turbatam conscientiam, tenebrosum intellectum, & magis exinanit & debilitat animam quàm reficit. Igitur moderatè studere & bene masticare, magis reficit animam, quàm inconsideratè multa absque masticatione. Sequitur ergo, quòd anima mortua est, quæ verba Dei indesinenter non digerit in mores & in virtutes; vel consumit seipsam, & fit putrida diuersarum concupiscentiarum malarum humoribus, & consumitur à dæmonibus, sicut corpus à vermibus.

41. In pulsu horologij, quasi in medio inimicorum versatus & in te deficiens, clama ad Deum, & ora: Ne derelinquas me Domine Deus, Deus meus ne discesseris à me. Aliquando ad B. Virginem, Aue MARIA. Cogita te à Deo respici, & opera tua ab Angelis ipsi præsentari; quid boni feciſti, quantum profeciſti, & quid mali commiſiſti Cùm audis campanam, cogita: Surgite mortui, venite ad iudicium. Semper nitere sequi voluntatem aliorum in illis, quæ non sunt peccata vel contra Deum, & tuam voluntatem & consilium semper abijcere. Omnia contraria & tibi dura, cum labore & dolore capere; & nulli ad extra importunè cum impatientia respondere. Elige magis misereri, & in hoc potius excedere, quàm in duritia. Quando interrogas prælatum & rectorem tuum, cogita, quòd Dominus in his habitans loquitur per eos, & dicit suam voluntatem; & quàm periculosum est tibi, eius dispositioni per eos resistere. Multoties cogita de peccatis quotidianis, ex qua radice procedant. Timor immoderatus vel nimia præsumptio, quotidie te impediunt. Declinare ad diuitias, ad delicias, ad honorationem & applausum hominum, ad curiositatem, ad delectationes terrenorum, ad propriam voluntatem & proprium videre, & fugere vel non curare humilia, ad huiusmodi declinare est regredi ad vitia, & auerti à Christo, & maximè ab regula patris spiritualis; quia hæc est verissima via ad virtutes, resistere vitijs, & humiliter obedire prælatis.

VITA DOMINI HENRICI BRVNE.

1. MAgnæ deuotionis & sanctæ simplicitatis virum, nec non Angelicæ puritatis sacerdotem, præterire non debeo: sed

ipsius primordiali socio, atque præcordialissimo compresbytero domino Luberto, coniungere placet, & aliquid in eius laudem proferre. Ipse est dominus Henricus Brune, sodalis domini Luberti, Deo dilectus & hominibus acceptus, omnibus benignus, nulli onerosus. Hic in Hollandia natus, ciuis fuit Leydensis ciuitatis, ex honestis parentibus & consanguineis. Sed nihil æstimans seculi diuitias & honores, amicorum vitauit aspectus, quæsiuit Dominum in tempore iuuentutis, & vsque ad senium adhæsit illi corde perfecto. Mansit autem in obedientia in domo domini Florentij, cum omni humilitate & mansuetudine multa; audiens confessiones deuotorum, & celebrans missas suas cum magna deuotione & reuerentia; sine cura temporalium rerum viuens in tranquillitate & simplicitate cordis, atque inter fratres conuersans sine querela; testimonium bonum habens in tota Dauentria, notus apud religiosos in pluribus locis, sicut verus Israelita absque dolo & nequitia, tanquam columba sine felle, præditus singulari innocentia vitæ. Oculi eius semper ad Dominum; & vbicumque solus esse potuit, ab oratione & deuota meditatione non cessauit.

2. Sedebat aliquando in hyeme iuxta focum manus suas calefaciendo, sed faciem conuertit ad parietem; secretò interim orãs, & silentium bene seruans. Quod cùm viderem, multum ædificatus fui, & eo amplius eum dilexi. Nunquam ego indecens verbum ab eo percepi, nec super eo conqueri audiui, nisi quòd missam suam cæteris tractius celebrare consueuit. Quo tamen facto, plures seculares ad deuotionem missę suę traxit, & facilis ei indulgentia dabatur, quia inuitè à dilecto Iesu separabatur.

Miracula tria pro cõfirmatione fidei Eucharistiæ. Primum.

3. Accidit tamen, vt vir quidam fidelis occulta impugnatione diaboli tentaretur in fide, qui etiam de sacramento altaris, cœpit quodammodo dubitare de veritate corporis Christi. Is ergo cum staret ad audiendam missam huius deuoti sacerdotis, sæpe ingemuit, dolens de praua immissione spiritus maligni; orauitq; Dominum, vt sui in hac vacillatione dignaretur misereri. Sed misericors Deus, qui animarum saluti varijs ac miris modis occurrere solet, præfatum virum noua & insolita visione instruxit, atque in fide suauiter confortauit. Vidit namque inter manus sacerdotis sibi apparere, non speciem panis, sed formam speciosi pueri præ filijs hominum; & nimium stupens ac tremens gratias egit, & Deum benedixit. Sacerdos verò de his nihil sciens, officium missæ solito more cum benedictione compleuit. Nõ enim propter eum, qui fide & gratia plenus erat, hęc ostensa sunt, sed propter infirmum in fide roborandum.

Secundum

4. Et quia sermo de venerabili sacramento incidit, adhuc referam

feram consimile factum de quodam sacerdote in partibus Frisiæ, sed minùs laudabilis vitæ. Siquidem bonæ memoriæ fratre nostro Alardo narrãte cognoui, quòd erat cum eo quidã presbyter paruæ scientiæ, & famę non clarę. Iste, cùm ecclesiã intraret, vt diuina celebraret; honesta quædã matrona, quæ eius imperitiam cognouit, cœpit intra se de eo suspectè cogitare ac murmurando dicere: Quid tu imperite vis facere, & quomodo tu indignè poteris tam magnum sacramentum conficere? Hæc ea cogitante, presbyter cœpit celebrare, & diuina mysteria tractare & consecrare. Factum est autem, dum venerabile sacramentum ritu ecclesiastico consecratum eleuaretur, & omnis populus hoc flexis genibus fideliter adoraret, matrona supradicta vidit in eleuatione apertis oculis figuram hominis Christi nimiùm stupida & perplexa. Finita itaque missa, hãc visionem alteri sacerdoti secretè exposuit; & quid mali de celebrante antea cogitauerit, humiliter confessa est. Qui diligenter gestę rei ordinem & visionem examinans, matronæ respondit: Hoc Deus pro tua salute fieri permisit, ne de cętero malè de sacerdotibus cogites, nec de vera consecratione dubites, licèt malæ famæ sint & indignæ vitæ. Illa hæc audiens firmam fidem tenuit, & Deo iudicium de sacerdotibus eius commisit.

5. Sed non te pigeat, aliud iterum miraculum de hoc summæ venerationis sacramento audire. Eo namque tempore, quo monasterium montis S. Agnetis illic moraturus intraui, quadam deuotus clericus mecum diu in eodem loco habitans, pro quadam causa ad vicinum monasterium perrexit. Cumque in itinere esset iunxit se illi quidam secularis, cum eo socialiter vadens, ac familiariter colloquens. Factum est autem, dum pariter ambularent, & de Deo conferrent, ait ille secularis clerico secum comitanti: Dicam tibi amice dilecte, quid mihi in vita mea breuiter accidit. Longo fui tempore, quòd intrans ecclesiam, nunquam potui sacramentum, altaris in manibus sacerdotis videre. Existimans autem, quia nimis remotè tunc starem, & præ caligine oculorum non possem bene videre, accessi propiùs, quantum ausus fui & licuit; sed nihil penitus profuit mihi, nihilque inter manus sacerdotis conspexi. At istud etiã vltra annum mihi euenit, & qua de causa non satis perpendi. Tandem in me reuersus & multum perplexus, ad sacerdotem me contuli, & cuncta ei in confessione denudaui. Ille benignè me audiens, & cautè secreta perquirens, inuenit me stare in odio cuiusdam proximi mei: cui pro nulla re volui offensam, qua me offenderat, dimittere. Animaduertens bonus & discretus confessor culpam malitiæ meæ, increpando & admonendo perdocuit me, asserens periculosè valde fore in tali du-

Tertium.

duritia stare: nec posse aliquando veniam promereri, nisi ex corde dimitterem offensas omnes: atque idcirco mihi istud accidere, quia non essem dignus diuinum sacramentum oculis malignis intueri. Auditis his sacris monitis, acquieui consilio sacerdotis: & toto corde compunctus, remisi ex integro iniurias, nolens meipsum de cætero vindicare: quatenus possem Deo reconciliari, & gratiam perditam recuperare. Tunc demum sacerdos me absoluit, & imposita pœnitentia abire permisit. His gestis, statim ad ecclesiam intraui, & missam audiui: Deo mihi propitio facto, sacrum corpus Christi in manibus sacerdotis oculis meis clarissimè vidi: & gratias agens, Deum in mirabilibus operibus suis benedixi.

6. Sed ad propositum redeundum, & de felici fine dilecti domini Henrici, aliquid iam tractandum. Nam cuius vita virtutibus ornata extitit, eius quoque exitus felicem transitum ex hoc mundo meruit habere. Inter alias virtutes, homo iste pius & deuotus, suo superiori humiliter erat subiectus; dans exemplum bonum presbyteris & clericis, ne se eleuent propter sacerdotalem gradum supra iuniores. Celebrauit aliquoties in festis apud leprosos, de licentia domini Florentij, vbi eidem tunc ministraui.

7 Quadam vice, cum fratribus perrexit pro indulgentijs in Arnem, & interrogatus est in via, pro quanto indulgentias suas daret. Qui ait: Libenter darem indulgentias meas pro hac gratia, vt quotiescunque alicui aliqua bona dicerem, quòd ille statim conuerteretur & suam vitam emendaret. Quod audientes fratres, mirabiliter ædificati sunt de tam bono responso, ex magno animarum zelo, in corde pio & puro.

8. Igitur anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo nono, cùm pestilentia regnaret Sutphaniæ, vbi tunc fratres domus domini Florentij à Dauentria profugi, cum multis alijs deuotis morabantur, Dominus Henricus ipsa peste infirmatus est, & ad extrema peruenit, præmium laboris sui à Domino confidenter exspectans. Qui ferè à tempore magistri Gerardi stetit in domo domini Florentij; per annos circiter quadraginta quatuor sacerdotio functus, diutissimè viuens vltra omnes, qui cum eo in primo feruore inceperunt. Sed & per omne tempus suum laborauit in opere scripturæ, quem multoties vidi vasa coquinæ lauãtem, & alia humilia opera facientem.

9. Penè nihil sciuit, nec voluit loqui, nisi de Deo & de salute animarum. Et quod exercuit in vita, continuauit vsque ad mortem. Nam omnes horas suas legit vsquequo tradidit spiritum. Nec lectionẽ sacrę Scripturę intermisit in infirmitate sua, consolationem quærens potius in sermonibus Dei, quàm in confabulatio-

lationibus hominum. Migrauit autem ab hoc ſęculo pijſsimus ſacerdos, anno Domini ſuprà dicto in craſtino S. Bartholomæi Apoſtoli, circa vndecimam horam diei, ipſo die S. Gregorij Epiſcopi Traiectenſis. Sepultus eſt autem in cœmeterio S. Walburgæ virginis, apud collegium canonicorum in Sutphania.

VITA DOMINI GERARDI SVTPHANIENSIS.

1. LIbet iá deuoti & eruditi viri domini Gerardi de Sutphania virtutes breuiter indagare, & pro bono memoriali vitæ eius, exempla atque ſcripta futuræ generationi imitanda proponere: qui inter primos fratres & diuinæ legis zelatores meruit præſtantiſsimus nominari. Et licèt breui vixerit tempore, gratiſsima tamen nobis reliquit doctrinæ monumenta Erat enim ſtudioſus valde in ſcripturis Sanctis, trahens etiam ex abditis ſententijs doctorum varias aromatum ſpecies, contra vitiorum morbos, ad ſanandum animarum languores: ſicut præcipuè patet in duobus libellis ab eo editis: quorum vnus incipit: Homo quidam; & alius, Beatus vir intitulatur. Ab infantia namque & puerilibus annis, ad diſcendum inclinatus fuit; ingenio habilis, & ad artes auidus liberales: refugiens ex animo negocia ſecularia, & quæcunque poterant ſtudium ſapientiæ impedire.

2. Cumque adoleuiſſet bonæ indolis iuuenis, perrexit ad extraneas ſcholas meliùs imbuendus; ibique toto conamine ſatagebat bene frequentare, manè diluculò ſurgere, & ad audiendam lectionem tempeſtiuè properare. Omne tempus ad ſtudendum breue ipſi videbatur, ſemper ex ore magiſtri aliquid vberioris ſcientiæ capere cupienti, quod armariolo pectoris ſui tenaciùs inſerebat. In tantum animus eius flagrabat in ſcientia proficere, vt vehementer triſtaretur, quando in ſcholis non legebatur à magiſtris. Proinde quandoque flebat, quòd diebus celebribus lectio non fiebat: malè contentus, quòd dies ſine fructu lectionis tranſiret. Longè namque diſtabat ingenua mens eius, à ſegnitie obtuſorum & euagatione laſciuorum: qui per plateas currentes luſibus delectantur inſanis, exhorrentes ſcholas, & eccleſiam rarò viſitantes. Hic verò penſabat ad quid veniſſet, & cur ſcholę inſtitutæ eſſent, ideo acriter ſtudeo incubuit: & tam ſapienter profecit, vt de ſcholaſtico diſcipulo, æter-

næ sapientiæ discipulus postmodum fieri mereretur. Nam Deo disponente, tandem ad studium Dauentriense accessit: ibique inuentis deuotis fratribus, domino Florentino firm[illegible]r adhæsit: & sufficienter iam edoctus, fragilem mundi statum p[illegible]o Christi amore & propria salute dereliquit.

3. Cœpit itaque conuersus diligenter emendationi insistere, & in spirituali feruere profectu, ac mentem suam ab omnium temporalium rerum implicatione segregare; & tanquam bonus eremitarius cellam diligere, & ad interna exercitia se dare, tempus suum studendo & scribendo expendere; ita vt multi stuperent, quia rarò visus est egredi, & solatium foris non captaret. Habuit autem pro solatio maximo libros sanctos: & pro spatiamento campi, quæsiuit sacra palatia cæli. Transiens verò ad ecclesiam, quasi sine aduertentia hominum pertransiuit. Cumque interrogaretur, an non impediretur à transeuntibus secularibus, respondit: Cogito, quòd grex porcorum illac transit. Quid ad me de statura hominum? Sedens in camera sua ita intentus erat operi suo, scribendo, legendo, orando: quòd sæpe de tota die non aperuit fenestram, nec foras respiceret, licèt aura satis serena fuisset. Dixit ergo ei quidam ex fratribus: Cur non aperis fenestram tuam? Tu sedes hîc quasi in cauea clausus, bonum esset quòd aliquam respirationem caperes. Respondit homo deditus studio disciplinæ: Si possem vacare, & scirem tantum præcogitare, fortè bonum esset, quòd hoc facerem.

4. Quæsitum est ab eo, quid cogitaret, quando ad prandium pulsatum esset. Qui ait: Sicut ad vnum, sic ad reliquum opus vado: Penè nihil curabat iste, quid comederet, vel quando hora refectionis esset. Et cùm necessitas ad comedendum vrgeret, magis ad auditionem sacræ lectionis, quam ad reficiendum corpus festinauit. Fuit prętereat incurius sui corporis, maiorem curam gerens de viribus animæ reparandis. Et nisi dominus Florentinus pro eius necessitatibus solicitus fuisset, citò seipsum destruxisset & defecisset. Hinc accidit quòd occultum morbum (quem medici fistulam vocant) diu patienter portauit, nolens aliquos secum occupari, nec pro se expensas fieri, sed dolores in corpore pro animæ remedio pati. Verùm, vbi dominus Florentius hoc percepit, medicum aduocauit, qui curam eius gereret, donec sanaretur. Erat autem armarius & custos librorum, magnam diligentiam habens pro libris colligendis & scribendis.

5. Et multis clericis extraneis sacros codices concessit, vt haberent in domibus suis & in scholis lectiones sacras, ad vitandum fabulas otiosas & vagos circuitus in festis, quibus prępinè admonentur clerici intendere diuinis. Et dicebat: Isti libri

plus

plus prædicant & docent, quàm nos dicere posſimus. Nam libri ſacri ſunt animarum noſtrarum lumina & ſolatia, atque vera medicamina vitæ: quibus non minùs in hac peregrinatione carere poſſumus, quàm ecclesiæ ſacramentis. Diligebat autem ſacræ Theologię libros, ſuper omnes diuitias mundi; & plus gaudebat de bono codice bene ſcripto, quàm de prandio lauto, & optimi ſaporis vino. Sciebat enim, quòd non erunt ſapientes, qui delicatis ferculis & potibus delectantur. Qui verò ſtudijs ſacris dediti ſunt, replebuntur ſapientia, & cæleſtibus ſecretis merentur admitti. Igitur libros in maxima reuerentia habuit, deſideratiſsimè in eis legit, & ſub diligenti cuſtodia eos ſeruauit.

6. Plures etiam clerici ad eum pro diuerſis caſibus & dubijs ſoluendis veniebant, & libenter collationes eius audiebant, quia erat vir eloquens & doctus, & in multis exercitationibus probatus, ſciens quid vnicuique deberet reſpondere. Frequenter dominus Florentius ipſum aduocauit pro negotijs domus diſponendis, & præcipuè cum eo tractabat de his, quæ iuris peritiam requirebant, & ſpiritualem cauſam expetere videbantur. Vnde ſi quid graue & arduum occurriſſet, hoc declarationi & examini magiſtrorum, vbi oportuit, reſeruauit; audiens reuerenter doctores, & ſequens incunctanter ſanctorum auctoritates, dicta ſua teſtimonijs ſacris patenter affirmans. Quapropter à ſapientibus & literatis viris, pro ingenio ipſi collato mirificè laudabatur, ſed ipſe pro nihilo duxit hominum laudes. Non enim eloquentiæ ſtuduit eſſe ſectator, ſed bonę conſcientiæ obſeruator. Itaque ad intelligentiam ſcripturarum, non tam longa exercitatio ſtudij eum iuuit, quàm Spiritus ſancti informatio, qui intellectum dat paruulis, & myſteria ſua reuelat mentibus puris. Ad quam ſanè puritatem conſequendam, omne exercitium ſuum direxit: incutiens timorem Dei nouiter conuerſis, increpans torpentes, & ad mortificationem vitiorum exhortans in virtutibus proficere cupientes. Si, inquit, negligimus certare contra vitia, prævalebunt paſsiones, & incidemus in laqueos diaboli, qui ſemper inſidiatur profectui noſtro. Idcirco laborandum eſt cum omni diligentia, vt viriliter repugnemus, quia corona æternæ gloriæ vincentibus eſt promiſſa.

7. Poſtquam ergo illuminatus iſte Sacerdos, humiliter & deuotè inter fratres cum multa gratia conuerſatus eſſet, & cũ plures libros perlegiſſet: ante finẽm vitæ ſuæ, quaſi nouiter conuerſus, Speculum monachorum & Profectus religioſorum iterum legere cœpit; in quibus ſpiritum deuotionis ſtuduit recolligere, & ad primitiuum feruorem ſe innouare. Nec diu ſuperuixit tali proficiendi zelo accenſus, ſed memor domini Luberti defuncti, quem pluri-

plurimum dilexit, & in cuius obitu lachrymas multas fudit, ipsum in breui subsecutus est. Nam missus cum fratre Amilio ad Abbatem in Dickeninghe doctorem decretorum, cum quo sepius tractare de casibus iuris consueuit, reuertens de via Wyndesem venit: ibique pernoctando, infirmatus est vsque ad mortem.

8. Cui Amilius inquit: Videtur mihi, quòd mori properas. Ad quem ille: Hoc etiam videtur mihi. Itaque crescente ægritudine. in nocte sanctæ Barbaræ Virginis, quasi somno leui sopitus spiritum vitæ exhalauit, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octauo, ætatis suæ trigesimo primo. Cuius corpus à priore & fratribus digno cum honore, in transitu ante fores Ecclesiæ est sepultum. Audiens autem dominus Florentius obitum dilecti domini Gerardi, contristatus est valdè. Et fleuit ipse, & omnes fratres eius cum eo fletu magno, charitate nimia compellente. Quia sublatus est ab eis frater charissimus, qui erat columna domus, & altera manus in negotijs pertractandis. Sed benedictus Deus, qui talem virum nobis habere concessit.

VITA

D. AMILII BVRENSIS.

1. NVnc dilecti, & Deo digni Sacerdotis domini Amilij, habēda est memoria, & huic chartulæ inserenda. Hic quidem successor reuerendi patris Domini Florentij, in regimine domus extitit secundus; ab ipso familiariter dilectus, & multis virtutum gemmulis insignitus. Fuit namque de partibus Gelrię, in confinio Domini de Buren oriundus; & inter suos progenitores, de numero curialium curialis æstimatus.

2. Cumque studij causa se Dauentriam applicuisset, vbi studium particulare tunc satis viguit, tanta diligentia in scholasticis artibus profecit, vt in breui inter primarios vnus de doctioribus fieret, & magistro propter ingenij subtilitatem charius placeret. Dei autem munere factum est, vt tale ingenium in seculari vita non periret; nec mundi honores per scientiam ambiret, sed omnia tanquam stercora refutaret. Præuentus ergo cælesti gratia, & ab altissimo inspiratus, accessit domum domini Florentij, & attractus est pietate sermonum eius: subdens se consilio Spiritus sancti, per os reuerendi patris loquentis, qui ei monita dabat sapientiæ salutaris. Igitur postpositis scholis, & amicis carnalibus derelictis, factus est humilis frater & Christi discipulus: atque suo exemplo multis profuit ad renunciandum seculo, & seruiendum Christo.

sto. Tradidit autem semetipsum ad humillima quæque opera facienda, non parcens corpori propter animæ suæ salutem, nil proprij commodi quærens in præsenti. Sed in virtute sanctæ obediētiæ, graues etiam labores subijt pinsendo, braxando, & alia quælibet sibi commissa hilariter & fideliter exequendo.

3. Mirabantur multi, quòd in corpore non grandi potuit tam laboriosa exercere; quæ vtique in seculo non didicit, nec priùs facere consueuit, & vix aliquis fortior pro temporali lucro perfeciſſet. Sed amor Christi & fraterna charitas valens ad omnia bonæ voluntati vires ministrabat: vt meritum eius ampliùs cresceret, quo omnibus feruentiùs laborabat. Qui in tantum Deo & fratribus placuit, vt post dormitionem domini Luberti & Gerardi, statim sacerdos ordinaretur domino Florentio adhuc viuente, Cumque primam missam suam celebrare deberet, dominus Florentius superpelliceo indutus affuit, donec officium suum ad honorem Dei perfectè deuoteque compleret. Celebrauit autem ante summam missam, super altare sancti Pauli, (pertinēs ad vicariam domini Florentij) satis secretè sine concursu populi.

4. Hic itaque pietate præcipuus, & in omni commisso verè fidelis, cunctisque in necessitate positis consolatiuus amicus, tempore pestilentiali curam gessit infirmorum; paratus cum fratribus suis aut viuere aut mori, ex obedientia & charitate fraterna. Nam Ioanni Kessel coco domus, & domino Luberto astitit intrepidus, vsque in finem vitæ ministrando eis, & alijs multis simili morbo detentis. Ipse quoque post multa obsequia fratribus impensa ægrotare cœpit, sed Deo miserante ad consolationem fratrum reconualuit, ne tristitiam super tristitiam haberent. Ab eius ore multa bona de virtutibus fratrum audiui, quæ in huius operis libro, vbi opportunitas requirebat, conscripsi, quamuis relatorem nominatim non expressi.

5. Venit aliquando ad frattes in montem sanctę Agnetis, & loquens aliquibus sibi notis, hortabatur eos permanere in sancto proposito ordinis, ad proficiendum in virtutibus. De cuius bonis moribus & gratiosis verbis valde ædificatus fui: quia serena facie & oculis ante se fixis stetit, sicut agnus mansuetus, astantium facies non attendens. Igitur post felicem domini Florentij obitum, qui ipsum ad gubernationem domus deputauit, expletis in bono regimine quatuor annis & mensibus quasi tribus, obdormiuit in Domino in profesto Barnabæ Apostoli, anno Domini millesimo quadringentesimo quarto. Qui sepultus est iuxta dominum Lubertum, in cœmeterio sancti Lebuini ad australem partem ecclesię, non longè à vestibulo sacerdotum.

Exher-

Exhortatio domini Amilij, de mutua charitate seruanda.

6. FRatres charissimi, hucusque semper in vnione perseueraui-mus in charitate mutua; sed iam, vt videtur, recessurus sum à vobis. Propterea cordialiter affecto, vt vnionem quam hucusq; feruenter tenuistis, de qua Christo sit laus & gloria, firmiter perseueranterque seruetis. Et illi, cui cura domus committitur, per omnia sicut Christo, & sicut mihi hucusque fecistis, charitatiuè obediatis; personam eius non respiciendo, sed Christum in eo. Ideo nolite cogitare illa esse mala vel irrationabilia, vel saluti vestræ contraria, quæ vobis præceperit, quia non ipse, sed dominus per eum præcipit; ideo propter Christum, & sicut Christo, ipsi obediatis. Ideoque vobis ab ipso præcepta, tanquam sint de cælo edita, complere festinate; quia Dominus non semper vult per seipsum, vel per miracula, vel per Angelos, vobis voluntatem suam manifestare; sed ita disposuit, vt per hominem voluntatem suam nosceremus, & homini nobis talia consulenti vel præcipienti, sicut sibi, obediremus.

Stimulus acerrimus ad amplectendam obedientiam.

7. Ideo quæcumque officia vel præcepta charitatiua vobis ab ipso imposita libenti & hilari animo impleatis, non cogitando vobis illa esse infructuosa, vel deuotionis vel etiam salutis impeditiua; quia mille deuotiones, respectu humilitatis & subiectionis, quam homo hilariter exhibet, nihil sunt. Ideo si etiam viderentur irrationabilia, & magna inde impedimenta futura & facta, nihil tamen vos iudicetis, sed semper humiliter in subiectione nihil iudicando perseueretis. Christum (sicut sæpe dixi) & non personam in homine considerantes. Quia non propter personam illi subijcimini, sed propter Deum, propter æternam salutem, & profectum vestrum, propter regnum cælorum hoc agitis: Ideo quod cœpistis perficite, nihil patrem vestrum iudicando, sed eum summè venerando, & omnibus illi humiliter & hilarirer obtemperando: non cogitando vos esse tam senes, tam expertos, tã doctos, tam sapientes, quàm sit ipse. Quia non propter eum vos ei subijcimini, sed propter Christum, & vestri humiliationem & securitatem; vt ad ipsum quasi ad patrem semper refugium & consilium habeatis.

8. Quid enim vobis & mihi fratres, nisi quia propter Deum obedistis mihi? Et quid mihi, & D. Florentio, & M. Gerardo, si cũ eo fuissem, nisi propter regnum cælorum ei obedissem? Quilibet ergo cogitare debet, quomodo posset se humiliare & subijcere, & studeat esse contentus, quodcumque officium sibi iniungatur, siue paruum siue magnum: & non sit sibi sapiens, sed hoc putet sibi in celius, quod fuerit ei ordinatum. Et si aliquis vellet habere exceptiones de aliquo officio, dicens in omnibus se velle acquiescere,

quiescere, sed ad hoc vel ad illud officium non esset deducendus; ego mallem eum expellere de domo, quàm tale priuilegium ipsi dare. Nam alio tempore, quando eius propria voluntas aliud vellet, etiam in illo deberet esse rebellis. Sed non cogitet nisi Christum, in quo velit acquiescere. Fratres, simus tanquam membra inuicem, & sustineamus nos mutuò. Quod si noluerimus facere, citò peribunt res nostræ. Nitamur inuicem tenere charitatem & vnionem: & quiuis nitatur conculcari quodammodo sub pedibus alterius, & sic nulla aduersitas poterit nocere.

9. Nihil aliud scio, quod dicam vobis, nisi quod Dominus dixit discipulis suis iam ascẽsurus; Vt diligatis inuicem, sicut Christus dilexit vos; & oretis pro me. Ego, si venero apud Dominum, faciam quod potero. Et quia sæpe malè me habui, & vos scandalizaui, peto vt mihi ignoscatis: quia fui negligens & multis alijs vitijs implicatus, quæ omnia coram vobis paratus essem confiteri, nisi timerem, quòd aliqui vestrûm scandalizarentur. His dictis, deposuit capitium suum, petens veniam à fratribus de culpis suis, compunctè & valdè humiliter & cœpit flere. Quo viso, fratres flexerunt genua, & fleuerunt omnes fortiter & amarè. Hæc verba domini Amilii nouissima, pro ædificatione mutuæ charitatis & pacis sunt dicta.

VITA
D. IACOBI DE VIANA.

1. STrenuus ac maturus moribus dominus Iacobus de Viana magnam gratiam humilitatis, compunctionis, & internitatis habuit; sæpe suspirans & lachrymans pro quotidianis defectibus suis districtè examinans semetipsum. Etiam illud in se redarguit, quod alius in ipso commendabat, metuens rigidum superni iudicis examen, in omni quod agebat; qui non solum apertas negligentias, sed occultas conscientiæ maculas iudicabit. Longè à corde eius altum sapere de seipso, aut velle reputari pro bono: cui omnibus subesse, & minoribus sicut maioribus obsequi complacebat. Erat autem egregius scriptor inter scriptores, diligens ad scripturam & librorum custodiam.

2. Quidam iuuenis petijt ab eo informari in spirituali exercitio; qui statim ex humilitate pigrum se fatebatur & miserum, & quòd nondum virtutis initium perfectè attigisset; cœpitq; quosdam iuniores fratres commendare, quàm feruentes & intelligentes essent. Alia vice, idem iuuenis multum contristatus retulit ei angustiam cordis sui, desiderans consolationis verbum audire. Qui benignè eum consolans, hortabatur ad patientiam, & vt gra-

gratiam Domini humiliter expectaret; quia pius Dominus contritis corde solet adesse, sicut Psalmista dicit: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Psal. 93. Quia consolatione suscepta, sæpius tam dulcium verborum postmodum recordabatur, cùm aliquid triste illi occurreret. Quia cùm humana consolatio deficit, ad diuinam recurrendum est, & cogitandum, quoniam magni sancti & electi viri etiam grauitates & desolationes quandoque habuerunt.

3. Hic igitur cùm esset laudabilis vitæ, & cuperet in infimo gradu & in simplici clericali statu manere; propter virtutes tamè suas & insigne humilitatis donum, de beneplacito Dei & consilio domini Florentij ac fratrum eius, promotus est ad sacerdotium. Quod ei tamen valde graue fuit, ita vt acriter fleret, cùm hoc percepisset, quòd ordinari deberet. Fatebatur enim se esse nimis indignum ad talem statum, reputans eos grauiter peccasse, qui hoc consilium dedissent, eo quòd inidoneum promouere decreuissent. Sed quanto plus se deprimebat, tanto ampliùs Deo & fratribus placebat, & eo libentiùs dominus Florentius ipsum promouebat. Eo siquidem tempore, apud deuotos sacerdotium rarum & precio sum. Nam nisi iustus & compulsus pro communi vtilitate, nemo hoc acceptare audebat; quia omnes altiorem statum fugiebant, & in humiliori loco & officio minori manere eligebant. Vnde dominus Florentius, qui erat gemma sacerdotum, fertur aliquando dixisse: Si non essem sacerdos, nec curam aliorum haberem, tunc possem me perfectè emendare; quia locus superior plures occasiones turbationum habet, à quibus magis liber est bonus subditus, sine cura exteriorum viuens.

Sacerdotij inauguratio olim quàm fuit viris pijs formidata. Subiectionis conditio quàm secura.

4. Quodam tempore, dominus Iacobus volens cogitare de defectibus suis, ascendit secretè solarium domus, & grauiter suspirans, culpas suas in tabula scripsit, ne obliuioni traderetur quod confitendum existimauit. Et cum à quodam interrogaretur de statu domus, ait: Si quis nobiscum habitare desiderat, oportet quòd se humiliet, & omnibus minorem se faciat; & talis paradisum hîc habet & optimè contentatur. Solebat dominus Florentius interdum ipsum corripere, & ad moderatam compunctionis grauitatem reuocare, ne nimio rigore metam discretionis excederet. At ille patienter ferens correptionem, multum se humiliauit, quia minùs discretè procederet. Feruidus namque spiritus eius, proprias supergressus est vires; sed pia eius intentio eum excusabat, quia Deum finaliter quærebat. Incidit autem post hæc in corporalem ægritudinem: & deficientibus paulatim viribus, ante patrem suum dominum Florentium, in bona confessione vitam finiuit, anno Domini millesimo quadringentesimo, in crastino

sancti

sancti Gregorij Papæ, quem speciali deuotione dilexit. Sepultus est autem cum fratribus suis, in cœmeterio maioris ecclesiæ, apud sanctum Lebuinum.

VITA
IOANNIS CACABI
VVLGO KETEL,
QVI HVMILIS COQVVS FVIT.

1. ERat quidam humilis seruus Christi in domo domini Florentij, Ioannes Ketel nomine, coquinæ officio deputatus; qui despectis omnibus mundanis, elegit viam sanctę paupertatis in terris, vt æternas diuitias cum sanctis possideret in cælis. Nam per opera misericordiæ & charitatis meruit ingressum perennis felicitatis. Hic dudum optimè mihi notus cùm Dauentriæ frequentarem; tam humilem se exhibuit moribus & exemplis, vt contemptum mundi plus factis prædicaret, quàm verbis. Nec tamen fuit inanis eius sermo, cùm de Deo loqueretur. Quia omnem excellentiam temporalem auditoribus suis persuasit esse spernendam, nec vllum laborem pro Christi amore abhorrendum. Sed quis dignè huius viri loquetur virtutes? Attamen pauca dicere charitas expostulat, ne margarita in agro dominico abscondita diutiùs lateat, sed pro ædificatione plurimorum ad lucem veniat.

2. Huius natalis ciuitas fuit Duseborch, in comitatu de Marcka, non longè à Wesalia, iuxta Rheni fluminis decursum: cuius mater Christina filium subsecuta, diem extremum Dauentriæ clausit in domo sororum. Hic itaque primò negotiator extitit in partibus Flandriæ & Hollandiæ, mansionem statuens cum mercatoribus marinis in Dordraco, sępius tamen habuit inspirationem bonam ad seruiendum Deo, sed nesciebat qualiter inciperet, aut qua via ad hoc tenderet. Cumque seculi rebus aliquamdiu prosperè vsus fuisset, tandem meliori consilio inspiratus, cogitauit mundi fallaciam & grauem eius seruitutem abijcere, ac velle sacerdotio fungi, vt Deo honestiùs in hoc statu seruiret. Hac igitur occasione postposuit seculi nundinas, & audita fama deuotorum clericorum in Dauentria, venit illuc cum quibusdam boni propositi viris inuisere scholas. Et apprehensa aliquanta notitia in grammatica pro intellectu sacræ Scripturę, cum vidisset sanctam conuersationem D. Florentij ac fratrum eius, in alterum mutatus est virum, & ad seculi renuntiationē accēditur cum multis. Reliquit regulas Alexandri & Donati, & intrauit scholā celestis exercitij, vt disceret voluntatem Dei in domo D. Florentij:

vbi

vbi plures congregati Christo seruiebant in humilitate fundati, & in charitate diuina firmati.

3. Petiuit ergo magna instantia ad seruiendum fratribus in coquina; vt quamdiu hic viueret, gratum Dei obsequium in humili statu exhiberet. Post multas itaque preces admissus est ad probationem; & depositis vestibus secularibus, indutus est habitu veterano & theristro lineo coquinæ sordibus apto. Plus autem in tali integumento delectatus est, quàm si stola sacerdotali fuisset amictus. Et factus est exemplum humilitatis & abiectionis omnibus, qui in domo erant, tradens se perfectæ mortificationi pro amore crucifixi. Exijt autem fama bonæ conuersationis eius ad aures extraneorum; & mirabantur multi magnates, quòd dines quondam ille mercator, nunc effectus est paupercculus coquus, & humilis frater. Nam qui priùs proposuerat per scientiam ascendere ad ecclesiastici ordinis dignitatem, postea omni culmine honoris & cuiuscunque dignitatis fastu relicto, nouissimum quæsiuit locum, Christum imitando; qui humiliauit semetipsum, formam serui accipiens, discipulis suis ministrando.

4. Præparauerat autem sibi quædam preciosa ornamenta sacerdotalia, cùm adhuc esset secularis, quæ aureis imaginibus intexta erant, tam pulchra, vt cathedralis Episcopus vel Abbas regalis potuisset ea cum honore deferre. Sed spiritu Dei salubriter informatus, omnia ista postposuit & abiecit; & vendens alijs casulam cum cappa serica, ipse pānis vilibus, nigra tunica & grisea toga inuestitus est, ad seruiendum in coquina. Maximas igitur gratias Deo referebat, quòd se ad huiuscemodi ministerium vocasset, nec cum multis in seculo perire permisisset. Dixit ergo aliquando cum magna iucunditate cordis ad fratres: Nónne magnus sacerdos factus sum & prælatus, qui omni die bis communico fratres: significans in hac parabola, quòd tam manè quàm vespere prandium eis præparabat, & Christum in singulis fratribus reficiebat.

Oeconomus velut quidam sacerdos.

5. Sæpe namque inuentus est flexis genibus orare circa ignem, & cum ollam manu congereret, ore deuotè psallebat. Fecit de coquina oratorium, sciens vbique esse Deum; & de igne materiali, excitauit spiritualem feruorem. Quæ in Ecclesia audiebat cantari, hæc postea inter opera sua dulciter ruminabat. Sicque Deum mente gerens, foris practicauit coquendo; intus verò vacabat cælestia meditando, nullum tempus infructuosè ducendo, nec interna exercitia sua negligendo. Cibos fratrum tempestiuè & solicitè studuit parare, quia magister cocorum fuit, nil tamen superfluitatis introduxit; sed meliora alijs tribuens, viliora ipse sumebat. Tres Sanctos speciali deuotione sibi præelegit, sanctum sci-

scilicet Alexium, qui in domo paterna diu in peregrino habitu latuit, & multa despectiua à propria familia patienter sustinuit. Item sanctum Franciscum pauperratis amatorem, qui nihil terreni in hoc mundo possidere voluit. Item sanctam Elizabeth viduam, quæ misericordiæ visceribus affluens, omnia pauperibus distribuit, & omnes mundi diuitias atque honores, tanquam stercora despexit.

6. Semel loquebatur cum socio suo de sancta paupertate: & cũ tanto feruore verba eius sonabant, quòd ex gestu corporis & alteratione vultus, totus videbatur interiùs inflammatus. Quodam die sacro, cùm quidam clerici venissent ad eum de schola, cœpit eis dicere aliqua bona, & inter cætera hæc ait: Bene inuenimus in euangelio scriptum: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; sed nullibi legimus: Beati magistri artium. At illi obstupescentes de nouitate verborum, cum multa reuerentia eius verba sumpserunt. Quibus etiam declarabat sententiam suã, quia sine humilitate scientia non prodest, sed paupertate spiritus (id est humilitate) regnum Dei veraciter obtinetur. Nam & humilitas nunc inuenit gratiam apud Deum, & vitam æternam in futuro. Erat autem valde pius & misericors erga pauperes alendos, & præcipuè qui Deo seruire cupiebant. Et cùm quidam dicerent, quòd per plateas mendicando parum acquirerent; satis mirabatur, quod multi diuites tam tenaces essent, nec pauperibus largiter darent; qui sine magno detrimento sui, possent opera misericordiæ exercere, & maxima præmia à Deo recipere.

7. Volens igitur probare, quod pauperes dixerant, exijt die quadam sero iam facto, in specie pauperis mendicare panem cum socio sibi deputato. Et clamabat ante fores, dicens: Detis cuidam pauperi peregrino aliquid propter Deum, qui libenter esset in Hierusalem. Non signauit Hierusalem terrenam, quæ occidit Christum & prophetas: sed cælestem patriam, quam inhabitant ciues Sanctorum & Angeli Dei; ad quam suspirauit pauper iste peregrinus Ioannes, corpore interim elongatus à cęlesti Hierusalem, mente verò quotidie tendens ad illam. Audiens hanc vocem clericus quidam intraneus, surrexit citò aperire ianuam, vt sciret, quis esset iste peregrinus. Et currens post eum, quæsiuit, dicens: Quis es tu, qui taliter petis? At ille cupiens latêre, tacuit, sed victus precibus ait: Ego sum. Tunc ex voce ipsum cognoscẽs, respondit: Es tu Ioannes Kessel? Mendicas nunc panẽ? Vnde venit istud? Dixit ergo Ioannes: Taceas, ne facias inde plura verba. Est bona & pia causa. Clericus verò rediens in domum, narrauit domesticis suis, dicens: Mirum, mirum quod vidi, Ioannes Kessel cocus domini Florentij ostiatim quærit panem. At illi signo

crucis se signantes obstupuerunt, dicentes: Quid iam prætendit ille bonus homo? Et hæc inter se conferentes, ædificati sunt exẽplo Ioannis, & quibusdam secretè recitauerunt, quæ gesta sunt. Sed Ioannes domum reuertens, eleemosynarum fragmenta cum magno gaudio portauit in coquinam, & ostendit domino Florentio & fratribus benedictionem sancti panis, quem pro Deo rogauit. Gauisus est autẽ dominus Florentius, de deuotione humilis coci sui, & ait: Ioãnes da nobis partem de eleemosyna tua. Qui respõdit: Libenter dabo vobis inde comedere, sed volo iterum pauperib. de nostris panibus prouidere; quia pauperes non debent sua perdere, sed etiam ampliora recipere. Tũc datum est fratribus aliquid de eleemosynis illis in prãdio, & Ioãnes accepit integros panes ex promptuario, ad dandũ pauperibus pro Deo, sicut ipsi commissum erat, & facta est lætitia magna in domo illa.

8. Quodam tempore exijt manè haurire aquam de flumine iuxta portam piscium. Intrans autem in nauem cuiusdam piscatoris, vt aquam mundam hauriret, superuenit piscator, & ait: Quid hic habes agere? Exeas citò de nauicula. Tunc ille ferens patienter verba increpantis, omisit haurire aquam, ne hominem offenderet. Videns autem vir ille, quod esset bonus frater, & nihil dicens recederet, misericordia motus est, & ait: Venias huc ad me, & des mihi vasculũ tuum. Et hausta aqua reddidit ei, dicens: Eas nunc in pace. Qui regratians benefactori suo, reportauit aquã in hydria orans deuotè in via, sicut semper facere consueuit, quando pro negocio aliquo exibat. Sciens dominus Florentius ipsũ esse virum virtutis, & ad tolerandũ aduersa fortiter animatum, sæpius eum de negligentia redarguit, culpam ipsi imponens vbi culpabilis non fuit; volens in hoc patientiam eius probare, & alijs ad exemplum monstrare.

9. Cùm igitur quidam pulsarent ad fenestram coquinæ, & alij ante ianuam, festinauit Ioannes respondere singulis pro necessitatibus opportunis. Et illo huc illuc discurrente, pulsauit dominus Florentius manu sua super mensam, vt illi aliquid apportaret, quasi necessitatem haberet. Quo parum tardante propter occupationes, dixit pius pater seriosè ad cocum suum probandum: Quamdiu sedebo hic te expectando? Ad hæc bonus cocus mãsuetè respondit: Adsum charissime, & portabo quod placet, Ignoscas quæso tarditati meæ. Dixit etiam interdum sic ad eum: Quomodo sapit istud sic? nescis melius coquere? Fortè fratres possunt murmurare, quod debent male coctos cibos tuos comedere. Ille vero patienter increpationem audiens, & negligentem se cõfitens, Libenter, inquit, me emendabo. Cui dominus Florentius: Sæpe hoc dicis, sed parum proficis.

10. Alia

10. Alia quoq; vice, transeunte domino Florentio per coquinam, venit post eum Ioannes, & flexis genibus traxit fimbriam vestimenti eius, veniã petens. Ad quẽ respiciẽs, ait: Quid est modo? Tunc ille: Ego fodi aliquid ex amphora in cellario. Cui rursũ durius respondit: Sic sic destruis res nostras, vnam frangendo, & alterã fundendo. Et statim auersa facie clausit ostium coquinæ, dimittens cocum in genibus procumbentem. Qui omnia humiliter sustinens, surrexit de terra, nihil cõquestus inde quasi iniuriã passus, sed sine hæsitatione optime sensit de patre sancto, qui eum increpauit pro vtilitate sua. His & alijs multis modis, probauit eum frequẽter dominus Florẽtius, quẽ specialiter vtiq; dilexit, & corde veneratus est propter fidelitatem eius & paupertatis amorẽ, de qua sæpius loquebatur cum eo in coquina. Et quãuis magnæ literaturæ non esset, habuit tamen ingenium bonum ad intelligendum scripturas, sciens cautè discernere inter vitia & virtutes, & efficacia remedia dare tribulatis & tentatis.

11. Libenter legit in sacro codice tempore sibi vacante à labore, non vt doctior fieret ex scientia inflante, sed feruẽtior in charitate ad opus redderetur. Diligenter aduertit ad lectiones in mensa, colligens ex paucis verbis multa: & quod illi denegauit altitudo Latini semonis, suppleuit virtus obedientiæ, & frequẽs meditatio beneficiorum Dei. Vnde desideranter studuit in vita Domini nostri Iesu Christi, trahens ex eo totius vitæ suæ regulam, & propter eius amorem, amplexatus est infimum statum, & viliorem cibum, atque vestem pauperiorem. Cum legisset aliquando librum Ioannis Climaci de perfecta abrenunciatione sæculi, & mortificatione propriæ voluntatis, protulit exinde sẽtentias spiritu plenas, vt docti viri de hoc mirarentur, quod tam bonum intellectum illius libri haberet.

12. Ante paucos dies obitus sui, requisitus est vt diceret, si quid emendatione dignum in domo sciret, quia fratres libenter se emendare vellent. Tunc respondit fidelis amator pauperum, dicens: In tribus optarem emendationem nostram. Primò, vt parciùs comederemus, & pauperibus amplius daretur. Secundò, vt meliora ornamenta venderentur, & precium pauperibus largiretur. Tertiò, quia multos libros habemus, vt aliqui venderentur necessarijs retẽtis, & pauperibus melius subueniretur. His dictis, dominus Florentius congaudens deuotioni & miserationi eius, dixit: Ioannes, valde bonum est, quod dicis. Tẽpore infirmitatis eius, venerunt quidam pauperes clerici, vt eum visitarent. Quos ille intuens oculis misericordiæ, ait: O dilecti pauperes mei, iam de cætero non potero vobis aliquid dare. Commendo vos Deo, vt vobis prouideat in bono. Inter plura humilia exercitia hoc in

vsu habuit, vt omni sabbatho in memoriam mortis suæ, longũ linteolum seu kedellum portaret,& in eo coquere tunc consueuit, petens & desiderans in eodem post mortem sepeliri. Quod & factum est. Nam Matthias de Machlinia, qui socius eius erat, fecit vestem illam lauari, vt in ea sepeliretur, sicut desiderauit.

13. Igitur multis bonis virtutum fructibus repletus seruus Dei Ioannes cocus, ex hac vita iam migraturus,cœpit infra octauam Pentecostes apostemate tactus infirmari, & ad sequentem vitæ transitum se disponere. Cui hoc etiam ad magnum meritũ creuit, quod antequam infirmaretur, curam pauperum clericorum & infirmorum, ex obedientia & charitate de nouo susceperat, cupiens eos visitare & necessaria solicitè eis ministrare. Sed præuentus est infirmitate, & dulcedine visitationis Christi mirificè consolatus. Nam dominus Amilius, qui ipsi in infirmitate fideliter astitit,& continuè ministrauit; quadam die de summo manè ad eum visitandum accessit,& quærens si aliquid vellet,de licentia eius ecclesiam intrauit missam auditurus. Qua finita redijt ad infirmum. Cui Ioannes: Placétne mecum diuidere missam in charitate, quam audisti? Respondit Amilius: Libenter tecum totum diuido, & tribuo in charitate,dilecte frater. Ad quem Ioannes: Frater mi, Dominus noster Iesus Christus interim me visitare dignatus est. Tunc Amilius hoc audiens, dixit: Quò abijt quæso? Qui respondit: Statim quando aperuisti ianuam, disparuit. Gauisus est ergo Amilius,& gratias agens, Dominum benedixit. Et hæc mihi postmodum enarrauit.

14. Tentauit etiam Satanas seruum Dei decipere & terrere, ita dicens ad eum: Recipe bursam tuam fœtide mercator. Existimas tu, quòd pecunia tua possis emere regnum cœlorum? Humilis autem Ioannes intelligens hostis malitiam, intra se tacitè dixit: Non de me præsumo, sed de misericordia Dei, & in meritis Sanctorum. Sicque inimicus totaliter confusus abscessit, & Ioannes diuinæ misericordiæ fiducialiter se commisit. Deuotus igitur famulus Christi, ad orationem intentiùs se conuertit; & inter alia psalmodiæ cantica, hæc verba ruminauit: Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Amilius verò sedēs ad lectulum eius aurem apposuit, vt de ore agonizantis aliquid amplius audiret pro bono memoriali, sed præ raucitate infirmæ vocis intelligere non valuit.

15. Tandem diu agonizando,& contra vim mortis desudans, inter deuotas fratrum preces, qui conuenerant, spiritum vitæ exhalauit beato fine in seruitio Christi consummato, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octauo; sabbato quatuor temporum post Pentecostē, die Petronillæ Virginis. Cuius corpusculum

pusculum reconditum est in cœmeterio apud sanctum Lebuinū, vbi & plures fratres post eum defuncti, in pace Christi requiescunt, per Christum in nouissimo die cum fidelibus cunctis resuscitandi. Sit laus & gloria Christo, de tam deuoto viro & humili coco; qui breui annorum curriculo & labore exiguo, sortitus est (vt piè credimus) maxima præmia in cœlo. De quo venerabilis pater dominus Ioannes Huesden prior in Wyndesem dignum testimonium reddidit, dicens: Vtinam cum tali viro, & in tali statu, mori mihi contigisset.

Deuotum exercitium eiusdem fratris Ioannis.

16 QVid retribuam tibi Deus æterne, pro omnibus quæ retribuisti mihi? O dilecte Ioannes miserere tui ipsius, & pensa cum magna diligentia & omnibus viribus tuis præteritam vitam tuam; quid fuisti in sæculo, quid adhuc es, & quid prometuisti. Cogita inæstimabilem bonitatem dilecti Domini Iesu Christi, quam tibi vltra tam multos homines exhibuit; pensa quàm grauiter vltra alios te iudicabit, si te non emendaueris. Sta in timore, & cogita quòd ille, qui tam benignè tibi pepercit, forsitan diutius parcere nolit.

17. Pone in corde tuo, quòd hodie vel vt longissimè eras sis morituras, & quorsum perges? Væ mihi Deus æterne, quò fugiã à facie iræ tuæ, quia peccata mea existunt super arenam maris? Veruntamen scio verissimè, quòd nihil ita tibi displicet sicut desperare, & quòd non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam. Dic ergò ad eum, in gemitu cordis tui: Aspice in me miserum peccatorem, immensa pietas Dei; cõuertere ad me iniquum hominem, patens misericordia. Ecce ego desolatus, venio ad omnipotentem; vulneratus, curro ad medicum: Serua solitam pietatẽ tuam, qui tam diu gladium vindictæ suspendisti. Dele numerum iniquitatum mearum, multitudine miserationum tuarum. Multa alia potes etiam cogitare de misericordia Dei, sicut de Dauid, de sancto Petro & S. Paulo, de Maria Magdalena, & publicanis & alijs multis peccatoribus: prout manifestè in tota vita Christi patet, quàm misericors extitit erga pœnitentes, qui ad eum accesserunt: In quibus non ponderauit, quam multum peccauerunt, sed quantum amauerunt.

18. Quapropter, si ad istam dilectionem debeam peruenire, tunc summè mihi necessarium est, quòd respiciam fragilitatem meam; & quòd in veritate sentiam, quòd ex meipso nihil boni possum: atque incessanter præ oculis habeã magnitudinẽ Dei, & fidelitatem eius: & mei ipsius paruitatẽ & infidelitatem ad ipsum, in quibus multa considerandа sunt. Nam si rectè hæc attendo,

perducent me ad subiectionem omnium hominum, & ad meipsius contemptum, ita vt etiam desiderem contemni. Sed istud oportet veraciter sedula cogitatione exerceri, sępius inuocando Dominum, à quo vtique venire oportebit. Si igitur ad istam humilitatem & ad hanc dilectionem debeam peruenire, necessariũ est mihi, vt habeam quotidianum exercitium & regulam, quæ me ad ista perducant. Itaque secunctum dicta Sanctorum, necessarium mihi est pręterita peccata mea aspicere, & ea ante oculos semper habere, & multum niti ea ponderare. Et istud valde supprimet me & humiliabit, & defectus fratrum meorum ac aliorũ hominum non magnipendam, nec leuiter iudicabo, sed cũ compassione ad meliora traham. Et hoc expedit mihi, vt pro isto laborem, & caueam aliorum facta vel verba curiosè inuestigare: & vtique fugiam detractionem, & si audiero quid, nitar excusare, & seorsum ponere & abijcere. Multum etiã me iuuabit, quòd considerem virtutes fratrũ meorum, de quibus existimo, quòd maior pars nunquam mortale commisit: & è contrario recensęam magnitudinem peccatorum meorum: atque ita inueniam, quod non sum dignus inter eos conuersari, nec ipsis seruire, sed habeam eos in reuerentia, & sperem quòd per bona opera eorum & orationes perueniam ad vitam æternam.

19. Est etiam mihi necessarium, quòd omni tempore præ oculis habeã Dei præsentiam, & quotidie nitar ab intra aliquid boni cogitare in opere meo: & singulariter sequi cupiã illud dignissimum speculum, vitam Domini nostri Iesu Christi, eius humilitatem, eius pietatem, eius patiẽtiam, eius despectionem & paupertatem, & specialiter eius charitatem: & multum nitar vnumquemque hominũ, sicut Dei imaginem aspicere, & omnia opera mea sic traham, quasi Christo faciam: & istud multum alleuiabit opus meum, & beneuolum me singulis præbebit. Conabor etiã, vt orationem meam attente & sine festinantia legam, & frequẽter in labore & opere meo, genua mea flectam, & modicum breuiter cum attentione orem. Omni mane tertia hora audiens cãpanam, surgere debes absque mora, & statim aliquid boni cogitare cum gratiarum actione de misericordia Dei & de tua miseria, & quòd Deus ibidem præsens sit, & Angeli & Sãcti: & aduerte quid legis, & ad quem loqueris. Flecte genua, vel sede honestè sine acedia & reclinatione ad vnum vèl alterum latus: & ita semper ages, dum oras. Finitis matutinis vel primis, lege sacram Scripturam: & si opere deprimeris, modicũ ex studio tuo scribe. Quinta hora signata, pertracta, si aliquid agere habes in coquina, si nihil ibi agẽdum putas, claude coquinã, & liga libros: aut si aliquid aliud tibi cõmissum est, hoc age, donec tẽpus sit intrandi

coquinam. Dum compulsatur ad missam, incipe legere tertiam flexis genibus in domo vsque ad psalmos, & lege consequenter in via eundo ad ecclesiam, quod restat.

20. In ecclesia sedeas rectè super genua tua per totam missam in aliquo angulo, & cogita de vita & passione dilecti Domini nostri Iesu Christi secundum consuetudinem tuam. Finita missa incipe sextam legere in ecclesia vsque ad psalmos: deinde reliqua cũdo per viam. Cùm de ecclesia reuersus fueris in coquinam, ora primò modicum, & propone in corde tuo qualiter te velis habere per diem, & in quibus punctis tibi necessarium est te emendare, & ad hoc fortiter conare, habendo præ oculis, vt prędictum est, illud diuinum speculum vitæ & morum dilecti Domini nostri Iesu Christi, & quòd ipsi ministras, & non hominibus. Inter laborẽ & opus tuum, debes sæpe breuiter orare flexis genibus cum attentione, & specialiter ad signum campanæ, & quando in ecclesia pulsatur ad eleuationem sacri corporis Domini Iesu Christi. Coge te sæpius aliquid boni cogitare inter laborem tuum, videlicet de beneficijs Dei, de regno cœlorum, de iudicio, de morte, & quando aliquis pulsat ante coquinam, vt des responsum bonũ. Et si habes tempus, stude parũ in excerpto tuo.

21. Quemcunque de fratribus in domo, aut extra domum videris, illum aspice tanquam Christum: & præcipue illos, qui curã domus gerunt. Et si aliquid à te desiderant, hoc lęta facie citiùs age. Antequam incipias comedere, lege Benedicite: & aliquid boni inter prandium studeas legere vel meditari: & caueas ne nimis festinanter edas, & à delicato cibo pel potu: nec sis diutiùs quàm fratres in mensa, & citò surge cum aliquis inter prandium pulsat, qui mensę ministrat. Facto prandio, debes lectori de calido cibo prouidere, & sicut fratres habuerunt. Et interim lege gratias, & residua cibaria repone, & vasa coquinæ singula ad loca sua quanto citiùs vales. Cùm veneris ad Cameram prandio completo, statim lege nonam, ac deinde fac opera, & labora vsque ad secundum pulsum vesperarum apud fratres minores, nisi aliquid aliud habueris agendum in domo vel foris, & tunc lege vesperas tuas. Et si amplius de tempore habes, cogita vel stude aliquid boni, vsque dum quarta hora signata sit, & tunc intrabis coquinam parando fratribus cœnam. Cœna autem facta pertractabis de crastino die, quid tunc infirmi & fratres comedere debeant, & cum res in coquina dispositæ fuerint, tunc vade ad cameram, & lege completorium tuum, & postea potes studere & aliquid boni agere, donec octaua hora signetur.

22. Post octauam horã debes scribere defectus tuos, & cogitare aliquid boni de materia sancta, & orare aliquid cũ inuoca-

tione Sanctorum, & cum istis ire dormitum circa horam nonam, & niti cum sanctis meditationibus obdormire. Et dum experrectus fueris, cogita statim de materia deuota, cum quibus iterum dormire queas. Ante omnia istâ debeo præponere obedientiam, ita vt quicquid rectores domus iusserint, vel aliter contuluerint, quam ego concepi, statim in illis me relinquere volo, & citò facere quod ipsi desiderant, & niti nullam rem nec vllum opus cum inordinatò amore possidere, & sic faciliùs me relinquam. Debeo etiam niti, vt habeam eos in reuerẽtia & honore, qui sunt custodes & procuratores domus, & multum præcauere, ne vllam durã cogitationem neque suspicionem super eos acquiram: sed piè & simpliciter facere quod volunt, sine iudicando & perscrutando, quare hoc vel illud mandent: & habere vtique præ oculis meam simpliciratem, & quod non sum sapiens, & eorũ sapientiam magnam reputare. Et vtiq; ante oculos tenere, quòd meipsũ eis resignaui in loco Dei, & meipsius non sũ, ad quod ramẽ meipsum ex voto non obligaui, sed ex libera meraq; voluntate & proposito: quia spero, quòd mihi salubre sit taliter stare, & non facere secundum meum videre & velle. Et ideirco volo cogitare mecũ, propter quid, & multum eos rogare, vt velint me deprimere.

23. Insuper debeo niti, vt in omnibus operibus meis, ac verbis, & cogitationibus, Deum plus timeam quàm homines; vt quicquid facio, hoc purè sit ad honorem Dei, & ad ipsi soli placendũ. Et in quacunque re excedo, vt in illa Deum plus formidẽ offendere, quàm homines. Et vtique me custodiam, à iactantia & appetitu ostentationis & laudis coram hominibus. Sed & multũ nitar ad silendum, quod me notabiliter iuuabit ad multa. Et quòd loquar cum prouidentia. Et interdum legam vnum Aue Maria antequam loquar vel respondeam, nec res magis dicam, quàm sint, & caueam dissolutionem & multa verba & sonorosa, specialiter in coquina, & alios de istis studeam admonere, qui horum quicquam fecerint. Et multum niti esse solus vbicumque possũ, & introrsum armatus, & quod vtiq; nunquam sim ociosus, & caueam detractionem loqui vel audire. In officio tibi cõmisso eris diligens ad custodiendũ res bene exterius & in hoc sis obediẽs, atque vnicuique benignus appareas, specialiter cibos infirmorũ procurando, & maximè domini Florẽtij, qui penè quotidie debilis est & infirmus. Vt omnibus hospitibus sim beneuolus, recipiẽdo eos tanquam Christũ: sed non multũ cũ eis loquẽdo. Et vt respiciam bene ad pauperes, & in his tantum agã, quantũ mihi est commissum pro posse meo: ita vt habeam eos in reuerẽtia, & exhibeam eis benignitatem: & res mihi commissas, bene custodiã.

24. Quãdo foras exeo pro negocio, vt tunc nitar oculos meos

bene

bene custodire, & aliquid boni legere vel cogitare in platea; & quanto citiùs possum domum reuertendo. Sæpe etiam nitar reuelare tentationes meas, & ad minus inter octo dies, vni de defectibus meis conqueri, & remedium inde accipere, & niti me semper reum dare, & contra nullum arguere. Et si aliquid frango vel negligo, pro illo volo libēter veniā petere. Volo etiam cauere à multa prægustatione cibi sine necessitate, & à potatione extra tēpus prandij sine licētia superiorum, & vt non faciam aliquid post tergum eorum, quod non auderem facere in eorum præsentia. Multum etiam debeo niti omnia despectiua & humilia opera facere, & Matthiam & Ioannem fratres nostros inde reuelare vbicunq; possum, & habere eos in reuerētia, & ostēdere me beneuolum ad eos, & promptū ad omne humile opus coadiuuandū.

25. Cauebo mihi, quòd non percipiatur à me querimonia de vestibus, de cibis, aut his similibus: sed potiùs nitar sentire, quòd non sum dignus istis, quibus indigeo. Debeo etiam niti studere libris, qui me ad ista adiuuent, & totum studium meum ad ista trahere: & niti moderatè me habere in eundo, stando, sedendo, & in consimilibus. Est etiam mihi vtile, vt magna reputem exercitia domus istius, super omnes alias domos: & vt habeam magnum affectum, in opere meo in coquina: & magnum propositū in hoc statu mori, & pro nulla re mihi aduentura, ab isto velle separari, salua semper obedientia. Et vt in hoc magnam habeam fiduciam, ad amantissimum Dominum nostrum, quòd omnia peccata mea velit cum isto indulgere mihi: & de omni opere quantumcunque paruo, speciale præmium largiri. Et licet multa alia bona opera sint, quæ maiora & sanctiora sunt, quod tamen propterea non discedam ab opere meo, sed firmiter maneam super hoc, & confidam, quòd mihi nullum opus salubrius nec vtilius est, quam hoc, ad quod me Dominus vocauit. Insuper volo omni die post octauam horam me examinare, in omni huiuscemodi modo, & videre, in quo amplius excessi, & spero fortiter proponere, de cætero in hoc me vtique emendare.

VITA ARNOLDI SCHOONHOVEN (ID EST BELLÆ CVRIÆ) DEVOTI CLERICI.

1 CVm Dauentriensis ecclesia reuerendi patris domini Florētij floreret præsentia, & multi de diuersis partibus scholares Daventriam intrarent propter doctrinæ studium, venit illuc quidam de finibus Hollandiæ bonæ naturæ iuuenis, expers malitiæ

secularis, Arnoldus nomine, filius Wironis, viri fidelis & honesti, ciuis Schoōhouiæ ciuitatis. Hic igitur dū adhuc in domo parentū esset, & scholas cū sodalibus pueris frequētaret, nō est secutus itinera ludentium in plateis, sed solitus erat manè ecclesiā intrare, & ibidē ad singula altaria orationes & vota sua Deo offerre, tradens cor suum diluculo ad Dominū, qui fecit illū. Hæc autem primordia tā deuotę pueritiæ, fuerūt quædā indicia amplioris gratiæ promerendæ in virili ætate. Nam Deo ipsū protegente, à cōtagione carnis permānsit immunis. Ingressus ergo (vt dixi) opidū Dauētrienſe magistro Ioanne de arbore tunc regēte, præsentauit se obtutibus domini Florētij, ad habendū hospitiū in domibus deuotorū clericorum, quorum non parua multitudo in diuersis domibus, sub cura & disciplina deuotissimi patris viuebat, sactis dominicis obediendo consilijs ac præceptis, & nihilominus scholasticis libris insudando temporibus certis.

2. Gernens itaq; dominus Florentius Arnoldū ad seruiendum Deo feruenter affectatū, atque à seculo totaliter auersū cōcessit ei mansionē in antiqua domo sua, vbi plures clerici numero ferè viginti in cōmuni bursa stabant, vnā cōmunem mensam & sumptum habentes, & in magna deuotione Domino famulantes. Inter quos tres erant laici, vnus procurator, qui necessaria emebat, alius coquinæ præfuit, tertius vestes sarciebat. Ex illa domo post ea quidā ad ordinē canonicorū regularium transierunt, quidam ad sacerdotalem gradum peruenerunt, fructum alibi facientes de bonis exemplis, quæ Dauentriæ didicerunt & viderunt.

3. Eodem tēpore, adiuuante domino Florentio & cōsulente domum illam inhabitare cœpi, & ferè per annū in congregatione illa cum Arnoldo permansi, simul vna camerula vnoque lecto ambo cōtenti. Ibi quippe didici scribere, & sacrā Script. legere, & quæ ad mores spectant deuotosque tractatus audire. Ad seculi quoque contemptū fortiùs animabar maximè, dulci conuersatione fratrū, & pia admonitione Arnoldi quotidie adiutus & instructus. Quicquid tūc scribendo lucrari potui in sumptus communes tradidi, & quod mihi defuit, larga pietas dilecti domini mei Florentij pro me persoluit, & paternè in omnibus subuenit.

4. Multa igitur deuotionis signa in Arnoldo notaui, quia multū exēplaris & deuotus fuit, tam in domo quā in scholis. nulli molestus nec amarus, sed omnibus gratus & benignus. Omni manè hora quarta, cāpana signacula dāte, statim euigilās alacriter surrexit, & flexis genibus ante lectulū breuiter orauit, primitias oris sui Domino feruidè libans. Deinde celeriter se vestiēdo, ad locū orationis pro matutinis B. Mariæ virginis & sāctę crucis legēdis, tēpestiuè processit, nō faciēs moram alijs, sed cunctos præuenire

sata-

satagebat. Ad missam iturus festinauit esse cum primis; flectens humiliter genua circa altaria audiendo officium Missæ cum supplici reuerentia, nec cessans ab oratione & meditatione sacra, donec missarum solemnia essent ritè finita. Amabat autem locũ secretum à turbis remotum, ne impediretur in orãdo: & tanto feruentius tunc orabat, quo secretius existebat. Fugiebat hominum aspectus, ne in aliquo notaretur esse deuotus. Cauebat quoque, ne vox sua audiretur foris, quia in priuata oratione soli Deo volebat esse apertus. Sed tamen non semper ita latêre potuit, quin ardens lampas vel inuita foras crepitaret.

5. Accidit ergo aliquoties, me ipsi assistente latêter, vt eo orãte cautè aduerterẽ, quid ageret, atq; per illius feruorẽ, ad peccandũ accensus fui, optãs talẽ deuotionis gratiã quandoq; sẽtire, qualẽ ille ferè quotidie videbatur habere. Nec mirũ, si deuotus in orãdo fuit, qui solicitus custos cordis & oris extitit, quacunq; trãsisset. Nã & ex magna deuotionis dulcedine, sonus iubilationis in eius gutture audiebatur, quasi cibũ suauissimũ degustasset, iuxta illud psalmistę verbũ: Exultationes Dei in gutture eorũ. Sedẽs in scholis cum pueris, nõ aduertit clamores pueriles, sed legẽte magistro, scribebat lecta in papyro: postea repetẽs ea per se vel cum socio, fabulas vanas deuitãs. Nõ se fudit ad externa, sed lectione firmata modicũ legit in pagina sacra, sæpe tacitè orãs, aut intimè suspirãs, Deũ in studio suo præcipuè quærẽs. Si quid notabile inueniſſet, hoc assidẽti socio charitatiuè ostẽdit, vel ad legẽdũ tradidit: sicq; verbis sacris & bonis alloquijs, multos à scurrilitatib. & risibus abstraxit. Festiuis diebus cõplures frequẽtantes, cuiuscunq; ætatis vel artis fuisset, secum ad domũ domini Florẽtij pro audiẽda collatione duxit, gaudẽs & sperãs de cõuersione aliquorum. Et Deo inspirante nõ est fraudatus à desiderio suo, quia vidit fructum laborum suorum in emendatione morum secularium iuuenum & seniorum. Sermo eius & exhortatio, non de altis materijs, nec de extraneis rebus, sed de vera conuersione ad Deum, & correctione vitæ sæcularis extitit. Et plus in bona simplicitate oris deuoti, quàm in sublimitate sermonis Latini profecit.

6. Postquam ergo competenter literatus videbatur, reliquit scholasticalia, & contulit se pleniſſime ad spiritualia studia: domum, parentes, ac patriam suam obliuiscẽs pro vita æterna, prõptissimè se subijciens iugo obedientię, & clericorum disciplinæ, secundum laudabiles cõsuetudines domus antiquæ, à deuotissimo patre domino Florentio primitus ordinatas. Nõ magnopere laborauit pro multa scientia habenda, sed pro bona conscientia & puritate cordis seruanda, sciens mundos corde beatos esse, & Deo gratissimè placere. Cœpit autẽ instare & feruẽter rogare, vt

in

in domo domini Florētij posset habitare cūctis diebus vitæ suæ, non affectans alium statum in toto mundo, quàm talem vitā cū tā deuotis & Deo dignis fratribus ducere, sub strenuo magisterio & obedientia patris summè venerandi. Adhuc enim viuebāt in carne, quos supra memoraui, dilecti domini Florētij discipuli & alumni deuotissimi, dominus Lubertus, dominus Henricus, dominus Gerardus, dominus Amilius, dominus Iacobus & Ioānes Kessel; cum alijs primitiuis fratribus in domo illa plantatis, Christi amore feruentibus, & proximis suæ lucis exempla monstrantibus: quorum humili consortio & sinceritati vitæ charissimus frater Arnoldus sitiebat copulari: felicem se existimans, si cū his Florentigenis, cælibem vitam in terra agentibus, mereretur toto tempore mortalitatis suæ conuersari. Illo igitur persistente in prece, distulit dominus Florentius desiderium eius exaudire, vt probaretur meliùs, ita dicens ad eum.

7. Discas bene scribere, & tunc spes erit de te. Quo audito, tota diligentia nitebatur scribendi artem addiscere; sæpe vadēs ad quendā bonum scriptorem, & petens ab eo plenius informari. Et dixit mihi: O si scirem bene scribere, vt possim citiùs cum domino Florentio habitare! Spero, quòd bene per gratiam Dei vellem passiones meas vincere, si tantummodo scribere scirem. Et cùm hæc audissem, miratus sum probitatem eius & feruorē: quia omni conamine satagebat agere, quę dominus Florētius dixerat. Et ego versa vice cogitaui mecum, dicēs: Bene vellem addiscere scribere, si scirem me bene emendare. Verū ipse gratiam Dei specialem habuit, quæ eum ad omne opus bonum instruxit, vt nil ei graue ad obediendum videretur. Quam gratiā exercitijs deuotis enutrire & orationibus sedulis seruare conabatur, ne in vacuū gratiam Dei recepisse argueretur. Igitur antequam in codice legeret, vel scribere inciperet, breuiter orauit, mentem suam eleuans ad Deum; similiter & in fine operis sui fecit, gratias agendo. Exiens domum vel rediens ad cameram, corā imagine Christi genua flexit; & orans atque inclinans, ad opus suum accessit.

8. Ad singulas horas cū campana signaret, Aue Maria, vel quid simile legit. Cum adhuc scholas frequēntarer, si ianuam ecclesiæ apertam vidisset, quantū tempus permisit, libenter ante vel post exitum scholæ ecclesiam intrauit, vel ad minus versus ecclesiam inclinauit. Consuetudines bonas à senioribus impositas, solicitè obseruabat, nil quamlibet minimum scienter prætermittens. Admonitiones de qualibet re parua sibi intimatas gratāter accepit, studiosè emēdare curauit. Omne verbū à superiore suo aut eius vicario dictū, ita humiliter accepit, quasi ex ore Dei vel alicuius sancti audisset. Sed nec discutere vel dijudicare audebat, aliter in-

interpretando quàm dictum erat. Idcirco magnam pacem intus habuit, & tam Deo quàm hominibus charus fuit, & quasi semper lętus in Domino ad omnia iussa sponte paratus.

9. Ante festiuitates Christi & Sanctorum, cū magna intentione ad sacram cōmunionem se studuit præparare, & dicebat: Iā magnum festum instat, præparemus nos deuotè ad suscipiendū Dominum. Item, hodie est festum istius Sancti, imploremus feruenter eius suffragium.

10. Loquente quodam iuuene cum domino Florētio de vitio vanæ glorię, & remedia postulante, superuenit Arnoldus transiēs ante illos. Quem videns dominus Florētius, ait iuueni: Quid dicis de isto fratre? Habet ipse etiam vanā gloriam? Respōdit iuuenis: Existimo, quòd non. Cui dominus Florentius: Bene credo sic esse, vt dicis. Postquam ergo ferè per annum affectus Arnoldi protractus esset, & sufficienter probatus, & tamen constans permaneret, & longanimiter expectaret fraternitatem sibi concedi; acquiescens dominus Florentius petitionibus eius, assumpsit eū, dans ei locum inter fratres: quod ei erat lætissimum, & de eo maximas gratias Deo referebat. Tunc quasi de nouo conuersus, & in perfectiorem statum vocatus esset; ita feruenter & humiliter conuersari studuit, vt fieret omnibus exemplum virtutis & sūmę subiectionis; nihil laxans à deuotione pristina & consuetudine bona, ab antiquioribus domus illius fratribus sibi tradita. Toto corde apprehendit disciplinam, quotidianis renouationibus se exercendo ad virtutes, secundum illud Apostoli; *Renouamini autem spiritu mentis vestræ.* Excussit à se torporem, alacer ad vigilādum & orandum; multum diligens ad scribendum, & negligentes bono zelo inducens piè & charitatiuè admonendo. *Ephes. 4.*

11. Præter voluntatem rectoris sui non videbatur alia voluntas in eo viuere; illius facta & dicta magnificando, & tanquam cælitus emissa humiliter ea amplectendo. Et sic non solùm in iuuentute sua, sed vsque ad vltimum vitæ, tanquam innocēs puer permansit obediens & subiectus. In vestitu quoque, in sermone & moribus suis, humilitatem & verecundiam exhibuit; trahens semper ad meliorem partem, si quid insolens vidisset, aut defectuosum percepisset. Infimum locum quærebat, non fictè sed ex animo. Et sicut aliqui grauantur in humiliationibus; sic ipse grauabatur in supportatione humiliationis. Iucundus erat inter fratres sine dissolutione, tamen nec multum loquax, sed ori suo custodiam ponens, & quæ ædificationis erant in medium proferens; multo libentius audiens, quàm docens. In labore erat fidelis & feruens, & grauabatur, si non semper adiuuaret fratres in braxatura de nocte surgendo. Ante horam scribendi, pennas suas pa-

parare solebat; vt eo expeditius scriberet, & commune bonum promoueret. Sic nitebatur facta sua ordinare, ne per eum fratres grauarentur, sed potius aliquid vtilitatis eis importaret.

12. Studebat ergo quantum potuit, ne fratrum labores comederet, ideoq; communia & exteriora opera libenter faciebat. Et quod minus lucrari poterat scribendo, gaudebat suppleri per patrem suum carnalem; qui aliquam summam pecuniarum fratrib. annuatim mittere consueuit. Post obitum parentum suorum, hæreditatem ad se deuolutam libenter ad communem vsum fratrū dedisset, sed morte præuentus impeditus fuit. Cum enim proposuisset ad Hollandiam pergere pro dispositione hæreditatis suę, venit Sutphaniam ad fratres suos, qui ibidem tunc morabantur, & paucis diebus illic peractis, cœpit post festum Philippi & Iacobi infirmari, & sic dilata est itineratio eius ad patriam, ne fortè alibi à consortio fratrum elongatus consummaretur.

13 Sentiēs ergo magis ac magis se infirmari, ita tamen quod nō multum lecto decubuit. Nā ipso die S. Wyronis episcopi, qui fuit penultimus dies vitæ eius, lectulū suū ipse sibi strauit; & in crastino Wyronis, sc. in die S. Gengulfi mart. circa horam vesperarū dispositis rebus suis, cōmunicatus est sacro corpore Christi, & etiā inunctus. Sero autem facto, cū valde debilē se sētiret, desiderauit fratres ad se pariter cōuenire; quibus deuotè se cōmēdauit, vt fideliter pro eo orarēt; & cuidā deuotæ virgini in Schiedā, nomine Lydewy, obitum suum denunciarēt, quā aliquādo in partibus Hollandiæ visitauit, de qua multa miranda ex lōga eius patientia referuntur, quæ promiserat se oraturā pro eo. His dictis, iacuit cōpos mentis suæ vsquē ad decimam horam die discedēte. Veniens autem ad extremā horā, nullam tristitiam ostendit, sed dixit se paratum esse, & tunc præsentibus fratribus & orantibus tradidit spiritum hora supra dicta, sine magna (vt videbatur) pœna. Quia cum deuotis fratribus ab adolescentia sua conuersatus erat cum bona conscientia, tanquam verus Dei cultor, & deuotus Christi amator, in humili statu clericali per annos triginta & vnum in congregatione fratrum perseuerando. Defunctus est autem dulcis & amabilis frater, Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo, mensis Maij die nono, in ciuitate Sutphaniæ terrę Gelrensis, & in cœmeterio B. Mariæ Virginis sepultus ad australem partem ecclesię.

Nouitius.

14. CVm istorum virorum vitam audio, cogor vitam meam despicere, quia in istis conspicio, quàm longe adhuc à veris virtutibus disto. Attamen mihi proficere spero, quod hæc te narrante percepi, nam intendo me cordialiter emendare.

Senior

Senior.

15. IDcirco ista tibi breuiter dixi, vt ad spiritualē feruorē te studeas dare, & in humilibus exercitijs gaudeas cōuersari. Nec vnquam ad aliquam dignitatem vel honoris officium anheles, sed ad omnimodam subiectionem, & vitiorum extirpationem labores, vt Deo amplius placere possis, qui humilibus semper dat specialem deuotionis gratiam, & post præsentis vitę laborem bene exercitatis gloriam sempiternam. Amen.

EPISTOLÆ SEX ADMODVM VTILES ET CONSOLATORIÆ.

Argumenta epistolarum.

Prima: De excitatione ad spiritualem profectum.
Secunda: De custodia sui ipsius habenda.
Tertia: Ad consolationem vnius scripta.
Quarta: De conuersione & perseuerantia in bono proposito.
Quinta: De pia defunctorum memoria.
Sexta: Deuota epistola ad quendam Regularem scripta.

EPISTOLA PRIMA.

Excitatio ad spiritualem profectum.

1 CHarissime frater, libenter tecum diuido, si quid boni Dominus pauperi seruo suo suggesserit. Ego sum pauper & mēdicus; sed spero, quod Dominus solicitus erit mei & tui similiter. Vnde oro eius clementiam, vt eleemosyna communis sit nobis, de largitate mensę eius. Occurrit hodie Dominus mendico suo, cū suauissimo pane de cœlo. Dulcis admodum gratiosus sermo, infusus est auribus meis. Sonuit enim lectio Apocalypsis; & de multitudine tantorum mysteriorum, retentus est apud me breuis riùs sonant. Dedit Dominus, vt aliquid breuiter & dulciter & soaersiculus. Plura capere non sufficio; sed nec pauca, quæ obscuraret, vnde traheretur affectus: vtinā donet etiā, vt hoc ipsum aperiatur intellectui; quia si spiritualibus videtur liquidū, manet tamen carnalibus occultum. Volo ergo te participem fieri huius muneris. Nam tunc verè comites indiuidui sumus, cùm in Christo vnum sapimus, vnum quærimus, & ad vnum tendimus. Appone aurem, & ausculta diligenter, quod sonat valde dulciter: *Qui habet* (inquit) *aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesijs: Vincenti dabo manna absconditum: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum: quod nemo scit, nisi qui accipit.* Apoc. 2.

2. Audis iam (frater) cœlestem vocem? Vtinam & interiorem cordium

cordium nostrorum auditum tãgat, vt vim virtutis illius sentiamus. Sermo viuus est, & omni acceptione dignus. O quam cœlestis vox, quæ nil terrenum fatur? Quòd si caro nõ capit, capiat spiritus, quo nimirum totus hic sermo plenus est. *Verba* (inquit) *quæ ego loquor, spiritus & vita sunt.* Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam. Non ergo sentit arcana supernæ reuelationis homo externus, carnalis, vagus, & elatus. Paulo attestante, qui ait: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei;* stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualibus ergo loquitur, qui spiritu facta carnis mortificant, & mundum odio habẽt, & maligna diaboli consilia respuunt. Hi enim primitias spiritus habentes, quid sit hoc absco-ditum manna ignorare non possunt; quia hoc gustando potiùs, quã legendo vel audiendo, didicerũt. Datur autẽ manna dilectis filijs, ex amore Deo Patri seruientibus; qui eius voluntati semper placere, eius gloriam student quærere. Et si non horres accipere, manna interiorem mentis exprimit dulcedinem, siue consolationem Sanctorum, in hac vita. Est igitur congruus sensus; Vincenti dabo manna absconditum; contemnenti carnalem cõsolationem, dabo spiritalem: respuenti terrena & exteriora bona, ostendam cœlestia & interiora charismata; quæ merito sui excedunt omnia alia delectamenta. Talia ac tanta etiam existũt, vt dignus nemo sit cognoscere, nisi priùs discat vana & vilia solatia contemnere. Scriptum est enim: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

Ioan. 6.

1. Cor. 2.

Manna promittit Deus sperantibus terrenas delicias.

Psal. 91.

3. Libet autem pro expugnandis vitijs, & malis consuetudinibus vincendis, aliqua latiùs hic introducere. Sicut quondam filijs Israel in deserto habitantibus Deus manna pluit; ita & modo spiritualibus filijs suis, gratiam internæ consolationis contra tẽtamenta tribuit. Tamdiu filij Israel cibo illo aliti sunt, donec terram promissionis attingerent: & quamdiu electi in mundo peregrinantur, pane vitæ & intellectus fouentur, donec depositio corpore terram viuentium intrent. Dum autem de frugibus illius terræ manducare cœpissent, statim manna defijt: & dum sancti assumpti fuerint in beatitudinis gloriam, amodo non indigent recreari nostro more spiritali alimonia. Vnus tamen panis est, qui angelos pascit & homines; animas in gloria, & viatores in gratia. Sed est, quod me multum mouet; quia plures sibi deesse manna causantur: plures etiam, qui illo refici consueuerant, gustum iam perdiderunt. Quæ est alia causa huius ariditatis & insipidioris vestri, nisi quia ad egena & infirma mundi solatia reuersi estis? Mementote egressionis vestræ de Aegypto. Dies ille memorialis nominis Domini, in sempiternum recordetur.

Nulli

Nulli dubium, quin manus Domini vobiscum erat, alioquin in sæculo remansissetis. Vbi est ergo ille spiritus, ille primitialis feruor, intentio firma, propositum immobile, fortis vt mors dilectio? Quodammodo armati egressi estis mundum, dum constanti animo omnia perferre aduersa, vilia, & aspera assensistis. Insuper & cum gaudio venistis ad montem Dei Oreb, ad audiendam legem vitæ & disciplinæ: dum monita seniorum libenter audire, & secundùm ea religiosè viuere spopondistis.

4. Cur ergo nunc vos itineris tædet? Cur ad sarcinas sedetis, & grauati ingemiscitis? Iam propter tempus & annos, de fructibus terræ promissionis, botros & malagranata aliis afferre & propinare deberetis, & ecce vobis etiam manna deest. Conuertimini filij reuertentes: quia si corpore non estis reuersi ad sæculũ, tamen corde adhuc tenemini in variis desideriis terrenorum. Proh dolor, multi spiritaliter exeunt AEgyptum, transeunt mare rubrum, ambulant per desertum, portant tabernaculum & vasa eius, sed non intrant terram promissionis. Penè omnia accidunt eis, quæ contigerunt filiis Israel, qui murmurantes contra Moysen, doluerunt, quòd educti essent de AEgypto. Sic sic complures hodie reperiuntur, qui mundum relinquunt, parentes & amicos deserunt, peccata & vitia plangunt præterita, carnalia desideria abominantur, ignotam iustitiæ normam ad manum magistrorum ducti sequuntur, vitam Christi crucifixi aspiciunt, & iugum Domini suaue in obedientia & abnegatione propria ferunt; ita vt omnes parati & feruentes sint ad labores & abstinentias, mites ad increpationes, humiles ad abiectiones, patientes ad correctiones, & ad aduersa quælibet & indigna constantissimi; sed non in tali feruore omnes perdurant. Nam aliquando tempore egressionis, id est, conuersionis suæ peracto, minus cauti & solitici de profectu suo, incidunt in varias tentationes & ægritudines passionum; ita vt nonnulli se incepisse contristentur: quidam verò deliberent & modum excogitent redeundi. Alij autém etsi manserint, cum tempore quodam & vsu asinariam molam trahant: quia paruam deuotionem & affectum habent in his, quæ agenda didicerunt, laboriosa & dura omnia sentiunt, quia manna non habent. Cælum videtur eis æneum, & terra ferrea: quia neque cælestia contemplari, neque agrum cordis, virtutibus & deuotis exercitiis excolere sciunt. *Hier. 3.*

5. Dicũt tamen, quia libenter essent deuoti, libenter haberent virtutes, vellent se vicisse suas passiones. Sed non sufficit tãtùm bene velle, si deest manus & opera. Oportet quòd laboretis, quòd vim naturæ faciatis, sicut dicit Dominus: *Regnũ cælorũ vim patitur, & violẽti rapiunt illud.* Violentia opus est; & scitis, quod *Matt. 11.*

Sancti non ocio & somno promeruerunt regnũ Dei. Vsquequò tardatis, & quare nõ armamini contra passiones: vt obtineatis virtutes, & diuersas cõsolationes suscipere digni inueniamini? Quanto ampliùs tardaueritis, tanto peius sẽper fiet, & sine labore & dolore optatã requiem non percipietis. *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Pigritia & negligentia vos tenent, sed contra has primò accingimini, & bellate prælia Domini. Quid negligitis proprium profectum? Certè pro vobis est, & pro pace vestra erit labor vester. Dicit Scriptura: *Modicum laboraui, & multam requiem inueni.* Sed fortè respondebitis: Aduersus vitia & passiones certare, quis semper potest? Multæ sunt & penè insuperabiles, vt nobis videtur. Quis tantam sustinere potest vexationem?

Matt. 7.

Eccli. 51.

6 Audite increduli & rebelles, delicati milites & serui pigri. Laborem attenditis, pugnam consideratis; sed de præmio & victoria cur non cogitatis? Et quid est omnis labor, ad æternam requiem? Et quid breuis exercitatio, ad bonæ conscientiæ consolationem? O si inciperetis, & fortiter ac integrè proponeretis, vt aut vincere aut mori eligeretis; profectò leue (Domino auxiliante) sentiretis, quod modò insuperabile putatis. Vix aliquando ita vitiosus quis repertus est, cui diligentia cum perseuerantia boni virtutes negauit. Videtur vobis laboriosum, vincere passiones vestras; sed nisi edomitæ fuerint, numquam habebitis veram cordis requiem. Quando ergo alij sunt cum Deo in deuotione & bona pace, tunc vobis erit tristitia, grauedo, & tædium foris & intus. Numquam eritis securi & veraciter læti, nisi mortificaueritis carnalitates vestras. Et si non trahit vos Sanctorum religiositas, & plurimorum deuotio; terreat saltem miserabilis inopia vestra, & diuinæ vltionis sententia. *Congregabo* (inquit) *super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo.* Satis durè intonant versiculi isti, & vtinam conuertant vetustatem vestram; quatenus innouati & feruidi effecti, meliores vos quotidie & alacriores faciant promissa Spiritus sancti. Vincenti (ait) dabo manna absconditum. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Orietur vobis pro spina, pulcherrima rosa: & pro tribulo, candidissimum lilium. Magna sunt hæc, dulcia & consolatoria cupientibus proficere.

Deut. 32.

7. Non ergo te conturbet homo Dei, non te deiiciat multitudo vitiorum. Crede Deo, & spera in eo, & eris melior victor quã fuisti. Dominus pugnabit pro te, & tu tacebis. Intelligisne hoc? Dominus ipse dabit fortitudinẽ, vt resistas iræ, pigritiam excutias, & cõcupiscenti animo non consentias. Et tu tacebis,

Exod. 14.

quia

quia tibi hanc potentiam non asscribes, te propter hoc non eleuabis: sed Deo totum purè tribues, qui adstitit à dextris pauperis. Etiam quantum vales, hominibus te abscõde, & nihil aliud, quàm infirmum & inopem te confitere. Si quando insurrexerit contrarius tibi, & dixerit, quod non libenter audis; esto patiens & tace, illatis malis Dominus respondebit. Iustus enim Dominus inultum non patietur abire quodcunq; nociuum verbum. Quid tibi nocere potest alterius malitia, si contra te inflatur, si detrahit, si obiurgat? Seipsum magis prodit, quia bonus non est. Nam si tu bonus fueris, & in patientia manseris, nil mali tibi intulit; sed potiùs meritum tuum auxit. Tu clarior ex opprobrio, coram sapientibus; tu probatior ex virtute patientiæ. Nemini nocet prauitas alterius, neminem lædit verbum contumeliosum, quamdiu ipse pius & immotus fuerit. Omnis homo qualis interiùs est, talis ei exterior aduersitas erit. Quia si tu bonus, simplex, ac rectus, ac Deum timens probaris, nemo tibi bonitatem, iustitiam, & pacem tuam potest auferre, nisi eam voluntariè reliqueris. Iniurias feras, non inferas, aut referas.

8. Non est magna patientia, quam parua res perturbat. Disce saltem tacere ad iniuriam, quia prudentis est tacere in tempore malo. Qui vincere desiderat, victum se tradat. Cogita de corona, nõ de iniuria, & quomodo possis alium sanare, nõ quid possis è cõtrario quasi zelo iustitiæ motus respondere. Si ille non ignoscit, tu ignosce; quia vt frequenter maiorem habet culpam, qui alteri irascitur, quàm qui iratum patitur. Miserorum proprium est conqueri, & impatientium citiùs commoueri, & causas aliis imponere. Tu ergo esto libenter reus, vt fias ante Deum innocens. Tu primò à teipso incipe, & sic poteris etiam alium sanare. Audiat tamen, qui zelum videtur habere aduersus aliorum defectus; qui indignatur, si quid contra iustitiam agitur. Quàm rectè & prudenter ageres, si zelum tuum etiam contra tuam commotionem exerceres; & quod in alio reprehendis, priùs in te emendares. Cùm ergo aliorum culpis irascaris, quid iuuat de oculo fratris tui festucam tollere, & tuę impatientiæ motus non cohibere? An tibi videtur non esse festuca, sed potiùs trabs, illius culpa? Vide, ne fortè ex tuo iudicio trabem suspiciosè reputes, quod coram Deo vix festuca habetur. Non fidas nimis proprio iudicio, quia homo es & nõ Deus. Siue tamen magnum siue paruum fuerit, vtiliùs semper teipsum consideras quia & tu peccator es, & curatione indiges. In quo ergo alium iudicas, teipsum condemnas, cùm eadem facis. *Rom. 2.*

9. Quid enim mihi prodest, si aliquem verbis meis sanauero, & in propriis passionibus mansero? bene illi, cui malitia mea cedit in bonũ, sed væ mihi propriæ salutis interẽptori. Nõ est

indicium manſueti cordis inconſideratè alium corripere, aut in correptione modum tranſire; vel non poſſe motum inuectionis differre, donec ira in manſuetudinem, & zelus amarus redeat in dulcedinem. Forſitan tunc videbis non eſſe tantę culpæ reum, quem reprehenderas, ac etiam magis excuſabis, ſuper quo priùs ſubitò indignabaris. Sed & tuæ malitiæ imputabis non incongruè, quòd tantillum non potuiſti iniuriæ perferre; lugebis quoque plus iniuſtam correptionem, quàm illius culpam. Pudeat igitur te nondum didiciſſe paruos fratris defectus tolerare, qui quotidie infirmitatem propriam ab aliis deſideras portari. Cur ergo eandem miſericordiam non exhibes alteri, quam optas fieri tibi? Reuertere ad temetipſum, & pertimeſce, ne grauius delinquas indignando & malè ferendo, quàm frater tuus peccando. Ille fortè caſum ſuum, mox vt agnouit, fleuit, & de cætero cauere propoſuit: tu verò impatiens & incompaſsiuus, peccatum tuum nec inſpexiſti nec fleuiſti. Adhuc ille ſatis ben. per amorem in corde ſuo tecum ſtat, & nihil mali de te exiſtimat; ſed ſe magis humiliat & te ſuper ſe iuſtificat. Videas ergo, ne ille, qui videtur peccator, in regno Dei te præcedat; & tu cum iuſtitiæ præſumptione ſimilis fias ſuperbo Phariſęo; qui reprobatus eſt à Domino propter ſuam ſuperbiam, aduerſus Publicani humilitatem. Luc. 18.

10. Ecce iam audiſti aliqualiter chariſsime, quomodo teipſum debeas vincere, & zelum contra propria vitia exercere. Studeas ergo magis ac magis proficere, & ſemper aliquid vitioſæ conſuetudinis amputare. Sicut autem negligentia vitia nutrire ſolet, & virtutes amittere; ita diligentia, quælibet inueterata mala euertit & expugnat. Nam & ſi labor eſt in principio pugnæ, tamen cum videris paulatim hoſtes ruere, conſolaberis de proſpero fine. Impedit nos valdè, quia non audemus violentiam inferre naturæ. O quantos labores faciunt homines pro terrenis lucrandis, & nos pro æternis bonis marceſsimus? Nauta petit mare, mercator circuit regiones, miles fert arma bellica, ruſticus vomere ſcindit arua: & ſine labore non queunt diuitias & honores obtinere. Vt quid ergo nos virtutes, ſine magna ſolicitudine adipiſci credimus? Hodie aliquid inchoare, & cras modicum addere, & ſic diebus ſingulis virtutem virtuti, propoſitum propoſito iungere, perficit hominem virtuoſum, deuotum, purum, ſanctum, & religioſum, Deo charum & hominibus gratioſum. Hoc ordine promeretur homo nomen nouum in calculo clauſum, quia calcatis vitiis efficitur candidus interiùs, & ſæpiùs fruitur conſolationibus ſupernæ dulcedinis, quæ ignotæ manent carnalibus & tepidis. Ruminemus igitur ſedula mente præſentem verſiculum aduerſus dete-

detestabilem desidiam ad igniendum nos & fratres nostros in amorem spiritualis profectus, & vt vitia nostra curentur, & donationes cælestium virtutum in nobis augeantur. Neq; enim fraudabit à desiderio suo fideles certatores Spiritus-sanctus, qui vt viriliter decertarent. hortatoria voce insonuit, dicens: Vincenti dabo manna absconditum.

EPISTOLA SECVNDA.

De custodia sui ipsius habenda.

1. FRater mi in Christo dilecte, videas quomodo cautè ambules, quoniam dies mali sunt. Magna cautela est seruo Dei habenda, in omnibus verbis & operibus suis. Nam qui non est præuisus in rebus suis, aut citò lædit, aut læditur. Et magnum damnum sentiet in fine, quisquis in principio fuerit negligens aut præceps. Diu perpendendum est, antequam fiat aliquid, & sæpius recurrendum est ad cordis habitaculum; ne homo sit absque consilio, sicut gens praua & exasperans, quæ non direxit ad Deũ cor suum. Igitur præcedat oculus tuus omnia opera tua, & omnia age cum prouidentia. Nec incedas per aliena facta, te neglecto; quia nemo illo sapientior est, cuius anima semper in manibus eius est. Non habet homo chariorem thesaurum, nec meliorem substantiam super terram (si bene cogitauerit) quàm animam suam. Debet igitur vigilare, & semper esse in custodia animæ suæ, quia nihil comparari potest saluti eius. *Psal. 118.*

2. Salus enim consistit in veris virtutibus. Vera autem virtus abominatur & odit omne vitium. Quanto magis quis nititur contra vitia, tanto magis accedit ad virtutes. Quanto virtus ampliùs placet, tanto plus detestatur eius contrarium. Cognitio vitiorum multum prodest ad superandum vitia. Plures non cognoscunt in veritate proprios defectus, & quidam quamuis sciant, non satis ponderant: aut si ponderant, citò oculos auertunt, & obliuiscuntur, quod tolerant. Non est ita faciendum charissime frater, sed resistendum est semper malitię & iniquitati, & remedium inquirendum, & auxilium à Deo flagitandum. Maximè autem est obuiandum motibus passionum, in principio pugnæ: quia si pugna creuerit, infirmus homo vbi erit? Ex parua re fit sæpe grauis inquietudo: & ex verbo vno nascuntur multa verba, & de modico risu scaturit sæpe grandis dissolutio. Parua contumelia generat stultis & inconsideratis hominibus, difficilem exitum & profundum vulnus. Bene ergo & prudenter agit, qui omnibus neglectis se custodit, iudicat, & ordinat. Tanto minus potest vnusquisque prouidere sibi, quanto promior est ad considerandum alios.

3. Desiderans habere pacem, debet habitare in Sion. Hoc est vtile homini, qui non inuenit requiem in hoc sæculo; vt confugiat ad Dominũ, & cupiat citò dissolui & esse cũ Christo, quia non est alius, qui pro nobis pugnet, nisi ipse qui fecit nos. Si sẽtis insurgere vitia, oppone remedia, quæ scis tibi esse vtilia, & quæ audisti ab aliis cogita frequenter, si tibi deseruiunt. Quotidianũ bellum gerendum est, quoniam tentamur quotidie. Nec est victus, qui vitiosam consuetudinem sæpe rebellare sentit. Dolere tamen debet, quia adhuc in eo malum viuit, & nondum perfectè sibi mortuus est. Accipienda est semper noua fiducia, licet sæpe deiiciatur homo. In speciali proponendum est contra illa vitia fortiùs, quæ magis molestant, & frequentiùs adueniũt. Aliquando ira, aliquando superbia, aliquando concupiscentia, cor hominis tribulatur & vehementer inflammatur. Sed scuto orationis, aut gemitu cordis, aut inuocatione sancti nominis Iesu, est occurrendum, & in cælum respiciendum, vnde veniet omne auxilium. Et quandoq; sic oret, vel consimiliter: O bone Iesu, succurre mihi modo. Eia Domine Deus, adiuua me. Quid ego miser agam sine te? quid incipiam & quomodo finiam, Deus meus? Melius nosti, quid tibi sit magis necessarium, quia & hoc quotidiana docet infestatio: at qualiter euades, docet & docebit Spiritus sancti vnctio. Ibi igitur quære auxilium & consilium, & ab eo postula cordis tui refrigerium.

4. Considera teipsum, quid quæris in operibus tuis, quid diligis, & quid non diligis. Secundùm desideria sua fit homo stabilis aut vagus. Qui multum concupiscit, & multa habere vult, quomodo in se manebit? Dispergitur in omnem ventum cæli, & capitur laqueo desiderij terreni. Parua res est sæpe, propter quam adipiscendam generatur homini perplexitas magna. Sed qui omnia expellit à se, permittens vnumquodq; stare sicut inuenit, bene in pace erit. Qui verò multis se ingerit, ac multa ordinat & regit, ille seipsum lædit & perdit. Et qui magister vult esse in rebus alienis, non est mirum, si nescit esse discipulus in suis. O quanta adhuc discere habet, quæ non videt! Quantum illi adhuc deficit, & ô quam longè stat! Quid ergo vult se intermittere de aliis, & quæ emendare non potest? Aut cur se implicat talibus, quæ ad ipsum non pertinent? Quid pertinet ad me? inquis. Vt tantùm cogites de te, & aliud quodcunque fuerit, proiicias procul à te. In ista cogitatione inuenies te, & custodies, & proficies maximè. Eris sæpiùs liber à suspicione & indignatione. Parum curabis de exteriorum occupatione & gubernatione eorum, quæ fiunt in domo. Dilecte frater, Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animã tuam Dominus. Amen. *Psal. 120.*

EPISTO-

EPISTOLA TERTIA.

Confortatur quidam deuotus in hac epistola.

1. SVscipiamus charissime de manu Dei, quicquid voluerit super nos venire Deus. Nihil enim sine iusta & certa causa agitur in terris. Et ideo curemus nos Deo subiicere cor nostrum & sensum nostrum, vt respiciens humilitatem & patientiam nostram, bene disponat desiderium nostrum. Inclineinus nos sub sancta & glorioſa maiestate eius, quia puluis sumus; & cogitemus quàm magnum & dignum sit, vt recogitet de nobis aliquando Deus. Ex hac humili æstimatione sensus nostri, & accusatione culparum nostrarum, confessioneq; iusti iudicij Dei, (quod vt frequenter occultum, semper autem rectum est) apprehendamus spem & confidentiam ad ipsum, & oremus largiter, atq; ab aliis etiam intimè flagitemus orationes; quatenus sua maxima pietas, nostram miseriam & tribulationem tantarum tentationum, immutare dignetur. Nec ideo diffidamus de nobis, quia multa contraria sentimus & patimur; & sæpius quàm vellemus, & grauiùs quàm alij tentamur; vel quòd inconstantes sumus, & tam parum laborare possumus; seu quòd toties cadimus, & tardè resurgimus; aut quòd tam indeuoti & aridi inueniamur, & paruum appetitum ad virtutes & ad Deum sentimus. Omnia ista solent bonis accidere, & sæpissimè deuotissimi talia sunt experti. Tentationes bonorum.

2. Cùm ergo taliter nos affligi sensérimus inter tristitias totidē, Domino humiliter dicamus: Domine Deus, si dignus non sum, nec tibi placet, vt liberer à pressura cordis mei, saltē hoc mihi largiri digneris, vt patiens sim, & non murmurem contra virgam tuam, qua me percutis. Memor etenim bene sum, quod canitur in ecclesia tua: Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, & quia illuc introducitur omnis, qui pro Christi nomine hic in mundo premitur. Propter quod peto, vt pro quacūq; culpa ista patior, ad meam purgationem semper peruenire facias; & pro signo clemētiæ, nō reprobationis furore, capienda esse doceas. Debemus ergo sic nos Domino iutegro affectu resignare, & plus eius bonitati cōfidere, quā audemus postulare. Eius creaturæ sumus, & ipsi cura est de nobis. Qui vocauit nos, ipse adiuuabit nos, & custodiet nos á tētatione hac in eternū; vt nō velimus cum hoc mundo gaudere, neque latam viam, quam multi tenēt, denuo ambulare. Admoneo te, attēde scripturas sanctas. Sequi vis Christum, an mundū istum? Credis apostolo, an magis philosopho? Christus dicit: *Intrate per angustam portam, quæ ducit ad vitam.* Et iterum *Tollite iugum meum super vos, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Dicit Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo: & si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Matt. 7. Matt. 11. Rom. 12.

Rom. 8. Galat. 5. Galat. 2. Galat. 6. Phil. 4. *Nemo vos seducat inanibus verbis. Quicumque sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, Ego Christo confixus sum cruci. Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Ista sunt verba apostolica: sed apud philosophos & sæculi prudentes, talia non inuenies.

3. Et quamuis aliqui gentiles contemptum diuitiarum laudabant, & voluptates spernebant, & eorum doctrinam multi hodie commendant: de Christo tamen nihil sciebant, nec æternæ vitæ amore id agebant, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Et omnes (ni fallor) homines cupiunt esse cum Christo & ad populum eius pertinere: sed pauci volunt sequi vitam Christi. Iterum dicunt, se diabolum odire, & eius vestigia nolle sequi: sed vita paucorum continentium se à sæcularibus actibus carnalibusque desideriis ostendit, quia multi sunt ex parte eius. Opera probant, cuius seruus quis fuerit. Ait ergo Christus: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. In mundum hunc ego veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Ac si diceret: Ego humilis & pauper in hoc mundo apparui hominibus, vt exemplo meo efficiantur simplices & humiles, & intelligant opera diuina & cælestia miracula ad credendum mihi. Et qui seipsos peccatores & despectos, & quodammodo cæcos, & inscios cognouerint, per gratiam meam illuminari digni erunt, sicque capient deuota humilitate, quòd superbi & apud se sapientes nequaquam intelligere queunt, atque idcirco in cordis cæcitate & stulta opinione manent, æstimantes suam doctrinam certiorem, meam autem dubiosam & mundo exitialem. Sicut olim Iudæi Christum præsentem in carne contemnebant, sic modò plures carnales eum contemptui habent, & in cæcitate (proh dolor) perseuerant. Malunt potiùs credere sibi quàm Euangelio, & carni magis seruire quam Deo. Atque ideo longos optant dies & voluptuosos super terram, cælum autem respicere negligunt, & quàm velociter tollentur ex hac vita non attendunt.

Rom. 1. Pauci se continentes à vitiis ostendunt quã multi sunt vitiosi. Ioan. 8. Ioan. 9.

4. Hæc si cogitas, nimirum senties melius esse sequi humilem Deum crucifixũ, & passum pro nobis, & meritò nos debere pati cum illo, & relinqui à parẽtibus & amicis in hoc mundo. Mane igitur apud Deũ, qui te vocauit, & ne discedas ab amore eius: sed ascendo a-borẽ crucis, vt inde videas Iesum ambulantẽ, & viam ad æternam vitam præparantẽ. *Hæc est via*, ait propheta, *ambulate in ea.* Via crucis, vita nostra: via electorum, via paucorum: via amara, via vitæ & salutis: via breuis, via directa: via laboris, via perfectionis. Via inquã crucis est, sed ducit ad gloriã, ad latitudinẽ, ad regnũ cælorũ, ad multa millia & frequẽtiã

Luce 19. Isaiæ 30.

ange-

angelorum, ad dulcedinem inenarrabilẽ & interminabilem, ad longitudinem dierum in seculum seculi, ad desideratum finem omnium fruitionum, & appetitum cordium, ad requiem, & pacem securissimam, ad iucunditatem & exultationem amœnissimam. Quæ breui quodam versiculo, qui cantatur in festo sanctæ crucis, pulchrè tanguntur: Serui crucis crucem laudent, qui per crucem sibi gaudent vitæ dari munera. Quia ergo vita Christi crux fuit, debet vita Christiani etiam crux esse: Et multo magis vita monachorum, clericorum, & omnium religiosorum, in cruce erit. Extra crucem, non est salus: præter crucẽ, non venitur ad regnum Christi. Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloria suã. Si aliam vitam quærimus, erramus, & in perditionem ducimur. Et qui crucẽ fugere cupimus, in mediũ lacus ardentis picis & sulphuris incurremus Crux nostra æterno cruciatui comparata, est delectabilissima. *Luc. 24.*

5. Labor noster, perpetua requie donãdus, leuissimus est. Frãgere volũtatẽ propriã, crux est; & fortè, qua maior vix est. Sed in inferno, quis vnquã vel in minimo, sua volũtate vtitur, cum sẽper quod nolit, pati cogatur; quod voluerit, nunquã accipiat? *Fili* (inquit) *recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Comedisti & bibisti, & saturatus es nimis. Meliora & delicatiora elegisti tibi vestimenta, & ornatus es. Risisti, cãtasti, saltasti præ lætitia, nec prohibuisti cor tuum à voluptatibus, sed quodcunq; libuit, sine cõtradictione implesti. Et hæc existimasti partẽ tuã, & regnũ tuum, & gloriam tuam, nec de Lazaro quicquã cogitasti, quantũ egeret, quantum pateretur, quantum infirmaretur. Recordare ergo fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nũc autẽ hic consolatur, tu verò cruciaris. Ille dũ viueret, crucẽ habuit, & ad modicũ spatiũ sustinuit: tu dum viueres, cælũ tuũ in terra habuisti, & libẽter vitam in delicijs protraxisses. Sed nũc ille, nec pœnã corporis nec animæ patitur, sed in requie beata lætatur: Tu verò, & modò cruciatũ in anima habes, & postea simul in corpore & anima torquẽdus dãnaberis. Hęc meditare inter tẽtationes tuas, & Domino aspirãte cessabit earũ impet⁹. Nãsolet ardor ardore expelli, & labor labore grauiore minui. Sta ergo in loco isto, quẽ elegisti; & eleua patiẽtiæ clypeũ cõtra ictus tentationũ; mori eligẽs magis, quã cedere antiqui hostis vexationibus. *Qui vicerit* (ait Spiritus sãctus) *faciã illum columnam in paradiso Dei mei: & scribam super eum nomen Patris mei, & nomen ciuitatis nouæ Hierusalem.* *Luc. 18.* *Apoc. 3.*

6. Insuper Sanctorũ exempla intuere, & eorũ suffragia iugiter quære. Memẽto, quantũ Sancti pro vita æterna laborauerunt, in qua nunc cum Christo sine fine regnantes gaudent. Quanto in mundo despectiores & pauperiores fuerũt, tãto nũc gloriosiores

siores & nobiliores in cælo refulgent. Propter amorem igitur Christi, & locus & status inferior, semper plus placere debet & dulcescere cordi tuo, quia vanitas est in hac vita aliquid apparere. Quanto in inferiori & humiliori statu quis fuerit, tanto verius sæpe bona agit, & facilius habita custodit. Si alij nos precedunt, quid ad nos? Sequamur Iesum in humilitate & simplicitate, & non curemus humanam vanitatem. Nos propter Christum stulti, ignobiles, & infirmi; nos propter illum, libenter
Psal. 25. simus abiecti & nouissimi reputati. *Ego* (inquit) *sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Quæ maior gloria, quàm cum Christo gloriari in cruce? Quę maior consolatio
Iesue 1. cordis, quam portare viuentem imaginem crucifixi? Confortare igitur, & esto robustus, & ne timeas; quia ego tecum sum, vt liberem te, dicit Dominus. Compassus tibi, locutus sum tanquam infirmus infirmo; vt pariter in Domino consolati, per ipsum conualescamus in ipso. Amen.

EPISTOLA QVARTA.

De conuersione, & de perseuerantia in bono proposito.

1. Dilecte frater, intimè congaudeo tibi, quia inueniſti locũ Deo seruiendi. Sit Dominus noster exhinc benedictus, qui te vocare dignus est ad suũ seruitiũ. Agnosco hãc vocationẽ, donũ Dei esse; quoniã nõ ex meritis tuis, sed secundũ misericordiã suã, de sęculi vanitatibus te eripuit; & in electã societatẽ perduxit; vbi audires, atq; oculis etiã cerneres, qualiter illi seruires. Quàm multi diuites, nobiles, & potẽtes; quã multi sapiẽtes, literati, & famosi adolescentes, in hoc sæculo miserabiliter fluctuant, & abiicere iugũ diaboli á suis ceruicibus nõ prævalẽt; nec illo spiritu adhuc mouentur, vt sæculo renũcient. O vanitas vanitatũ mundũ diligere, & quæ Dei sunt minùs curare! Veniet tempus, veniet citò tempus, quando omnes sęculares & carnales delectationes simul finẽ habebunt, & tunc relinquẽt vel inuiti prẽsens sæculũ, qui modò voluntarij non sunt abrenunciare pompis eius. Tu autem dilecte frater, maiorem gratiam à Domino accepisti, quia inter tot sodales tuos, à multis periculis corporis & animæ, á laqueis diaboli es præseruatus; & in loco apto ad saluandam animam tuam constitutus.

2. O quantas gratias Deo debes, qui tibi regnũ suum promerẽdum obtulit, quòd diues pecunia possidere nõ potest. Et quàm mirãda Dei gratia, vt inualidus & imperitus, Sãctorũ viam fortiter ambulet; quã robustus & doctus, sæpe subsequi vix valet. Recogita, vbinã sũt olim tecũ studẽtes; vbi illi socij familiares, cũ quibus viuere & ludere secundũ carnẽ dulce erat; cum quibus peregrinari in remotis partibus, non amore Christi, sed cupidine temporalis processus & lucri, iucũdũ tibi videbatur. Quã

multi

multi iã obierũt, quã multi etiã vagi in sæculo remãserunt. Bene de ipsis cũ S.Moyse dicere potes, cõsideratis finibus eorum: *Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Audisti alios Romã pergere, & pro beneficiis laborare, alios Parisiis residere, & ad magisterium tẽdere; alios perceptis dignitatibus & prælaturis, in medio populũ exaltatos iã esse. Tu autem quid? Gratias Deo, quia nihil horũ attẽtasti, imò & propter Christũ, iã veluti stercora ista mũdana culmina & gaudia reputãs, adiecisti etiã teipsũ conténere, loquens cũ B.Dauid: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorũ.* Tu vtiq; elegisti hodie Dominum Deum in patrem, cui seruire regnare est; pro quo humiliari in præsenti sæculo, æternæ exaltationis tibi causa erit. Pro illo labor, requies; penuria, diuitiæ: contemptus, honor: tribulatio, cõsolatio: infirmitas, robur: mœror, gaudium tibi semper sit. Et quo purius & ardentius eum amaueris, eo viliora terrena omnia censebis. *Deut. 32.* *Psal. 83.*

3. Caue tamen charissime, ne aliquando permittas maligni spiritus cõsilium intrare cor tuum, vt contristeris, quia amicos & socios reliquisti; & quia ipsi iam magni domini effecti nunciantur, & tu adhuc permanes in innocentia tua. Noli audire eos, qui te in aliam viam conantur trahere, & dicunt: Vsquequo sic transies? Et quare ad altioris status gradum non tendis, nec aliud opus inchoas, vnde aliis etiam aliquem fructum feras? Solet enim diabolus post aliqua tempora conuersionis, tentare seruum Dei de præteritis rebus in sęculo, de amicorum visitationibus, de multorum sociorum suorum conuersationibus; quatenus talibus cogitationibus eum retrahere possit ad sæculum, aut impedire à profectu & ab obliuione mundanorum. Sed crede expertis: Nocet Dei seruo memoria & retractio vitæ sæcularis, qui mundo plenè & sibi est mortuus. Nocet etiam persuasio blanda multorum loquentium, de altiori gradu & meliori loco, qui veluti sapientes prudenter cõsulere volunt; sed sensum Christi in abiectione & humilitate, in fuga mundi, & tenore arctioris vitæ non habent. Nam nudũ Christum sequi, aut recusant, aut pigrescũt incipere, ne videantur proximis solatium subtrahere. Et quia gratiam non sentiunt, qua Deus sibi seruientes & omnia relinquentes imbuit & confortat, durum sermonem hunc esse dicunt, omnibus amicis & rebus propriis abrenunciare. Et sicut ipsi sapiunt, ita & alijs libenter persuadent.

4. Sed contra tales loquitur sẽtẽtia Saluatoris: *Cauete* (inquit) *ab hominibus.* Multi enim sunt, qui pulchris sermonibus & aptis (vt ipsis videtur) rationibus, viam leuem & planam commẽdare sciunt, & hominem imperitum quandoque iustificant & laudant atq; per tales sermones, bene proficientem & firmiter stã- *Matt. 10.*

tem

tem, quandoq; vacillare faciunt. Verumtamen Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, quia iuxta iter Sanctorum non ambulant, neq; loquuntur. Non veniat anima mea in consilium eorum, & domus eorum longè sit à me. Ideoq; frater dilecte, nunquam tibi placeat talia audire, & multo minus credere velis. Siue enim diabolus instiget, siue homines fabulentur; quod incepisti, in eo permaneas, obsecro. Recurre ad Euangelium, & optimum audies remedium: *Quid prodest homini, si lucretur vniuersum mundum, seipsum autem perdat?* Hoc apud te semper retine, & cuiuscuis manus pugnauerit contra te, scuto euangelico verere.

Matt. 16.

Obiectiones fieri solitæ renunciantibus sæculo

5. Sed solent quidã homines, sine spiritu & scientia Dei, obijcere quandoq; sæculo renunciantibus: Ergo qui in sæculo sunt, peribũt, & vos soli salui eritis? Aut non potest aliquis venire ad cælũ, nisi ita viuat sicut vos viuitis? Quid fabulamini sic iniustè, contra Deum & seruos Dei? Neq; hoc Christus dixit, neq; serui eius ita locuti sunt. Bene facite, iustè viuite, & mandata Dei custodite, & nemo vobis salutẽ negabit. Ad hæc illi iteratò: Mandata (iniquiunt) vellemus seruare, sed nõ possumus. Si debemus lucrari victũ & necessaria vitæ, oportet nos sæpe contraria agere. Qui cũ sæculo conuersamur, sæcularia negocia quomodo cauebimus? Si ista perfectè consideratis, & pericula atque fallacias mundi non ignoratis; quid ergo obloquimini, quia serui Dei mundum fugiant, & monasteria aut congregationes deuotorum intrant, vt Deo sine tali impedimento seruiant? Si imitari non vultis, aut non valetis; saltem congaudere & adiuuare bonos pro vestra salute deberetis. Sed non plus (frater) de istis, quia nec taliter loquentes, excusationẽ habent de peccato suo. Constanter igitur age; Christus, qui tibi incipere donauit, ipse perficiet, consolidabitq; in finem propositum tuum. Ecce tempus breue, mors incerta, omnia caduca & vana in mundo. Multi iam in sepulchris fœtent, qui diu se viuere existimabant. Recesserunt à memoria hominum, qui in ore versabantur omnium. Colit mundus præsentes, absentes nescit, deserit morientes. Beatius ergo contemnere fallacem mundum, & sequi veritatem, quæ nobis pariter concedat vitam æternam. Amen.

EPISTOLA QVINTA.

De pia defunctorum memoria.

1. MVltum iam tempus præteriit dilecte frater, ex quo decreueram aliquid, pro pia memoria defunctorũ, charitati tuæ insinuare; & maximè parentũ nostrorum, & amicorũ specialiũ, omniumq; deuotorũ, quorũ nomina Deus in libro vitæ scribere dignetur, & inter sanctos suos collocare animas eorũ, sicut & corpora eorũ, apud nos sepulta sũt in terris. Nos debemus

mus libenter pro eis, & pro omnibus fidelibus defunctis orare, quia hoc opus est sūmæ charitatis & misericordiæ. Sicut igitur nobis desideramus subueniri post mortē, ita & eis, quo melius possumus, (Domino opitulāte) laboremus subuenire. Qui enim pro animarum liberatione fidelis & sedulus fuerit, nimirum & sibi-ipsi plurimum proficit, cùm pro talibus orans nequaquam se spoliat orationis fructu, & insuper sibi recordationē mortis adducit, & vix sine compunctionis gratia ad solita redit; sciēs, quòd omnes viā vniuersæ carnis ingressuri sumus, & quod illi iam expleuerunt, certissimè sibi cōstat futurum. Oremus igitur pro charis nostris, quia post modicum eos sequemur, & cùm melius habuerint, omnino in eadem necessitate recordabuntur nostri. Non sit fides nostra ore tenus, neque quæ in facie sunt, respiciamus; sed dilectionem faciamus, siue præsentes siue absentes corporaliter fuerimus. Charitas enim nunquam excidit, & qui se in veritate diligunt, se ipsos obliuisci non poterūt. *1. Cor. 13.*

Quantum prosit meminisse defunctorū in bonum.

2. In necessitate probatur amicus fidelis. Est enim impium & crudele nimis, si videas fratrem tuum aut amicum cordis tui, carceri traditum vel flammis iniectum, nec mouearis ad fletum, & cùm manum porrigere possis, nihil agas charitatis, ac etiā si loqui aliquid pro eius quiueris liberatione, clauso pertranseas ore. O fidelem Samaritanum, qui viso homine vulnerato à latronibus & expoliato, misericordia motus est. Væ, væ pincernarum magistro, qui oblitus est Ioseph sui interpretis, cùm de carcere esset eductus. Sic timeo, ne multoties contingat, cùm aliquis amicorum obierit, & pro se instanter orari petierit, ac fidei viuentium se commendauerit, quòd nonnunquam obliuionem accipit, aut paruam aut tardiùs sentit aduenire expiationis hostiam, quam speraſſet. Propter quod dilectissime, meipsum & te pariter admoneo, vt pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum, & quicquid ad eorum absolutionem nouerimus prodesse, deuota exequamur festinatione, ponderantes quàm graui teneantur tormento, & quòd nisi purgati fuerint, ad requiem transire non possunt. Eorum etenim consolatio & liberatio, maximè in Christi meritis, & Sanctorum suffragiis, & fidelium constat oblationibus. Simus ergo feruentes ad soluenda beneficia salutaria, & deuotè oremus pro eis generaliter & priuatim. *Luc. 10. Gen. 40.*

Liberatio defunctorum ex igne purgatorio, quibus modis fit.

3. Attentè vigilias legamus, libenter & sæpius ad missam ministremus, & cum sacerdote vota labiorum nostrorū in cōspectu sūmi & veri sacerdotis offeramus, qui est hostia dignissima ad exhaurienda omniū peccata. In illa hora, dū Christus in altari inter manus sacerdotis Deo Patri pro salute viuorū & defunctorū offertur, teipsum cura cum omnibus tibi in orationi-

bus

bus commendatis offerre, in acquisitionem & possessionem perpetuæ salutis; & vt omnes sint participes huius preciosissimi sacrificij, quod immolatum semel in cruce, sufficiens est precium pro peccatis totius sæculi. Habeas tunc specialem memoriam eorum, qui tibi sunt commendati, & recita nomina eorum in præsentia Christi; & reuerenter ac deuotè sæpius flecte genua cordis tui, vbi consistis ante fõtem miserationum Domini. Quotiescunq; etiam te ad perceptionem corporis Christi præparas, & perceptũ tecum habes, esto quæso memor fideliũ defunctorũ: & implora tanto ardentius misericordiam eius, quanto certius retines in te pignus æternæ redemptionis.

4. Sæpe de manè, sæpe de vespere; sed in labore, & tempore scripturæ, charissimorum tuorum recogita obitum: quomodo habeant, & quomodo aliquid facias pro eis, quod ipsis potest prodesse, & tibi nihil obesse. Antequam comedam, suspiro, ait S. Iob. Ex quo verbo, pietatis & compassionis tibi innuitur opus, vt numquam cibum corporalem sumas, nisi prius fidelibus defunctis aliquam spiritalem eleemosynam mittas. Ego noui aliquorum talem esse consuetudinem, qui signo refectorij facto se expediunt; & vacant orationi ad refrigerium animarum fidelium, quorum eleemosynis sustentantur.

Iob 1.

EPISTOLA SEXTA.

Deuota omnino Epistola, ad quendam regularem scriptã.

Deuotionẽ & pacẽ quę conseruent.

1. ISta sunt præcipuè necessaria & vtilia, pro conseruatione deuotionis, & pace cordis, pro profectu virtutum & ædificatione aliorum, scilicet solitudo, silentium, opus manuum, oratio, lectio, meditatio scripturarum; paupertas, sobrietas, obliuio patriæ, fuga sæculi: quies claustri, visitatio chori, & custodia cellæ. Cum his obseruationibus sit homo compunctus, internus, & deuotus. Nimia occupatio in externis, magnum impedimentum est interiorum, & infrigidat à cælestibus. Duo sunt, quæ valde nocent religiosis, quòd tam parum illuminantur; quia sunt nimis multiplices in exercitijs corporalibus, non considerantes ad quid omnia ordinata sunt: & quia non examinant solicitè interiora sua, quibus affectionibus mouentur ad virtutes vel ad vitia, & quantum distant ab vnione cum Deo habenda. Nam tanto quis Deo vnitur & plus illuminatur, quanto à mundi curis magis elongatur. Multa non sunt homini necessaria scire, nec habere; sed curiositas & auaritia trahunt ad multa animæ nociua. Placeat tibi propter Christum simplex vestitus, & sobria mensa, nec quæras pretiosa ornamẽta. Christus amat cor purum, non cappam pulchrã, neque casulam sericam mira varietate contextam. Non optes, vt monasterium tuum abũdet diuitiis & altis ædificiis, sed

Duo in primis Monacho obsunt.

vt

vt floreant omnes fratres bonis moribus,& virtutibus sanctis. Et si alicubi pulchra & sumptuosa videas, excusare potes & tolerare, pro honore Dei & reuerentia loci: sed non debes similia affectare.

2. Quando relinquis amicos propter Christum,& non quęris cõsolationes hominũ, sed permanes in cella faciẽdo opus tuum;tunc aderit tibi gratia cælestis, illuminando cor tuum;& gaudebunt super te angeli sancti,& custodient te ab impugnationibus inimici, ne dominẽtur tibi;sed viriliter agas,& precibus eisresistas. Quę ad secularem scientiã & reputationem humanã trahunt,omnino caueas; sed semper humilia sectare, sicut fecerunt Iesus & B. Virgo Maria. Attende quoq;vitã,doctrinam,& patientiam Sanctorum:qui habuerunt verã sapiẽtiam, per quam soli Deo placere studuerunt. Pius Dominus nõ derelinquit electos suos in mundo afflictos:sed tollit quandoq;eos tempestiuè de laqueis superuẽturis:ne deteriora mala incurrãt, quæ fortè tolerare nequirẽt. Debes solicitè cogitare de defect. tuis,& sæpe ingemiscere,ne vincaris vel seducaris. Ora primò pro propriis miseriis: deinde pro aliis amicis viuis vel defunctis,sicut fraterna charitas exigit. Plus tamẽ cõfidere debes de Dei gratia & misericordia & Sãctorũ meritis: quã de tuis precibus & actibus bonis. Habeas firmũ propositum te emendãdi: & si centũ annis posses adhuc viuere, cogita,quòd propter nihil aliud velis viuere, nisi vt Deo possis perfectiùs seruire. Contra tria vitia oportet quotidie certare, quæ rarò plenè vincuntur;scilicet,contra superbiam, contra gulam,& acediã.

Aduersus tria vitia quotidie pugnandum.

3. Superbia latet in corde,& multipliciter extollit stultum in propria æstimatione sui: apparet sæpe in vestitu, aperitur in voce,notatur in incessu, & leuitate morum. Gula, graue est vitium: quæ si refrenata non fuerit, facit hominem dissolutum, pigrum, & ad spiritualia ineptum; inducit somnolentiam, & excitat libidinem. Acedia multum retrahit à spirituali exercitio,ab intenta oratione, & sacræ lectionis studio. Quęrit carnis mollitiem,fugit laborem,odit cellam,diligit fabulari, delectatur vanis rumoribus; attædiatur interesse diuinis. Qui non certat viriliter aduersus ista tria vitia, parũ proficiet in bona vita, & citò cadet ad alia peiora mala ex istis nascentia. Dilectio Dei probatur magis in cõtẽptu sui & omniũ terrenorum, quàm in pulchritudine verborũ. Plus Deus delectatur in humili prece contriti cordis,quã in in alto clamore curiosæ vocis. Sẽper humilis inuenit gratiam; & qui se dat ad simplicẽ obedientiã,optimam habebit conscientiam & quietissimã vitam.

Deuotiõ non semper anxiè desideranda.

4. Sæpe est occultæ superbiæ signũ, desiderare habere magnã deuotionem vel reuelationem:potiùs te iudica diuina consolatio-

latione indignum. Nam de defectibus tuis atque excessibus cogitare, magis placet Deo; & vtilius est tibi, quã indagare de cælestibus secretis. Quãdiu non es verus humilis, & totus ab intra mortificatus, (ita quòd laudibus non delecteris, nec maledictis mouearis) nõ expedit tibi altiora perscrutari. Christus sæpe cõpescuit apostolos, de multis futuris & subtilibus materiis loqui. Cur ego tu vis scire, quæ excedũt scientiã tuam? Munda cõscientiã tuam, & caue præsumptionem: & stude diuinam discere & facere voluntatẽ, non propriam. Sic enim orat sãctus Dauid, magnus cognitor cælestiũ secretorum: *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.* Quicquid ergo humiliorẽ te non facit, & ad maius beneplacitũ Dei non tendit, noli cupere nec curare; quia Deo obligaris mundã seruare conscientiam, & seculi abiicere vanitatẽ. Verba Domini nostri Iesu Christi cum magna diligentia attende, & dauidicos psalmos sæpè rumina: quia in illis est vera sapientia, & salus tua. Passionem Christi & vulnera Iesu, in corde tuo quasi in libro scribe, & totam spem tuam, in meritis Christi & Sanctorum precibus pone.

Psal. 142.

5. Quid enim nos fragiles agere possumus, nisi quòd multum humiliemus nos sub põtenti manu Dei, & coram ipso prostrati veniam petamus? Resistendo vitiis & insistendo bonis exercitiis, concupiscentiæ & passiones paulatim minuuntur in nobis, & virtutes ampliùs roborantur, ita vt homo delectetur in eis frequenter: & maximè si honori Dei, & non suum commodum vel pacem propriam quærat: quia aliter non esset purum, nec verè virtuosum. Nam qui ad Deum omnia opera sua purè non refert, superbus est & vanus. Quicquid boni homo facit, cogitare debet, quia donum Dei est, & non se reputet inde. Nam tenetur Deo regratiari & magis se humiliare, ne imputetur sibi ad peccatum, & grauiùs de ingratitudine iudicetur. Omne opus bonum in Deo factum, gratiam maiorem meretur, lætificat mentem, & delectat operantem, quia Deum habet adiuuãtem. Qui desiderat à Deo consolari, taceat de mũdanis, oret sæpius, & rarò sit foris. Omne enim peccatum generat tristitiam, corrumpit naturam, & meretur pœnam. Attende donũ Dei in alio, & dilige illud, sicut verè est donũ Dei. Erit autẽ tuũ, si diligis illud tanquam tuum: sempertamen totum ad Deũ humiliter referendo, ne perdas bonũ malè vtendo. Tũc malè vteris bono, si inde extolleris, & vanè gloriaris. Tunc bene vteris malo, si inde humiliaris & contristaris, & per pœnitẽtiã emẽdas, nec te superbè excusas. Status huius vitæ debilis est, & plenus periculis: ideo ad Deum semper currendum est & orandum, vt nos custodiat & adiuuet in omni luctamine & opere bono vsq; in finem.

1. Pet. 5.

FINIS.

LOCA S. SCRIPTVRÆ QVÆ IN HOC OPERE VEL EXPLICANTVR, VEL ILLVSTRANTVR.

Genesis.

CAP 3. *Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* 75

4. *Cũ essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum,* 79

22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* 168

28. *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli,* 203

40. *Præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* 1037

49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* 169

Exodus.

Cap. 3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* 157

23. *Vade, & descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* 230

24. *Ascende ad me in montem, & esto ibi; dabo tibi duas tabulas lapideas.* ibidem

Ascendit in montem, & fuit ibi 40. diebus & 40. noctibus. 229

Deuteronomium.

Cap. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* 160

31. *Tollite librum istum, & ponite in latere arcæ.* 703

32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* 11

Iudicum.

Cap. 16. *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput.* 157

3. Regum.

Cap. 10. *Maior est sapientia & opera, quàm rumor, quem audiui,* 899

2. Paralipomenon.

Cap. 20. *Confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* 48

Iudith.

Cap. 9. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* 903

Iob.

Cap. 2. *Ecce, in manu tua est: verũtamen animam eius serua.* 829

3. *Antequam comedam suspiro.* 1038

6. *Quis det, vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus?* 150

12. *Deridetur iusti simplicitas* 836

29. *Oculus fui cæco, & pes fui claudo, &c.* 947

30. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt.* 831

Psalmi.

Plalm. 1. *Tanquam lignum secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo.* 907

2. Apprehendite disciplinã, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. 609
5. Dirige in conspectu tuo viam meam. 544
Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos. 955
9. Patientia pauperum non peribit in finem. 583
Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. 552
16 Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. 571
17. Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. 512
22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. 652
24. Ad te leuaui animam meam. 568
Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. 567
25. Domine dilexi decorẽ domus tuæ & locum habitationis tuæ. 494 706
26. Viriliter age, & confortetur cor tuum. 698
30. Ego dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorũ tuorum. 492
Diligite Dominum omnes Sancti eius. 538
Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. 546
31. Dixi confitebor, aduersum me iniustitiã meã Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. 869
32. Exultate iusti in Domino. 547
Rectos decet collaudatio. 755
Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis virtus eorum. 666
33. Semper laus eius in ore meo. 532
Magnificate Dominũ mecũ, & exaltemus nomẽ eius in id ipsum. 538
Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde. 516
Multæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus 53
34. Expugna impugnantes me. 662
Dic anima mea, salus tua ego sum. 467. 754
Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? 464
36. Os iusti meditabitur sapientiam. & lingua eius loquetur iudicium. 40
Spera in Domino, & fac bonitatem. 521
37. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. 761
Dolor meus in conspectu meo semper. 450
38. Vniuersa vanitas, omnis homo viuens 748. 753
41. Apud me oratio Deo vitæ meæ, 665
43. Tu es ipse rex meus, & Deus meus. 497
Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. 37
44. Diffusa est gratia in labijs tuis. 503
Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato. 500
50. Cor mundum crea in me Deus. 755
54. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. 461. 550
62. Adhæsit anima mea post te. 470
68. Quærite Deum, & viuet anima vestra. 569

Ego

Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus susceptit me. 553
70. Domine spes mea, à iuuentute mea. 416
71. Sit nomen Domini benedictum in secula. 505
72. Mihi autem adhærere Deo bonum est. 445
73. Pauper & inops laudabunt nomen tuum. 537
75. Et factus est in pace locus eius. 540
76. Renuit consolari anima mea. 462
83. Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. 893
Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. 708
85. Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. 448
86. Gloriosa dicta sunt de te. 703
90. Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. 660
Cum ipso sum in tribulatione. 539
92. Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum. 137.
93 Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. 849 1006
101. Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. 453
Respexit Deus in orationem humilium, & non sprevit precem eorum. 707
111. Generatio rectorum benedicetur. 668
114. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. 564
117. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. 299. & seqq.
118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis 904
Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. 983
Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. 903
Anima mea in manibus meis semper. 348
Confige timore tuo carnes meas. 542
Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. 702
Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum, &c. 704
Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me. 738
Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. 554
Dormitauit anima mea præ tædio. 473
In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. 667
Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 759
Auerte oculos meos, ne videant vanitates. 468
122. Ecce sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi, &c. 479.
124. Benefac Domine bonis & rectis corde. 663
127. Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit. 877
132 Ecce quàm bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum. 5

137. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* 562
138. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* 483
Imperfectum meum viderunt oculi tui, 451
140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* 563
141. *Educ de tribulatione animam meam.* 454
145. *Lauda anima mea Dominũ.* 661
149. *Laus eius in ecclesia Sanctorum.* 705

Prouerbia.

Cap. 3. *Beatus homo, qui inuenit sapientiam.* 514
4. *Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit.* 43
10. *Audiens sapientiam, sapientior erit.* 513
13. *Vult & non vult piger.* 655
18. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* 8
21. *Vir obediens loquetur victoriam.* 656
31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* 107.

Sapientia.

Cap. 2. *Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* 663

Cantica.

Cap. 1. *Abi post vestigia gregum tuorum.* 829
Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 875
Introduxit me rex in cellaria sua. 641
2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* 535
Flores apparuerunt in terra nostra. 932.
Sicut lilium inter spinas. 937
Ordinauit in me charitatem, 904
Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. 210
3. *Num quem diligit anima mea vidistis.* 201
5. *Manus meæ stillauerũt myrrham. & digiti mei pleni myrrha probatissima.* 644
7. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* 257
8. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* 657
Fuge dilecte mi, &c. 557

Ecclesiastes.

Cap 2. *Vtere laboretuo in diebus vanitatis tuæ.* 235

Ecclesiasticus.

Cap. 6. *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam.* 701
24. *Memoria mea in generationes seculorum.* 101
Spiritus meus, super mel dulcis: & hæreditas mea, super mel & fauum. 99
Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. 104
44. *Isti sunt viri misericordiæ.* 947

Esaias.

Cap. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* 201. & seq.
14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.* 74. 164.
24. *Secretum meum mihi.* 478
35. *Dicite pusillanimes: Confortamini, & nolite timere.* 18
38. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima,* 492
55. *Quærite Dominum, dum inueniri potest; inuocate eum, dum propè est.* 199
58. *Frange esurienti panẽ tuum.* 947

Iere-

Ieremias.

Cap.31. *Creauit Dominus nouum super terram: femina circundabit virum.* 173

Threni.

Cap.1.O *vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* 241.243. 260

Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se. 162.165

Ezechiel.

Cap.44 *Porta hæc clausa erit, & non aperietur: & vir non transiet per eam.* 174

Daniel.

Cap.2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus.* 174

14. *Apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit cum capillo capitis sui, &c.* 870

Osee.

Cap.14. *Iustus germinabit sicut lilium.* 534

Ionas.

Cap.1. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis, à facie Domini.* 19

Michæas.

Cap.7. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* 78

Habacuc.

Cap.3. *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* 206

Haggæus.

Cap.2. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* 189.

1. Machabæorum.

Cap.4 *Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt, &c.* 134

Matthæus.

Cap.4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, &c.* 654

5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* 543

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. 749

Ecce merces vestra multa est in cælo. 756

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt. 231.749

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent, &c. 27

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum, &c. 1009

Sit sermo vester, Est est, Non non, 958

7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* 907

11. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* 751.798.930.984

Regnum cælorum vim patitur, &c. 514 747

12. *Bonus homo de bono thesauro profert bona.* 25

13. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* 158

16. *Vade post me Satana.* 752

Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? 1036

17. *Domine, bonum est, nos hic esse.* 894

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c. 234.583.591.753

18. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 16

19. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* 750

20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* 942

21. *Ite in castellum, quod contra vos*

est: & statim inuenietis asinam alligatam, &c. 193. & sequent.
Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. 191
Adduxerunt asinam & pullum, & eum desuper sedere fecerunt. 235
Clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid. 287. & seq.
Domus mea, domus orationis vocabitur. 130
25. Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, &c. 42
Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. 28
Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 529
Vigilate, quia nescitis diem neq; horam. 559
28. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 879

Marcus.

Cap. 8 Video homines velut arbores ambulantes. 964
14. Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. 22. 24. 541
Sustinete hic, & vigilate. 638

Lucas.

Cap. 1. Et exultauit spiritus meus, &c. 215
2. Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. 216
Et erat subditus illis. 28
4. Medico, cura teipsum. 557
6. Va vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis. 515
Date, & dabitur vobis. 844. 845
Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. 128
9. Vulpes foueas habent, & volucres cælirides: filius autem hominis, &c. 233
10. Samaritanus misericordia motus est. Et appropians, alligauit vulnera eius. 1037
Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. 74
Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. 220
11. Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 144. 516
Qui non colligit mecum, dispergit. 541
12. Noli in sublime tolli. 662
14. Qui nō renunciauit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus. 146. 708
15. Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & Pharisæi. 489
16. Canes lingebant vlcera eius. 554. 772
Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. 1033
17. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis: dicite, Serui inutiles sumus. 239. & seq.
19. Auferte ab eo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. 32
21. Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. 67
In patientia vestra possidebitis animas vestras. 556
22. Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 942
23. Hodie mecum eris in paradiso. 250
24. Pax vobis: Ego sum, nolite timere. 566
Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? 671

Ioan-

Ioannes.

Cap. 3. *Lux venit in mundum.* 196
4. *Iesus fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem.* 235
5. *Scrutamini scripturas.* 167
6. *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* 179
Verba, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. 231
Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. 670
Qui manducat me, & ipse viuet propter me. 876
7. *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* 238
8. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.* 237. & *seq.*
9. *Ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant.* 1032
10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* 701 935.
12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* 232
Ambulate, dum lucem habetis. 539
14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.* 308 & *seq.*
15. *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* 233
Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. 520
Manete in dilectione mea. 528
Omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructus plus afferat. 828
16. *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* 547
12. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* 298
19. *Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.* 847.
Stabat iuxta crucem Iesu, mater eius & soror matris eius, &c. 93
20 *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, &c.* 303. & *seqq.*

Acta Apostolorum.

Cap. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui varijs linguis, &c.* 306. & *seq.*
4. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* 311. & *seq.*
9. *Vas electionis est mihi iste.* 751
26. *Insanis Paule, Multa te litera ad insaniam conuertunt.* 893

Ad Romanos.

Cap. 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.* 795

Ad Corinth. 1.

Cap. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* 302
15. *Stabiles estote & immobiles in opere Domini semper.* 547
16. *Omnia vestra in charitate fiant.* 524

Ad Corinth 2.

Cap. 4 *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes.* 260
Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis 224
Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. 753
10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 64

Ad Galatas.

Cap. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.* 72
6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* 85. 250.
Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 161

Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. 260
Alter alterius onera portate. 526

Ad Ephesios.

Cap. 4. *Renouamini autem spiritu mentis vestræ.* 622
Supportantes inuicem in charitate. 657
5. *Videte, quomode cautè ambuletis, &c. quoniam dies mali sunt.* 54
6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare, &c.* 664

Ad Philippenses.

Cap. 4. *Gaudete in Domino semper.* 517

Ad Colossenses.

Cap. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 161

1. ad Thessalonicenses.

Cap. 5. *Sine intermissione orate.* 522

2. ad Thessalonicenses.

Cap. 3. *Si quis non vult operari, non manducet.* 943

2. ad Timotheum.

Cap. 2. *Si commortui sumus, & conuiuemus.* 795

Ad Hebræos.

Cap. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum, &c.* 255

1. Petri.

Cap. 2. *Rationabile sine dolo.* 754
5. *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis.* 97
Humiliamini sub potenti manu Dei; vt vos exaltet in tempore visitationis. 58

Apocalypsis.

Cap. 12. *Signum magnum apparuit in cælo; Mulier amicta sole, & Luna sub pedibus eius: & in capite eius corona stellarum duodecim.* 110
Factum est prælium magnum in cælo, Michael & angeli eius, &c. 74

Iacobus.

Cap. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* 659. 837
Humilibus autem dat gratiam. 518

Apocalypsis.

Cap. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum.* 748. 1023.

Index Rerum & verborum.

A.

Abnegatio sui ipsius, vide *Passio Christi.*
De sui abnegatione. 232. 233
Passio Christi est solatium & refugium se abnegantium. 258. 259
Abnegatio sui, vide *Communio.* 391 392. 414. 415
Abnegatio sui, atque omnium rerum. 708
In sui abnegatione omnis perfectio consistit. 644
Abstinentia seruanda. 619
Acedia, vide *Negligentia, Piger, Tepidi, Torpor, Labores, Exemplum, Hora Canonica.*
Diabolus sæpe per acediam plurimos tentat. 736
Accusatores nostri qui sint futuri in die iudicij. vide *Iudicium.*
Acclamationes Prophetarũ de Christi aduentu: O sapientia, &c. O oriens,

oriens, &c. Et quid illæ significent. 191
Actiones vide Agere.
Adhærere Deo vide Vnio cum Deo.
Aduentus Dei in mentem. 347
Aduentus Christi, vide Incarnatio.
Christi aduentus quo desiderio expectandus. 192. & seq.
Homo debet se præparare ad suscipiendum Christum aduenientem. 195.
Qualiter ad nos Christus aduenit. 192.193
Aduersa. vide Prospera, Fuga, Pati, item 329 330
Aduersa & læta se mutuo consequuntur. 266
In aduersis constitutus, Dei te voluntati resigna, ac in illo confide. 689
Remedium in aduersis rebus est patientia. 655
Recurrendum tunc ad Christi passionem. 699
Ædificantur homines per formam & speciem externam: proinde maxima habenda est ratio, quomodo quis exterius conuersetur. 957
Ædificationi mutuæ incumbendum. 632
Affectus noster, quibus rebus inhæreat, expendendum est sedulò. 391
Affectus vide Passiones.
Affinitas vera quæ sit. 478
Afflictio vide Peccata, mali.
Passio Christi plurimum animi & consolationis affert afflictis. 291
In agendo, quomodo se homo gerere debeat. 390. 391
Homo in agendo non debet esse importunus. 396
S. Agnes vide Oratio.
Tria vestium genera habuit S. Agnes, nempe virginitatis vnam, secundam patientiæ, ex passionis Christi mysterijs confectam: tertiam, charitatis in Christum. 112. 113
Corona aurea S. Agneti donata, qui est Christus omnium sanctorum præmium. 115. 116
Miracula S. Agnetis. 125. & seq.
Dolor capitis vni perijt, vbi S. Agnetis capsulam fuisset osculatus, eiq; suum caput imposuisset. 125
Spina piscis, qua vnius faucibus adhæserat, meritis S. Agnetis suauiter excidit. 126
Pecunia furto ablata demum possessori fuit restituta, vbi is vouisset, se eam daturum cultui S. Agnetis. 126. 127
Dubitans in missa, de præsentia Christi in Eucharistia, audiuit intus responsum, crede vt B. Agnes: sic omnis tentatio euanuit. 128
Infirmus vbi in altari S. Agnetis communicasset, fuit sanatus. ibidem
Incendium fuit extinctum, eo quòd vnus paulo antè missam de B. Agnete legisset. 129
Equus furto ablatus, meritis D. Agnetis sponte ad suum equile redijt. 130
Alleluya, cur tempore paschali adeò frequenter cantatur. 299
Alphabetum pro Nouitijs & religiosis. 799 & seq.
Amare Deum castè, quid sit. 484
Deum amare & laudare opus est illustre. 561
Amator Dei verus quis sit. 538
Deus est omnia sese amanti. 563
Amandus Iesus super omnia. 352

Amandus proximus : Cuius amor tunc perit, cùm imperfectiones ipsius non æquo animo perferuntur. 332.333
Amanti Deum, Deus super omnia sapit. 393
Amator Christi quis sit verus. 368
Ambulandum coram Deo sincere. 366 & seq.
Ambulare coram Deo, vide *anima.*
Ambulare, vide *Religiosi.*
Amici, vide *Crux Christi.*
Si te deserant amici, ne molestè feras. 354
Cùm sit molestum carere amico, da operam, vt sis familiaris cum lesu. 353
Amicus verus qüis sit. 740.741
Amilius Burensis minima quaque officia laboresque obibat. 1003
Peste laborantibus idem seruiebat. ibid.
Exhortatio eiusdem ad mutuam charitatem. 1004
Amittere Iesum, vide *Iesus.*
Amor sui, carnis, & creaturarum, quæ mala importet. 233
Amoris diuini effectus mirabiles. 366.367
Amor ad creaturas plurimum nocet homini. 349
Amor proprius valde retardat à fruitione summi boni. 387
Amor, vide *Vnio, Scutum, Charitas.*
Amor Dei & proximi diligenter retinendus. 618
De amore Christi. 333 528
Amor Dei quid efficiat in homine. 448.506
ob Amorẽ nimium ad suam neptem defunctam, Liduuina solitis visitationibus angeli caruit 861.865
Angelus, vide *Amor, Infirma, Cineres sacri, Gloria inanis.*
Angelus noluit Liduuinam visitare, ob vnius præsentiam, qui in cubiculo eiusdem (ipsa tamen nesciente) aderat. 855
Cùm angelus Liduuinam visitaret, semper in fronte Crucem gestabat, vt bonus angelus agnosceretur 868
Charitas angeli superat multis modis, solis splendorem. ibid.
Anima, vide *Desiderium.*
Anima est templum Dei. 137.138
Vt anima decenter virtutibus ornetur, curandum est, sicut nobiles student corpori exornando. 152
Animæ bona quæ sint. 747
Quomodo anima debeat cum Deo pure ambulare. 539
Quanta sit animæ felicitas Deum diligentis. 564
Tunc anima feruet, quando à suo Sponso Christo visitatur. 761
Anima semper liberum accessum habet ad Deũ, cum ipsa voluerit. 488
Anni vocationis & conuersionis, vide *Profectus.*
Apostoli Christi quales fuerint. 383
Appetere aliquid inordinatè, parit inquietudinem 326
Aqua sapiebat Liduuinæ, supra omnem vini optimi saporem. 831
Arbor, vide *Crux.*
Armatura Christi & Sanctorum cõtra vitia. 664
Armum porcinũ petijt Liduuina ab amico cocto, vt impenderet pauperibus: quo facto, vir ille inuenit alterum in loco prioris. 845
Arnoldus Schoonhouen à pueritia pietatem & deuotionẽ amauit. 1018
Virtutum ipsius catalogus. ibid.
Ascensio Christi in cælum debet nobis

bis esse iucunda. 304
De Christi ascensione in cælum. ibid.
De spirituali ascensione in nobis. 305
Asina tantum semel vsus est Christus. 2352 1293
Quàm humiliter Christus insedit asine 291
Auari, vide Superbi.
Audiendi, vide Curiositas.
Aue Maria, vid. Salutatio Angelica.

B.

BEatitudo religiosi, qua in re sit posita. 46
Bellum, vide Militia, Pugna.
Primum bellum mouit Lucifer in cælo. 74
Secundũ bellũ mouit diabolus aduersus hominẽ in paradiso terrestri. ib.
Tertium bellum est carnis aduersus spiritum. 77
Quartum bellum fuit inter Cain & Abel fratrem. Hinc pugnæ hominum inter se. 79
Bellum carnis & spiritus, si rectè geratur, habet multum meriti. 78
Durissimum est bellum carnis & spiritus. Quomodo autem possit victoria comparari. 76.77
Varia impiorum bella. 662
Beneficia, vide Gratia.
Beneficia Dei, vide Gratiæ Dei.
Beneficiorum Dei catalogus 507
Beneficium triplex, aut naturæ, aut gratiæ, aut superexcellentiæ. 511
Beneficia Dei expendenda sunt. 383
Quis sit indignus beneficiis Dei. ibid.
Beneficia ecclesiastica habens plura, nunquam lætus moritur. 615
Beneplacitum Dei, vide Velũtas Dei.
Bibere, vide Crucis signum.
Boni, vide Mali.
Boni ex se nihil habet homo. 397
Boni viri signa quæ sint, 40
Bonis mali admixti. 80
Bono summo ad fruendum qui idonei. 80
Bonum summum finisq; noster est Deus. 171
Vnicum & summum bonum quærendum est. 467
Bonorum mundatorum contemptus. 652
Bona & meliora sunt semper in exemplum trahenda: mala verò & deteriora sunt vitanda. 672
Bursa Christi, vide Debita.

C.

ad CÆlestia anhelandum. 649
Cantica spiritualia nonnulla. 805. & seq.
In Cantu honor Dei quari debet, & omnis vanitas excludenda est 532
In Cantu minime gloriandum. 164
Capitis dolor, vide Agnes.
Carbunculus, vide Castitas.
Caro, vide Bellum.
Carnis tentatio, vide Luxuria.
Carnium esus, vide Pascha.
Carnis effectus qui sint. 619
Carnes, vide Eleemosyna.
Carnalia, vide Vanitas.
Carthusianus quidam spatio 40. annorum primam monasterij portam nõ vidit, per quam fuerat ingressus. 47
Castitas, vide Maria.
De castitate. 151.155. & seq.
Variis rebus castitas comparata 153. 154
Carbunculus quidam est castitas. 155
Lilium est suo odore plurimos ad se trahens. 153
Virtus est admiranda. 154
Fuit nota sub lege & Prophetis. 153
Donum Dei est. 17

Tam

Tam excelsa est, vt etiam ab incontinentibus laudetur. 42
Christus in suo aduentu eam commendauit. 152
Author castitatis est spiritus sanctus: donum eius est. 151
Fuga opus est, pro seruanda castitate. 157
Victus sobrius, otij & deliciarum fuga, conseruant castitatem: alioqui perit. 156
Necessaria est sensuum custodia, item & cordis, ad eam tuendam. 155 156
Iuuari etiam debet, meditatione supplicioru inferni. 156.160
Castitas nullibi & nullo tempore tuta est. Ceciderunt Samson, Dauid, & Salomon. 157.158
Castitas seruanda. 619
Cedere minimè alteri, docet ipse diabolus. 656
Cedere alijs, humilis cordis signum est: Nolle autem cedere, superbiæ signum est. 26
Vagabundus iubetur cellam seruare, vt ad se redeat, tanquam in cippo positus. 39
Cella vide *Domus, Solitudo.*
Cella in te seruabit, quod foris omittes. 337
Cellæ custodia plurima bona affert. 46.613.681.697.699.
De laudibus Charitatis & de fructibus eiusdem. 524
Charitas vide *Opera, Dilectio, Scientia, Amor, Infirmari.*
Charitas non quærit, quæ sua sunt, sed omnia in Deum refert. 332
Charitas ad omnes habenda, non autem familiaritas. 327
Sine charitate nihil prosunt virginitas & patientia. 114
Charitas fraterna vide *Amilius Burensis.*
Plurimum fraternam charitatem iuuat ac promouet, vera ad suos superiores obedientia. 1002. & 1003
Christianus, vide *Via.*
Christus, vide *Sequi Christum, Doctrina, Imitatio, Via, Magister, Tribulatio.*
Christi vitam sequentes illuminantur. 322
Christi vita, passio fuit. 266
Christus vide *Meditari.*
Christus, flos est campi, & lilium conuallium. 536
Conformari se vitæ Christi, summa est perfectio. 620
Varijs modis nos Christus portat. 478
Christi vitam imitari debemus. 530
Quomodo & quibus in rebus eam imitabimur. ibidem
Cholica vide *Infirmus.*
Chorum ingressi, vt canant, quid cogitare debeant. 6
Chorus mox adeundus, cum datur signum. 705
Tria fiunt in choro, oratio, lectio, & operatio. 696
Religiosi qui se habere debeant in choro. 614
Cibi admodum modici fuit Liduuina. 831
Cibo & somno pluribus annis ipsa caruit. ibid 832.836
Cibus vide *Refectorium, Salus.*
Cineres sacros, primo die quadragesimæ, accepit Liduuina ab angelo. 842
Cœnobium mari simile. 7
Cogitationes vide *Tentationes, Cor, Salutatio angelica, Assuescendum bonis*

bonis cogitationibus, Opera.
Nidus est diaboli, cor bonis cogitationibus vacuum. 25
Aduersus cogitationes malas, optimũ est in corde gestare Christum crucifixum. 43.44
Oratio contra cogitationes malas. 584
Cogitationibus quomodo obsistẽdum. 752.755
Cognatio vide affinitas.
Cognitio sui vide Deus.
Cognitio sui, summa sapientia est. 323
Colloquia nostra debent esse de Deo, & de rebus pijs. 5.6.16
Pij colloquij vtilitates. 17
Colloquia vide Loqui.
Quisnam diuinis colloquijs aptus efficiatur. 652
In Colloquijs fratrum à quibus materiis abstinendum sit, & quæ in ijs tractari debeant. 634
Colloquium de rebus pijs valde animum incendit. 982
Communio vide Eucharistia, Offerre, Agnes.
Fructus communionis. 422
Ante communionem exercitia. 428
Vtile est sæpe communicare. 425.426
Per communionem vnio cum Deo optanda est. 437.438
De præparatione ad communionem: & quanta cum reuerentia eam adire oporteat. 421 & 436.
Christi exhortatio ad cõmunionem. 420. 421.
Non est facile relinquenda communio. 432.433
Orandum in communione pro nobis, & pro alijs omnibus. 431
Quorundam ardens desiderium ad communionem. 438.440 441
Si nos ipsos spectemus, sumus cõmunione indigni. 420
Per communionem acquiritur humilitas, deuotio, sui que abnegatio. 438 439
Ante communionem oportet suam conscientiam expendere: habendũ quoq; sese emendandi propositum. 429
Communicantes debent suas necessitates Christo aperire, eiusdemq; gratiam postulare. 439.440
Deuotè cõmunicantibus ampla gratia confertur. 426
De communione sacra. 734.335.336
De Compassione fraterna. 557.558
Compassio vide Infirmari, Passio Christi.
Christi exemplo, compassionis affectus est induendus. 122.123
Complacentia propria Deo valde displicet. 602
Compunctionis bona. 322
Interioris compunctionis commendatio. 338
Compunctio quomodo possit haberi. 337
Conceptio Mariæ vide Maria.
Concio vide Doctrina Christi, Florentius.
Ex concione, quid retinuisset, mulier interrogatur: respondit sapienter, Hoc retinui, quòd deinceps non debeam peccare. 145
Concordiam fratrum studet dæmon omnibus modis euertere. 5
De concordia inter fratres seruanda. ibid. & seq.
Concupiscentia mulierum malorum causa est. 81
Concupiscentiæ motus vide Religiosus.
Confessio propriæ infirmitatis spiri-

tuali homini frequentanda. 380
Confessores quomodo in militia spirituali pugnarunt. 69
Confidentia, vide Iniuria. Fiducia.
Nec in seipso, nec aliis confidendum. 326.336
Si forte gratia recessisset, confidentia habenda de ea recuperanda. 389
Conformare se oportet Christo crucifixo. 530
Conquiri non oportet facilè. 348
Conscientia, vide Gaudium.
Conscientiæ bonæ gaudium 357.517
Mala conscientia pace non habet ibi.
Conscientiam bonam quæ non efficiunt, tollenda sunt. 44
Quouis in loco & tempore conscientiæ suæ semper habenda ratio. 549
Conscientia examinanda tum mane, tum vesperi, atque etiam sæpius. 691.692
Consilia verbaq; seniorum humiliter audienda sunt. 67
Consilium ab alio accipere melius est, quàm alteri dare. 328
Consolatio, vide Merita, Homo, Tribulatio.
Quis sit consolatione dignus. 337
Aspernãda est humana cõsolatio 380
Quærenda est consolatio in Deo. 377
Deus non relinquit animam absque consolatione. 491
Consolatio tum pauperum, tum infirmorum, tum etiam aliorum, qui affliguntur. 772.773
Quænam sit vera & interna consolatio. 748
Magnum est, seipsum intus consolari. 720
Subinde spiritalis consolatio subtrahitur in bonum. 742
Magna est in Deo consolatio & dulcedo. 466
Tempore tribulationis, diuina adesse solet consolatio. 516
Multa consolatio reperitur in lectione Patrum & doctorum Ecclesiæ. 719.
Cur consolationes dare suis quandoque differat Christus. 296
Deus animam sibi seruientem, absq; omni consolatione non relinquit. 105.
Qui vult consolari, habeat Iesum in hac via & vita socium. 44.45
Magnum quid est, omni consolatione carere. 354.355
Nonnumquam recedunt consolationes, iterumq; reuertuntur. 370
Quo pacto se gerere debeat homo, quando consolationes dantur, & quando auferuntur. 355
Externæ consolationes plerumq; internas impediunt. 328.338.339
Qui humanam consolationem non quærit, signum est, quod Deum gustare cœperit. 346
Diuinæ consolationes non semper ad votum habentur. 346
Contemplari alta qui non norit, se in Christi passione exerceat. 348
Contemptor sui, vide Humilitas.
Sui contemptus, summa est sapientia. 322
Contemptus sui bona. 233
De contemptu omnium consolationum terrenarum 462.700.719
Contumelia, vide Corona.
Conuersatio, vide Apostoli.
Cum quibus conuersandum est. 327
Nocet plurimum, sæpe cum externis conuersari. 336.337
Cum bonis rectè conuersari, paruum quidem: at cum malis, res est maxima. 350
Conuersari secum intus, & cum Iesu,

su, optimum est. 348
Conuersandum cum simplicibus & bonis. 34
Conuersus recenter debet à duobus cauere. 73
Conuersari cum quibus oporteat. 633.
Conuersio nostri debet quotidie fieri. 606
Quis dicatur vere conuersus. 607
De vera ad Deum conuersione. 605
Conuersionis principium feruescere solet, deinde sensim tepescere. 452
Conuersionis annos multi numerant, sed non emendationis vitæ. 341
Corpus quibus fruatur bonis. 350
Cordis habenda diligens custodia. 610
Quæ iuuant ad cordis pacem & quietem. 611
Magna humani cordis instabilitas. 520
De vera cordis compunctione. 709
Cor sæpenumero ad Deum est eleuandum. 684
Solitudo adeunda, vt nos ipsos colligamus. 748
Cor vide *Cogitationes, Solitudo, Oratio, Desiderium, Mutabile, Resignatio sui.*
Oratio pro munditia cordis seruanda. 232
Cor à cogitationibus seruari debet purum. 43
Puritati cordis incumbendum, quæ nam sint ea, quæ ipsam iuuent. 231
Cor puerum habens, fit veluti inuincibilis. 232
Puritas cordis scala est rectissima, perueniens vsque ad diuinæ gloriæ conspectum. ibid.
Cor, quia nunquam est in quieto, bonis cogitationibus repleri debet. 16.17
Corona vide *Agnes.*
Corona ex floribus, id est, meditationibus de vita Christi & V. Mariæ constans. 117
Virgo quid agere debeat, ad promerendam auream coronam. 316
Coronam ac meritum dolorum perpessionumq; suarum vidit Liduuina; sed tamen in ea aliquid adhuc desiderari, vt compleatur: quòd per contumelias perfici debebat. 858
Correptiones libenter audire vide *Lubertus.*
Fortium est audire patienter increpationes ab alijs. 982
Creaturarum amor, vide *Amor.*
Contemptus creaturarum, facit, creatorem inuenire. 390.391
à Creaturis elongatio. 461
Credendum minimè vniuersis. 400
Citius malum quàm bonum de aliis credemus. 325
Crux, vide *Tribulatio, Mundani, Angelus, Via.*
Amatores crucis Christi, pauci inueniuntur. 357.358.359.360
Crucis signaculum triplex. 657
Crux est via vnica ad cælum. 745
Crucis Christi laudes. 83.84.87.88 250.251
Crucis Christi bona. 267.268
De cruce Iesu, quam nostra causa tulit. 248.249
Meritò gemis & auro exornatur. 253
Honor erga S. Crucem. 88
Crux Christi velut arbor quædam depingitur. ibid.
Crucifixi imago, vide *Cogitationes*
Quidam assueuerat imagini crucis vbique honorem deferre: Hic vidit per somnium, crucifixum sibi dextram porrigentem, pro honore sibi impenso. 91.92

Crucis signum vide *Detractio, Dormire.*
Damon pulsus hoc signo. 90
Crucis signum fecit bibitura mulier, supra lactis amphoram, qua mox crepuit, cui fortè inerat damon. 91
Oleum feruens nimium, facto crucis signo deferbuit. 90
Crucem ferre, quid sit. 86
Crux quotidie perferenda. 83
Religiosus immeritò detrectat ferre crucem. 87
Libenter crucem amplecti debemus. ibid.
Crux in somnis cuidam visa, vnde collegit, se crucem laturum, sicut paulò pòst euenit. 92
Quid sit, in cruce Domini gloriari. 251
Cruci alligari debemus, tanquam pulli indomiti ad stipitem, ne in via aberremus. 18
Deus suos per crucem probat. 84
Cubiculum, vide *Cella.*
Culina ministeria, vide *Ioannes Cacabus.*
Hebdomadatim culinæ ministerio deseruiunt Fratres. 942
Cupiditas omnis resecanda est. 391. 392.
Cura vide *Solicitudo, Temporalia.*
Curam nostri sedulam gerit Christus. 533
Curiositas vide *Vita alierum, Pax.*
Vitanda est curiositas, tum audiendo, tum videndo. 400
Curiositas reprehenditur. 66
Curiosus ne sit homo, maximè in rebus ad se non spectantibus. 637

D.

DÆmon conatur bona desideria impedire. 368, 369
Damon, vide *Diabolus, Concordia, Maria, Iesus, Salutatio angelica, Crux, Religio, Detractio, Desideria.*
Nil ita timet damon, sicut crucem Christi. 87
Damnatum Liduuina patrem dicebant damones, vt eam affligerent. 839
Debita fratris sui demortui persoluit Liduuina, ex bursa, quam postea Christi bursam vocabat: quæ dãdo eleemosynas, aliorumq; debita soluendo, non diminuebatur. 844.
Dedicatio vide *Templum, Hierusalem.*
Defectus in religione si quando eueniant, non debet propterea fieri quispiam pusillanimis. 18
Defectus vide *Lapsus, Imperfectiones,*
Quandoque vtile est, nostras imperfectiones sciri ab alijs, propter humiliationem nostri. 349
Defuncti, quibus rebus iuuentur. 1036
Pium est ac meritorium, pro defunctis suffragia aliaq; impendere. 1037
Matri defunctæ sua merita impartiuit Liduuina. 841
Virgo Liduuina matris elenodia moniliaq; vendidit, vt illa in pauperes erogarentur. ibid.
Interrogata Liduuina de statu cuiusdam defuncti, prudenter ad modum respondit. 873
Delectationes atque studia hominum varia. 469
Deseri ab amicis vide *Amici.*
Desideria vide *Appetere.*
Deside ia cordis sunt examinãda. 376

De-

Desiderij anima quarentis Deū. 445
De desiderio fruitionis diuinæ. 490
Desiderium animæ bene conuersæ, est esse in cælo cum Deo. 150
Anima desiderat esse cum Christo, vel ob mala huius vitæ, vel præ amore & desiderio videndi Deum. 150. 151.
Præ desiderio videndi Deum, anima omnia contemnit, quidquid patitur ac sustinet. 151
Desolatus debet se Deo offerre. 407
Desperatio, vide Lapsus.
Detrahētibus suo superiori, apparuit dæmon in forma equi: Signo autem crucis euanuit. 91
Detractores ferendi sunt patienter. 338
Deuotio, vide Gratia, Communio.
Deuoti hominis consolatio. 370
Quidam se destruxerunt, per indiscretam deuotionem. 369
Oratio pro impetranda gratia deuotionis. 365
Occultāda est gratia deuotionis. 369
Non est in manu hominis, deuotionis gratia. ibid.
Deuotio quorundā posita est in imaginibus. 366
In deuotione prima cur adeò multi intepescant. 12
Deuotionis paupertas vide Laudandus Deus.
Deuotionis gratia acquirenda est. 515
Deuotionis sensus, varias ob causas, subinde tollitur. 537
Deus, vide Seruus, Amans.
Solus Deus animam replet, & quietam efficit. 42. 43
Deus est ineffabilis, incomprehensibilis, interminabilis, 447
Nemo potest dicere, quid sit Deus in se: fortè quispiam explorare potest, quid in nobis efficiat. 446
Deus docet animam supra omnes docentes, eamq; illuminat. 759
Homo debet Deo offerre sua desideria, actum voluntatis eius planè acquiescere. 376
Deo nihil occultum. 402
Via ad Deum potius habetur per sui cognitionem, quàm per scientiam. 324
Omnia Deo sunt committenda. 385
In Deum, tanquam in finem, omnia sunt referenda. 371
Varijs modis explicatur, qualis sit Deus erga bonos & malos. 468
Cur subinde se subtrahat anima amanti. 472
Deus vult nō partem, sed totum habere, sibiq; donari. 507
Quomodo Deus animam diligat. 448
Visio Dei summa est beatitudo. 490
Diabolus, vide Discordia, Diuites, Dæmon, Cogitationes.
Inuidia eius contra hominum salutem est maxima. 663
Psallendum sæpe aduersus diabolum. 705
Varijs nos modis decipere conatur. 659. 660
Viri religiosi quomodo à se diabolum expellant. 6
Varia tentandi rationes diaboli. 55. 79.
Opera diaboli in hominibus. 75. 76
Digitus Dei, vide Scriptura.
Dilectio, vide Charitas, Opera.
Dilectio Dei, vide Deus.
Disciplinæ claustralis fructus. 600
De claustralium seu religiosorum disciplina. ibid.
Tria conseruant claustralem disciplinam,

plinam, silentium, diuinum officium & labor. ibid.
Discordias vbique serit diabolus. 663
Discretio in quolibet spirituali exercitio seruanda. 616
Dispensator, vide Superior, Oris custodia, Exemplum bonum, Scandala, Ædificatio, Nouitates, Narrationes vtiles.
Fidelis dispensator quid præstare debeat. 626
Prudentem eum esse conuenit. 629. 630
Certis horis sibi debet vacare. 631
Gratus est omnibus, quando fidelis est. 627
Tempore inopiæ, de Dei bonitate bene sperare debet. ibid.
Oportet dispensatorem esse & fidelem & prudentem. 626
Sancta Martha officio fungitur. ibidem.
Expedit, vt det fratribus suis necessaria, quantum per facultates licet. 628
Disputatio, vide Trinitas.
Dissolutum esse & vagum nocet quã maximè. 338
Dissoluti in ratione viuẽdi, vide passio Christi.
Diuites & honoratos maximè tentat diabolus. 660
Diuitiæ, vide Honores.
Doctorum exempla, verba, & scripta sunt fragmenta quæ in cophinis colligi debent. 670
Doctrina, vide Scientia, Sapientia.
Doctrina Christi excellentia: antecellit enim omnium Sanctorum doctrinas, in qua manna est absconditum. 322
Cur doctrina Christi quibusdam non sapiat. ibid.
Consueuit Deus docere animam interius. 366
Simplices, & corde puri, sæpe à Deo docentur. 324
Docti, vide Magister.
Quis verè sit doctus. 325
Multi docti ob doctrinam pereunt. ibid.
Docti, viri, vt plurimum sunt elati. 323
Docti rarò sunt boni subditi. 370
Docti rarò sunt sancti & humiles. 42.
De doctrina Iesu. 235.236
Docti grauiùs cæteris punientur, nisi melius cæteris vixerint 323
Dolores, vide Maria, Tristitia.
Quibus de rebus suscipere debeamus dolores. 105
Dolor & fletus peccatorum. 450
Domi manere, res optima, vide Solitudo.
de Donis gratiæ, & de scrutinio super delicto. 475
Domi manendum, vide Cella, & 337
Domum egredi, vide Exire, Egredi, Religiosi.
Domus spiritualis quodnam fundamentum, quales parietes, tectum, & fenestras habere debeat. 137. 138
Dormire, vide Exempla, Templum.
Quidam tempore diuini officij dormiunt. 22.23
Qui vesperi lecto incubuerat, non præmisso crucis signo, fuit per insomnium à dæmone vehementer perterritus: vbi se signasset, placidè dormiuit. 91
Dormiturus quid agere debeat. 692

S. Dorothea virgo & martyr misit Theophilo rosas & poma è cælo, idque hyberno tempore. 120
Dulcedinis diuinæ gutta vna plus animum afficit & recreat, quàm vniuersæ voluptates sæculi. 146
Dulcedo vide Consolatio.

E.

Ecclesiastici, vide Religio, Monasterium.
Egredi domum sæpius, non caret periculo, 11 vide Exire.
Eleemosyna, vide Pauperes, Defuncti, Vinum, Debita.
Pauperum & diuitum eleemosynæ sunt paris meriti, si fuerit in eis par animus. 893
Nolebat pater Liduuina vti eleemosynis filiæ impensis, præ religione. 837
Vidit Liduuina in quodam raptu suas eleemosynas Deo gratas fuisse, quæ in cælo mensæ stratæ imponebantur. 846
Eleemosynas copiosè dabat egenis Liduuina, tum ex carnibus, tum ex pisis, &c. & tamen illa non imminuebantur. 843
Emendatio nostri, hic aut lenta est, aut nulla. 455
Emendatio, vide Propositum.
Duo impediunt morum emendationem. 345
Duo conducunt plirimum ad vitæ emendationem. ibid.
Vitæ emendatio. 344
Equus, vide Agnes.
Equo nullo vnquam vsus est Christus. 235
Equitatus Christi. vide Asina.
Raro equitandum, maximè autem religiosis. 293
Eremum adolescens adijt, vbi solo manna vixit annis pluribus. 865
Eua pomum edendo, quinque modis peccauit. 75
Ex Euangelij auditu siuè prædicatione cur vel nullus vel exiguus fructus in plerisque fiat. 322
Euangelia, vide Domus spiritualis.
Eucharistia, vide Agnes bis, Infirmus, Missa, Communio.
Eucharistiæ dignitas: 427.428
Eucharistia maximè nobis est necessaria. 434
Non sit homo curiosus de Eucharistia indagator, sed fidei suos sensus subijciat. 441.442
Eucharistia visa fuit in forma humana, vide Henricus Brune.
Audiens quidam missam, nunquam nec procul, nec propè, hostiam videre potuit in manibus sacerdotum, donec odium alicuius deposuisset. 997
Mulieri dubiæ de veritate Eucharistiæ, propter celebrantis turpem vitam, Eucharistia apparuit in forma humana, sub elevatione. ibid.
Sola Eucharistia vsa est pro alimento Liduuina. 831
Examen, vide Profectus, Conscientia.
Tum manè, tum vesperi, examen conscientiæ debet fieri. 336
Exempla, vide Salutatio angelica, Infirmari, Luxuria, Iter.
De silentio exemplum. 47
De solitudine exemplum. ibid.
De vnius inquietudine, qui ordinem mutauerat. 53
De voluntate propria relinquenda exemplum. 67
Somnolentiam tempore diuini officij quomodo quidam excusserunt. 25

Dormiens diuini officij tempore, audiens nomen inferni: & alius audita voce, Simon dormis, à se somnolentiam excusserunt. ibid.
Exemplum de duobus religiosis, quorum vnus à religione defecit alter vero perseuerauit. 10
Qui religionem deseruerat, à sociis in ludo vapulauit egregiè: Se agnoscens, demum redijt. ibid.
Exempla, vide *Humiles.*
Exempla perfectorum, multum ad profectum conducunt. 334
Exempla bonorum magis nos ad virtutem mouere debent, quàm exempla malorum ad vitam laxam. ibid.
Exemplo bono aliis prælucere. 632
Exercitia, vide *Passio Christi, Discretio.*
Exercitia, quò destinentur. 698
Exercitia corporalia quatenus sunt assumenda. 336
Exercitia spiritualia, diuersis temporibus, alia atque alia sumenda sunt. ibid.
Exire, vide *Cella, Domus.*
Exire, vide *Egredi, Carthusianus quidam.*
Rarò exire desiderant boni religiosi. 236

F.

Fabulæ sunt euitandæ. 689
Familiaritas, vide *Superior.*
Quos imitari debes, ne sint tibi familiares. 632
Familiaritas cum Iesu, bona est. 353
Cauenda nimia familiaritas, maximè verò cum feminis. 327
Nimia cum hominibus familiaritas subinde tollit bonam de bonis opinionem conceptam. ibid.
Fatigari, vide *Laborare.*
De fatigatione Iesu, & de ipsius doctrina. 235
Feruor, vide *Deuotio.*
Feruori incumbendum. 17
Feruori optimum se dare. 346
Feruido omnia fiunt leuia. ibid.
Feruor spiritus, quomodo possit acquiri. 602
Festorum ornatus quid designet. 706
Festa, vide *Templa, Pentecoste, Sollemnitates.*
Cur sint instituta festa. 198
Quid agendum in festis. ibid.
Nostra festa ad cæleste festum comparata, sunt tantum vmbra & quædam præambula. 198
Hic nostra festa sunt valde imperfecta, quantumcunque celebria. ibid.
Festa, quæ hic agimus, debent animam nostram attollere ad cæleste festum. 197.198
Mundani tantum exterius festa celebrant. 197
Festum animæ solemne quando & quomodo agitur. ibid.
Cur imagines in festis detegantur, siue aperiantur. ibid.
Quomodo in anima celebretur festum duplex, & festum maius. 296
Quod foris agitur in festis, admonet nos, vt eadem in anima agamus. ibid.
In festo palmarū, de processione Christi, & sex generibus hominum ei obsequentium. 287
Cur in festo palmarum simul copulantur processio, & Christi passio. 295
Festo die solēni appropinquante, quid sit agendum. 336

Fictus homo non diu poterit latere. 50
Fidere sibi nimium non oportet. 351
Fiducia, nec in se, nec in hominibus, sed in Deo ponenda est. 347.410
Fiducia virilis in Deo habenda est, 699
Diuinæ miserationis fiducia amplectenda. 487
Tempore tribulationis, fiducia in Deo ponenda. 521
Finis vltimus, vide *Deus.*
Flagella, vide *peccatores.*
Fletus, vide *Dolor.*
Ridendi hic nulla causa, flendi autem plurima. 450
Florentij nominis interpretatio. 931. 932
Dotes animi & corporis Florentij. 934
Prage studuit, ibiq; magisterij laurea donatus. 933
Cùm Praga in patriam rediret, ex curru descendente, in graue periculum incidit. Vbi autem orasset, inuenit currum se anteuertisse. ibid.
Fuit conuersus concionibus Gerardi Magni. 935
Gerardo Magno charus extitit, ab eoq; vicissim diligebatur plurimum. 933
Discipuli Gerardi Magni & Florentij plura monasteria & ciuitates iuuerunt. 960
Adhæret Florentius lateri Gerardi Magni, à quo fratris loco habebatur. 935.936
Fit sacerdos Florentius, consilio Gerardi magni. 938
Alios vt Christo lucraretur, ac in conuictu haberet, dabat operam. 936
Modestia illius in choro summa erat. 939
Vir mitis ad omnes fuit. 953
Ob terrenorum cõtemptum, zelumq; animarum, & maximè propter insignem illius humilitatem, Deus multis donis eum cumulauit. 938
Erga pauperes, peregrinos, item & leprosos, admodum benignus fuit. 944.946
Quidam de Florentio dicebat, nunquam mihi malè cessit, quoties eius consilium sum sequutus. 956
Calumnias ab hominibus patitur, 937
Magnæ humilitatis fuit. 630.
Habitus ipsius vilis, talis & supellex. 938.340
Rarò domum egrediebatur. 939
Inseruiebat suis, etiam quandoque coci officio fungens. 942
Manibus laborabat, vt reliqui: libros quoque scribebat. 943
Varij sacræ Scripturæ sensus ipsi occurrebant, cùm eam legeret. 956
Crucifixi imago visa fuit supra domum ipsius. 952
Precibus aliorum sæpe ab agritudine graui conualuit. 949.950
Fuit semel per angelum valetudini pristinæ restitutus. 950
Aliquando ipse bibit vnum pro alio, veluti oleum pro cereuisi. & vinum pro acida cereuisia, cui gustus propemodum perierat. 948
In exhortationibus suis, à quæstionibus abstinebat sublimibus 955
Sermo eius, tum apud priuatos, tum ad populum erat valde efficax, 956

Semper alios ad meliora, ad emendationem, ad perfectionem exhortabatur. 954
Vnus in puteum decidit, à quo euasit incolumis, dum ipse ad multos cõcionem haberet. 951
Notabiles illius instructiones. 965
Religiosum quendam per epistolam monuit, ac de multis instruxit. 964.
Monere alios solitus erat, ne sua iuramento confirmarent. 958
Qua hora ipse obijt. 962
Quidam defunctus, cùm appareret suæ vxori, narrauit ei, quanta gloria donatus esset Florentius in cælo. 965
Flos campi, vide *Christus.*
Fragilitatis nostræ semper simus memores, Deus tamen eam adiuuabit, si animo celso fuerimus. 20
Considerandæ propria fragilitas. 239
Fragilitas hominis magna est. 340
S. Francisci laudes. 52
Fratrum concordia. 5
Frigus sic pertulit Liduuina, vt lachrymæ ab oculis defluentes, gelu concrescerent, quæ igne resoluendæ erant 835
Fructum colligere debemus ex aliorũ dictis & factis, etiamsi peccata esse viderentur. 323
Fuga sæculi. 513
Fuga in aduersitate non prodest: sed animum faciunt tranquillum tolerantia & patientia. 19
Furtum, vide *Agnes.*

G.

In propria voluntatis resignatione, magnum gaudium est positum. 37
Gaudium, vide *Latitia, Conscientia bona, Obedientia.*
Gaudium, bonæ conscientiæ inesse solet. 337
Gerardi magni vita. 890
Interpretatio nominis eiusdem. ibid.
Anno 18. ætatis, suscepit gradũ magisterij. 891
Conuersus fuit à Priore quodam Carthusiano. ibid.
Vt autem sese colligeret, Carthusianos adijt, apud quos aliquandiu egit. 894
Cõuersio illius fuit reuelata cuidam solitario Coloniæ. 891
Vita eius non fuit post conuersionem diuturna. 900
Stultus fuit habitus ab alijs propter conuersionem. 893
Cõuersus mox beneficia deseruit, atque vestibus simplicibus induitur. 893. 915
Ioannem Rusebroec, virum sanctitate & doctrina celebrem, adijt, iuxta Bruxellam morantem, vt ab eo in vita spirituali erudiretur. Cuius mors fuit paulo post reuelata huic Gerardo Magno, eumq; per horam fuisse in purgatorio. 899
Viuendi regulas sibi præscripsit. 915
Ieiunia & abstinentia ipsius qualis extiterit. 922
Missam quotidie audiebat. 604. 920
Catalogus virtutum eiusdem atque gratiarum. 909
Quæ fuerit eius tum viuendi, tum vestiendi ratio. Mulierum colloquia aspectumq; supra modum vitabat: nullã autem domum suam patiebatur ingredi. 900
Aliorum saluti & profectui sedulo incumbebat. 907
Nonnulla monasteria, & pias congregationes instituit. 909
Prophetico spiritu donatus fuit. 904
Laudabat plurimum Florentium, quem

quem etiam congregationi moriens præfecit. 912
Diu orabat, ieiunabat frequenter, ciliciumq; gerebat. 895
Dissidentes in pacem sua oratione adduxit. 903
Libros optabat diligenter asseruari, sed eos nolebat esse ornatos. 905
Quos libros sibi legendos proposuit. 920
Tenebatur magno desiderio legendi sacram Scripturam. 904.905
Quãdo horas canonicas persoluebat varij sacræ Scripturæ sensus ei occurrebant, adeò quòd nullo tædio eas legendo afficeretur. 903
Magno sensu afficiebatur orando, & sacra legendo. 903
Valde à quodam Parisiensi doctore commendatur. 913
Quotidie cum aliquibus mutuos defectus obseruatos sibi dicebant. 903
Solitus erat dicere studiosis, lectionem tantum eis prodesse, ac si dominicam orationem recitarent. 912
Necromantia duplex est, naturalis & Diabolica, aliquando fuit à maleuolis de ea suspectus. 906
Scripsit plures epistolas ad consolationem absentium, & instructionem. 905
Suam fidem & doctrinam scripto testatam voluit. 914
Comparatur tribus arboribus, oliuæ, cedro, & palmæ, propter ipsius misericordiam, rerum contemptum, & de vitijs partam victoriã. 908
Æmulos habuit, quos ratione cuicit. 906
Propter obloquia nonnullorum, desiit ad tempus concionari. 897
Pluribus in locis conciones habuit cũ summa auditorum frequentia, & vberi fructu. 909
Supplicat vnus summo Pontifici, vt liceat ei concionari liberè. 926
Priusquã cõcionaretur, antè per triennium dedit se orationi & lectioni. 896
Quo anno obierit. 912
De ipsius sepultura, obitu, & epitaphio. 911 927
Gerardus Sutphaniensis fuit vir bono ingenio, & literis deditus, vt etiam doleret quando lectiones intermittebantur. 999
Quædam opuscula composuit. ibid.
Gestus externi hominem internum detegunt. 10
Gloriæ cælestis desiderium vide *Desiderium.*
Bona cælestis gloriæ. 135
Gloria inanis quomodo possit expelli. 52
Lucifer cum assectis per gloriam inanem decidit è cælo. 74
Remedia contra inanem gloriam in bonis operibus. 27
Gloriæ inanis contemptus. 64
Inanis gloria cauenda in bonis operibus, & in sui ipsius æstimatione. 31
Ex inani gloria boni operis fructus perit, suppliciumq; accrescit 27
Angeli, licet sint natura & dotibus illustres, non tamen inani gloria afficiuntur.
Gloria, vide *Tribulatio.*
Quæ sit vera vel falsa gloria. 352
In nulla re gloriandum hic. 397.398
In solo Deo gloriandum, non autem in alijs. 327 371
Gloriæ æternæ consideratio, illiusq; desiderium. 403.404.405
Gloria æterna, vide *Vita æterna,*

Anima, Appetenda est. 624
De cælestis gloriæ desiderio, deq; laude Dei æterna. 561
Animæ gemitus præ desiderio gloriæ prorogatæ. 492
Gloria Angelorum in cælo quanta & qualis. 562
Quidnis agendum, & quidnis patiendum, pro gloria adipiscenda. 757
Commendatio cælestis gloriæ, & quomodo in ea laudetur Deus. 708
Quæ personæ ornant illam. 495
Memoria cælestis gloriæ. ibid.
Gloria inanis cauenda. 662
Contemnenda est. 740
Remedia contra eam, & contra laudes hominum 748. 749
Gratia Dei, vide *Tristitia, Vnio animæ.*
Superbia causat gratiæ defectum. 588
Præsentem gratiam, optimè est anima & contra. 474
Grata debet esse anima pro omni bono, & pro beneficiis quibuscunque acceptis. 539. 448
Quòd nos Deus ad suam imaginem fecerit, multæ ei gratiæ habendæ sunt. 507
Pro tot creaturarum vsu, agenda Deo gratia. ibid.
Gratiæ omnibus in rebus Deo semper habendæ. 30
Gratia, vide *Natura.*
Gratiæ diuinæ vis & necessitas. 413. 414
Diuinæ gratiæ efficacia, item mala naturæ corruptæ. 413
Gratia sub humilitate occultanda. 369
Gratia recedente, qualis homo remanet. 54
Quàm sint diuersi motus naturæ & gratiæ. 411

H

HAbitus, vide *Religiosi.*
Habitus & cultus indicant, qualis homo externus. 10
Habitus non facit monachum. 51
Henricus Brune fuit verus Israelita, simplex, candidus, vt columba, orationis & silentij amans. 995. 996
Nunquam horas canonicas intermisit, vsque ad mortem. 998
Cum is sacrificauit, Christus ei apparuit in forma humana, in eleuatione sacrosanctæ Eucharistiæ, quod ei contigit propter quendam dubitantem. 996
Hierusalem cælestis dedicatio. 135
Homo in hoc mundo, debet esse instar peregrini & exulis. 342
Mala hominis non sese colligentis interius. 351
Homo internus, nunquam se totum ad externa effundere debet. 348
Homo debet cogitare, se esse omni consolatione indignum. 409
Homo, vide *Inconstantia, Miseria, Habitus, Sermo, Mores.*
Honores, vide *Vanitas.*
Honores sunt spernendi. 392
Honorati, vide *Diuites.*
Horæ canonicæ deuotè sunt persoluendæ. 696. 614
Horis canonicis expletis, à quibus cauendum. 615
Acedia pellenda est in officio diuino recitando. ibid.
Horæ canonicæ septem. 266
Quomodo cani debeant. ibid.
Imminuunt purgatorij pœnas, si deuotè canantur. 24
Quidam dixit alteri, se nunquam sensisse

sensisse defatigationē ex officio diuino. 25. vide *Officium diuinum, Exempla, Dormire, Henricus Brune.*
Cùm hora signum datur, quid cogitandum. 995
Hospites cùm multi aduenissent, proijcitur rete, capiuntur autem tot pisces, quot hospites aduenerant. 628
Hostes, vide *Scutum, Orationes iaculatoria.*
Humilitas, vide *Sapientia, Docti, Cedere alijs, Defectus, Contemptus sui, Communio, Gratia, Trinitas.*
Humilitatis laudes. 590
Exhortatio ad humilitatem. 764
Fundamentum est totius sanctitatis. 799
Paupertas Deo est ingrata absque humilitate. 583
Quicunque sunt humiles, semper Dei gratia diteſcunt. 588
Christus ipse eam nos docuit. 750
Qui sint mores humilium. 707
Illustre exemplar in Christo. 583
Quibus delectetur verè humilis. 581
Valde placet Deo, humiliare se, & peccatorem se agnoscere. 488
Necessaria est subiectio sub Deo & sub homine. 742
De humilitatis custodia. 239
Humilitas etiam à superbis laudatur. 42
Fundamētum est spiritualis ædificij. 137.
Nostra humilitate placatur Deus. 100
Diaboli techna vincuntur humilitate & obedientia. 82
Humillimi in terra, Iesus & Maria, sunt in cælo super omnes exaltati. 94
Christi humilitas, miraculorum maximum. 123
Humilis se vilem æstimare debet. 370
Omnes sancti fuerunt humiles. 356
Quid agat Deus cum humili. 349
Multa pace fruuntur humiles & pauperes. 351
Oportet se sub omnibus humiliare, & nulli se præferre. 327
Humilitati seriò est incumbendum. 1032
Hydropica fuit Liduuina pluribus annis. 832
Hypocrita religiosus diu latere non potest. 10

I.

IEiunium, vide *Purgatorium.*
Iesus, vide *Amor, Misericordia, Scriptura, Fatigatio, Doctrina, Dolor, Familiaritas, Conuersatio.*
Iesus Christus, aureis literis scriptum in corde S. Ignatij. 184
Iesum hic videre, quid sit. 215
In omni opere inuocādi Iesus & Maria. 99, 100
Dulcedo multa inest nominibus Iesu & Maria. 99
Dæmon profugit, inuocatis nominibus Iesus & Maria. 98
Quid agendum sit, vt Iesus à nobis videri possit. 214
Dulcissimum est Iesum in cunis contemplari. 221
Iucundissimum est videre Iesum in medio doctorum, eumque audire. 222
Dolor de amisso Iesu. 217
Quid faciendum, amisso Iesu. 220
Cur voluit Iesus amitti. 228
Iesus est super omnia amandus. 352
Quomodo Iesus solet amitti. 353

Iesus quid sit pijs. 504
Iesus vbi quærendus. 569
Nomina Iesu & Mariæ in omni re inuocanda. 544
Iesu & Mariæ nomen sæpe in ore, sæpissime in corde vsurpandum. 746
De accessu ad Sanctum Sanctorum, regem Angelorum Iesum Christum. 497
Iesu nomen, vide *Ioannem Brinckerinck.*
D. Ignatius, vide *Iesus.*
D. Ignatij martiris laudes. 184
Imago, vide *Maria.*
Imitatio, vide *Maria.*
Imitanda Christi vita. 322.414
Imperfectiones, vide *Defectus, perfectio, Amandus proximus.*
Aliorum imperfectiones sunt patienter perferendæ. 332.350.
Imperfecti in omni loco inueniuntur. 21
Imperfectiones aliorum patienter & ex charitate ferendæ sunt. 657 741
Incarnationis Christi beneficiũ, per maximum est. 508
Incarnationis Christi mysterium, res magna est. 178
Meditandum de ea, tempore aduentus. 189
Cur Christus naturam hominis assumpserit. 211
Reuelata fuit Patriarchis & Prophetis, variisq; modis fuit præfigurata. 189.190
Testimonia de Christi incarnatione ex nouo Testamento. 179
Testimonia item doctorum. 184
Testimonia item mulierum & virginum. 186
De incarnatione Christi contra Iudæos. 176
Duæ sunt causæ, cur Iudæi non credant incarnationem Christi. 173
Incendium, vide *Agnes.*
Incendium ciuitatis suæ prædixit Liduuina. 870
Lecti sui incendium, extinxit Liduuina manu sua absque adustione. 842
Inconstantia hominis, est magna. 81
Inconstantia humani cordis. 655
Indeuotus, vide *Deuotio, Recollectio sui.*
Infans Iesus, vide *Iesus.*
Infernus, vide *Religio, Exemplum, Mulier.*
Quales sint inferni pœnæ. 18
Inferni ignis quidnam comburat, & quàm sit ipse grauis. 343
Cholicæ laborans, orando ante sanctissimum Sacramentum, fuit sanatus. 144
Infirmari vult religiosa pro sua matre. 82
Magnum bonum est infirmari & pati propter seruitium Dei. 45
Oportet infirmis compati. 657
Infirmi, vide *Hydropisis, Purgatorium, Peccatores, Natiuitas Christi, Virginitas, Medicus, Missa, Lazarus, Confessio.*
Angeli numerabant passus eorum, qui visitabant Liduuinam ægrã. 835
Variis fuit afflicta doloribus & infirmitatibus vsque ad mortem Liduuina, veluti dolore capitis & dentium, febribus, hydropisi. 833. 834
Quando Liduuina cepit infirmari. 829
Subinde Christus cum amplo comitatu visitauit infirmam Liduuinam. 851

Cùm infirmari cepisset Liduuina, principio non fuit omnino resignata ad Dei beneplacitũ: At per dominicæ passionis meditationem, & Eucharistiæ sumptionem planè in voluntate Dei cõquieuit. 848.858

Cùm aliqui partes pulmonis, hepatis, ac intestinorũ, quæ ipsa eijciebat, attigissẽt, manus remanebãt suauem spirantes odorem. 832

Scatebat ipsa vermibus, qui tamen tetrum non emittebant odorẽ. 831

Annis triginta tribus ipsa terram nõ attigit. 831

Optabat ipsa alias infirmitates ad priores adiungi. 834

Pauci meliores fiunt ex infirmitate. 341

Inimicus latuit in cubiculo Liduuinæ, ingreditur aduersarius, nec eum vidit. 830

Iniuriæ, vide *Pati.*

Multa pace fruitur, qui nouit pati iniurias. 83

Iniuriæ sunt æquo animo ferendæ. 379

Iniuriis lacessitus, debet in Deo suam confidentiam ponere. 401.402 vide *Purgatorium.*

Innocentes, vide *Malitia.*

Inquietus, vide *Passiones, Obedientia, Appetere.*

Quinam fiant inquieti. 327

Pro intellectus illuminatione oratio. 384

Intẽtio in omni re debet esse recta, & in Deum ferri. 350.392

Intentio in Deo rectæ habẽdæ est. 567

Inuentæ, vide *Salutatio angelica.*

Inuidia, vide *Diabolus.*

Diui Ioannis Euangelistæ laudes. 751

Ioannes Blinckerinck pijs in cõcionib. placebat, displicebat autẽ mundanis, quorum vitia arguebat. 975

Idẽ tanti sacerdotiũ fecit, vt diceret se optare quatenus posset tam facilè illud exuere, quàm vestem. 977

Concionatus est & ipse contra abusum nominis Iesu. 976

Ioannes, cognomine Cacabus, pauperum erat amator. 1011

Mendicauit aliquando, non iussus sed sponte. 1009

Confecit sibi quasdam spirituales instructiones & regulas vitæ. 1013

Orationi plurimũ addictus erat, adeò vt culinã faceret oratoriũ. 1005

Damon, item & Christus, visitarunt hunc Ioannem ante mortem. 1012

Dixit aliquando studiosis, legimus in sacra Scriptura scriptum, Beati pauperes spiritu, sed nusquam, Beati magistri artium. 1009

Cæteris meliora dabat, (coquus enim erat) sibi verò deteriora seruabat. 1008

Diues mercator antea fuerat, sed omnibus relictis se commisit Florentij disciplinæ. Solebat quoq; orare per plateas. 1007

Nunquam se excusabat, cùm increpationes sustineret, humiliter autem semper respondebat. 1010

Ioannes Gronde, fuit concionator valde celebris, Gerardi Magni amator, in cuius latere sepultus est. 973

Ioannes Rusebroec, vide *Purgatoriũ. Gerardus Magnus.*

Commendatio eius. Fuit Prior in Viridi Valle prope Bruxellam, & v magnæ sanctitatis & doctrinæ. 85

Irrisiones plures sustinuit Liduuina, tanquam stulta à plerisq; habita, propter raptus ipsius. 836

Iter facere, vide *Religiosi.*

Ab itinere digressis, cũ Aue Ma. recitassent

tassent, occurrit dux via. 79
Iudicia Dei non scrutanda, veluti cur hic patiatur, ille verè prospere agat. 49
In iudicio extremo, nullæ aut appellationes aut excusationes prodesunt. 64
Ibi accusabunt nos vniuersi hominum ordines, etiam ipsa elementa. 58. & seqq.
Iudicium Dei metuendum. 343
Quibus de rebus in die iudicij examinabimur. 324
Dei iudicia non scrutanda. 375. 376 416
Iudicia temeraria sunt reijcienda. 331. 352. 397.
Iudicandus nemo, tametsi malus appareat. 323
Iudicium proprium, vide Sapientia.
Proprio iudicio minimè standum. 327
Iudicium Dei timendum. 448
Ibi nullus erit locus sese occultandi, omnia iudici patebunt. 449
Iugum, vide Religio.
Iusti, vide Boni.
Iusti per aduersa probantur. 537
Iustificationis beneficium maximum est. 509
Coram Deo nullus mortalium se iustificare audeat. 738

L.

Labores, vide Purgatorium.
Laudabile est laborare ac defatigari (cum discretione tamen) propter obedientiam. 236
Laborantes, ne tædio afficiantur, quid expendere debeant. 7
Piger ad labores vocatus, cogitet se manibus & pedibus ad martyrium trahi. 39
Labor Religiosis est vtilis, imò necessarius. 612
Laborare manibus, vide Florentius.
Lac in vberibus virginis, vide Natiuitas Christi.
Lac, vide Crucis signum.
Lachrymarum piorum hominũ fructus. 493
Tum pij, tũm mundani lachrymantur quidem, sed varias ob causas. ibid.
Lapsus in peccatum cur nõnunquam accidat homini. 521
ob Lapsum, nemo desperet. 21
Lapsus non desperet. 415
Laquei diaboli multiplices. 613
Latere, vide Lucerna.
Laudandi sunt quidam, sed sobriè. 52
Laudes hominum non appetendæ. 39
Laudes & vituperia aliorum nõ sunt curanda. 352
Laudare & laudari vanitas est. 740
Laudes Dei, vide Chorus, Matutinæ, Vigiliæ, Silentium, Horæ Canonicæ.
In omni re semper lauda Deum. 661
Etiam in paupertate deuotionis laudandus est Deus. 537
De laude Dei æternæ. 532
Officium est honorificum laudare Deum, quod est Angelorum & Sanctorum. 744
Vir iustus in omni sua actione laudat semper Deum. 755
De Lazaro & infirmo institutio. 553
Lectio, vide Scriptura sacra.
Lectio sacra, quos fructus generet. 43
Lectionis sacræ vtilitates. 522. 695
Vacandum sæpe sacræ lectioni. 516
Lectus, vide Incendium.
Legere, vide Scribere.
Leuitates, vide Dissolutio.
Libertas nimia est noxia. 338

Libri pij sunt subinde legendi, qui ad compunctionem conferant. 325
Libri quomodo legi debeant. ibid.
Liberalitas vide *Dispensator.*
Libido, vide *Mulier.*
Libros scribere, vide *Florentius.*
Librorum sacrorum tum laudes, tum necessitas. 1001
Libri, vide *Religio.*
Libri bibliothecæ sunt diligenter asseruandi. 703
Fructus multiplex ex libris sacris. 702
Opus est pium, libros scribere, item & meritorium. ibid.
In memoriæ subsidium libri conscribuntur. ibid.
Librorum sacrorum laudes. 239
Liduuina, amoto ex plumis lecto, deinceps iacuit vel in stramine, vel supra asserem. 835
B. Liduuinæ meminit Thomas à Kempis. 1022
Liduuina, vide *Amor, Angelus, Aqua, Armus porcinus, Cibus, Cineres sacri, Corona, Damnatus, Debita, Defuncti, Eleemosyna, Eremus, Eucharistia, Frigus, Hydropisis, Incendium, Infirmi, Inimici, Irrisiones, Lectus, Lux, Maria, Medicus, Mendacium, Milites, Natiuitas, Odor, Officium diuinum, Parentes, Pauperes, Peccatores, Pratum, Propheticus spiritus, Prudentia, Purgatorium, Raptus, Solemnitates, Sõnolentia, Tangi, Tristitia, Viduus, Vinum, Virga, Virginitas.*
Lilium, vide *Castitas.*
Lilium conuallium, vide *Christus.*
Lingua verbosi, restli alligatur quando silentium ei imponitur. 39.
Litera sacræ, vide *Scriptura sacra.*
Loci mutatio, sæpe non prodest. 327
Locus nullus hic tutus. 479
Loqui de Deo frequenter, plurimum recens conuersis prodest. 671
Sapienter Loquendum est. 557
In consessu Patrum & seniorum non decet iuuenes loqui. 634
Loqui, vide *Lingua, Multiloquium, Sermo, Silentium, Verba, Fabulæ, Profectus, Conuersatio.*
Parce loquendum cum secularibus. 17
Qui non nouit prudenter loqui, taceat, & sapiens reputabitur. 26
Accepta occasione, de Deo loquendum cum aliis. 236
Non caret periculo, loqui de rebus altis. 30
Cur tantopere colloqui & confabulari desideremus. 328
Qualia sint, quæ vt plurimum loquimur. ibid.
Loquutio Christi interna cum anima. 363.364.365
Lubertus Berneri, parentibus inuitis ad Florentium confugit. Cuius pater cùm æger vsum linguæ amisisset, vocatusq; ad eum filius aduenisset, mox cœpit loqui. 979
Fuit valde humilis, maximè, quando admonebatur de aliquo, vel reprehendebatur. 981
Vocatus à Florentio, mox eum adibat, etiam litera imperfecta. ibidem.
Aliquas pias institutiones sibi confecit, quas obseruaret. 992
Epistolam humilem scripsit ipse ad Florentium absentem, cum esset vicinus morti. 986
Pia eius mors, & ad fratres exhortatio. 985

Morti

Morti proximus fuit à dæmone tentatus, quem hortabatur, vt in proprijs meritis confideret. 989
Vidit in extremis mirabilia, vt astantibus sibi retulit. 991
Florentius absens per epistolam eam iam mortuum magnificè laudauit, in qua sui animi dolorem ex ipsius obitu declarauit. ibid.
Luce magna Liduuinæ cubiculum resplendebat, in aduentu vel Dei, vel angeli, visitantis. 851
Lucerna est in nocte ardens, qui manet in abscondito. 47
Lucifer, vide *Silentium*, *Gloria inanis.*
Ludens verberibus malè excipitur à colludentibus, quia non erat ei soluendo. 30
Luxuriæ tentationem quomodo quidam à se expulit. 25
Inferni supplicia expendant, luxuriæ dediti. 159
Luxuriæ tentatio propulsanda est, timore pœnæ æternæ. 542

M.

Magistrum qui habet Christum, is felix est. 323
Magnus quis verè sit. 325
Mala, vide *Multiloquium*, *Peccatum.*
Malo mox occurrendum. 29
Mali, vide *Boni.*
Mali semper bonis admixti. 21
Si prosperè agant mali, & boni affligantur, nemo scandalizari debet, quia iudicia Dei abyssus multa. 33
Mandata Dei, vide *Pax.*
Dei & superiorum mandata sunt obseruanda. 14
Magnum Christi consideratio. 211
Mare, vide *Cœnobium.*
Maria nulli deest. 102
Portus est omnium tutissimus. 110
Templum est Salomonis. 108
Encomia eius. 109
Nobilis fuit Mariæ ortus & prosapia. 108 109.
Ad nomen illius dæmones profugiunt. 103.
Imitari eam sedulo debemus. 101
Figurarunt Mariam multæ fœminæ in veteri Testamento, sicut viri Christum. 108
Ab omnibus laudatur, & vbiq; colitur. 109
Mariam loquutam quater legimus. 162
Magnam habet causam exultandi in spiritu. 213
Maria 12. stellis, id est, 12. prærogatiuis ornata. 109. 110
Mariæ dolores, quot & quanti fuerint. 104
Eius dolores de filio patiente superant omnium martyrũ perpessiones. 94
Mater condolens filio, & Christus in cruce pendens, quale fuit spectaculum. ibid.
Ad Mariam precatio. 111
Monet vnum ipsa fluctuantem, vt perseueret in religione. 98
Maria adeunda & inuocanda in omni tribulatione. 95
Potiùs commendatur ab Angelo ex virtutum plenitudine, quàm à castitate, quæ tamen in ipsa miranda extitit. 154
Matri suæ nihil negat filius. 103
In morte eorum adest, qui ipsi fuerunt deuoti oratq; filium pro ijs. 100
Quid nobis conferunt Mariæ memoria & dilectio. 107
Quæ sunt illa, quæ in nobis Maria diligit. 102

Cure-

Curemus nobis Christum ostendi per Mariam. 214
Maria, vide *Salutatio Angelica, Iesus.*
Quæ ab ea petere debemus. 621
Quicquid vis obtinere à Deo, per Mariam pete. 622
De laudibus salutationis Angelicæ. 502.
Eius frequenter memores esse debemus, & sæpe à nobis inuocanda est. 621
De illius consolatione erga nos. 503
Multa est eius erga peccatores misericordia. ibid.
Tum iustos tum peccatores ipsa hortatur, vt ad se veniant. ibid.
Tentationis tempore, ad eam est recurrendum admodum misericordem. 500
Maria prædixit patri Liduuinæ virginis, quòd eum esset ex hac luce euocatura, pridie suæ Conceptionis. 839
Deuotio ad imaginem eius. 827
Ipsius imago non potuit loco moueri, cùm esset aliò naui abducenda. ib.
Incendij causa extitit quædam irreuerentia, ipsius imagini facta 870
Liduuina adhuc paruula, solebat adire templum, vt Mariam salutaret, cuius semel imago ei arrisit. 828
Maria sertum ex floribus confectum. capiti Liduuinæ imposuit. 856
Maritus vxori apparet defunctus, cui reuelauit amplam Florentij gloriam, simulq; dixit vxori, eam breui hinc emigraturam. 963
Martyres, vide *Obedientia, Religiosi, Pauperes.*
Piè viuentes sunt martyres. 41
Martyrium, vide *Obedientia.*
Mater, vide *Religio.*
Matrimonium, vide *Virginitas.*
Matutina, vide *Vigilia.*
A matutinis paululũ meditari optimum est. 696
Medicus dixit parentibus Liduuinæ duo, tũ illa laborare morbo incurabili, tũ optare se, vt talem sobolem haberet, vnde plurimũ gaudij acciperet. 830
Meditari alta qui nõ nouit, passionem Christi contẽpletur & humilia. 133
Meditari & vitam & passionẽ Christi, res optima. 620
Dulcedo est animæ, sæpe de Deo meditari. 490
Medium semper tenendum est, vide *Discretio.*
Mendacium noluit dicere Liduuina, cùm rogaretur, nũ cubiculum hostis vnius esset ingressus, vid. *inimicus.*
Mens vt plurimum in Deum dirigenda est. 757.538
Mens, vide *Intellectus.*
Merita nostra non sunt ex consolatione pensanda. 370.371
Miles & militia, vide *Religiosi, Bellum, Confessores.*
Militi suo Christus duo promittit, hic consolationem, & in futuro gloriam. 58
Quamdiu nostra militia durabit. 73 75
Qua in re sita est Christiani militia. 73
Virginum, puellarum, & viduarum quarundam militia. 71
De militia spirituali contra vitia. 67
Milites inhumaniter Liduuinã virginem tractarunt, vt sanguis ex ea copiosè profluueret: neq; vltionem eius rei admisit. 885
Miraculum, vide *Florentius.*

Miraculo maius est scire latere, & sui curam gerere sedulam. 337
Miseria, vide *Confessio, Necessitates corporis.*
Miseria humana est magna. 339
Animo forti perferenda. 378
Miseria hominis quanta. 28.29
Misericordia Dei, vide *Peccator.*
De misericordia Iesu in peccatricem adulteram. 237
Miseratio diuina, vide *Fiducia.*
Misericordia Dei, quàm sit magna erga peccatores. 489
Quid cogitandum in missa in elcuatione Eucharistiæ. 143
Per missa sacrificium infirmus fuit sanatus. 144
In Missa orandum est pro defunctis. 431.
Missa vide *Eucharistia, Agnes.*
Quorũ debeamus meminisse in missa. 1037
Dum Euangelium legitur, & in reliquis partibus missæ, quibus ceremoniis vtendum sit. 920
Mitem ad omnes esse decet. 657.658
Modus omnibus in rebus seruandus est, vide *Discretio.*
Moyses in nocte cum Domino, quid audierit; & quæ eius & Christi colloquia fuerint. 169
Monasterium, vide *Cœnobium, Carthusianus.*
Monasterij tum ornatus tum dignitas. 703
Mores boni religiosi qui sint. 518
Mores externi ostendunt, qualis sit homo internus. 10
Moriendi desiderium. 457
Mors bona optanda. 456
Mori & mortui mundo. 458
Quidam princeps morituru dicebat, pauper & ouium custos moriens multo me felicior est. 653
Optanda in morte nostra, Iesu, Maria, Angelorum & sanctorum præsentia. 457.458
Domino cuidam morienti dicebant plures, Domine, quid nobis pro præstito officio relinquis? Quibus ille: En omnes quæ sua sunt quærunt, nemo de anima mea cogitat. 653
Mortis hora incerta est, vita autem breuis. 359
Mors, vide *Tempus, Festa, Maria.*
Mors multorum varia. 342
Mortis meditatio est vtilis. 341
Quotidie habenda mortis memoria, manè & vesperi. 341.342
Quæ sunt, quæ post mortem proderũt, vel oberunt. 343
Talis sis in vita, qualis in morte velles inueniri. 324
Mortificatio, vide *Obedientia.*
Toties coronas accipit, quoties quis se mortificat. 37
Quænam morientem poterunt consolari. 341
Mortificatus qui est, ex quauis re fructum colligit. 349
Qui mortificatus est, magis Deum gustat quàm alius. 329
Vir non mortificatus, facilè tentatur & vincitur. 326
Mortificationis suiipsius studium. 795
Mortui & mors, vide *Defuncta, Maria, Raptus, Amor, Tristitia.*
Mulier, vide *Eua.*
Mulier libidini dedita post mortem fuit visa in inferno. 870
Multiloquium periculo non caret. 30.
Mundo nuntium remittere, magnum Dei beneficium est. 1034
Renuntiantibus seculo qualia soleãt vel

vel amici, vel seculares obijcere. ibid. Mundi odium. 529. Mundanorum contemptus. 146. Mundus corde, vide Doceri. Mundani non carent sua cruce. 374
Munera, quæ Deo, pro modulo & facultate offerũtur, gratissima sunt. 929 Munera sunt Christo offerenda, eaq; varia. 134.135
Mutatio loci seu ordinis, vide exempla. Improbatur migratio ad alium ordinem. 49. Mutatio, vide Locus. mutabile est cor hominis. 392

N.

Narrari alijs nõ debẽt nisi vtilia. 633
Natiuitas atque ortus Liduuinæ fuit matri facilis, cùm in cæteris laborare soleret. 826. In Natiuitate Christi, virgo Liduuina habuit ubera lacte plena. Virgines sunt aptissimæ, quæ infantem Iesum alant. 852. Vidua infirma vbi suxit Liduuinæ vbera, curata fuit. ibid. Nato Christo, quid pastores viderint & audierint. 201. Noctis illius laudes. 189. Meditatio ad præsepe Domini. 203. vsque 210. Surgendum est in nocte natiuitatis Christi. 199
Natura, vide Grátia, Peccatum.
Necessitatibus corporis subijci & seruire permolestum est, & magna miseria. 339. Sancti cupiunt liberari à necessitatibus corporis. 340
Negligẽtia nostra deploratio. 451.456
Negotia, vide Sapientia, Agere.
Nomina, vide Iesus, Maria.
Nouitates nec audiendæ sunt, nec referendæ 632.633. Nouis audiendis qui delectantur, audiant Christum de gloria, iudicio, &c. loquentem. 523
Nouitius tentatus de religione deserendaquibus se rationibus iuuit. 679. Ingruit nouitiis periculum, ex consortio mundanorum. 677

O.

Typus obedientiæ, Samuel est. 13. Cõmendatio huius virtutis. 27. Superioribus obediendũ 13. Obedientia bona. 75. Prompta obedientia, 123. Deus custodit simpliciter obedientes, alios verò labi permittit. 24. Obedientia, cibus est religiosorum. 237. Verus obediens semper in gaudio est. 27. Obedium Deo angeli, etiam & alijs angelis, itẽ Christus Deo & hominibus. 71. Voluntatem suam mortificans obediendo, alter est Abraham, filium suum immolãdo. 38. Quicquid agit obediens, ei in lucrum cedit etiã edẽdo & dormiendo, &c. 27. Meretur obediẽs, etiam bona deserendo, iussu obedientiæ. ib. Martyr est verus obediẽs. 37.39. Obedire alteri, optimum est. 327. Exemplo Christi superiori obediendum 375. Obedientiæ laus & meritum. 636.693. Exempla obediẽtiæ in Christo & Maria 608. Item in Abraham Patriarcha. 609. Scientiam, potentiam, & quamuis dignitatẽ precio vincit obedientia ibid. Deo magis obediendum quàm parentibus aut amicis. 681. Martyrij quoddam genus est obedientia. 645. Studium obedientiæ lenit animum, & profectum adducit. 697. Apud Deum quanta sit virtutis obedientia. 566 De subditi obedientia erga suum superiorem. 607. Obedientia, vide Charitas, Lubertus, Opera, Victoria sui. (1002
Superiori tãquam Christo obediendũ.
Oblatio sui omni ex parte. 506

Offerre Deo debemus & nos & nostra quando communicamus. 430, 431
Oblatio sui, vide Offerre.
Occupatio, vide Opera.
Ociosus in toto nunquam sis. 336
Oculi non in alios, sed in seipsum flectendi. 338. Oculos claudēs, ne videant vanitates, cogitet sibi oculos erui cum martyribus. 39
Odor suauis, vide Virga. Cubiculum Liduuinæ suauis perfundebatur odore, quando visitabatur ab angelo, vel cùm à raptu ad se rediret. 850.
Oeconomus, vide Dispensator.
Officium diuinum, vide Horæ canonicæ. Tempore diuini officij à quibus est abstinendū. 133. Officij diuini tempore, magis de somnolētia, tentantur homines. 836. Pater Liduuinæ cùm esset vesperas pomeridianas, pridie Pentecostes, auditurus; à dæmone, sub habitu personæ notæ, abducitur, quem propemodū ibi submersit. 838
Oleum feruens, vide Crucis signum.
Onera aliorum patienter ferēda. 526
Opera, vide Iesus, Obedientia, Gloria inanis, Peccatū, Agere. Sentiendū semper humiliter de suis operibus. 239. 240. Quæ agimus opera sine obedientia, sunt parui meriti, 27. Opera iussu obedientiæ facta, sunt maximi meriti, & gratissima sunt Deo. ibid. Opera absq; charitate facta, nihil prosunt. 28. Propter obedientiam nonnunquam bonum opus est deserendum. 27. Opera & exercitia quotidiana, quādo fieri, & quando intermitti debeant. 335
Opus bonū aliquando intermitti debet, ob aliquod bonum. 332. 335. Opus quoduis ex charitate factū est fructuosū. 332. Insistentiū humilib. operibus, quando altioribus nō possumus. 408. In nonnullis operibus videtur esse charitas, cùm sit mera sensualitas. 332. Qui multum diligit, is multum operatur. ib. Opera nostra, prius quàm foras prodeant, debent intus ordinari. 335. Opera bona, vide Tribulationes. Ante quodlibet opus orandū. 667. Lauda semper Deum in omni opere. 661. Manibus operando, quid sit medicandum. 697
Opus manuum commendatur. 695
Opiniones, vide Pax.
Opiniones & cōtentiones in scientia, euitandæ sunt. 323
Oratio magis eleuat mentem, quàm lectio. 386. Oratio, vid. Cordis mūditia, Quadragesima, Profectus, Humilis, Opus, Accedens ad Deū. Deuotio, Voluntas Dei, Intellectus, Cogitationes, Oratio ad Christum, intercedente S. Agnete. 125. Ex oratione & colloquio cū Iesu transformamur, & gratia replemur. 229. Aliquando oratio deserenda est, vt proximo aut alteri rei seruiamus. 230. Fuit admiranda oratio Christi in cruce. 268. Oratio ad Iesum & Mariam. 101. Oratio ad Deum feruenter laudandum. 745
Oratio ad Christum, pro gratia ipsius impetranda. 549. Oratio ad Christum salutandum. 768. Oratio pro amore virtutum & odio vitiorum 765. Oratio tempore tribulationis & angustiæ. 766. Oratio pro agnoscenda & sequenda vitæ via. 767. Oratio pro felici consummatione virtutum. 617. Oratio & gratiarum actio pro beneficijs acceptis. 510. Oratio pro integra-

gra sui & omnium rerũ abnegatione. 762. Oratio pro contritione suorum peccatorum. 764. Oratio, vt mẽs corporali sarcina & imaginatione liberetur. 758. Oratio ad Deum, qua petit autor sibi & otiũ & industriam bene cõponendi soliloquium. 443. Oratio amãtis & laudantis Deum. 563. Accedentis ad Deum oratio 498 Magna vis orationis. 522. 693. Oratio peccatoris se agnoscẽtis. 711. Orationes iaculatoriæ sæpe in hostes emittendæ. 666. Sit frequens orationis vsus, quouis tempore & loco. 665. Dauid de die miles erat, nocte verò religiosus orando. 753. Oratio spiritus humilis & contriti. 568. Frequenter orandum. 756. Per orationem sacra Script. cuidam fuit patefacta. 634. Orationis dominicæ laudes. 748

Ordinationem Dei circa nos libẽter suscipere debemus. 717

Ordo vide *Mutatio.*

de Ore Christi considerationes. 212.

Os vide *Silentium.* Os & cor valde seruari debent. 515. Custodia oris. 631

Osculo Christi quis sit dignus. ibid. Quando dicitur Christus nos osculari. 213

P.

PAlmæsum vide *Festum.*

Parentes vide *Damnatus.* Liduinæ virginis parentes, quales extiterint. 826. Honestas parentum illius, licèt pauperes esse viderentur. 837. Parentum contemptus, si bonum impediant. 513

Paruuli ad Christum vocantur 750

Pascha vide *Alleluya.* Nomen Paschæ quid significet. 302. Paschali tempore cælum & elementa lætari videntur. 300. Moderatè gaudendum, ob esum carniũ. 302. Quisnam sit ille, qui Pascha spiritualiter celebrat.

Passio Christi vide *Maria, Contemplatio, Aduersa.* Plãctus de passione Christi. 241. De merito dominicæ passionis. 250. Passio & vita Christi sint vitæ nostræ exemplar. 359. Passionis dominicæ memoria iuuat cõtra dissolutos & laxè viuẽtes. 543. Simplicis religiosi studium debet versari circa Christi passionem. 754. Passionis Christi redẽptioni sque beneficium superat creationis donũ. 508. Exercitium Christiani hominis, Christi passionẽ meditari. 620. De vtili exercitio in passione Christi. 257. Fructus vberes oriũtur, ex meditatione passionis Christi. 242. Suũ erga nos amorẽ Christus per suam passionẽ declarat, vnde cogit nos, vt vicissim ipsũ redamemus. 257. Gratitudo erga Domini passionẽ ostenditur, aliquid libẽter patiẽdo pro eo. 245. Quidam ingrati parũ de Christi passione cogitãt, nihil ei compatiẽtes. 244. Quibusdã non sapit passio Christi. 259. Cur nonnulli Christi passionẽ nõ gustent. 258 Christi passio superat tribus in rebus Sãctorũ passiones, dignitate, acerbitate, & fructu. 243. Cur Christus tãtos dolores in corpore & sẽsibus suis perferre voluerit. 271. Christus cõqueritur, quòd pauci sint suæ passionis memores, & qui etiam nunc velint pro se aliquid paci. 258. Quæ & quanta sit passus Christus in pedibus. 271. 272. In manib. 273. In cap. 274.

Septem sunt notabilia, in passione Christi expendenda: primo, quis passus sit. 261,262. *Secũdo, à quibus sit passus.* 262 *Tertiò, quanta sit passus.* 263 *Quartò, pro quibus sit passus.* 265. *Quintò, quãto tẽpore sit passus.* 266. *Sextò, quibus in locis sit passus.* 268. *Septimò, in quibus membris sit passus.* 270. *Quoties aliquem ictũ excipiebat Christus, illum semper Deo Patri pro nobis offerebat, sicut cuidam fuit reuelatum.* 271. *Fructus multiplex ex meditatione passionis Christi.* 242. 255. *Qui versatur frequẽter in passionis Christi meditatione demũ perueniet ad sui contemptum: tum etiam, vt aliquid pro illo pati velit.* 242. *Passio Christi est herba quædam omnes tollens languores, & omnia vulnera sanãs, confortãs mirificè hominem.* 258. *Passio Christi* vide *Infirmi.*

Passiones qui nõ studeat euincere, in vitia multa incidẽt. 1001. *Passiones* v. *Zelus. Passiones sunt mortificãdæ.* 329. *Passionibus obnoxius, qualis esse soleat.* 349. *Durum est suis resistere passionibus* 346. *Qui suas passiones sequitur, sit inquietus: passionibus verò resistẽdo, quies comparatur.* 326. *Qui passionibus laborat, in vita spirituali interdũ plus proficit, quàm qui passionum aculeis nõ vrgetur.* 345. *Vir passionibus suis obsequens, quo pacto sit affectus.* 351. *Qui vult proficere, imprimis necesse est, vt suas passiones agnoscat.* 683. *Ad Deum recurrendum est, quando passiones nostræ nos commouẽt.* 630. *Passiones vincendæ sunt. ibid. Passionibus obnoxius, & sibi & alijs grauis esse solet.* 81

Patientia vide *Pax, Quadragesima, Miseria. Patientiæ exẽplar. Christus.* 378. *Patiẽtia cũctis in rebus habẽda est.* 394. *Patiẽtia virtus est admirabilis.* 591. *Patiẽtia pacem gignit.* 598. *Exempla patientiæ Christus.* 594 *Patientiæ bona & fructus.* 267. *Oportet in religione disponere animum ad patiẽtiam, quia nunquã deerit, quod patiamur.* 35. *Patiẽti Christo debemus compati.* 271. *Qui pro Christo aliquid patitur, magnis meritis ditatur* 556. *Cũ aliquid pateris, aut tace, aut modestè responde. ibid. piorum Patientia.* 662. *Patientis hominis bona.* 349. *Quis sit verus patiens.* 379. *Patiens vt quis fiat, quid sit expendendum.* 347

Pati v. *Infirmari, Aduersa. Natura humana refugit pati.* 83. *Omnino oportet addiscere pati aduersa.* 348. *Qui pati nouit, experitur supra se auxiliũ Dei.* 349. *Qui nescit nunc pati modicum, quomodo is poterit postmodum pœnas aut inferni aut purgatorij perferre?* 344

D. Pauli laudes. 181. 751

Pauperes vide *Debita, Armum porcinũ, Seruire alijs, Humilis. Pauper Liduuina pauperibus eleemosynas cõferebat.* 835. 841. *Paupertas* vide *Lazarus, Humilitas. Encomion paupertatis.* 575. *Amanda est pro Christo.* 573. 753. *Christi paupertas.* 582. *Sit nobis in exemplum Christi paupertas.* 577. *S. Martini, & D. Augustini, item S. Francisci, ac quorundam eremitarum paupertas.* 578. *Pauperis refugiũ Christus.* 552. *Paupertas*

&

& humilitas sunt cognata. 580. Quidã à se paupertatẽ reijciunt. 576. Custos humilitatis est paupertas 580. Paupertatẽ Christus dilexit. 294. Pauperes voluntarij & martyres habent idem meritũ. Paupertas voluntaria quoddam martyrium est. 39

Pax vid. Gaudium, Pati, Quies, Humilitas, Patientia. Pax nostra non est in fuga, sed in patiẽtia. 19. Pax in patientia est. 20. 34. Tutissima pax est, in obseruatione mandatorum Dei, & in obedientia ad superiores. 19. Plena & vera pax est in cælo. 56. Pax multa in silentio. 11. 12. 39. Pax his quibus in rebus cõsistit. 56. Pax acquiritur, omnia ac etiam seipsum contẽnendo. 45. Qui reputant verbera pro beneficijs, magnam hîc pacẽ habẽt. 56. Non est quærẽda pax talis, quæ omni luctu careat. 374. Quidam sibi videntur esse in pace, quãdo ipsis omnia ex voto cedũt. 332. Quinã habeant pacẽ cordis. 352. Quibus in rebus sit posita pax cordis. 385. Quatuor sunt, quæ vnicuiq; pacẽ procreant. 384. Qui pace frui desiderat, debet se in multis frangere. 333. Ex opinionũ diuersitate, sæpe pax dissoluitur. 332. Pax nostra non debet pendere ex ore, seu sermone hominum. 388. Qui se non immiscet factis & verbis aliorũ, multa pace fruitur. 328. Pax nostra non est in hominibus ponẽda. 398. Paci studendum. 749. Multa pace quis fruatur. 321. Pax cordis. 540. Pax vera, in solo Deo quærẽda. 564. Reperitur pax summa, in sui & vitiorum mortificatione. ibid.

Pacificus homo qualis sit. 350. Multiplex pacificorum genus. ibid.

Peccatum vide Lapsus, Studium, Iudicium temerariũ, Dolor, Misericordia Dei, Malũ, Materia, quæ in inferno ardet, tum etiam in purgatorio, sunt peccata. 343. In gratiam alicuius personæ, aut propter rẽ quãcunque, nullũ vnquam peccatum perpetrandũ est. 332. Natura humana proclivis est ad peccatum. 340. Dei longanimitas erga peccatores. 711. Exẽplo Sanctorum contra peccata dimicandum strenuè. 546. Peccatores nõ spernit Deus, tantùm ab eis amorem reposcit. 488. 489. Homo confundi debet, tum ratione suorum peccatorum, tum ratione exiguæ sui emendationis. 738.

Flagella peccantium sunt initia dolorum futurorum. 33. Quot modis quis peccet. 28. Peccant in Christũ varia hominum genera. 269. Cõsideratio suorum peccatorũ lenit dolores in afflictione. 33. Peccator debet suam culpam agnoscere, & bene de misericordia Dei sperare. 238. pro Peccatorum conuersione erat Liduuina contenta plurima pati. 834. 835.

Pecunia furto sublata vide Agnes.

Pedum Christi consideratio. 211

Pentecoste vide Spiritus sanctus, Officium diuinum. De festo pentecostes. 306. Ordo religiosorum videtur hoc die cœpisse. 307. Priuilegia huius diei. 306. Hoc tempore corpus castigandum, & præterita negligentia compensanda. 224. 225. Orationi plus solito hoc tempore vacandum. 229. Sanctiùs nunc viuendũ. 224. Emendationi vir-

tutumq; incremento hoc tempore incumbendum. 227. Vt quis hoc tempore libenter ieiunet, proponat sibi Sanctorum exempla. 225. Patientia studendum hoc tempore propter varia qua contrahere solēt. 236. Ab hoc ieiunio multos terrēt timor & amor sui.
Perdita vide Salutatio angelica.
Peregrini vide Homo, Profectus. Sūmus hic peregrini. 333. 342. 514. Raro homines sanctificantur peregrinando. 341
Perfectorū numerus est exiguus. 250.
Perfectio vide Tentationes, necessitates corporis, Religiosi. Omnis perfectio habet admixtam imperfectionem. 324. Quibus vacare debeat, qui perfectionem expetit. 1039. Perfectio rara avis est. 515
Pericula cùm adsunt, confugiendum est ad Deum. 396. Pericula vide Egredi, Loqui. Periculis aliorum quidam fiunt meliores. 11
Perseverantia vide Domus spiritualis, Stabilitas. De perseverantia in religione. 48. Ad perseverantiā in religione iuuant bona iam parta, & bona æterna promissa. 48. In inceptis perseverandum. 658
Piger vult & non vult. 655. Mores pigrorum. 707
Pisa vide Eleemosyna.
Placari vide Humilitas.
Planctus vide Passio Christi. Si mortem filiorum & aliorum planxerunt Dauid, Iacob, & alij, quanto magis mors Christi lugenda. 246
Placere sibi ipsi, Deo est ingratū. 326
Pomi esus, quid mali attulerit. 75
Pœnitentia sanctorum vide Exēpla. ad stratum floribus densum rapta fuit Liduuina per Angelum. 869
Præceps vide Sapientia.
Præcepta vide Mandata.
Præferre se alijs vide Humilitas.
Decet minimè, alijs se præferre. 327
Prauidere futura, sapientis est. 628
Primitias spiritus & dulcedinis vtinam retineremus. 28
Principijs malis obsta vide Malum.
Processio in festo palmarū. vide Festū.
Profectus spiritualis multū pendet ex solitudine & silentio. 160. Tantum quis in virtutib. proficit, quantum vitia sua odit & vincit. 240. De suo profectu spirituali nemo vnquā desperet. 28. In oratione & silentio profectus comparatur. 11. Cur adeò pauci proficiant in vita spirituali, 12. Profectus noster quibus in rebus sit positus. 343. Tentatio declarat, qualis sit profectus noster. 331. Ad profectum confert plurimum, si te hic gesseris instar peregrini. 333. Ad id quoque conducit sæpe Sanctorum legere vitas. 334. Item si libenter habearis tāquam stultus. 333. Item si frequēter interna & externa tua examinaueris. 335. 336. Item deuota collatio rerum spiritualium. 338. Item si in silentio & quiete vitam duxeris. ib. Citò in religione perit profectus, quando tantū habetur caremoniarum ratio. 329. Si quotannis vitium vnum extirparemus, magnum profectum faceremus. ib. Quale est propositum nostrū, talis est profectus noster. 335. Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris. 329. 346. Negligentia nostri profectus efficit, vt parum ad id attendamus, quod loquimur. 328
Propositum quotidie renouandū. 682

Propositum manè factum, per diem retinendum est. 683. *Propositum bonum quotidie renouandum est.* 335.336. *Bene agendi, ac sese emẽdandi propositũ non debet differri.* 340. *Propositum infirmum.* ib. *Suæ vocationis propositum negligere nocet quam maximè.* 345

Propheticum spiritum habuit virgo Liduuina. 870

Prosperitas, vide *Aduersitas, Mali.*

Prosperis aduersa semper mixta sunt. 80

Protectio Dei circanos. 479

Prouidentia vti debent, qui temporalia tractant. 638

Prudens erat in responsis Liduuina. 872. *Prudens,* vide *Loqui. Quis sit prudens.* 78. *Prudens verè quisnam censeri debeat.* 325. *Prudẽtia* vide *Dispensator, Sapientia.*

Psallentes, vide *Chorus. Psallentes in choro quid cogitare debeant, ne fatigentur.* 7

Psalmos, stercus, appellauit dæmon. 989

Pugna, vide *Scutum. De pugna contra vitia.* 514.564.

Puella paruula, vide *Maria.*

Pulchritudo, vide *Virginitas.*

Purgatorium, vide *Solẽnitates, Horæ canonicæ, Religio, Anima Ioannis Ruſebroec fuit in purgatorio per horam.* 900. *Eò fuit rapta Liduuina: quæ cùm ibi vidisset aliquos sibi notos, se afflixit diris modis pro illis.* 856 *Optabat Liduuina graues pœnas perpeti, pro existentibus in purgatorio.* 834. *Licèt per infirmitates varias multis annis affligeretur Liduuina, nihilominus purgatorium timebat.* 835. *Vigiliæ, lectio, silentium, labor, & ieiunij, efficiunt breue purgatorium.* 24.

Purgatorium iusti sunt tribulationes & aduersarij. 343

Puritas cordis quærenda. 530

Q.

Quadragesima, vid. *Cineres, Moyses. Cur Christus* 40. *diebus & noctibus ieiunauit.* 226. *Deuotè & animosè ieiunium quadragesimæ suscipiendum.* 224. *Oratio ad Deum, ad tempus quadragesimæ sanctè transigendum.* 228

Quærendus Deus, vide *Iesus, Desiderium.*

Quæstiones difficiles in colloquium ne adducantur. 634. vide *Florentius.*

Quies, vide *Requies, Passiones, Deus, Pax. In solo Deo quies ponenda.* 381.29.

Quotidianum, vide *Propositum.*

R.

Raptus, vide *Odor, Lux, Eleemosyna, Irrideri. Raptus Liduuinæ.* 839. *Quomodo in ea fiebat.* 869. *Raptus illius varij* 867. *Aliquando fuit in Hierusalem, item Romæ, vt visitaret loca sancta.* 850. *In raptu vidit sanctorum cuneos ad domum suam venire; quo intellexit Petronillam virginem sibi seruiẽtem, ex hac vita migraturã.* 860

Recessus dilecti ab anima, qua sit causa. 483

Recolligendum cor cum Deo. 541

Redeũdum sæpe ad interiora sua. 610

In refectorio quid fieri debeat. 688

Refugium nostrum Deus esse debet. 396.698

Regulæ Religionis sunt veluti lignum quoddam, cui religiosi alligantur, tanquã pulli indomiti. 18. *Religio, Religiosi,* vide *Conuersus, Egredi, Exire, Beatitudo, Regula, Defectus,*

ctus, Habitus, Maria, Exemplum, Crux, Hypocrita, Patientia, Perseuerantia, Concordia, Diabolus, Chorus, Psallentes, Laborare, Obedientia, Pentecost, Pax, Studiū, Profectus, Nouitius, Stabilitas loci, Via, Perfectio, Religio quid sit. 54. De Laudibus religionis. 8. Religionis bona ibid. Qualis esse debet religiosus, 107. Boni religiosi munus. 71. Studium religiosi debet esse in Crucifixo. 45. Qualis esse debet virtus religiosorum. 17. Quomodo olim decertarunt in militia spirituali. 69 70. Religiosus in monasterio, est sicut miles in castro. 34. Quanū verum religiosum efficiāt. 52. Quando Deus parui ducit religionis statum. ibi. Iugū religionis quibus graue est, & quibus leue. 34. Austeritas religionis mitigatur consideratione inferni & purgatorij, etiam pœnarū quas Sancti subierunt pro Christo. 33. Intueri debent martyres, quāta passi sunt. 37. 38. Religiosi pro martyribus habētur. 37. Vt aurum in fornace, ita in religione probātur homines. 48. Quàm varijs eos modis tentat dæmon. 76. Religiosus nihil debet habere inter se & Deum. 44. Recreationis gratia aliquò concessuri. quid agere debeāt. 235. Quo pacto in itinere sese debeant gerere. ibid. Mali religiosi describuntur. 86. Qui religionē deseruerat, malè ab alijs tractatur. 10. Religionis feruor facilè intepescit. 335. Malum signū in ingressu religionis intepescere, 340. Magna est gratia, religiosum esse. 372 Quidam sunt meliores in ingressu religionis, quā in progressu 339. Religiosus debet sæpe cogitare, ad quid venerit. 344. Qualis debet esse religiosus, vt pacē habeat. 333. 335. Alphabetū religiosi, quod addiscere debet. 769. Laudabilis est status, modò rectè seruetur. 674. Magnum est beneficiū. 509. Quis scopus esse debeat ingredientis religionem. 671. Quidam adolescens religionem ingressus est, vbi suos cōdiscipulos in studio vidisset mori. 680. Mater filiū luxit religionē ingressum; at conuersa postmodum Deo gratias egit. ibi. A primo religionis feruore multi deficiunt. 671 Religiosus quædam constanter retinere, quædam verò perferre, alia demum respuere mox debet. 610. Religiosus absque libris quibus sit similis. 704. Debet religiosus scire, ac memoria tenere, quid quouis tempore sit sibi agendum, ac etiam quæ fugienda. 610. Differentia religiosi & clerici. 701. Religioso tria sunt necessaria, labor seu operatio, lectio, & oratio. 551. 695. Remedia contra sua vitia scire debet, eaq; seriò applicare. Cōcupiscentiæ motus non possunt omnino extingui, sed mitigari possunt. 611. Mores humilis ac boni religiosi. 557. Curiosuli quidam sunt, circa hæc & illa facienda, vel non facienda, velantes omnia discretionis velo. 602. Quænam efficiūt religiosum tranquillum & bonū. 518. Religio est veluti piscina, ex qua nititur dæmon pisces rapere. 606. Religio paradisus est, quando vnusquisq; vult esse vltimus. 1006. Duo impedimenta ad perfectionē religiosis. 1038. Dormientes religiosi ab Angelis visitantur. 867

Relinquere se, vide Abnegatio sui.

Renouatio Spiritus, vide *Propositum.*
Renouatio Spiritus exuit veterem hominem, sicut ferrum in igne rubiginem amittit. 350
Requies, vide *Quies.*
Qua in re inuenitur requies. 347
Reprehensurus alium, se prius admoneat. 558
Resignatio sui planè est necessaria pacem quarenti. 742. *Resignatio sui* vi. *Desolatus. Resignatio sui plena ad Dei nutum & voluntatẽ.* 378. *Suipsius resignatio in Deo magnã affert cordis libertatem.* 395. *Omnibus in rebus, & in cunctis desiderijs, plena sui resignatio in Deo.* 376. *resignatio sui ad Dei nutum & voluntatem.* 221
Resurrectio Christi, item & nostra spiritualis. 296. *De gaudio dominicæ resurrectionis.* 299. *Qua ratione spiritualiter resurgendum.* 300
Reuelare sua secreta, cui oportet, bonũ est: cui verò non oportet, malum est. 327
Rosa vel spina est vnus alteri. 528.
Rosæ, vide *Dorothea.*
Rumores, vide *Nouitates.*

S.

Sacerdotij dignitas, vide *Ioannes Brinckerinck.*
Iacobus de Viana valde reformidabat sacris ordinibus initiari. 1006
Sacerdotũ dignitas. 428. *Sacra scriptura*, vide *Scriptura.*
Salus aliorũ cibo præferẽda. 237. *Saluti animæ imprimis incũbẽdũ.* 324
De salutatione angelica. 500. *Effectus salutationis angelicæ.* 501. *Salutatio angelica*, vide *Iter, Maria. Qui immundis cogitationibus vexabatur, dicto Aue Maria, fuit mox liber.* 96. *Dæmõ fugatus, dicto Aue Maria.* 98. *In aquam lapsus, dicto Aue Maria, terræ fuit restitutus.* 97. *Libellus amissus, dicto Aue Maria, fuit mox inuentus.* 96
Sancti Sæpe inuocandi. 685. *Illos nobis faciamus familiares.* 622. *Qua ratione Sanctis poterimus placere.* 623. *Suffragia eorum sedulò imploranda.* 622. *Quæ sint illa, quæ Sancti in nobis diligunt.* 623. *de Sanctorum gloria disputare, vter sit maior vel minor, stultũ est, & displicet Sanctis.* 404. *Sanctorum vitam imitari debemus.* 41
In humilitate est vera sapientia. 42.
Sapientia diuina, quomodo cõparari possit. 40. *Sapientia, Sapiẽtes*, vide *Contemptus sui, Oratio, Amare, Doctrina, Scientia, Cognitio, Spiritualis. Quæ vera est sapientia.* 322. *Magna sapientia est, non esse in agendis præcipitem, suoq; sensui non fidere.* 325. *Sapiens ille est, qui res tales æstimat, quales sunt.* 348. *Qui sibi sunt sapientes, in periculo versantur.* 370. *Sapientia & prudentia seu prouidentiæ differẽtia.* 678 *vera sapientia in Deo quærẽda.* 514. *Mala est mundi & carnis sapientia.* ibid.
Satiari nemo hic potest. 322
Scientia, vide *Deus, Doctrina, Sapiẽtia, Docti. Quæ vera scientia.* 323. *Scientia nostra habet quandam annexam caliginem.* 324 *Scientia quæ probanda, & quæ improbãda.* 323. 324. *Scientia non est culpa: atqui bona vitæ maior est habẽda ratio.* 324. *Scientia secularis contemptus.* 399. *Sciẽtia absq; humilitate nõ prodest quicquã.* 322. 323

Scientia hominis parua, ignorantia autem eius maxima. 323
Nimium sciendi desiderium, reprehensibile est. ibid.
Scribere libros ad vtilitatem aliorum, opus est Deo gratum. 239
Mirantur Iudæi, quomodo Christus legere & scribere nouerit, cùm non didicerit. 238
Scriptura sacra est nobis necessaria. 434
Quomodo sacra Scrip. legi debeat. 325
Scriptura sacra commendatio. 701
Gerardo magno varij sensus occurrebant, cùm Horas canonicas aut sacram Scripturam legeret. 654
Quando non intelligis eam, aut ad Deum per orationem recurre, aut consule te peritiorem. 634.635
Difficultas in sacra Scriptura est nucleus in testa. 477
De sacra Scriptura intellectu. 554
De scriptura Iesu in terra. 237
Scriptura sacra aliquãdo literalem, aliquãdo spiritualem sensum habet: aliquando aperta est, quandoque obscura. 178
Scutum, vide *Verbum Dei.*
Obijce hostibus scutum bonæ voluntatis, maximè verò amorẽ Dei. 660
Secretum, vide *Reuelare.*
Secretum tuum, quod neminem scire velis, nulli dicito. 741
Securitas hic nulla. 337
Seniores audiendi sunt. 14
Mandata Dei & seniorum, sunt obseruanda. ibid. vide *Consilia.*
Sensualitas, vide *Opera.*
Malũ est, suã sensualitatẽ sequi. 322
Sensuum exteriorum custodia. 685
Sensibus nostris quinque vtitur dæmon, tentando nos. 75
Sequi Christum, vide *Imitatio.*
Sequi Christum, est ambulare in luce. 322
Sermo declarat, qualis sit homo interius. 10
Ex sermone indisciplinato offenduntur alij. 17
Sertum ex floribus, vide *Maria.*
Seruire Deo est dulce. 372
Seruire alijs res est honesta. Nunquã verò te pudeat, paupere videri. 326
Seruitiũ Dei, v. *Infirmari, Tristitia.*
Seruientem sibi Deus quo pacto tractat. 45
Signum crucis, vide *Crux.*
Silentiũ, v. *Exemplũ, Profectus, Tacere, Lingua, Pax, Purgatoriũ, Os.*
Silentij exempla. 165
Amator silentij, multa pace fruitur. 163
Iesus & Maria seruarũt silentiũ. 162
Vt auarus thesaurum suum seruat, ita vir bonus sua verba. 164
Lucifer in cælo non seruauit silentiũ, idcirco periit. ibid.
A laude Dei silendum minimè. ibid.
Silentij bona. 46 550.551
Silentij & Cellæ fructus. 337
Silentio incumbendum. 17.161.611
Virtutes silentij. 726
Dauid rex silentij fuit amator. 725
Similes sunt carnales brutis, iusti verò angelis, superbi autem dæmonibus. 536
Simplices, v. *Doctrina, Conuersatio.*
Societas bona quærenda, mala verò fugienda. 512.513
Societas cum Iesu & Maria est ineunda. 569
Boni euaserunt quidam, ex societate bona. 513
Solemnitates, vid. *Festa, Pascha, Ascensio. Pentecoste.*
Ante Solemnitates rapiebatur Lidu-

uina virgo ad purgatorium, vt videret, qui maximè auxilio egerent: quibus suos impertiebat dolores. 871
Soliloquium. vide Oratio.
Cur soliloquium per formam dialogi composuerit auctor. 443
Cur autem illud scripserit. ibid.
In eo vsus est stylo simplici. ibid.
Solis splendor vide Angeli.
Solitudinis amor. 718
Solitudinis cellæq; commendatio. 613
Solitudo vide Exemplum, Profectus.
Commendatio solitudinis. 160
Amanda est solitudo, Christi exemplo. 225. 336
De solitudine cordis. 165. 550.
Cordis solitudinis bona. 165
In solitudine patres didicerunt, quod postea alios docuerunt. ibid.
Solitudo omnis in Deo ponenda. 378
Somnus v. Vigilia, Exempla, Dormire, Cibus.
Somnolentiam quo pacto vnus à se excussit vide Exemplum.
Sõnolentia vide Officium diuinum.
Virgo Liduuina sic somnolentiam tẽpore diuini officij euicit, quòd amplius non redierit. 836
Spectaculum admirabile v. Maria.
Spes vide Fiducia.
Sperans de Dei auxilio, debet facere, quod in se est. 345
Spina piscis vide Agnes.
Spina vide Rosa.
Spiritus vide Primitiæ, Bellum.
Spiritus Sanctus v. Castitas, Domus spiritualis, Pentecoste.
Effectus Spiritus sancti. 307
De consolationibus Spiritus sancti. 308
Quid agere debeat Spiritum sanctũ accepturus. 309
Et nostra & nos ipsos debemus committere Spiritui sancto: Sape inuocandus est. 308
Spiritualis vir vide Sapientia diuina.
Spiritualis viri studium & Sapientia. 41
Spiritualia valde impediunt huius corporis & vitæ necessitates. 340
Sponsi visitatione sublata, quid agere debeat anima. 482
Stabilitas tum loci tum ordinis. 547
Stabilitas loci commendatur v. Mutatio.
Status vitæ humanæ triplex. 535
Studium vide Religiosi.
Non est bonũ studioso sæpe euagari. 10
Studia oratione iuuantur. 555
Studijs adeò erat deditus Gerardus Sutphanienſis, vt doleret, quando erant feriæ, vel non doceretur. 999
Gerardus Magnus solitus erat dicere studiosis, tantum eos mereri audiendo lectiones, ac si orarent. 912
Studia sunt propter Deum suscipienda, alioqui vanitas est. 994
Studium nostrum esse debet in vitijs extirpandis, virtutibusque inserendis. 324
Studium hominis quotidianum esse deberet, seipsum vincere. ibid.
Stulta vide Irrideri, Proficere.
Subesse vide Obedire.
Superbi vide Tentatio, Docti. (326
Superbi & auari, pace non fruuntur.
Superbi sunt similes dæmonibus. 31
Superbia vide Gratia, Gloria inanis, Cedere alijs.
Mores superborum qui sint. 707
Diabolus semper de superbis triumphat. 605
Superiori ne sis familiaris nimiũ. 656

Debet superior honorari. ibid.
Dispensator debet suum superiorem consulere, in rebus maioris momenti. 635
Superior idoneus quis sit. 337
Superiores vid. *Obedientia, Infirmari.*
Surgendi hora. 687

T.

TAbernacula tria, qua D. Petrus optabat, accommodantur paupertati, humilitati, & patientiæ. 573. 574
Tacere vide *Pax.*
Qui non nouit rectè loqui, præstat, vt taceat. 40
Tadium vide *Labores, Hora canon.*
Cùm tangeretur ab inhonestis Liduina virgo, priuabatur aliquot diebus visitatione Angelorũ. 869
Templi dedicatione quinam abutãtur. 136
In dedicatione templi, cogitandum est de cælesti festiuitate. 135
Cælestis templi dedicatio & festiuitas. ibid.
Templi ornatus deuotionem excitat. 136
Templum quinque rebus exornatur, missa, choro canentiũ, verbo Dei, conuentu populi, & oratione. 131
Sancti orant pro nobis, quorum reliquiæ in templo habentur. 137
Multæ gratiæ in templo conferuntur. 142
Vacandum ibidem orationi & laudibus diuinis. 132
Explicantur, quæ mysticè templo cõueniunt. 154
In templo verba otiosa & alia vitanda sunt. 132
Dormiens in templo, fuit à V. Maria admonitus, ne ibi dormiret. 145
Tẽplũ spirituale 4. debet habere. 137
Templi ornatus quid significet. 706
Temporalia v. *Prouidentia, Vanitas.*
Temporalium cura abijcienda. 233
Tẽpus præsẽs est valde preciosũ. 342
Tempus præsens est nobis datum, vt nos ad mortem præparemus. 336
Maxima temporis habenda ratio. 30 346
Querela de tempore amisso. ibid.
de Tempore malè impenso lamentatio. 451
Tentationes vide *Tribulationes, Luxuriæ, Religiosi, Profectus, Mortificatio.*
Tentationis tempore, orationes iaculatoriæ ex psalmis emittendæ sunt. 20
Quid agendum in tentationibus. 19
Tempore tentationis, quæ cogitationes cauendæ. ibid.
Quanto pugna durior, tanto corona glorioſior. 20
Maiores nostri in tentationibus, quomodo se gesserint. 21
Tentationibus varijs religiosum exagitat inimicus. 603
Vigilandum & laborandum contra tentationes. 526
Quouis tempore & loco, vigilandũ & orandũ contra tentationes. 541
Tentationes sunt vtiles. 330
à Tentatione nemo est liber. 339
Eorum, qui tentantur, varia sunt genera. 331
Tentationes quomodo sunt ferendæ. 330
Tentatione vna recedente, alia succedit. 330. 337
Pro æterna gloria, toleranda sunt tentationes. 403
Viri perfecti, quandoque & ipsi tentantur. 330
De tentationum tum initij, tũ progressu.

greſſu. Item, quomodo ſit illis reſiſtendum. 330.331
Vita hominis tentatio, 330.394
Quanta bona ſint promiſſa patientibus tentationes. 405
Quibuſdam expedit, non omnino tentationibus carere. 337
Cur nonnulli frequenter tentantur. 331
Cur Deus permittat hominem tentari. ibid.
Tepeſcere vide Deuotio.
Terrena vide Mũdana, Tẽporalia.
Terrena ſunt aſpicienda per modum tranſeuntium. 348
Thomas à Kempis cohabitauit Arnoldo Schoonhoue. 1018.
Refert Thomas hic ſua conuerſionis initia. 972
S. Tiburtius martyr ſuper ignẽ graditur, tanquam ſuper roſas. 129
Timor Dei, homini infirmo neceſſarius. 55
Timor Domini præſens, liberat à timore mortis futura. 342
Torporem quenam excutiant. 68
Trahi nos à Deo neceſſe eſt, ſi ſit à nobis ſequendus. 469
Transfiguratio Chriſti vide Tabernacula tria.
Tribulationis effectus. 593
Tempore tribulationis, homo ſe ad arbitrium Dei reſignet, nec murmuret, ſed laudet illum. 743
Tribulationes pati maius eſt, quàm bona operari. 598
Deus conſuenit conſolari exiſtentes in tribulationibus. 547
Tribulationes vide Triſtitia, Vita, Fuga, Afflictio, Maria, Crux, Oratio, Conſolatio, Fiducia, Tentatio, Conſolatio, Aduerſa.
Tribulationes multa bona cõferunt, ſi aquo animo perferuntur. 314
Pro regno cælorum ſunt ſuſpiciendæ libenter. 33
Nouit Deus, quando voluerit hominem à tentatione eripere: Oportet ſe ei committere ex toto. 84
Deus adeſt afflictis. 49
Bonũ eſt tempore afflictionis, oculos ſuos in Crucifixum reflectere. 245
Propter afflictiones aut tentationes nemo debet intepeſcere. 48
In tribulationes cur ſinit Chriſtus iuſtos labi. 34
Cùm tribularis, Chriſtus venit tibi obuiam cum cruce. 88
Qui non quærit Ieſum, tribulationẽ inueniet. 333
In tribulatione gloriandum. 352
Deus inuocãdus eſt, & benedicẽdus, tempore tribulationis. 388.389
de Trinitate diſputans, Deo nõ placet, ſi careat humilitate. 322
Triſtitia vide Conſcientiæ mala.
Hic ſunt multæ cauſæ triſtitiæ. 339
de Triſtitia animæ, abſente Dei gratia. 473
Triſtitia nimia de amicorum obitu ſuſtulit Liduuinæ Angelorũ nonnullas viſitationes & conſolationes. 861. 862. 865
Triſtitia in ſeruitio Dei eſt diaboli venenum. 48
Tempore congruo nouit Deus triſtes conſolari vide Tribulatio, Tentatio, Afflictio.

V:

Sibi & Deo tantùm vacare, non omnibus datum eſt. 719
Vacare ſibi ipſi in ſecreto, optimum eſt. 336. vide Diſpenſator.
Vagabundi v. Cella, Vnio, Stabilitas.
Vanitas quibus ineſt rebus. 326
Opes ſectari & honores, lõgam vitã, &

& transitoria amare, &c. vanitas est. 322
Vanitas omnis homo viuens. 753
In morte omnis vanitas concidit. 559
Varietas rerũ est quàm maxima. 525
Velle proprium vide Pax.
Venti vide Vita præsens.
Verba seniorum vide Consilia, Seniores.
Verba otiosa vide Templum.
Prius verba sunt expendenda, quàm efferantur. 25
Verbi diuini consideratio. 759
Verbum Dei audiendum. 516
Verbum Dei scutum est aduersus tela omnia inimici. 666
Verborũ suorum habenda ratio 631.
Varia efficiũt & inducũt verba 755
Verba vide Loqui, Conuersatio, Iudicia temeraria, Iniuria, Veritas, Detractores.
Verbo labi est facile. 401
Superflua verba sunt resecanda. 328
Vtritas tandem liberat à verbis hominum. 365
Vermes vide Infirma.
Vestes spirituales variæ S. Agnetis vide Agnes.
Victoria sui, illustre certamen est, ex eoq; glorioſus triumphus. 24
Via ad placẽdum Deo tutissima. 673
De iustorum via ad cælos recta. 745. 746
Obediens est victor sui. 37
Victus vide abstinentia
Videre hic Iesum, & videre illum in cælo multum differunt. 221
Quatuor modis potest videri Iesus, iuxta deuotionis affectum. ibid.
Videre vide Curiositas.
Videndi curiositas. 338
Viduus mansit virginis Liduuinæ nuus deditus ieiunijs & abstinentijs. 840
Vidua vide Militia.
Vigiliæ vide Purgatorium.
De vigilijs nocturnis contra soporis impugnationem. 22
Vigiliæ matutinæ alacriter adeundæ sunt. 696
Vincere seipsum vide Studium hominis, Mortificatio.
Vindictæ vide Milites.
Vinum dedit Liduuina mendicanti & sitienti, quod deinde in amphora ad multos dies excreuit. 843
Virgam ligneam Angelus dedit Liduuinæ, qua uteretur cortinas suas vel aperiendo, vel claudendo. Fuit autẽ suauissimi odoris lignũ. qui quidem odor periit, ex cõtactu alicuius hominis impuri. 853
Virginitas vide Tangere, Virga.
Virginis Liduuinæ castitas seruata fuit per varias ægritudines. 828
Non potuit Liduuina diuelli à virginitatis proposito, quãuis ob pulchritudinem à pluribus expeteretur in coniugium, cùm esset duodecim annorum. ibid.
Vir bonus, Virginitas, Virgines, vide Castitas.
Christi virgo à quibus cauere debet. 118
Quinque sunt necessaria, vt seruetur virginitas. ibid.
Virtutes vide Profectus, Oratio, Studium.
Virtutes quibus in rebus pericliten-tur. 57
Virtutes puræ esse debent. 754
Exhortatio ad virtutes. 683
De septem gemmis virtutum in congregatione sectandis. 668
Virtus non acquiritur, nisi diligẽtia. 346.

Vis sibi inferenda ad profectum, vide *Profectus*.
Visitatio, vide *Infirmi*.
Vita præsens plena est tribulis & spinis. 34
Sex ventis agitatur vita præsẽs, quibus homo exagitatur. ibid.
Vita hominis, pugna quædam est. 20
In vita communi, quæ sunt obseruanda. 311
De vita cõmuni, qua fuit in primitiua ecclesia. ibid.
Vitam communem quænam dissoluunt. 312
Vita humana, vide *Status triplex*.
Hominis vita videtur esse quædam longa miseria. 591
De miseria & breuitate huius vitæ. 453
De vita bona & pacifica. 801
Ad vitam æternam anhelare. 455.
Vitæ contẽplatiuæ dediti, eos diligant, qui in actione versantur, & ferant si in aliquo defecerint. 640.642
Aduertant, qui vitam contemplatiuam profitentur, ne propter negligentiã & torporem, amittant suã mercedẽ, quæ fortè dabitur Martha officio fungentibus. 642
Vitæ actiuæ addicti videant, ne aspernentur cõtemplantes: quin potius iuuent illos per suum ministerium. 640
Sint patientes, prudentes, nec facilè perturbentur, qui Martha officio funguntur, quia merces eorum est magna. 641
Non debent inter se contendere contemplatiuæ & actiuæ vitæ mancipati. 639
Vita, vid. *Emendatio, Profectus, Imitatio, Tentatio, Scientia, Vanitas.*
Vitam longam quidam amant, tametsi miseram. 340
In vita alterius, nemo sit curiosus. 385
Vitia, vide *Militia, Armatura.*
De odio vitiorum. 618
Virtutibus contrariis vitia pelluntur. 747
Pugnandum contra acediam, gulam, & luxuriam. 746
Vituperia, vide *Laudes.*
Viuentes laxè, vide *Passio Christi.*
Ad piè viuẽdum, sume quinq; panes, id est, quinq; considerationes. 654
Viuere, vide *Martyres.*
Vniones gratiam cum Deo citò vagabundi amittunt. 44
De vnione inter religiosos, vide *Concordia fraterna.*
Vnio cum Deo fit per amorem. 564
Quærenda est maximè. ibid.
De vnione cum Deo, & de gratiæ eiusdem subtractione. 170
Vocatio, vide *Propositum, Profectus.*
Voluntas Dei, vide *Resignatio sui.* 333
Voluntas Dei in cunctis rebus quærenda. 376.377
Oratio ad Dei voluntatem perficiendam. 377
Voluntas bona, vide *Scutum.*
Deus odit voluntatem cuiusque propriam. 566
Voluntas propria, v. *Exẽpla, Gaudiũ.*
Dei voluntas quæ sit, debet subditus à suo prælato quærere. 12
Voluptas, vide *Dulcedo.*
Vtimur rebus fruimur autem Deo. 482

Z.

Zelus quandoque esse putatur, cùm existat passio.
Zelandum sibi ipsi prius, deinde alijs. 349

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2627
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN